JOANNIS TRITHEMII,

SPANHEIMENSIS,

ET

Postea Divi Jacobi apud Herbipolim Abbatis,

Viri suo ævo doctissimi.

TOMUS II.

ANNALIVM HIRSAVGIENSIVM,

Opus nunquam hactenus editum, & ab Eruditis semper desideratum.

COMPLECTENS

HISTORIAM FRANCIÆ ET GERMANIÆ,

GESTA IMPERATORUM, REGUM, PRINCIPUM, EPISCOPORUM, ABBATUM, ET ILLUSTRIUM VIRORUM.

Nunc primum in gratiam, & utilitatem Eruditorum è Manuscriptis Bibliothecæ Monasterij S. Galli publicæ luci datum.

Cum licentia Superiorum.

Typis ejusdem Monasterij S. GALLI, Anno MDCXC.

Excudebat Joannes Georgius Schlegel.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

EPI

OA

TRIT

ABB

stam in suis Ann

tum Basilium ex Du

sungarum



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

EPISTOLA IOANNIS TRITHEMIJ ABBATIS,

Quædam in suis Annalibus retractantis, ad Nicolaum Baselium ex Durckheim Monachum Hirsaugianum eruditum.

IOannes Trithemius Abbas, sacræ Ædis Divi Iacobi Apostoli Maioris Würzburgensis Ord. S. Benedicti: Optimo Confratri suo Nicolao Baselio ex Durckheim Monacho Hirsaugiano memorati Ordinis Salutem, & synceram in Domino charitatem. Magno & diuturno labore duo Volumina historiarum, sive Annalium insignis Monasterij tui Hirsaugiensis auxilium Deo præstante (sine quo nihil possumus omnes) ad finem optatum vix tandem perduxi. In quibus non solùm, quæ Monasterium ipsum & res Abbatum gestas concernebant, inserui, verùm etiam quidquid in tota Germania nostra factum, & memoriâ dignum reperire potui, quod supputationi temporum conveniebat, per omnia coniunxi: quatenus Hirsaugiana venerabilis & sancta Congregatio habeat sui non tantùm acta Cœnobij: sed totius quoque historiam Regni Germanici. In huius autem secundi Voluminis principio Rudolphus de Habspurg quondam Rex Germanorum occasionem dedit, quòd originem gentis Francorum altiùs quàm volui repetere, sum compulsus. Cuius rei gratiâ primos duos quaterniones, quos scripseram, necessariò abieci; propterea, quòd communem secutus opinionem cum pluribus erraveram, qui Francos temporibus Valentiniani Cæsaris (nescio unde) primùm in Germaniam venisse somniârunt: cùm ex multis constet auctoribus, illos diu antè Sicambros dictos circa Rheni fluminis ostia

(*ubi nunc sunt Hollandij, Frisij, & Geldrij*) *sedes habuisse. Quòd autem prius dicti fuerint Sicambri quàm Franci, S. Remigius innuit: qui baptizando Regi Francorum Clodoveo dixit:* Mitis depone colla Sicamber. Adora quod incendis: incende quod adorâsti. *Alios ergo in locum priorum quaterniones duos reposui: in quibus Hunibaldum secutus, veram originem Francorum breviter descripsi. Hinc factum est, quòd mihi apud plures iustè videbor contrarius: qui & in primo Volumine, & in secundo (per insciticiam meam, fateor) sæpiùs Regem Germaniæ (satis imperitè) nominavi Romanorum, ac Regni Vrbes dixi præter debitum imperiales: quod tamen non debere fieri manifestum est omnibus intelligentibus & Regni, & Imperij originem ac rationem. Item cùm sit usus Curiæ Romanæ, nullam sine Cathedra Pontificali scribere Civitatem, errâsse me fateor, quoties Nürenberg, Franckefort, Vlmam, vel quodcunque aliud oppidum (ubi non est Sedes Episcopalis) civitatem nuncupavi; quanquam eorundem incolas non loci, sed Regni cives dicere potuerim. His te propterea monuerim, ut si olim rescribenda fuerint hæc ipsa volumina, errorem corrigas: Regem Germanis: Imperium Romanis adscribas: Vrbésque & Civitates Germaniæ liberas, non Imperiales, sed Regales potiùs nuncupandas fore intelligas. Hæc si volueris errata, citius emendabis. Scias etiam volo, quòd annum incipio novum à prima die mensis Ianuarij: & non à die Nativitatis seu Annuntiationis Domini. Vale sanus & felix, tibi liber unitus, Deo placens, utilis posteritati, & ora pro meis ad Deum peccatis. Ex Peapoli XII. die mensis Aprilis, Anno Christi Domini MDXIIII. ætatis meæ LII. completo. Abbatiæ verò tam isthic, quàm prius in Spanheim XXXI. Indictione Romanorum secundâ. Regis Maximiliani, Anno XXVIII.*



JOAN-

JOANNIS TRITHEMIJ ABBATIS

Monasterij S. Iacobi Wirzburgensis Ordinis Divi Patris Benedicti epistola Proëmialis ad Joannem Abbatem Hirsaugiensem ejusdem Ordinis, in secundum Volumen Chronicorum seu Annalium memorati Cœnobij Hirsaugiani Spirensis Diœcesis.

Joannis Trithemij epistola ad Joannem Abbatem Hirsaugiensem.

SI gregis Hirsaugiani Vigilantissime Pastor Abba Joannes in hujus editione secundi Voluminis Chronicorum sive Annalium insignis Monasterij tui jam dicti Hirsaugiensis, limace tardior visus sum, æquanimiter feram oportet. Scio enim, nec me fugere potest, quanto mentis desiderio hanc ipsam novissimæ partis consummationem per biennium expectaveris: & sicut vehementer amanti omnis absentiæ mora semper longa videtur, quantumlibet sit brevis aut parva: ita reor & animo contingere tuo: cui nihil esse videatur primum desiderati Volumen operis, nisi consumatum habeat & secundum. Nam ut scriptura dicit: Spes, quæ differtur, affligit animam: *Et sicuti est in proverbio: Eò crescunt desideria vehementius, quò diutius protelantur: & mens amore tabescit, quando nimium differtur, quod amans concupiscit. Veruntamen in hac dilatione mea non est, quo juste vel moram incuses: vel negligentiam in me aliquam redarguas. Mora enim mihi fuit necessaria, negligentiam verò nullam admisi. Quis etenim brevi tempore, vel mensibus paucis opus historiarum tam ingens magnum & arduum (& quod magis est difficile, de solis rebus Germanicis) in unum comportare corpus vel conscribere posset?*

Moram editionis necessariã & tempus excusat Trithemi.

Quis denique (edendorum Annalium vel ignarus, vel nullam consecutus experientiam) mihi crediturus est, quanto labore, quanto sudore, quantisque vigilijs & studijs usque ad tædium & abominationem pænè continuis, hæc duo volumina, imò ingentes Codices historiarum sive annalium insignis cœnobij tui ad calcem Domino Deo juvante perduxerim? Mensibus quinquaginta quatuor continuè in hoc opere desudavi adeò constanter atque tenaciter, ut ne tempus quidem refocillationi corporis mei necessarium, & à Regula permissum liberum habere ab hac editione potuerim. Continuè semper & sine intermissione die ac nocte vigilans & dormiens, aut mente aut corpore Hirsaugianis occupatus fui Annalibus. Etenim vigilans diem comportando, discernendo, ordinando & scribendo totum in laboribus consummavi: noctem dormiens interruptam earum occupationum imagines nimium sustinui molestas & importunas, quarum archetypo dietenus fueram occupatus. Labor is magnus & sine utilitate molestissimus plus me læsit nocturnæ fuliginis umbrâ somniantem, quàm omnis labor diuturnus scribentem.

Mensib. 54. Trithemi laboravit in Chron. Hirsaug.

Sed aliter fieri non potuit, ubi & nimia & continua in me propositi operis diligentiæ fuit, quæ rebus umbram copulavit. Quod si pergas fœdam in me suscepti operis negligentiam arguere, cùm nulla fuerit, ego me testibus defendam, & jure innocentiam declarabo. Testis est Peapolis tota in his, qui Trithemium noverunt: testes sunt fratres mei, qui viderunt. Testes multi Religiosi, & cives, quos brevitatis causâ pertranseo, quòd inter tot occursus hominum, quos aliquando pati necesse fuerit, nemo repererit me otiosum: sed in opere Hirsaugiano semper occupatum. Solitarius à multis diebus cibum sumpsi & potum, ne diutius manus ab opere vacaret, si cum fratribus corpus ipsa ministrando cibum reficeret. Jure igitur in me nullam reprehendere negligentiam poteris, imò nec suspicari quidem debebis, quippe qui tam indesinenter, tam continuè, támque studiosè operi cœpto semper institi, ut non solùm visui meo prius optimo valde nocuerim: sed omne quoque corpus meum & vires continuâ nimium debilitaverim sessione, multósque importunitate scribendi morborum contraxerim nodos.

Germanorum res gestæ in confuso manent.

Auxit mihi non mediocriter, sed excessivè laborem, quòd pauci ab annis multis Germanorum res gestas, seriatim & sufficienter sine ordine corrupto & debita cum gravitate (quos tutò imitari possem) conscripserunt.

Nam mei, ut nosti, propositi fuerat inter successiones, & res gestas Abbatum insignis Monasterij tui Hirsaugiensis per digressum inserere, quæcunque memoratu digna occurrissent, non in qualibet natione, sed in Germanica tantùm, & de his, quæ vel regno nostro sunt subjecta, vel intermixta.

Germanos exteri scriptores transierũt.

Germani sumus, in Regno Germaniæ vivimus: nostra imprimis meritò curamus: & ideò quod Nobis exteri faciunt, in eos refundere non timemus. Quis alterius nationis scriptor unquam laudavit Germanos? Quis hodie Italus? quis Gallus? quísve Hispanis auctor ab oris, dum scribit historias, Germanos non transit? aut si recenseat, non fabulam inde sumit? Non ergo Pater venerande mireris, si pauca scripsi de Gallis, de Italis verò pauciora, quoniam & nostra consultò ipsi transeunt: & in rebus suis præclarius sunt adornati scriptoribus. Unde nec nostra curant, nec sua neglexerunt. Germanorum verò in obscura hactenus latet tenebrositate historia: nihil aut parum, quid majores gesserint nostri, ante mille annos simul & intereà per multos, litteris, quibus tutò fides adhiberi possit, invenitur expressum. Cujus mali cùm plures sint causæ, duas tamen ex omnibus in medium produco potiores.

Itali, Galli, & Hispani amatores sunt suarũ historiarũ.

Prima est, quòd Germanis innata semper fuerit barbaries quædam Scythicâ feritate permixta, quâ suo more impulsi bellis dilatandis, vel tuendis patriæ terminis, ulciscendis injurijs & contumelijs, inquietandis vicinis, ampliandis divitijs, exercendis venationibus, hísque similibus operam navare magis consuevêre quàm litteris. Unde factum est, ut quia nihil curabant, nisi præsentia, nemo scribere historias eorum vel didicit, vel curavit, qui omnem contempserunt eruditionem atque historiam. Ex hac caturigine tenebrarum cunctis penè Germaniæ Principibus, & nostris, & qui retrò vixêre temporibus, quasi ex lacte morbus quidam (si dici fas esset) ignaviæ adhæsit, ut voluptatibus dediti, non scripturis, avaritiam & vanum potius sectentur honorem, quàm sui nominis immortalitatem. Hinc fit, ut cùm Principes ipsi penè omnes historiarum hodie scriptores vel negligant vel contemnant: nemo inter Germanos velit esse historiographus. Et quis pauperi consuleret, Principi scribere diviti, magna contemnenti?

Germani Principes non curant Historiarũ scriptores.

Quem hodie mihi dabis ex Germaniæ Principibus cunctis (excipio duos tantùm, quos novi) qui historiæ scriptores foveat? qui Canes, & fistulatores hi-

storijs

storijs non præferat? qui futuris præsentia non præponat? Propterea perit memoria eorum cum sonitu Campanarum: & nullam apud posteros laudis vel immortalitatis consequentur memoriam, qui conscribendis historijs operam contempserunt. Sed dicerent forsitan aliqui. Vanum est & reprehensioni procul dubio justæ obnoxium: si homo Christianus vel suis actibus memoriam quærat apud posteritatem, vel scriptis alienis. Quid enim hodie conducit Socrati, Platoni, Pythagoræ, Plotino, Porphyrio, cæterísque innumeris Gentilium Philosophis, quòd apud nos in memoria habentur eorum nomina, ubi non sunt: & mentes sive animæ eorum torquentur apud inferos, ubi manere perpetuò compelluntur? Simile de Regibus atque tyrannis gentium, qui scriptis alienis noti sunt, intelligatur. Paucis atque brevissimis Objectores concludere possem; sed longiusculè placuit evagari.

Dicant mihi, quid conducat sanctis Apostolis, Martyribus & Confessoribus, quòd litteris commendata tot sæculis apud posteritatem eorum tenetur & manet inviolata memoria? Si nihil conducit, vanus est labor illorum, qui gesta per eos litteris commendaverunt. Si autem conducit, vel prodest aliquid, sive illis ad honorem, sive legentibus Nobis ad ædificationem, non erit historiarum aspernanda conscriptio, in quibus & rectè bonorum facta nobis proponuntur cum laudis merito, ad imitationem, & pravorum malè ac perperam gesta cum digno vituperio producuntur in medium, quibus admonemur, ut similia caveamus. Neque solùm historia lectorem suum honestis moribus instruit ad virtutem, sed in agendis magnam quoque industriam confert, atque prudentiam: quippe dum sine experientia hominem facit expertum, reddet eum sine detrimento ad quæque futura pericula cautum. Sive enim de bonis historia loquatur, sive de malis, nunquam sine utilitate legitur, quoniam aut instruit lectorem ad virtutis laudatæ cultum, aut retrahit, ne pravorum imitando gesta, honoris incidat periculum. Historia enim conservatrix memoriæ, vinculum naturæ, baculúsque & speculum est vitæ humanæ; cujus officio manifestantur nobis longè retroactis temporibus præterita: pacis bonum, & humanæ societatis commodum, quasi digiti ministerio cunctis ostenditur, & ad præmium virtutis animus legentis invitatur. Historia Doctrix est ignorantium, & bona informatrix parvulorum. Historia laudes virtutis prædicat, & bonorum virorum bene gesta memoriæ commendat. Historia taxat & punit impiorum scelera, & ut caveantur, cunctis facit manifesta. Quisquis ergo detestatur historias, aut malus est, aut ejus boni penitus expers & ignarus. Nam si bonus esset, virtutúmque decoratus ornatu, gauderet utique bonitatis suæ participio & alios fieri per officium historiæ meliores. Malus autem vir, & qui nihil aut parum habet in se virtutis, ut posteritatem lateat, ignavus historiam detestatur. Boni autem viri, principes virtutum & laudabilium operum patratores, (inter quos te venerande Pater non immeritò judicavi ponendum) semper dilexerunt historias, & scriptores gestarum rerum magno in pretio habuerunt.

Felix igitur Hirsaugiana sancta Congregatio tua, quæ sub tuo moderamine historiam hanc, fundationem & profectum sui Monasterij, nomina quoque, successiones, tempora & gesta memorabilia Dominorum Abbatum à primo usque ad Te, qui hodie præsides, continentem, per annos DCLXXV. meis laboribus, tuis autem desiderijs, ordinatione, & impensis, meruit obtinere. Unde Tibi gratias habebit omnis Hirsaugiana posteritas, & nomen tuum apud eos memoriam indubiè consequetur æternam: fiétque Tibi à posteris, quod Tu Majoribus tuis impendisti; ut qui illos quasi de sepulchris extractos Immortales fecisti, Ipse apud Hirsaugianam familiam etiam post fata nunquam moriaris. Sed cum laudis præconio, quod meruisti, Vivas in æternum.

Historiæ amator est Joañes iste Hirsaug. Abbas.

Nunc

Nunc ergo precor Tuam Humanitatem Reverendißime Pater, Vos quoque rogo Chariſsimi Fratres Hirſaugiani Monaſterij Cultores, quatenus hoc præſens Volumen Annalium Veſtrorum ſecundum, eâ benevolentiâ ſuſcipiatis, quâ dudum accepiſtis & primum. Deinde ſi fieri poſt funera poteſt, vivat oro Trithemius in ævum apud Hirſaugienſes, quorum Annales tanto ſtudio & labore rogatus conſcripſit. Salvos Vos faciat DEUS, qui ſine fine ubique vivit & regnat, Amen. Ex Cœnobio meo S. Jacobi, VVirzburgenſi. Ultimâ die menſis Decembris, Anno Domini MDXIIII & meâ manu.

Joannes Trithemius Abbas.

Sequuntur Nomina Abbatum Hirſaugienſium, qui in hoc Volumine continentur.

Nomina XVII. Abbatum Hirſaugienſium in hoc Volumine.

JOannes Abbas hujus Monaſterij XXVI. Inſtituitur Anno Domini MCCLXV. & præfuit annis XI. menſibus III. diebus XV.

Volandus Abbas XXVII. ordinatur Anno Domini MCCLXXVI. & præfuit annis tribus, menſibus quatuor, diebus novem.

Craffto Abbas XXVIII. præficitur Anno Domini MCCLXXX. præfuit annis XIII. diebus XX.

Gotfridus Abbas XXIX. eligitur Anno Domini MCCXCIII. & præfuit annis VII. menſe uno, diebus XXIV.

Henricus II. Abbas XXX. inſtitutus eſt Anno Domini MCCC. & præfuit annis XVI. menſibus X. diebus XX.

Sigiſmundus Abbas XXXI. ordinatus eſt Anno Domini MCCCXVII. & præfuit annis XXIV.

Wighardus Abbas XXXII. præfectus eſt Anno Domini MCCCXLI. & præfuit annis XII.

Wighardus II. Abbas XXXIII. electus eſt Anno Dñmini MCCCLIV. & præfuit annis V. menſibus VIII. diebus XXI.

Wignandus Abbas XXXIV. inſtituitur Anno Domini MCCCLIX. & præfuit annis XX. menſibus X. diebus XX.

Godfridus II. Abbas XXXV. ordinatur Anno Domini MCCCLXXX. & præfuit annis IX. menſe uno, diebus XV.

Wighardus III. Abbas XXXVI. præficitur Anno Domini MCCCLXXXIX. & præfuit annis XI.

Fridericus II. Abbas XXXVII. electus eſt Anno Domini MCCCC. & præfuit annis XXVIII.

Wolframus Abbas XXXVIII. ordinatur Anno Domini MCCCCXXVIII. & præfuit annis XXXI. menſibus IX. diebus VIII.

Bernardus Abbas XXXIX. inſtituitur Anno Domini MCCCCLX. & præfuit annis XXII.

Georgius Abbas XL. ordinatur Anno Domini MCCCCLXXXII. & præfuit annis non plenè duobus.

Blaſius Abbas XLI. electus eſt Anno Domini MCCCCLXXXIV. & præfuit annis XVIII. menſibus IX. diebus XVII.

Joannes Abbas XLII. ejuſque nominis ſecundus, ordinatur Anno Domini MDIII. & præfuit hactenus annis IX.

In

In Nomine Domini & Salvatoris Nostri JESU Christi, Exordium capit secundum Volumen Chronicorum, Historiarum, sive Annalium insignis Monasterij Hirsaugiensis,

A JOANNE TRITHEMIO ABBATE

S. Jacobi Apostoli apud Wirzburg Urbem Ostrofrancorum summa cnm diligentia editum.

POst mortem Volboldi Abbatis hujus Monasterij Hirsaugiensis quinti atque vicesimi, in cujus obitu primum Volumen Annalium tuorum, Ochara nobis Hirsaugia, complevimus. Abbatia, si rectè sentimus, in diem sextum vacavit.

De Joanne hujus Monasterij Hirsaugiensis Abbate XXVI. qui præfuit annis XI. mensibus III. diebus XV. & gestis quibusdam illius temporis.

ANno igitur Dominicæ Nativitatis millesimo ducentesimo sexagesimo quinto, Indictione Romanorum octavâ, die mensis Junij quartâ decimâ, post mortem Volboldi Abbatis sextâ die (sub quo primum Volumen Annalium terminavimus) Prior & Fratres hujus Cœnobij Pastoris solatio destituti, ne viduitatis diuturnæ solita cogerentur deplorare incommoda: pro electione Pastoris novi atque necessarij die præstitutâ ad locum Capitularem convenerunt: præmissísque Jejunijs, Missis & Orationibus consuetis ad Electionem processerunt. Votis itaque singulorum ex more per ordinem scrutatis, Joannem Priorem suum Conventualem sanior pars merito & major numero in Abbatem eligit. Huic Electioni sese Fratres nonnulli opposuerunt vota sua in Volandum majorem Cellerarium dirigentes: qui tamen à senioribus informati communitati cesserunt, in electionem Joannis spontaneâ voluntate consentientes.

Joannes Prior in Abbatem Hirsaug. XXVI. eligitur.

Electus itaque in Abbatem hujus Monasterij sextum atque vicesimum Prior iste Joannes, & per Henricum Ecclesiæ Spirensis Episcopum confirmatus ex more, ac benedictus, præfuit annis XI. mensibus tribus, diebus XVI. solicitudine multâ & labore continuo: propterea quòd & dies erant mali, & mores Claustralium deformati & pessimi, claudicabat in utróque statu Monastica Religio, & periculosum fuit esse Monachum: Abbatem verò longè periculosissimum. Ruerat enim

cum disciplina Regulari temporalis substantia: & subtrahentibus Monachis Deo piæ, ac debitæ devotionis cultum, justè subtractum est necessarium eis præsentis vitæ subsidium. Nam sicut Divina providentia cuncta disponens facit, ut nihil desit Deum verè timentibus: ita & permittit, ut necessaria desint Monachis dissolutis.

Duplici igitur inopiâ pressus Abbas iste Joannes, & necessarijs ad Fratrum sustentationem caruit: & mores subditorum puritati Regulæ contrarios graviter portavit. Qui cùm vir esset honestæ conversationis, libenter suos reduxisset ad tramitem vitæ melioris: sed non potuit; quia consuetudine depravatos nimium invenit: Monastica siquidem pulchritudo, quam Divus Wilhelmus olim Hirsaugianis contulerat Monachis, his temporibus nusquam comparuit: sed ignavia mentis cum luxu voluptatis omnes penè Claustrales deturpavit. Omnia consumit volubile tempus, nihil est stabile in humanis. Patria huic Abbati Suevia fuit, qui petitione parentum (cùm annorum esset quatuordecim) in Monasterio susceptus fuit sub Eberhardo Hirsaugiensium venerabili Abbate Anno Dominicæ Nativitatis vigesimo sexto supra ducentesimum atque millesimum. Ex eâ supputatione temporis constat, eum Abbatis officium suscepisse, cùm annorum esset quinquaginta trium, conversionis suæ anno tricesimo nono. Et sic omne tempus, quo natus vixit in mundo, facit annos sexaginta quatuor & menses aliquot. Qui cum tempore paulatim in minoribus Monasterij officijs exercitatus & fidelis inventus, ad altiora successivè ascendit. Nam primò fuit Cellerarius, deinde Cantor, posteà Prior Claustralis, & novissimè Abbas, qui statum Cœnobij meliorem procul dubio fecisset, si integrum reperisset.

Joañes Abbas patriâ Suevus fuit.

Joañes Abbas vixit añis LXIV.

Anno prænotato, quo Joannes ordinatus Abbas fuerat Hirsaugiensis, Conradus (quem Itali Conradinum nuncupabant) Dux Suevorum Conradi Regis Apuliæ ac Siciliæ filius, & nepos Friderici Imperatoris II. de quo multa diximus in I. Annalium volumine, magno Germanorum contracto exercitu, in Italiam profectus est contra Carolum Andegaviæ Comitem, quem Clemens Papa IV. evocatum de Gallia in Regem Apuliæ, Siciliæ & Jerusalem sublimans fecerat consecrari.

Conradus sive Conradinus Dux Suevorum exercitum movet in Italiam.

MCCLXVI.

Anno Joannis Hirsaugiani Abbatis I. Indictione Romanorum nonâ. Carolus Andegaviæ Provinciæque Comes, qui Regnum Apuliæ Siciliæque jussu Papæ Clementis V. anno præterito invaserat, in Etruria moratus, omnes Civitates & Urbes, quæ prius Friderico Imperatori II. & Manfredo ejus filio adhæserant, suo dominio partim armis, partim blanditijs & promissionibus subjugavit, præter solos Senenses & Pisanos, quos dum expugnare animo statuisset, non potuit propter adventum Conradi Ducis Suevorum, qui jam cum magno Exercitu Tridentum usque pervenerat: simul & propter civilis in Urbe Romana dissidij semina, quæ jam prius cœperant pullulare, varióque in Regno Siciliæ tumultus, quorum causâ negotium intermisit.

Carolus Andegavienſis occupavit Italiam contra Conradū.

Mortuo præcedente anno Hispaniarum Rege, tres filij ejus contendebant ad invicem pro Regno, natu major fratres suos Fridericum & Henricum de Hispanijs expulit, & solus regnare cœpit. Qui duo fratres per diversa Regna vagantes coram multis Regibus atque Principibus suas

Inter fratres de Regno Hispaniæ contentio gravis.

suas conquerebantur injurias. Ut aliquos ad commiserationem sui, & in adjutorium contra Germanum, precibus invitarent. Fridericus in Affricam se tandem conferens auxilia Saracenorum invocavit.

Henricus autem primò declinavit ad Regem Gallorum, posteà ad Regem Angliæ, deinde venit ad Conradum supradictum Ducem Sueviæ, qui pronepos ejus fuit ex Sorore quondam Reginæ Hispaniæ, eo videlicet anno, quo dux ipse paravit Exercitum Germanorum adversus Carolum in Italiam. Hunc magno cum honore Conradus suscepit Nepotem: qui cùm audisset injurias & damna sibi à Carolo Andegavensi Comite illata, congemuit, & se comitem expeditionis in hostem libenter exhibuit. Assumptis itaque secum nonnullis ex Germania militibus, Conradum præcessit in Italiam, veniénsque primò ad Genuenses infensos eo tempore Carolo Andegaviæ Comiti, eos facili persuasione in partes Conradi attraxit. Inde profectus ad Viterbium venit, ubi tum Pontifex erat Romanus, ad cujus pedes fratris dolo se profugum exulémque ornatâ oratione conqueritur. Denique acceptâ mutui nomine à Pontifice pecuniâ, Romam benedictione ejus profectus est. Eo tempore Cives Romani Papæ aliquantulum rebelles fuerunt & inobedientes, quos Henricus iste faciliter sibi attraxit, fecítque amicos in tantum, quòd etiam dignitate Senatoriâ eum honorabant, quam ille tamen plenus simulatione recusabat accipere, satis fore existimans, si Romanos adversus Carolum pro Conrado haberet faventes.

Henricus Hispanus pro Conrado Duce vadit in Italiam.

Clemens IV. contrarius Duci.

His Romæ peractis, Henricus Viterbium revertitur, & dissimulans fraudem consilio, Romanorum erga se benevolentiam Pontifici aperuit, & quòd sibi Urbis Magistratum obtulerint, revelavit. At Pontifex sperans industriâ Henrici animos Romanorum sibi faciliùs posse reconciliari, monebat, ut oblatum sibi Magistratum susciperet, Romanósque ad obedientiam Apostolicæ Sedis prudentiâ suâ revocaret. Verùm aliud Henricus mente gerebat. Intereà nihilominus secretos ad Conradum nuntios misit, per quos illum studiosè monebat, ut suum quantocius maturaret adventum. Cives quoque Pisani partes Conradi favorabiliter prosequentes, triremium Classem triginta mittunt in Affricam ad evehendum Saracenos adversus Carolum in Siciliam. Huic verò Classi præfecerunt Civem quendam Neapolitanum Caputium nomine, Siculis jam pridem & bene notum, & singulariter gratum.

Pisani Classem xxx. navium pro Saracenis imittunt in Affricam.

Classe paratâ Caputius in Affricam navigavit, & Fridericum Germanum Henrici, quem illò secessisse jam diximus, cum magna Saracenorum multitudine in Regnum Siciliæ adversus Carolum introduxit. Posteà verò quàm Fridericus cum Barbaris intrâsset Siciliam, brevi multa fortiter patravit, & Civitates plures cum majori parte Regni Conrado Nepoti subjugavit.

Saraceni pro Conrado venerunt in Siciliam adversus Carolum.

His temporibus quidam Frater Ordinis Minorum nomine Bertholdus in Suevia claruit, qui in declamandis ad populum sermonibus omnium suâ ætate fuit opinione celeberrimus. Magnus eo prædicante hominum concursus fiebat, & sæpius ducenta millia plebis ad audiendum loquentem etiam de remotioribus locis confluebant. Unde & in campis potius, quàm in templis maluit prædicare. Et primò quidem prædicavit in Suevia, deinde Bavaria, postremò in Austria, & multos incitavit ad meliora.

Bertholdus F. Ord. Minorum Prædicator egregius.

Anno prænotato Decanus & Canonici Majoris Ecclesiæ Moguntinæ quartam Decimarum partem in pago Bingianorum à Philippo de Falchenstein (qui frater erat Werneri Archiepiscopi Ecclesiæ memoratæ) de consensu filiorum ejus Philippi & Werneri, datâ pecuniâ comparârunt. Erat autem hæc pars Decimarum feudalis prædictæ Ecclesiæ Moguntinæ, ut patet in litteris Venditionis, quæ datæ fuerunt Anno Domini præsignato, XI. die mensis Februarij.

MCCLXVII.

Anno Abbatis Joannis Hirsaugiani II. Indictione Romanorum decimâ, Monasterium Ord. Fratrum Prædicatorum in Neometensi Civitate (quæ nunc Spira dicitur) de consensu Henrici Pontificis ejusdem Urbis fundatum est, impensis Civium & eleemosynis populorum.

Inter Senatum & Cives Colonienses periculosa seditio.

Eodem Anno inter Senatum & Cives Agrippinæ Civitatis (quam nunc vocant Coloniam) seditio magna & periculosa fuit oborta. Murmurabat enim plebs inferior contra Magistratum, & gravari se ultra solitum, & vires, novis importabilibúsque taxarum impositionibus conquerebatur. Unde postremò tandem post multa injuriosa & contumeliosa verba, quæ sibi mutuò communicaverant, pervenitur ad verbera, sumptísque armis cruentum ab utraque parte incipitur bellum, discurrunt Cives per Urbem ensibus nudatis, ac sese mutuâ cæde immaniter collidunt. Multi fuerunt in eo tumultu graviter quidem vulnerati, & non minus etiam aliqui interfecti.

Conradus Pisanorum auxilio multa patravit in Italia.

Anno prænotato, Conradus Dux Suevorum, posteaquam Veronæ aliquamdiu cum decem millibus Equitum & magna Peditum multitudine consedisset, selectis ad partem tribus duntaxat millibus (reliquo exercitu sub manibus Comitis Tyrolani dimisso) Pisanorum ac Genuensium ad mare Ligusticum pervenit. Intereà Fridericus cum Saracenis totam Siciliæ insulam (Panormo, Messana, & Siracusis duntaxat exceptis) jurare compulit in verba Conradi.

Conradus verò Pisanorum auxilio magnas in agro Lucensium strages peregit, & Caroli Marscalcum apud Aretium bello superans interfecit cum alijs multis, cæterósque in fugam convertit. Eodem tempore Guido Florentinus magnas ex Romandiola & Lombardia Gibellinorum copias collectas duxit ad Conradum.

Henricus autem Hispanus Romæ constitutus crebris epistolis & nuntijs Conradum sollicitabat, rogans ut sine mora properaret ad Urbem. Qui primò venit ad Senenses, qui & ipsi partes ejus sequebantur. Deinde movit in agrum Viterbiensem, quem intuitus Clemens Papa IV. ad circumstantes fertur dixisse: *Hic adolescens tanquam Ovis ad Victimam nescius ducitur.*

Conradus Româ movens, exercitum duxit in Apuliam.

Tandem nullo resistente pervenit ad Urbem, quem Romani Summo cum honore susceperunt: introductúsque juxta morem in Capitolium, ut Romanorum verus Imperator salutatus est. Rectè fidelitérque serunt cum eo Romani, Genuenses, Pisani, Senenses, & alij plures, quorum auxilio Carolum indubitanter vicisset, si nimium ferventes animi sui motus aliquantulùm temperâsset, nec fuisset tam ardens & præceps ad præliandum cum illo. Nam quietis & morarum impatiens, magnóque in Carolum æstuans odio, nihil magis quàm dimicare cum eo cupiebat,

piebat. Movens igitur à Roma per Tyberinos in Marsorum Campestria duxit Exercitum, & Carolum provocavit ad prœlium. At ille cujusdam Adelhardi Neapolitani (qui cum Germanis aliquando militaverat) usus consilio, se Ordini primo non ingessit, sed diviso in duas partes Exercitu, Marscalcum suum Regiâ veste indutum primo agmini præfecit, & ad pugnam contra Ducem Conradum destinavit.

Conradus itaque pugnæ cupidus, & insidiarum, quas Carolus posuerat, ignarus, prorumpit in bellum, hostémque fortiter agressus est. Tribus horis durans bellum atrox committitur, in quo multi ex parte Caroli ceciderunt; novissimè verò etiam Marscalcus ille regio apparatu indutus occubuit, quem Germani Carolum esse Regem putantes enormiter fuerunt decepti. Mox etenim clamor in altum extollitur, Carolum Regem interemptum per totum exercitum Germanorum publicè prædicatur. Quod audientes qui remanserant in præsidio, ne tam insigni viderentur defuisse victoriæ, relicto mox præsidio in malum suum prosiliunt, & se commiscentes pugnantibus etiam ipsi, fugam simulantes Gallos spoliorum cupidi persequuntur.

Cúmque jam vagus, & sine ordine miles Germanus insequeretur fugientes, subitò ex insidijs Carolus erupit, & primus Agmen pugnaturus intravit, atque hinc inde dispersos Germanos invadens miserabili clade affecit, alijs occisis, alijsque in fugam conversis. Conradum verò & Fridericum Ducem Austriæ vivos cepit, & captivos in Neapolim perduxit, ubi post multas inanis pompæ ostentationes, post multa in eos prolata verborum ludibria, in publico tandem foro coram omni populo, ambos fortunâ pares, ambos ex Regali progenie Duces, ætate ambos juvenes capitibus truncari præcepit. Et sic Conradus Suevorum Nobilissimus Dux, Regnum dum pergit avitum repetere, vitam miserabili conditione amisit, in quo Suevorum Genealogia Ducum fuit extincta, cùm nec liberos dimiserit, nec fratres. Regnum Germaniæ, quod cum Imperio Romanorum annis non minus ccxxv. (non continuè, sed interruptis vicibus) Suevorum Principes & Duces strenuè gubernaverant, in aliam necessariò transfertur familiam.

Conradus & Fridericus capitib. plectuntur.

MCCLXVIII.

Anno Joannis Abbatis III. Indictione Romanorum XI. pridie Nonas Junij obijt Henricus, Ecclesiæ Trajectensis Episcopus, Anno Pontificatûs sui quinto atque vicesimo, qui multis diebus in contentione steterat cum Hollandinis Comitibus propter Ecclesiasticam libertatem, post quem Joannes ex Comitibus de Nassau in Pontificem ordinatus est.

His temporibus in Hollandia milites nocturno tempore visi sunt pugnare ad invicem, ita ut etiam strepitus & collisio armorum ab hominibus audiretur, quæ visio genti præsagium fuit calamitatis posteà sequentis. Non enim diu posthæc infima gens civium & rusticorum Hollandiæ conspiratione factâ contra Principes terræ Urbiúmque Rectores, maximè contra nobiles provinciæ surrexerunt, Jugum subjectionis omnino volentes abjicere: & sese penitus in libertatem vendicare. In unum itaque simul convenientes ex diversis urbibus & villis ingentem armatorum contra nobiles terræ produxerunt exercitum: & in Regionem diffusi omnia vastare cœperunt, quæ ad nobiles pertinebant; fuit namque eo-

Hollandij conspirant contra nobiles & omnem Potestatem.

rum intentio nobiles exterminare cunctos: aſſerentes, nullâ eos miſeratione dignos fore, propterea quòd vivant de rapinis & ſanguine pauperum: ſintque homines ſine Juſtitia, ſine miſericordia, ſine pietate, Impij, elati, contentioſi, avari, luxurioſi, tyranni, iniqui, oppreſſores & contemptores pauperum, deſertores Chriſtianæ fidei, honeſtatis inimici. Inprimis ergo cum magno numero ſine ordine, ſine Duce venerunt Civitatem Trajectenſem: præmiſerúntque nuntios ad Cives, qui dicerent adventum eorum eſſe pacificum: & pro communi totius patriæ libertate ordinatum, petiverúntque intromitti in urbem Trajectenſem, & cives loci ſocios fieri optatæ libertatis. Nec erat difficile civium in id deflectere mentes, quod ſuâ ſemper optaverant ſponte. Sunt enim & ipſi Trajectenſes (teſtante Hunibaldo) Sicambri. Intromiſſi Hollandi furentes Trajectenſem in urbem, nobiles ſtatim omnes, quotquot poterant invenire, primo furore vel occiderunt: vel ſpoliatos omnibus mundi rebus cum ignominia de Civitate protinus ejecerunt. Spolia verò & quidquid ex nobilium ſubſtantia rapuerunt, ut non livore, non odio, ſed juſtitiæ amore, fideique Zelo moti viderentur, pauperibus dederunt.

Conſpiratores Hollandij, nobiles Trajectenſ. repertos interficiunt.

A Trajecto moventes, & in omnem circa Regionem diſcurrentes, multa nobilium Caſtella, munitiones & vicos invaſerunt, ceperunt, & funditus deſtruxerunt. Quidquid autem divitiarum uſpiam apud nobiles inveniſſent, duas dividebant in partes, quarum alteram dederunt pauperibus: alteram verò exercitui reſervabant, pro impenſis communibus. Poſt hæc autem ſpes ſublatas ſequebantur in altum, promittentes, ſe novis legibus mundum reformaturos. Ut primò nobiles, deinde Principes, poſteà templorum Pontifices cum omni Clero & Monachis penitus interirent. Solos verò mendicantium Ordinum Profeſſores (qui violenter nihil à pauperibus exigunt, ut Monachi faciunt, & omnes Clerici) ſe permiſſuros vivere cum plebanis Presbyteris paucis, qui populo Sacramenta miniſtrarent Chriſtiano, ſuâ legislatione novâ promittebant.

Hollandij conſpiratores ſub ſpecie juſtitiæ aliena rapiunt.

Hollandij conſpiratores, omnia confundunt.

Cúmque per Hollandiam aliquandiu perſequendo nobiles, conjurati raptores diſcurrerent, fines Geldrenſium devaſtare cœperunt, & oppidanos quoſque ſimul & ruſticos in ſocietatem ſuam compellere. Commenta fingebant mendaciter excogitata, dicentes: ſibi divinitus revelatum imò præceptum, quòd omnem majoritatem Principum, Prælatorum, Magiſtratuum atque nobilium penitus annihilare deberent atque deſtruere: & Chriſtianis omnibus libertatem amantibus eam reformare. Inferebant enim dixiſſe Deum, Chriſti ſanguine fideles omnes redemptos debere in omni libertate vivere, nulli ſervituti ſubjacere. Unde nec decimas, nec cenſum, nec tributum, nec tributo ſimile quicquam alicui tribuendum prædicabant.

Intrantes itaque Geldrenſium fines in magna multitudine Harlem oppidum adoriuntur, firmatâque obſidione fortiter impugnare cœperunt. At Harlemenſes non minus fortiter, & ſe defensârunt, & ſua, quibus & Joannes Epiſcopus Trajectenſis auxilia miſit, & Geldriæ Comes: quibus intra oppidum receptis, militem quendam in arte bellandi longâ conſuetudine peritum ſibi Ducem, quem ſequerentur, conſtituerunt, exeuntéſque in ſilentio per unam portam de oppido in hoſtes, nihil tale metuentes, ſubitò irruerunt, quos magnâ clade proterentes, majorem partem

Exercitus Conſpiratorum cæſus, peremptus & diſſipatus eſt.

tem occiderunt, & reliquos turpem verterunt in fugam. Ab illa die Hollandiana conspiratio illa dissipata, ut nec parvum illius vestigium deinceps remanserit.

MCCLXIX.

Anno Joannis Abbatis quarto, Indictione Romanorum XII. Clemens Papa IV. Viterbij moritur. Quo sepulto Sedes Apostolica biennio vacavit propter nimiam Cardinalium discordiam, qui sua quærebant, & non ea, quæ sunt Jesu Christi. Hic Papa Clemens pluralitatem beneficiorum valde detestabatur, non minus in suis, quàm alienis, usque adeò, ut nepoti cuidam suo tres habenti præbendas diceret coram multis: *Unam ex his tribus retinendam tibi, quam volueris, eligito: reliquas duas resignes oportet.* Amicis, qui astabant, rogantibus, ne aufferret quippiam nepoti, sed tribus præbendis etiam adderet quartam. Papa respondit: *Non carni & sanguini, sed Deo nos convenit obedire; nam uni Clerico sufficit una præbenda Canonica: unde nisi superfluas dimiserit, omnibus carebit.*

Clemens Papa IV. Viterbij moritur.

Eodem anno inter Episcopum & Cives Herbipolenses magna fuit suborta dissensio. Senserunt cum civibus contra Episcopum Comites de Henneberg, Comites de Castello, & Comites de Hohenloe, cum quibusdam alijs oppidanis atque nobilibus. Tandem cùm nimium crescceret dissensio, venitur ad bellum. Episcopus hinc inde contractis copijs Comites de Wynspergbelli Duces constituit. Adversariorum exercitui præfuit Hermannus Comes de Henneberg, junior ætate.

Inter Episc. Herbipol. & Comites quosdam Contentio.

Convenientes igitur ambarum Partium exercitus Comites haud longè ab oppido Kizingen, quod tribus à Würzburgo distat milliaribus, Bellum atrox committitur: quo durante horis quinque, hoc est à prima post meridiem usque ad sextam, plures in ore gladij ceciderunt. Cessit Victoria tandem Ecclesiæ, & ex parte adversariorum quingenti fuerunt occisi: capti plures: & reliqui fugâ salutem quærentes vix evadere potuerunt, nimio terrore perculsi.

Eodem quoque tempore inter Engelbertum Archiepiscopum, & cives Colonienses similis fuit exorta dissensio: cujus occasione omnes cum Archiepiscopo sentientes, & qui vel modica in parte habebantur suspecti, per senatum de Civitate fuerunt expulsi. Verùm convenientes in unum proscripti, consilium inter sese habere cœperunt, quemadmodum expulsionis suæ contumeliam vindicarent. Complacuit autem eis, ut simul ad Archiepiscopum pergerent (qui tum Bunnæ fuit) & contra cives in illius verba jurarent. Venerunt ergo Bunnam, & coram Archiepiscopo, quid animis concepissent, ore testantur: quos ille cum gaudio suscipiens benignéque tractans fidem eorum laudavit.

Inter Archiepisc. & Cives Colonienses dissensio.

Consilio posthæc multiplici habito, varijsque intermixtis secretò tractatibus, in unam postremò convenêre sententiam, quali arte caperent Civitatem. Hominem quendam astutum ingenio, & Colonienſibus ignotum, magnis conduxêre promissis, in suámque conspirationem traxerunt; quem vilibus opertum indumentis in speciem mendici Coloniam submiserunt. Qui Coloniam veniens, cum alijs pauperibus ostiatim per dies mendicabat. Paucis verò diebus elapsis tugurium quoddam parvulum sub muro Civitatis arcuato non procul à Cœnobio D. Pantaleonis mercede conduxit, in quo ut mendicus pauper cœpit habere manu-

Archiepisc. cum expulsis consultat quomodo capiat Coloniam.

mansionem suam. Casulam verò conductitiam ingressus, murum Civitatis intrinsecus, & sub terra suffodere cœpit, sicut à conspiratoribus Bunnæ fuerat edoctus, fecítque brevi tempore subterraneum, & satis amplum foramen, per quod miles ab Archiepiscopo mittendus levem haberet ingressum. In die homo ille mendicabat cum mendicis, noctibus verò cœptum perficiebat opus, non minus cautè quàm diligenter, humúmque magna cum industria abscondens.

Foramen occultù sub muro Civitatis faciũt fieri hostes.

Foramine tandem, nullo præter Artificem sciente, consummato, Bunnam redijt homo mendicus; ad Pontificem intromittitur, opus perfectum contestatur. Ne verò de rei veritate aliqua Præsulem intraret suspicio, petijt sibi, quos libuisset, viros adjungi, ut operis facti certum sumerent experimentum. Quibus acceptis, noctu per foramen, quod fecerat, cum ipsis intravit Coloniam. At ubi exploratores foramen pro introducendo milite satis idoneum comprobâssent, Artifice laudato, ad Archiepiscopum revertuntur.

Missis confestim litteris & nuntijs in omnem Regionem Archiepiscopus, secretiùs militem convocat, & locum conveniendi singulis determinat, dies secreto in consilio urbis capiendæ statuitur, hora noctis ad introeundum per foramen idonea designatur, atque silentium sub Jurejurando cunctis indicitur: nulli dubium fuit, quin Urbs Coloniæ in manus ventura esset Archiepiscopi, & certissimè pervenisset, nisi Divina providentia humana prævenisset consilia.

Colonienſ. avisantur per unum proscriptorum de Traditione.

Erat unus inter proscriptos in consilio, qui cùm audiret quorsum restenderet, animo compunctus est, & in se reversus patriæ cladem abhorruit. Unde secretiùs de Bunna recedens, absentiam ejus nullo advertente venit ad Coloniam, novo se nuntio sperans gratiam recuperaturum amissam. Intromissus ad Senatum, mysterium traditionis aperuit, sub muro civitatis foramen ostendit, & quâ horâ essent venturi hostes, per ordinem narravit.

Colonienſ. hostium præstolantur adventum.

Quod ubi Senatus audisset, & relatori gratiam, & silentium omnibus edixerunt. Instante jam horâ noctis, quâ foramen hostis intrare debebat, Colonienses præparati magno in numero propiùs occultati cum silentio latuerunt in armis. Veniunt intereà silenter ad murum Copiæ Pontificis Engelberti, datóque, ut moris, symbolo per foramen Civitatis ingredi cœperunt. Latitabant in silentio cives: hostes autem, quotquot ingrediebantur, juxta murum intrinsecus expectabant aliorum introitum. Summum fuit ex omni parte silentium, quanquam cives hostium mussitationes & strepitum bene perciperent. Cúmque jam tempus adesse civibus videretur (non enim sibi tutum rati sunt intromittere omnes) cum tubis & ingenti clamore de insidijs prorumpentes, subitò in hostes sine ordine turbatos irruunt, & omnes usque ad unum occidunt. Præoccupato etiam foramine, ignem injiciunt, & non potentes retrocedere præ tumultu, qui fuerunt ingressi, flammis suffocati sunt. Ferunt non minus sexcentis viris de parte Archiepiscopi eo conflictu peremptis, reliquos qui foris remanserant fugâ salvatos, civibúsque victoria cessit.

MCCLXX.

Inter Archiepiſ. & Colonienſes fit hoc año concordia.

Anno Joannis Abbatis Hirsaugiensis quinto, Indict. Rom. XIII. facta est pax, & reformata Concordia inter Engelbertum Archiepiscopum

pum & cives Colonienſes, cohortante & mediante ſancto atque Doctiſſimo viro Domino Alberto, cognomento Magno Ratiſponenſium quondam Epiſcopo de Ordine Fratrum Prædicatorum, de quo in præcedenti Volumine mentionem ſuis in locis fecimus pleniorem, qui magnæ tunc auctoritatis erat.

Moguntini Canonici Bona certa emerunt à Monaſterio S. Cornelij.

Eodem anno die XIV. menſis Septemb. Joannes Abbas & Conventus Monaſterij S. Cornelij Nidenſis, in Diœceſi Colonienſi Ord. D. P. N. Benedicti propter nimiam locorum diſtantiam vendiderunt Decanis & Canonicis Eccleſiarum majoris & Beatæ Virginis ad gradus Moguntinenſium ſubnotatas Villas, Drechtigeshuſen, Wiler, Steinbach ſuperius & inferius, partem Caſtelli Richenſtein, quæ omnia juxta Rhenum vel propè ſita ſunt, haud procul à Bingia & Bacheraco Palatini oppido, cum omnibus eorum pertinentijs, Juriſdictionibus, Judicijs, terminis, hominibus, Juribus, Dominijs, Proprietatibus, fundis, ædificijs, vinetis, poſſeſſionibus, ſylvis, nemoribus, terris cultis & incultis, emolumentis, proventibus, utilitatibus inquiſitis, & inquirendis, inventis & inveniendis, & actionibus quibuſcunque, pro mille quadringentis & viginti tribus Marcis denariorum Colonienſis monetæ ac ponderis, prout patet in litteris venditionis, quas vidimus.

Anno etiam prænotato Gotfridus ſenior in Epſtein Dominus, Gotfrido juniore filio ſuo præbente conſenſum, vicum qui Flersheim vocatur, cum omnibus ad eum pertinentibus vendidit Decano & Canonicis majoris Eccleſiæ Moguntinæ pro quingentis & mille marcis argenti. A qua venditione milites, filióſque & pueros militum excepit. Actum feriâ tertiâ ante Palmas Moguntiæ.

Rudolphus Comes de Habſpurg.

Claruit his temporibus apud Alemannos Rudolphus Comes in Habſpurg, filius Alberti Comitis, cujus origo generis de antiqua Regum Francorum proſapia deſcendit. Qui Rudolphus in ipſo Caſtello Habſpurg reſidentiæ ſuæ locum tenebat, non longè à vico, qui Brugg nuncupatur, in pago Ergaviorum, de quo memorabile factum litteris commendatum poſteritati ſignificamus.

Rudolphus pro dei honore Sacerdoti equũ ſuum commodavit.

Cùm die quâdam optimo per campos equo veheretur, animi forſan recreandi gratiâ, cum alio quodam viro nobili, Presbyterum Venerabile Corpus Dominicum ferentem ad infirmum cum unico Miniſtro conſpexit obviantem. Cui propius facto Comes dixit: *Bone Sacerdos, cùm via ſit lutoſa, & lubricum iter, quare Dominicum ferens Corpus pedibus ambulas, & non potius equo veheris more cæterorum?* Cui Sacerdos: *Domine*, inquit, *pauperculam habeo Eccleſiam, nec omnia mihi neceſſaria valeo comparare.* Cui Rudolphus Comes dixit: *Equus ecce meus tuus ſit amodò. Utere illo pro miniſterio Chriſti & honore, ut libet, ſacri Corporis Dominici ad reverentiam: & ora pro peccatis meis ad Dominum.* Et mox deſcendens de equo, Sacerdotem cum magna reverentia deſuper ſedere fecit. Quod cernens alius ille nobilis, animo compunctus, equum ſuum miniſtro Sacerdotis tradidit. Et ſic ambo viri nobiles pro DEI honore cœptum iter pedibus continuârunt.

S. Eremita Rudolpho prædixit Regale faſtigium.

Erat non procul à loco, ubi iſta contigerant, Eremita quidam ſanctus, in petra cavata habitans cellulam, quem Comes Rudolphus pro informatione & conſolatione ſæpius cum paucis viſitare conſueverat.

Huic Eremitæ sanctus Domini Angelus adventum Comitis prænuntiavit simul & factum. Ad quem ubi perveniſſet, poſt datam acceptámque ſalutem Eremita dixit ad eum: *Hodie Comes honorem Deo gratum exhibuiſti: Unde prædictum ſit tibi per miniſterium meum, quoniam in brevi exaltabitur nomen tuum ſuper omnes progenitores tuos, etiam Reges Principes & Duces.* Quàm fuerit vera hujus ſervi DEI promiſſio, poſt biennium patuit, quando Rudolphus in Regem electus fuit.

MCCLXXI.

Gregorius fit Papa X. & præfuit annis quatuor.

Anno Joannis Abbatis VI. Indictione Romanorum XIV. poſteáquam Cardinales biennio ferè toto tantâ pertinaciâ & bello inteſtino diſſenſiſſent ab invicem, quòd eos neque timor Dei, neque hominum reverentia preces aut metus, ſed neque Principum terror emollire potuerit, ut Eccleſiæ providerent de Papa, tandem neceſſitate compulſi ad Electionem proceſſerunt inviti. Et quia nullus alteri Pontificatûs honorem inter Cardinales favebat, convenerunt mutuò, quòd Electio extra Collegium dirigeretur. Apud Viterbium itaque conſtituti Theobaldum Archidiaconum Leodienſem, natione Italum, patriâ Placentinum, in exercitu Chriſtianorum in Aſia contra Saracenos longè abſentem, in Papam elegerunt. De quo ſic quiſpiam luſit.

Papatûs munus tulit Archidiaconus unus.
Hunc Patrem Patrum fecit diſcordia fratrum.

Evocatus poſt Electionem de Aſia, Viterbium venit, Papatum aſſumpſit, dictúſque Gregorius X. annis quatuor præſedit.

S. Bonaventura Miniſter Generalis, fit Cardinalis.

Iſte Papa Gregorius anno Pontificatûs ſui primo ſanctum atque Doctiſſimum in Theologicis Euſtachium, qui & Bonaventuram de balneo Regio natione Italum Ord. Fratrum Minorum Generalem Miniſtrum in Cardinalem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſublimavit, & Albanenſem Epiſcopum ordinavit. Qui cùm eſſet in Divinis Scripturis doctiſſimus, multa ad eruditionem ſtudioſorum Fratrum utiliter conſcripſit: de quibus in Catalogo de ſcriptoribus Eccleſiaſticis jam dudum fecimus mentionem. Moritur in Concilio Lugdunenſi, anno Cardinalatûs ſui tertio, Dominicæ verò Nativitatis MCCLXXXIII.

MCCLXXII.

Rudolphus Cómes in Habſpurg obſedit urbem Baſileenſem.

Anno Joannis Abbatis Hirſaugiani VII. Indictione Romanorum XV. facta eſt diſſenſio gravis inter Epiſcopum & Cives Baſileenſes ex una parte: & Rudolphum Comitem de Habſpurg, cum ei adhærentibus ex altera parte. Convenerant ex Baſilea quidam profugi ad Comitem Rudolphum ejus auxilium contra injuriatores ſuos inſtantiùs poſtulantes: quorum petitione motus, cùm & alias cauſas haberet legitimas, bellum indixit Baſileenſibus. Contractis itaque copijs, magnum adunavit exercitum, ingreſſúſque terram Epiſcopi, ſimul & agrum Baſileenſium, & omnia nullo reſiſtente igne & ferro hoſtili devaſtavit, multámque prædam abduxit. Poſt depopulationem totius Regionis, cùm nec Baſileani cives, nec quiſquam alius ad bellandum illi occurrerent, Civitatem obſidione vallavit, quam ſex hebdomadibus continuis (civibus fortiter ſe defendentibus) impugnavit. Intereà dum hæc per Comitem Rudolphum agerentur contra Baſileanos, convenerunt apud Franckenfurt ad ripas Mœni Principes, Germanici Regni Electores, & longum neceſſa-

riúmque

riúmque inter se de novi Regis institutione habuêre Tractatum. Nam sicut in præcedente Annalium Volumine diximus Anno Nativitatis Dominicæ MCCLVII. post mortem Regis Wilhelmi, Principes bifariam divisi, duos in dissensione Reges elegerunt, quorum neuter Administrationem Regni debito fuit ordine vel modo prosecutus. Alphonsus námque Rex Castellæ & Legionis ab una parte Principum Germaniæ vocatus ad Regnum, suâ sorte fuit contentus, & in Germaniam venire despexit. Ob petitionem tamen & honorem eorum, à quibus fuerat electus, titulum Regni assumpsit: & imperitè (ut mihi videtur) Regem se Romanorum nuncupavit. Romani enim Imperatorem habent, non Regem. Germani autem Regem habent ex antiquo Francorum instituto, non Imperatorem; quanquam Imperium posteà Germaniæ Regno sit incorporatum, sicuti & hodie manet subjectum. Unde ad Regnum electus, apud Aquasgrani unctus ex more antiquo, quamdiu coronam Imperij de manu Summi Pontificis non susceperit, Rex Germaniæ seu Ostrofrancorum, id est, Orientalium dicendus est, non Imperator, multò verò minùs, imò nunquam Rex Romanorum. Ad cujus evidentiam nominis sciendum, quòd Regnum Francorum cœpit apud Sicambros, ubi nunc morantur Hollandij circa Ostia Rheni anno ante Christi Nativitatem CCCXXXVI. & primi dicti fuerunt Sicambri, multis annis posteà Franci à Rege ipsorum, qui regnavit anno ante Christi Nativitatem quadragesimo, & erat nomen Franc. Regnavit autem, (ut Hunibaldus dicit) libro XIV. de Origine Francorum annis XXVIII. & obijt Anno nono, ante Natum Christum.

Alphonsus Regem Romanorum se nuncupat.

Romani non Regem sed Imperatorem habent.

Crevit posteà cum tempore multóque labore Regnum Francorum & ampliatum, totam Germaniam, Galliam, & magnam Italiæ Hispaniæque partem sibi subjecit, mansítque una Monarchia nunquam Romanis subjecta per annos ferme MCCLXXVI. usque post mortem Ludovici Pij, cujus filij ex uno Regno Francorum fecerunt duo, & utrúmque nomen obtinuit Francorum annis multis. Nam alterum dicebatur Regnum Ostrofrancorum, id est Orientalium Francorum sub cujus ditione manet Austrasia, hoc est, Metis, Leodium, Treveris, Colonia, Atrebatum, Cameracum, Brabantia, Flandria, Hollandia, Frisia, Saxonia tota, Holsatia, Dania, Marchia, Pomerania, Prussia, Polonia, Boëmia, Silesia, Thuringia, Westphalia, Hassia, Buconia, Moravia, Bavaria, Austria, Carinthia, Stiria, Athesis, Rhetia, Suevia, Alemannia interior & exterior, Helvetia, Alsatia, Burgundia, Lotharingia, & Cis-Rhenana Regio tota ab ortu Rheni fluminis usque ad mare. Omnia hæc, & quidquid eis vel interjacet, vel adiacet, ad Regnum Ostrofrancorum pertinent usque in præsentem diem, & Regi Germaniæ sunt Jure subjecta.

Monarchia Regni Francorum duravit annis MCCLXXVI.

Quæ Provinciæ pertineant ad Regnum Germanorum.

Alterum verò Regnum dicebatur Westfrancorum, hoc est, Occidentalium Francorum. Sub cujus ditione consistit Gallia Celtica simul & Aquitanica, Normandia quoque, Britannia Minor, quondam Armorica nuncupata, Wasconia, & quidquid his interjacet, cum multis Civitatibus & Provincijs. Hoc Regnum Francorum nomen retinet usque in præsentem diem, quamvis etiam à multis & non impropriè Gallorum nominetur. Manifestum est enim tam ex Hunibaldo, quàm ex pluribus alijs historiarum scriptoribus, quòd omnes Gallorum, qui post Faramundum Reges fuerunt, cum omni nobilitate à majori gentis parte originem ducunt, à Francis Theutonicis.

Quæ Provinciæ pertineant ad Regnum Gallicanũ.

Richardus Anglicus Germanorum Regnum assumpsit.

Sed jam nunc revertamur ad ordinem, unde occasionaliter digressi sumus. Richardus Cornubiæ Comes, Frater Regis Angliæ, quem alia pars Electorum Germaniæ vocavit ad Regnum, exiens de Insula venit Aquasgrani, ubi honorificè susceptus à suis in Regem coronatus est. Verùm postquam peragrando Regnum consumptis, quas secum attulerat pecunijs, egere cœpisset, ab omnibus fuit desertus: unde motus indignatione, Regni Administrationem, ut supra dictum est, certis commisit Principibus, & in Angliam reversus præter inane nomen Regium nihil deinceps penitus de Regno curabat.

Rudolphus Habspurgij Comes hoc anno eligitur Rex Germaniæ.

Quo tandem mortuo, Principes Regni Germanici Electores, ut paulo ante hæc diximus, ad festum S. Archangeli Michaelis apud Frankenfurt convenientes, Rudolphum Comitem de Habspurg absentem, & in obsidione Basileanorum occupatum, in Regem Germanorum & Imperatorem Romanorum unanimi consensu elegerunt, & verificata est Prophetia servi Dei, quam Deus illi ostenderat.

Mittuntur sine mora solemnes ad eum nuntij Oratores, qui nomine Principum & totius Regni decretum Electionis illi quantocius intimarent: & ut Franckefurt dignaretur citiùs descendere, peterent. At ille mox solutâ obsidione, rebúsque festinanter domi compositis, cum uxore & honesta comitiva descendit ad Franckefurtiam, ubi Principes se reperit expectantes. Qui honorificè susceptus à Principibus, & cunctis qui aderant, ut impositum onus Regni subire dignaretur, humili omnium instantiâ rogatus est. Consensit orantibus, & Regium munus accepit oblatum, descendénsque cum Principibus ad Grani Aquas in Regem Germaniæ unacum uxore sua coronatus est. Regnavit annis decem & novem, Princeps magnificus, & in cunctis victoriosus.

Regnavit annis XIX.

Anno prænotato mortuus est Engelbertus Archiepiscopus Coloniensis, & in Ecclesia S. Cassij Martyris Bunnæ sepultus: vir strenuus, libertatum, Jurium, & privilegiorum Ecclesiæ suæ defensor & propugnator semper acerrimus. Huic in Archiepiscopatu successit Sigefridus ex Comitibus de Westerburg, vir & ipse strenuus, sed plus ad arma, quàm ad munus Pontificum idoneus: quem Gregorius Papa sequenti anno in Concilio Lugdunensi confirmatum proprijs manibus consecravit, & Pallij decoravit ornatu.

Sifridus fit Archiepisc. Colonienſ.

Eodem anno mortus est Henricus ex Comitibus de Lyningen Spirensis Ecclesiæ Præsul, & sub marmore albo in medio Ecclesiæ Neometensis sepelitur. Cui successit in Pontificatu Fridericus de Bolandia, ex sorore nepos defuncti, præfuit annos triginta. Bolandia breve territorium est in Diœcesi Wormatiæ.

MCCLXXII.

Concilium Generale Lugduni celebratur à Papa Gregorio.

Anno Joannis Hirsaugiani Abbatis octavo, Indictione Romanorum primâ, Gregorius Papa X. vir sanctæ memoriæ Concilium Generale apud Lugdunum, antiquam Burgundiæ urbem (quæ nunc est in Gallijs) biennio celebravit. In quo proprijs comparuerunt in personis Archiepiscopi & Pontifices numero quingenti, Abbates verò sexcenti, & alij Prælati dignitate inferiores, ut sunt Præpositi, Decani, Priores, Custodes, Scholastici & Cantores, mille & supra. Multa in ea Synodo tractata fuerunt pro recuperatione Terræ sanctæ, & ad variam utilitatem generalis statûs Ecclesiastici.

Com-

Comparuit in eo concilio Palæologus Imperator Græcorum Constantinopolitanus cum magna & honestissima suorum comitiva: qui ad instantiam Patriarchæ sui etiam præsentis, & Genuensium amicorum, se suósque obedientiæ Romanæ subjecit Ecclesiæ, postquam tredecies Græci ab ejus fide defecerant. Ad communionem itaque Romanæ Ecclesiæ Græci per Concilium admissi, paucis in unione permanserunt annis, sed Græcâ levitate atq; superbiâ seducti in pristinos citiùs sunt relapsi errores, donec postremò justo Dei permittente judicio, à Saracenis superati, penitus à fide Christiana defecerunt. In eodem Concilio Lugdunensi Gregorius Papa X. in subsidium eorum, qui contra Saracenos pro fide Christi militabant in Asia, Collectam sive Contributionem decimæ partis omnium bonorum, utilitatum, sive proventuum non annalium, sed capitalis summæ, possessionis, universis & singulis Christi fidelibus imposuit, laicis & Clericis, sæcularibus & monasticis, Pauperibus ac divitibus, Principibus & Episcopis, in sex annos continuatos solvendam. Collectores ejusdem Decimæ plures per omnia Regna, provincias, & urbes constituit. Verùm quia nimis dura multis videbatur ista contributio, à paucis fuit soluta, quanquam deputati Collectores, Censuras in non solventes fulminarent.

Græcorum Ecclesia se Romanæ subjecit.

Contributio Decimæ omnium possessionũ Christianis à Papa indicitur, contra Saracenos.

Pro eadem causa Idem Pontifex Crucem per universum orbem Christianum prædicari mandavit, Plenámque delictorum omnium veniam & remissionem cunctis pollicebatur, qui vel Cruce susceptâ in Siriam contra Saracenos pugnaturi pergerent: vel impediti legitimè suis pecunijs & eleemosynis pergentibus subvenirent. Multam eo modo pecuniam collegit. Comparuit in eodem concilio Lugdunensi Rudolphus Germanorum Rex, noviter, sicut diximus, Electus, & apud Aquasgrani juxta morem coronatus. Qui ad persuasionem Gregorij Papæ crucem suscepit, & profectionem contra Saracenos in Asiam promisit. Constituit ei Pontifex, quòd anno sequenti proximo cum pace veniret in Italiam, susceptâque Romæ Coronâ Imperij, ulterius cum exercitu procederet in Judæam ad Jerosolymæ Civitatis recuperationem.

Rudolphus Rex in Cõcilio Lugdunensi Crucem assumpsit.

Verùm posthæc subortis in Germania dissensionibus (quindecim Comitibus in Rudolphum conspirantibus) quod Pontifici promiserat, servare non potuit. Unde cùm aliquandiu apud Mediolanum expectatus non veniret, à Papa excommunicatus est. Posteà tamen informatus de impedimento legitimo, Pontifex à Censuris illum absolvit, & fidelium Communioni restituit. Veruntamen, quoniam ire ad recuperationem Terræ sanctæ ut promiserat, non potuit, Comitatum Romandiolæ in satisfactionem sancto Petro & Ecclesiæ donavit.

Rudolphus ex multis causis iter transmarinum non implevit.

Et quia diximus, Rodolphum ex antiquissima Regum Francorum stirpe procreatum, operæ precium fore judicamus, ut quo id factum sit ordine vel tempore, breviter replicemus. Quod ut eò fiat cõmodiùs, quò certiores imitamur auctores, dignum videtur inprimis, ut originem gentis & successiones Regum Francorum huic loco inseramus, propterea maximè, vel quòd recentiores Historiographi, & quotquot de his rebus in mille annis scripserunt, penè omnes confictam & erroneam composuerunt historiam; quorum aliqui Francos tempore Valentiniani Cæsaris asserunt venisse in Germaniam, alij verò negantes eos Trojanorum satos propagine, varijs cõmentis terræ Germanicæ semper indigenas extitisse

Rudolphus Rex de antiqua Regũ Francorum stirpe descendit.

demonstrare conati sunt. Nos autem Hunibaldum sequentes, qui tempore Clodovæi Magni Regis Francorum anno Domini quingentesimo vivens in humanis, ex Wastaldo & alijs Francorum antiquissimis Auctoribus sive historiographis decem & octo libros conscripsit, Francos genere Trojanos esse breviter ostendemus.

Francorum origo.

Nam primi sex libri memorati Auctoris Hunibaldi continent historiam annorum DCCL. hoc est originem gentis Francorum, Principes, Duces, Reges, Sedes, Evagationes, Bella & gesta. In his autem septingentis quinquaginta annis nec Franci dicebantur, nec Sicambri. Sed varijs nominibus appellati sunt secundum diversas mutationes sedium & mansionum.

In alijs sex Hunibaldi libris historia continetur annorum CCCCV. ab eo videlicet tempore, quo sub Marcomero Rege de Sarmatia & Danubij ostijs egressi venerunt in fines Germaniæ ad ostia Rheni, ubi nunc est Hollandia, usque ad Faramundum Regem Francorum, & eo tempore non Franci, sed Sicambri sunt dicti per annos fermè CCCC. sicuti & prius dicebantur, cùm adhuc residerent apud Danubium. Et in his sex libris continentur XVI. Regum Sicambrorum nomina, bella & gesta usque ad Francum Regem, à quo Sicambri deinceps Franci sunt nuncupati, anno scilicet ante Christi Nativitatem XXXVII. deinceps numerando Reges Francorum cum ipso Franco, usque ad Regem Faramundum Reges fuerunt XXIII. & post illos duo inter Reges sive Duces Dagobertus & Genebaldus: & sic à primo Sicambrorum ingressu ad Germaniam Reges Francorum usque ad Faramundum exclusivè numerantur XLII. quorum nomina & gesta in his sex libris continentur.

Quid ultimi sex libri Hunibaldi Historiographi contineant.

Porrò in ultimis Hunibaldi sex libris historia continetur annorum CIX. à Faramundo Rege inclusivè, qui regnare cœpit Anno Domini CCCCV. usque ad mortem Clodovæi Regis Francorum Magni à S. Remigio baptizati, qui obijt Anno Domini DXIV. Indictione Romanorum XII. Et in his centum & novem annis nnmerantur Francorum Reges Quinque, & sic in morte Clodovæi Hunibaldus librum XVIII. Historiæ Francorum finivit, post quem multi fuerunt Auctores.

A morte Clodovæi anni CCXXXVIII. usque ad Pipinum.

A morte autem Clodovæi usque ad Pipinum Regem, Patrem Caroli Magni, qui cùm esset Dux Brabantiæ, Namurij Comes, & major Domûs, Hilderico, jussu Zachariæ Papæ abrogato, in ejus locum successit, exclusivè Reges Francorum numerantur lineâ rectâ sibi invicem succedentes XIV. per annos CCXXXVIII. A Pipino autem usque ad Rudolphum de Habspurg per annos DXXXIX. inclusivè, Reges numerantur Ostrofrancorum XXXI. Et nota, quòd hîc & deinceps Reges accipimus eorum Francorum, qui regnaverunt in Germania, sive Coronam habuerint Imperij, sine non habuerint, reclusis omnibus, qui post Ludovicum Pium Magni Caroli filium post Regni divisionem in Gallia regnaverunt.

Reges Francorum CIII. per annos MDCCCC. XLIX. fuerunt.

A morte Regis Rudolphi ad XXVII. annum Regis Maximiliani, quo hæc scripsimus, anno Domini M. DXIV. Reges numerantur Germaniæ Francorum, sive coronam Imperij habuerint, sive non, XI. per annos CCXXI. Et sic per annos MDCCCCXLIX. à Marcomero Rege Sicambrorum, qui gentem hanc primus de Sarmatia duxit in Germaniam, inclusivè usque ad XXVII. Regis Maximiliani annum, omnes Sicambrorum, Francorum,

eorum, Germanorum Reges nnmerantur ordine recto sibi mutuo succedentes CIII. Porrò quot hujus gentis fuerint Reges à primo Duce, cum quo exierunt à Troja, primis Hunibaldi sex libris à Wasthaldo conscriptis habetur, de quibus nos hâc vice non intromittimus, quia Codicem in Sphanheim dimissum ad manum non habemus. Ex alijs duodecim Hunibaldi libris, quæ ante sedecim annos nos excepimus, breviter & compendiosè his Annalibus inferenda censemus, sola Regum nomina, tempora & annos quibus regnârunt, gesta eorum prætereuntes.

De Francorum origine ex Troianis auctore Hunibaldo.

Anno igitur ante Christi Nativitatem CCCXXXIX. ut Hunibaldus dicit in septimo, temporibus Cyri Regis Persarum, Esdræ quoque & Neemiæ Principum Judæorum, anno post excidium Troianum DCCL. egressa ab Insulis Scanzianis Gothorum gens, Sicambros, qui ex Troianis Reliquiæ in Sarmatia ad Danubij ostia morabantur, bello aggressi sunt, & Anthenorem Regem eorum cum alijs pluribus occiderunt. Post quem Marcomer filius patri succedens regnavit annis XXVIII. Qui anno Regni sui quarto insultus Gothorum graviter ferens, consilio cum Proceribus habito, ædes mutare decrevit. Dicebantur eo tempore neque Sicambri, neque Franci, sed Scythæ.

Quo tempore & unde Sicambri, qui & Franci intrârunt Germaniã.

Missâ ergo ad Saxones legatione, eò quòd & ipsi ex Troianis descenderint, sedes ab eis in finibus Saxoniæ ad ostia Rheni (ubi nunc sunt Hollandij, Frisij, Geldrenses, & pars Westphaliæ inferioris) facili supplicatione impetrârunt. Egressus itaque Rex Marcomer cum universo populo suo de Sarmatia, venit ad ostia Rheni fluminis in Germaniam, anno Regni sui VII. qui fuit ante Nativitatem Domini CCCCXXXIV. in mense Aprili. Erant autem viri ad bellandum idonei, præter senes, parvulos, filios & uxores, centum septuaginta quinque millia, sexcenti, quinquaginta octo. Post Marcomerum regnavit Anthenor filius ejus annis XXX. post Anthenorem filius ejus Priamus annis XXIV. post Priamum filius ejus Helenus, regnavit annis XIX. post Helenum regnavit Diocles filius ejus annis XXXIX. Post Dioclem regnavit Helenus filius ejus annis XIV. Post Helenum secundum regnavit frater ejus Dioclis junior filius nomine Basanus annis XXXVI. qui terminos Sicambrorum valdè ampliavit, post quem Clodomer filius regnavit annis XVIII. Deinde Nicanor filius regnavit annis XXVI. post quem Marcomer ejus filius regnavit annis XXVIII. Quo mortuo patri successit Clodius, & regnavit annis XI. Post hunc Anthenor Clodij filius regnavit annis XVI. post quem Clodomer filius regnavit annis XX. Quo defuncto filius ejus Merodac regnavit annis XXVIII. qui multa cum Romanis & Gallis prælia commisit, obijtque anno antè Christi Nativitatem XCIII. Cui filius suus Cassander succedens regnavit annis XXI. qui cum Saxonibus bellum gessit adversus Borbistam Regem Gothorum, & vicit. Post quem Antharius filius ejus regnavit annis XXXV. Quo in bello à Gallis perempto successit ei filius nomine Franc, & regnavit annis XXVIII. à quo Sicambri deinceps dicti sunt Franci: quod quomodo & quare sit factum, Hunibaldi compilatio refert. Franco autem mortuo ante Christi Nativitatem anno nono, Clogio ejus filius succedens regnavit annis XXX. cujus anno decimo *JESUS CHRISTUS DEI filius homo factus in Bethleem Juda de Virgine MARIA nascitur.* Clogione mortuo Herimer filius regnavit annis XII. quo perempto in bello Gallicano, Marcomerus

Genealogia omnium Regum Francorũ.

Basanus Rex Francorum Magnus multa miranda fecit.

Francus Rex, à quo Sicambri deinceps Franci sunt dicti.

merus frater regnavit annis XVIII. cujus anno secundo Christus passus est. Post hunc regnavit Clodomer filius annis XII. Deinde Anthenor filius Patri succedens regnavit annis VI. quo in Mosa flumine cum IX. Ducibus, & LXIII. nobilibus submerso, Ratherius filius ejus regnavit annis XXI. cujus anno secundo Nero Cæsar primam Christianis persecutionem indixit. Ratherio successit Richimer filius, & regnavit annis XXIV. qui cum Gothis, Romanis & Gallis multa prælia gessit. Odemar Patri succedens, regnavit annis XIV. post quem Marcomer ejus filius regnavit annis XXI. quo etiam mortuo Clodomer filius regnavit annis XVII. Et illo defuncto Farabertus ejus filius regnavit annis XX. post quem Sunno filius regnavit annis XXVIII. Post Sunnonem Hildericus filius regnavit annis XL. qui obijt Anno Domini CCLIII. Cui Bertherius filius ejus succedens regnavit annis XVIII. post quem Clodius filius regnavit annis XXVII. Deinde filius ejus Walther regnavit annis VIII. Cui Dagobertus filius succedens regnavit annis XI. post quem Clogio filius regnavit annis tantùm duobus, quo Anno Christi CCCIX. mortuo, Clodomerus frater succedens regnavit annis XVIII. Cujus tempore Francorum triginta duo millia sub Duce Genebaldo, qui frater ejus erat, rogati à Thoringis amicis de inferiore Francia sive Sicambria cum liberis & uxoribus exeuntes venerunt in eam provinciam, quæ nunc Francia dicitur Orientalis, in qua Wirzburg est, & Babenberg urbes constitutæ, & habitaverunt ibi primo sub Ducibus, uno & viginti sibi mutuò succedentibus per annos CCCCXXXVI. posteà sub Episcopis Wirzburgensis Ecclesiæ numero LXI. sibi invicem succedentibus, quibus Ducatus Ostrofrancorum à Pipino incorporatus est, per annos DCCLXI. usque ad annum XVIII. Laurentij de Bibera, Episcopi Herbipolensis hodie Ducantis. Post Clodomerum Richimer filius ejus regnavit annis XIII. Quo in Gallia cum alijs pluribus Francorum à Constantino Cæsare perempto, filius ejus Thedomer post eum regnavit annis X. qui & ipse à Romanis in Gallia captus unà cum Astila matre capite truncatus est. Post quem Clogio filius ejus regnavit annis XVIII. Clogioni defuncto Marcomer filius succedens ei, regnavit annis quatuor, & in bello peremptus est à Romanis. Post cujus interitum Franci Romanis facti sunt Tributarij annis XX. redactóque in Provinciam Regno Duces pro Regibus instituti fuerunt: quorum primus fuit Dagobertus frater Marcomeri Regis Francorum occisi, qui permissione Romanorum Ducatum sub tributo tenuit annis XIII. Cujus anno V. Valentinianus rexit & imperavit annis tredecim. Quo tempore apud Ostrofrancos Wirzburgi Ducatum tenuit Clodius annis XX. qui nunquam cessit Romanis. Post Ducem Francorum Dagobertum, qui obijt Anno Dominicæ Nativitatis CCCLXXXV. Indictione XIII. Genebaldus filius Ducatum suscepit annis XIX. Quo mortuo Francorum proceres, Imperio Romanorum contempto in libertatem se vendicant, abrogatísque Ducibus Regem sibi constituunt Faramundum Ducem Franciæ Orientalis, & filium Marcomeri Ducis, qui fuit Clodij Ducis, qui fuit Dagoberti Ducis, qui fuit Genebaldi primi Ducis Francorum Orientalium, qui fuit Dagoberti Regis filius, & frater Clogionis simul, & Clodomeri post Patrem successivè regnantium. Regnavit autem Faramundus annis XXVI. vir magnanimus & bellicosus, qui Romanos nunquam

Antenor Francorum Rex cum IX. Ducibus in Mosa submersus est.

Francorum Occidentalium XXXII. millia venerunt ad Wirzburg anno Dñi. CCCXVI.

Franci Romanis tributarij facti sunt annis XX.

Faramundus ex Duce Francorum regnat annis XXV.

quam timuit. Et ex illo tempore Francorum Reges cœperunt esse potentes, atque paulatim totam Galliam, universámque Germaniam, & magnam Italiæ partem suo regno subjecerunt, ipsúmque Romanorum Imperium in nihilum redegerunt.

Valentinianus Cæsar junior Francos non audet impugnare.

Anno Faramundi Regis secundo Valentinianus cum Theodosio imperavit annis VII. qui cùm tributum à Francis exigeret, ante XX. annos ut diximus post necem Marcomeri promissum, bellum obtulerunt: sed Valentinianus congredi Francis non ausus, paulò post apud Lugdunum Arbogasti dolo interijt. Plures fuerunt eo tempore Francorum Duces de Regum prosapia descendentes, qui diversis in loci sub Regum ditione Præfecturæ gerebant officium; nam in electione Regis Francorum quatuordecim Duces leguntur fuisse præsentes excepto Faramundo, scilicet: Dux Marcomerus frater Faramundi, qui post eum Franciam Orientalem rexit annis XVIII. Dux Sanno, Dux Clodius, Dux Dagobertus, Dux Nicanor, Dux Farabertus, Dux Richimerus, Dux Anthenor, Dux Priamus, Dux Dagobertus, Dux Betheri, Dux Heribert, Dux Sunno, & Dux Richer fratres & filij Ducis Genebaldi Interregis secundi. Faramundo Rege defuncto anno Christi CCCCXXXI. Clodius crinitus ejus filius post eum regnavit annis XX. qui magnam Galliæ partem armis obtinuit, & Romanos in Gallia dominantes aut occidit, aut fugavit. Posthunc Merovæus Rex Patri succedens regnavit annis X. Quo mortuo Hildericus filius ejus regnavit annis VI. Deinde Regno pulsus à Francis in Thuringiam fugit, & ibi exulavit annis VIII. Intereà Franci Regem sibi constituerunt in Gallia morantes Ægidium Romanum à sanguine Regio penitus alienum. Quo post annos octo de Francia pulso Hildericus revocatus deinceps iterum regnavit annis IX. Post quem Clodoveus filius ejus regnavit annis XXX. qui primus ex Regibus Francorum fidem cum gente penè tota, Anno Domini CCCCXCIV. suscepit. Hic jam Baptisterium regenerandus cùm intraret, ad eum S. Remigius Præsul Remorum dixit: *Mitis depone colla Sicamber. Adora quod incendisti. Incende quod adorásti.* Hoc est: *Adora Christum, cujus Ecclesias incendisti paganus. Incende idola, quæ adorásti.* Clodovæus iste Regnum Francorum valde auxit: Alemannos & Bavaros, Thuringos & Saxones cum alijs pluribus regno subjecit. Moritur Anno Domini DXIV. Post mortem Clodovæi Lotharius filius ejus regnavit pro eo annis LI. per quem Genealogia Regum Francorum directa continuatur usque ad Hildericum Regem ultimum. Porrò fratres Lotharij regnaverunt in locis sibi deputatis à Patre. Theodoricus apud Metenses in Austrasia annis XXIII. Clodovæus Aurelianis, Hildebertus apud Parisianos in Neustria. Quibus omnibus tandem cum filijs & nepotibus defunctis, Monarchia ad Lotharium revertitur. Qui & ipse Lotharius moritur Anno Domini DLXIV. filios relinquens quatuor. Quorum junior Helpericus Suessionis regnavit annis XXIV. per quem linea Regum continuatur. Heribertus natu major Parisijs regnavit annis paucis. Sigebertus tertiò genitus regnavit in Austrasia super Metenses, Leodienses, Treverenses, Colonienses, Moguntinenses & Germanos annis XIV. quem Helpericus frater posteà occidit. Secundò genitus Lotharij Gunthramus regnavit in Burgundia, Alemannia, Alsatia, & apud Helvetios annis XXXIII. & obijt anno Domini DXCVII. duos reliquens filios, Theodebertum & Theodericum.

Francorum Duces XIV. unâ die convenerunt simul.

Clodovæus Rex primus Christianus regnavit annis XXX.

Lotharius Clodovæi filius regnavit annis LI.

Lotharij quatuor filij Reges Francorum uno tempore.

Theodebertus natu major genuit Sigebertum, Sigebertus autem genuit Odebertum, Odebertus autem genuit Odebertum juniorem, Odobertus autem junior genuit Lutfridum & Udalricum, Lutfridus autem genuit Guntramum, Guntramus autem genuit Hunfridum. Hunfridus autem genuit Rudevvolffum, Rudevvolff autem genuit Adelbertum, Adelbertus autem genuit Lutfridum, Berngerum, Adefridum & Heribertum. Omnes præscripti de recta linea Regis Gunthrami descenderunt cum multis alijs, qui collateraliter ex eo simili prosapiâ venerunt: quorum aliqui ad tempus fuerunt Reges, aliqui Duces. Postremò Comites facti sunt penè omnes, & cùm nimiùm essent multiplicati, nec Reges deinceps esse potuerunt, nec Duces præ multitudine eorum. Unde Postremò permissione Regum Francorum, sub quibus militabant, omnes facti sunt Comites: ex quibus cum tempore rursus multiplicati, & ob id minùs locupletes, nonnulli ex necessitate in simplicem nobilitatem descenderunt inopiâ compulsi. Nam ut Flodoardus & Richerus historiæ scriptores Francorum post Hunibaldum sunt testes, permissione Regum, qui Monarchiæ apud Francos tenebant principatum, præscripti Comites cum alijs ex Gunthrami Regis prosapia descendentes, Burgundiæ magnam partem, Alemanniam totam cum Helvetia, Wasgaviam, Suntgaviam, Alsatiam, & quidquid his vel interjacet, vel adjacet, inter se olim diviserunt, & possederunt cum eorum nepotibus usque in præsentem diem. Inter cæteros prædictus Presbyter Flodoardus meminit Comitum de Habspurg, Kyburg, Homburg, Pfirt, Bithsch, Montfort, Zâringen, Zolra, aliorum complurium, quos omnes de stirpe Regis Gunthrami connumerat. Porrò Lutfridus major natu Adelberti, de quo est dictum, Comes fuit in Habspurg, & genuit Odobertum, Odobertus autem genuit Ruthbertum, de cujus stirpe Rudevvolffus, aliàs Rudolphus Rex Germanorum descendit. Ab obitu autem Regis Gunthrami usque ad electionem Rudolphi fluxerunt anni DCCV. A die autem electionis ipsius Rudolphi usque ad electionem Regis Maximiliani, qui ab eo lineâ rectâ descendit, anni fluxerunt CCXIV. Cujus generationis ordo sic continuatur. Albertus Comes in Habspurg, qui de Ruthberti Comitis supradicti rectâ lineâ (quibusdam interpositis, quorum nomina ad manum jam non habemus) originem duxit, genuit Rudolphum Regem, Rudolphus autem Rex genuit Albertum, qui primò factus est Dux Austriæ Patris auctoritate, Principúmque consensu, & post Adolphum, ut infrà dicemus, Rex Germanorum. Albertus autem genuit alium Albertum Austriæ Ducem ex Elisabeta filia Meginhardi Carinthiæ Ducis, per quam Carinthia domui conjuncta est Austriæ usque in præsentem diem. Porrò Albertus Dux genuit Lupoldum Austriæ & Lotharingiæ Ducem ex Joanna filia Comitis de Pfirt, Lupoldus autem genuit Ernestum, Ernestus autem Dux genuit Fridericum Imperatorem Tertium ex Symburge filia Alexij Ducis Mazoviæ in Polonia. Fridericus autem Cæsar genuit Maximilianum Regem Germaniæ, Bohemiæ, Ungariæ, Dalmatiæ, Croatíæque, & Imperatorem Romanorum ex Eleonora Regis Portugalliæ & Lusitaniæ filia. Maximilianus autem Cæsar genuit Philippum Regem Castiliæ, ex Maria filia Caroli Ducis Burgundiæ. Philippus autem genuit Ferdinandum Regem Hispaniæ, & Carolum Archiducem Austriæ, Ducémque Burgundiæ, ac

Bra-

Comites Alemaniã totam possident, præter Urbes Episcopales.

Genealogia Comitũ in Habspurg de Regibus Francorum.

Habspurg. Kyburg. Homburg. Pfürt. Bithsch. Montfort. Zäringen. Zolra. & alij.

Ducatus Carinthiæ Domui Austriæ, quomodo fuerit Unitus.

Genealogiæ Comitũ de Habspurg, per Maximilianum continuatio.

Brabantiæ ex Anna filia Ferdinandi & Elisabeth Regum Hispaniæ. Fuerunt & alij Duces Austriæ collaterales multi, quos isthic ratione præterimus, inter quos fuit etiam Albertus, qui apud Germanos post Sigismundum Imperatorem biennio regnavit: sed brevi tempore deficientibus cunctis hodie Maximilianus cum unico nepote Carolo solus Monarcha possidet omnia. Nunc ergo ad successiones Regum Francorum intermissas revertamur.

Genealogiæ Francorum per Lotharium continuatio.

Lothario filio Clodovæi Regis Francorum Anno Domini DLXIV. mortuo, Helpericus junior filius ejus Suessionis regnavit annis XXII. Post quem Lotharius ex Fridegunde filius regnavit annis XLIV. Quo mortuo filius ejus Dagobertus regnavit annis XXXIV. Post quem Clodovæus filius ejus regnavit annis XVI. Illo mortuo successit Patri Lotharius, & regnavit annis quatuor. Post quem Theodoricus frater ejus regnavit primò annis VII. & à Francis propter inertiam deponitur. Quo deposito Hildericus amborum frater medius natu regnavit parvo tempore, qui cùm esset moribus asper, in venatione cum Ulcida uxore prægnante à suis occiditur. Post quem Theodoricus frater ad Regnum restitutus regnavit denuò annis III. & obijt Anno Domini DCXCII. Post quem filius ejus Clodovæus major natu regnavit annis tribus. Cui Hildebertus frater succedens regnavit annis XIV. Post quem filius ejus Dagobertus junior regnavit annis quinque. Quo defuncto Franci Danielem quendam Presbyterum in Regem erigentes, Helpericum nuncupârunt, qui regnavit annis novem. Contra quem Carolus Martellus à principatu paterno (qui major Domûs fuerat) pulsus, Lotharium Dagoberti Regis filium constituit Regem, & multa pro eo adversus Danielem prælia gessit. Tandem Anno Domini DCCXXIV. ambobus vitâ defunctis Theodoricus minor Dagoberti filius Lotharij frater auxilio Caroli Martelli jam in principatum restituti ad regnum Francorum susc ipitur, regnavitq; annis tredecim. Post quem Hildericus filius ejus regnavit annis XIV. qui Anno Domini DCCLI. Indictione Romanorum IV. consilio Zachariæ Papæ ut inutilis à Regno Francorum depositus est, & in Monasterium detrusus.

Daniel Presbyter fit Rex Francorum.

Pipinus Major Domûs Brabantiæ Dux fit Rex Francorum annis XVI.

Post quem anno sequenti Pipinus Major Domûs Comes Namurci, & Brabantiæ Dux (à quo Palatini Comites descendunt) electione Procerum Suessionis à S. Bonifacio Moguntinensium Archiepiscopo in Regem Francoruum unctus & coronatus est: regnavítque annis XVI. qui & ipse duxit originem ex antiqua Regum Francorum prosapia, ut sequitur.

Prosapia Pipini Regis Francorum.

Nam Clogio Rex Francorum Theodemeri Regis filius, qui regnare cœpit Anno Domini CCCL. genuit Marcomerum Regem, Marcomerus autem Rex genuit Dagobertum Ducem, Dagobertus autem genuit Sunnonem. Sunno autem genuit Dioclem, Diocles autem genuit Meroveum, Meroveus autem genuit Leonicum, Leonicus autem genuit Heribertum, Heribertus autem genuit Priamum, Priamus autem genuit Sigebertum, Sigebertus autem genuit Nicanorem, Nicanor autem genuit Enchisen, quem alij nominant Ansegisum, Ansegisus verò genuit S. Arnulphum, posteà Episcopum Metensem, & ultimò Monachum Eremitam. Arnulphus genuit Ansegisum majorem Domûs Francorum, Ansegisus verò genuit Pipinum seniorem domûs Magistrum, Pipinus autem genuit Carolum majorem Domûs, bellicosum & Victoriosissimum Principem.

Omnes præscripti Principes fuerunt vel Comites Namurci, vel Duces Francorum in eo pago, qui nunc Brabantia dicitur. Porrò Carolus Martellus genuit Pipinum juniorem, qui Hilderico, sicut diximus, abrogato, super Francos regnavit annis XVI. Pipinus genuit Magnum Carolum Regem, primum ex Francorum Regibus Imperatorem Romanorum, in quo completum est vaticinium, quod Hildegast sapiens Francorum sub rege Hilderico die Natalis ejus in templo Jovis apud Neopagum furens & saltans prædixerat Anno Domini CCXXIII. inter alia multa sic eructans: *Magnus ecce Divus Franco Lupanaria castra dabit, & volucrem franget serpente collisam.* Carolus autem magnus regnavit super Francorum gentes, hoc est, Germanos, Saxones, Thüringos, Sorabos, id est Bohemos, Sclavos, Bagarenos, Bavaros, Suevos, Alemannos, Cisrhenanos, Wasgavios, Burgundos, Celtiberos, Allobroges, Gallos omnes, Aquitanos, Normannos, Britannos, Austrasios, Neustrasios, Westrasios, Wastones, Belgas, Mosellanos, Treverenses, Alsatios, Helvetios, Neometes, Wangiones, Francos Orientales, Hassos, Westphalos, Moguntiacos, Colonienses, Frisios, Hollandios, Brabantinos, Flandros, Morinos, qui sunt Picardi, & quidquid his vel adjacet, vel interjacet, cum Italiæ parte simul & Hispaniæ maximâ, quadraginta tribus annis, & imperavit super Romanos per Italiam annis XIV.

Carolus M. primus ex Francis Imperator.

Quæ gentes fuerint sub Regno Francorũ non diviso.

Carolus autem genuit Ludovicum, qui simul & regnum tenuit, & Imperium annis XXV. Ludovicus autem genuit Lotharium, qui imperavit in Italia, Pipinum, qui regnavit in Aquitania, Carolum, qui regnavit in Gallia, & Ludovicum, qui regnavit in Germania. Ab hinc Regnum Francorum in duas Monarchias divisum est, & manet usque in præsentem diem. Quorum alterum nominatur Francorum Orientalium, sive Regnum Germanicum, & habet sibi Romanorum Imperium perpetuò annexum: Alterum verò dicitur Francorum Occidentalium, Francigenarum, seu etiam Gallicanum.

Regnum Francorũ in duas Monarchias dividitur Alterum Regnum Germanicum, alterum Gallicanum.

Hæc Divisio Regni Francorum facta est Anno Domini DCCXLI. Indictione Romanorum IV. anno adventûs Sicambrorum sive Francorum, ut posteà sunt dicti, in Germaniæ fines, ubi nunc est Hollandia, MCCLXXX. anno verò ab excidio Troiano MMXXX. Unde jam satis dictum est de origine, progressu, & Regibus Gentis Francorum, cùm sit facilè deinceps eorum invenire nomina, successiones, & gesta, qui post Ludovicum Caroli Magni filium sive ex genere, sive Principum electione cum Imperio in Germania regnaverunt, propterea ratio expostulat, ut seriem Annalium hujus Voluminis prosequamur.

MCCLXXIV.

Anno Joannis Abbatis Hirsaugiani nono, Indictione Romanorum II. Rudolphus Germaniæ Rex Conventum Generalem Principum in oppido Regni Nürenberg solemni pompâ celebravit: in quo penè totius Regni Principes, Episcopi, Abbates, Duces, Marchiones, Comites & Barones convenerunt: qui omnes denuò Regi Rudolpho sub jurejurando, fidelitatem, obedientiam, & subjectionem promiserunt, auxiliúmque contra inobedientes & rebelles quoscunque fideliter se laturos pro viribus omni tempore polliciti sunt. Fuerunt eo tempore nonnulli Germaniæ Principes Regi Rudolpho adversantes, inter quos erat non ultimus

Conventus fit Regis & Principum.

Odoacer

Odoacer Bohemiæ Rex, qui Austriam Germanorum Regno antiquo Jure subjectam, deficientibus jam tunc hæredibus legitimis lege feudali ad ipsius Rudolphi dispositionem devolutam temerè occupavit, & auctoritate propriâ invasit. Unde per edictum Regis Rudolphi citatus ad judicium Principum, qui Nürenberg fuerant congregati, venire contempsit: contra quem Rudolphus posteà exercitum produxit. Henricus quoque Dux Bavariæ filius Ottonis Ducis, & primi ex Bavariæ Domo Comitis Palatini Rheni, simili temeritate contrarius erat Rudolpho, & quoscunque potuit, in ejus odium & rebellionem concitavit.

Odoacar Bohemiæ RexRudolpho rebellis propter Austriam.

Henricus Bavarus cum xv. Comitib. inobediens Regi.

Cum eodem Henrico adversus Rudolphum Regem conspiraverant simul, & semel Comites Regni numero quindecim, cum quibus & Marchio sensit de Baden, Comes quoque Eberhardus de Wirtenberg, Comes de Montfort, Comes de Helfenstain, Comes de Dokenburg; aliorum nomina memoriæ non occurrunt. Hujus major & principalior causa conspirationis fuit, quòd Rudolphus Rex Amator justitiæ & pacis latrocinia & deprædationes interdixit nobilibus Regni sub pœnis & censuris magnis. Ex eo námque tempore, quo Fridericus II. fuit ab Imperio depositus per annos fermè xxviii. Regno Germanorum ubique nimium turbato nusquam fides erat tuta, nusquam pax, nusquam securitas iter agentibus, sed fuerunt latrocinijs & deprædationibus omnia plena. His volens obviare Rudolphus, animos contra se raptorum provocavit, quorum postremò rebellem proterviam humiliavit. Erat námque magnus Justitiæ Cultor, qui Regnum Germaniæ penè collapsum DEO ferente auxilium magnificè reformavit. Uxorem habuit Elisabeth filiam Burckardi Comitis de Haigerloch, de qua genuit tres filios, & quatuor filias. Albertum videlicet Austriæ Ducem, qui post Adolphum de Nassau bello peremptum (ut infrà dicemus) Rex Germaniæ fuit. Hartmannum, qui sine liberis obijt, in Rheno submersus. Rudolphum Sueviæ Ducem, qui filiam Odocari Bohemiæ Ducis habuit uxorem. Filiarum prima nupsit Wenceslao Regi Bohemiæ. Secunda nomine Mechtildis, nupsit Ludovico Palatino Comiti. Tertia nupsit Alberto Duci Saxoniæ. Quartam Carolus ex Andegavensi Comite Rex Apuliæ atque Siciliæ duxit uxorem. Ex his sex Rudolphi liberis cum tempore multi Reges & Principes nati sunt, qui totam Europam ornaverunt.

Justitia Regalis Malefactores Regno fecit rebelles.

Rudolphi Regis quæ uxor, & qui filij & filiæ.

Anno Dominicæ Nativitatis prænotato Ludovicus Comes Palatinus Rheni Bavariæ Dux, de quo diximus, Ottonis Palatini filius, qui Heidelbergæ morabatur, secundâ uxore mortuâ, tertiam duxit, Mechtildem scilicet filiam Rudolphi Regis Germanorum, de qua genuit Rudolphum Palatinum Rheni Comitem, & Ludovicum Ducem Bavariæ, qui posteà Imperator fuit ejus nominis quartus.

Ludovicus Comes Palatinus fit gener Rudolphi Regis Germanorum.

MCCLXXV.

Anno Joannis Hirsaugiani Abbatis decimo, Indictione Romanorum tertiâ, Gregorius Papa decimus apud Aretium moritur, & sepelitur, cui successit in Summo Pontificatu Petrus de Tharantasia Doctor Theologus Ordinis Fratrum S. Dominici, qui assumens nomen Innocentij quinti, præfuit mensibus quinque, diebus septem. Scripsit in Minoribus constitutus super sententias Petri Episcopi Parisiensis libros quatuor: In omnes Epistolas Pauli commentariorum libros 14. In Psalmos volumen

Iñocentius fit Papa V. de Tharantasia.

grande: In cantica Canticorum librum unum, & alia multa super Biblia, quæ non vidimus. Eodem anno Rudolphus Germaniæ Rex contractis undique copijs Ludovico Palatino Comite genero suppetias ministrante contra Marchionem de Baden movit exercitum, & tam ipsum, quàm Comites illos quindecim rebelles, de quibus paulò superiùs dictum est, ad subjectionem coarctavit.

Rudolpus Rex Marchionem Badensem ad obedientiam compulit.

Anno prænotato circa festum Assumptionis Beatæ MARIÆ semper Virginis Rex Rudolphus expeditionem movit in Bohemiam adversus Odoacarem Regem, qui Austriam per annos jam aliquot ad regnum Germaniæ feudali Jure devolutam rebellis occupabat, quam præter hoc Fridericus Dux ultimus sine liberis, antequam moreretur, vigore testamenti Regno Germaniæ legavit, eo videlicet tempore, quo Fridericus Imperator depositus à Papa Innocentio quarto in Concilio Lugdunensi, ut suprà diximus, anno Domini MCCXLIV. multis in Italia bellis agitatus est, & Regni communis negotia nemo curabat. Cernens igitur Odocarus, quòd eum tempus juvaret, Austriam invasit, quam nullo jure, sed violentiâ solâ, cùm nullus adesset defensor, obtinuit, & per annos XXIV. quibus regnaverunt Wilhelmus, Alphonsus, & Richardus, nullo resistente occupavit. Mox autem Rudolphus, ut in Regem fuit Germaniæ coronatus, animum suum ad recuperandum alienata, viribus totis apposuit, missisque litteris & nuntijs Austriam restitui mandavit. Suscipiens Odoacar epistolas Regis, & in superbiam elatus coram omnibus, qui aderant, exclamavit: *Audite rem novam, ô Proceres Bohemi, Comes de Habspurg, Majestatis nostræ servus, & Capitaneus copiarum olim mercede conductus, nobis mandata dirigit, & nisi Austriam ei donemus, bellum nobis indixit: quæ novitas ista! ut Regibus imperent servi? Juramus per omnia numina cœli, quia nunquam subijciemur Comiti Rudolpho.* Quæ verba superbi cùm renuntiata fuissent Regi Rudolpho: *Confido* (inquit cum mansuetudine magna) *in Deum meum, qui me nec meritum, nec optantem ungere voluit in Regem, quia superbiam ejus humiliabo.* Metuens autem Rex Odoacar, quòd Rudolphus Rex in Austriam moveret exercitum, Viennam, & quædam alia terræ illius oppida muris, turribus & fossatis valdè munivit. Sed Rudolphus Austriæ parcere volens, quam sibi cessuram non dubitabat, copias, ut diximus in Bohemiam movit, omnia ferro, igne & rapinâ devastavit, Odocarum in bello multis Bohemorum occisis, vicit, superavit, & ad subjectionem venire supplicem coegit. Juravit obedientiam Regi Rudolpho, Austriam dimisit liberam Regno, de cæteris staturum se judicio Principum Regni promisit, sed nihil eorum servavit.

Odocar Bohemus Rex Austriam occupavit annis XXIV.

Rudolphus Rex Austriam ab Odoacaro Bohemo repostulat.

Rudolphus movit in Bohemiam facitq; sibi Regem subjectum.

Anno item prænotato tanta pluviarum continuata inundatio fuit, à principio mensis Maij per totam ferè æstatem usque in autumnum, qualis in memoria hominum nulla tunc extitit. Unde omnis penè annona defecit, & putrefacta in campis remansit. Vinum acerbissimum crevit, quod vix potabile fuit. Hinc fames magna secuta est, & non solùm homines, sed etiam jumenta peremit. Eodem Anno Innocentius Papa V. obijt, Pontificatûs sui mense sexto nondum completo, & in Laterano sepelitur, post quem Ottobonus Patriâ Januensis in Pontificem electus est, qui Adriani V. nomen assumens, postquam præfuisset diebus quadraginta, mortuus est, vacavitque Sedes Apostolica diebus triginta.

Vinũ acerbissimum & fames.

Adrianus Papa V. Johannes Papa XXI.

Post

Post hunc Petrus Hispanus Portugalliæ natus, ex medico Episcopus Tusculanus & Cardinalis fit Papa, nomine Joannes vicesimus primus, & præfuit mensibus octo, homo doctus & eruditionis multæ, prudentior Medicus, quàm Papa; quippe qui nihil operibus Pontificatu Summo dignum ostendisse perhibetur in aliquo. Cæco Astrologorum judicio deceptus vitam sibi pollicebatur in plurimos annos, de quo sæpè jactabundus cùm apud suos gloriaretur familiares, quàm esset futurorum ignarus, evidenter ostendit. Nam octavo Pontificatûs sui mense, cùm Viterbij sederet in aula magnifica ludens ad tabulam, esséque jucundus, & promissione longioris vitæ superbus, subitò ipsa domus corruit, & Pontificem miserabiliter oppressit, qui tandem plus quàm semimortuus inventus & extractus, sextâ post die futura nescìens decessit. Scripsit adhuc medicus, thesaurum pauperum, librum unum. Canones medicinæ comportavit in unum volumen. De Problematibus medicorum, librum unum. In Philosophia & Logica multa elegantissimè fertur scripsisse.

Domo cadente Papa Joannes obruitur.

MCCLXXVI.

Anno Joannis Abbatis XI. Indictione Romanorum quartâ, Odoacar Rex juramentorum, & omnium quæ Rudolpho Regi promiserat, fœdus transgressor, Austriam, Stiriam, Carinthiam, & Portum Naonis denuò sibi subjugare tentavit. Quod posteaquam Regi Rudolpho innotuit, iterum contractis undique copijs Bohemiam intravit, bellum fœdifrago indixit. At ille ad resistendum se totis viribus paravit, Henricum habens secum Bavariæ Ducem cum magno pugnatorum exercitu. Rex autem Rudolphus in sua parte habuit Ungaros, Stirios, Carinthios, Francos, Suevos, Alemannos & alios plures, fortissimos viros.

Odoacar Bohemiæ Rex contempto Juramento rebellat Rudolpho.

Anno igitur præsignato, vicesimâ sextâ die mensis Augusti bellum inter Reges atrox committitur, & Marte ancipiti per horas aliquot pugnatur. Cessit postremò victoria Rudolpho, & multis Bohemorum peremptis, & in flumine submersis, Odoacar cum reliquis in fugam convertitur, qui dum fugeret, à quodam Bertholdo de Ermenvverck equo dejectus & gladio transfossus interijt, & qui sepulturam negaverat multis, sine honore asini sepulchro fuit injectus, & quod fecit, retribuente Deo recepit. Filium reliquit parvulum nomine Wenceslaum, cui anno præterito, cùm pax inter Rudolphum & Odoacarum statueretur, filia ipsius Rudolphi Jutta nuncupata fuerat pro uxore futura desponsata. Hunc ergo puerum Wenceslaum Rudolphus Rex Marchioni Brandenburgensium commendavit educandum. Regnum verò Bohemiæ simul & Austriam, per suos vicarios administravit. Post annos verò sex Wenceslao Regnum paternum cum filia dedit, Austriam retinuit, quam filio suo posteà commisit. His peractis eodem anno Rex Rudolphus exercitum duxit in Bavariam contra Ducem Henricum, quem potenter aggrediens valde humiliavit, & ad subjectionem omnimodo coarctavit. Nec solùm Bohemos & Bavaros sibi fecit obedientes, sed etiam reliquos omnes, qui ad Germaniæ Regnum pertinebant ex antiquo, compulit esse subjectos, & quidquid à Regno injustè fuerat ablatum, per quemcunque detentorem, ad restitutionem compellebat.

Rudolphus Odoacarũ occidit, Bohemiam & Austriam capit.

Wenceslaũ filius Odoacari filiam Rudolphi Regis accepit uxorẽ.

Rudolphus Rex Ducem Bavariæ superavit.

Anno

Annō etiam prænotato bello Bohemico jam peracto, ultimâ die mensis Septembris moritur Joannes hujus Monasterij Hirsaugiensis Abbas, in numero & ordine Prælatorum sextus atque vicesimus, diuturnâ febrium ægritudine solutus, anno Regiminis sui XI. mense tertio, & die sexto decimo, ætatis autem Sexagesimo, & supra. Vacavítque Abbatia diebus octo.

Joannes Abbas hujus Monasterij XXVI. hoc anno mortuus est.

De Volando hujus Monasterij Hirsaugiensis Abbate XXVII. qui præfuit annis tribus, mensibus quatuor, diebus novem, & gestis illius temporis.

POst mortem Joannis vicesimi sexti hujus Monasterij Abbatis convenerunt fratres pro electione novi pastoris ad locum Capitularem, nonâ die mensis sequentis obitum sepulti, hoc est, Octobris, in festo videlicet sancti Dionysij Martyris, anno prænotato, præmissisque de consuetudine præmittendis, ad electionem solito more processerunt. Votis igitur singulorum scrutatis, major pars Congregationis in Volandum Monachum consensit, eúmque in Abbatem elegit, quem & reliqui majoribus cedentes in pastorem animarum suarum unanimiter assumpserunt. Volandus itaque per Conventum electus, & per Fridericum de Bolanden Episcopum Spirensem confirmatus ac benedictus præfuit huic Monasterio non satis providè annis III. mensibus IV & novem diebus. Fuit enim homo laborum impatiens, plus otio & convivijs deditus, quàm Juri Pastorali & Monasterij necessitatibus: quare triennio in Abbatia peracto, curam cum dignitate ad arbitrium Conventûs resignavit. Alemannus patriâ fuit, honestis ac liberis parentibus natus; qui adolescens in præsenti Cœnobio Monachus factus, moribus vixit inventis. His enim temporibus Monachi nostri Ordinis longè recesserant à puritate regulari, erátque miseriæ tempus, in religione sancta non religiosè vivere: & habitum perfectionis absque sanctimonia portare. Unde postquam Regularis observantiæ fervor in Monachis cœpit deficere, nunquam inopia rerum temporalium cessavit deformitatem vitæ Claustralium comitari usque in præsentem diem.

Volandus fit Abbas hujus Monasterij XXVII.

Patria Volandi, Alemannia.

MC CLXXVII.

Anno Volandi Abbatis primo Indict. Romanorum V. Hartmannus Rudolphi Regis Germaniæ secundo genitus filius, adolescens corporali dispositione pulcherrimus: nec minus animi dotibus cumulatissimus, ingenio subtilis, & prudentiâ singularis, de quo magnam sibi Respublica promittebat utilitatem: cùm equo se minùs cautè Rheni fluctibus non procul à Basilea committeret, aquarum impetu rapitur: & cùm enatare non posset armatus, in profundum demersus interijt. Cujus miserabile corpus in majori Ecclesia urbis Basileensis (non sine lacrimis multorum) sepultum est.

Hartmannus Rudolphi filius in Rheno submergitur.

Eodem anno Joannes Papa XXI. qui sibi (ut paulò superius dictum est) longos vitæ promiserat annos, dum ludens Viterbij magnifica resideret in aula, domicilium subitò cecidit, & eum cum familiaribus oppressit.

Joannes Papa domo cadente moritur.

Post

Post cujus interitum Apostolica Sedes aliquandiu vacavit, dissensione Patrum. Tandem in Pontificatu Romano successit electione Cardinalium, Nicolaus, ejus nominis tertius, & præfuit Ecclesiæ annis tribus, mensibus IX. diebus XX. quo posteà defuncto, vacavit Apostolica Sedes mensibus fermè quinque.

Nicolaus fit Papa, hujus nominis Tertius.

Anno prænotato Volandus Abbas hujus Monasterij de consensu Fratrum suorum non parvæ utilitatis bona vendidit & alienavit: decimarum partem mediam apud Elmendingen, & circa oppidum Wyl, Abbati & Conventui Albensis Cœnobij Ord. Cistertiensis in perpetuam vendidit possessionem, & pecuniam partim Creditoribus dedit, partim consumpsit.

Eodem anno Henricus de Finstingen Archiepiscopus Trevirorum arcem Berncastel ad Mosellæ ripas novam à fundamentis construxit, & villam propè adjacentem muris circumdans in oppidum commutavit, fortissimúmque reddidit, & invincibile hominum æstimatione constituit. Est enim & oppidum, & Castellum utrúmque situ firmissimum, ab oriente, meridie, & septentrione montibus altissimis circumseptum: ab Occidente Mosella præterfluit, quam eo loco nemo sine navigio transire potest. Distat autem Berncastel à Trittenhaim patriâ meâ milliaribus III.

Arx Bernc. Castel construitur.

Anno præsignato Eberhardus Ecclesiæ Wormatiensis Episcopus Romam profectus in Italia moritur, cujus Corpus in Germaniam relatum à familiaribus, in Monasterio Cisterciensis Ordinis Otterburg dictum sepelitur. Cui Fridericus in Pontificatu Wormatiensi succedens præfuit annis VI.

Fridericus fit Episcop. Ecclesiæ Wormatiensis.

Eodem anno in die S. Heriberti Archiepiscopi Colonienſis, Wilhelmus Comes Juliacensis, cum tribus filijs suis & CCCCLXVIII. armatis, Regale oppidum ad Aquasgrani de sero circa horam nonam occultè intravit, animo & intentione ut oppidum caperet, & noctu sibi subjiceret in odium Regis Rudolphi. Cujus introitum ubi Cives perceperunt, & ejus metu non auderent armati procedere in publicum, secretè parietes domorum suffoderunt ad invicem cohærentium, & per foramina quæ fecerant, de multis domibus in unum plures eorum occultè convenerunt armati. Cúmque numero se crederent hostibus majores, in publicum turmatim exeunt, reliquos Cives convocant, simúlque irruentes in Adversarios, ipsum Comitem Wilhelmum cum tribus filijs ejus, & tota militia interficiunt usque ad unum.

Comes Juliacensis Aquasgrani occupat.

His peractis Sigefridus Colonienſium Archiepiscopus (qui dudum graves cum Wilhelmo Comite inimicitias & dissensiones habuerat) confœderatus Aquensibus, magnum contraxit exercitum, ingressúsque Comitatum Juliacensem, omnia rapinis & ignibus devastavit, castella, munitiones, villas, & oppida cepit, quotquot potuit, & suæ potestati subjugavit, nec quidquam in toto illo Comitatu dimisit intactum, quod armis non tentaret.

Contra quem Brabantiæ Dux collecto suorum exercitu processit ad bellum, quanquam nihil memoriâ dignum commiserit; considerans enim virium suarum non parem esse cum adversarijs mensuram, & quòd ante multitudinem tanti exercitûs, quem Archiepiscopus produxerat, sine periculo suorum stare nullatenus posset, mutatâ sententiâ simul atque consilio retrocessit: prudenter agens, quippe qui maluit populum suum esse salvum, quàm perire.

Dux Brabantiæ contra Archiepisc. Colon. duxit exercitum.

Concordia per Legatos Martini Papæ confirmata fuit.

Duravit iſta Concertatio in quartum annum, quoúſque tandem Romanus Pontifex, Martinus IV. qui Nicolao Papæ tertio immediatè ſucceſſerat, vices ſuas interpoſuit rogatus, & miſſis nuntijs diſſidentes ad pacem & concordiam revocavit, Anno Dominicæ Nativitatis, MCCLXXXI. ſub ea ſcilicet conditione, quòd Archiepiſcopus Comitatum hæredibus Wilhelmi Comitis occiſi totum dimitteret, cum omnibus & ſingulis ad eum Jure pertinentibus.

Pars Oblationum III. in Aquiſgrani Comitibus datur Juliaci.

Inter Cives verò Aquenſes & eorum amicos, quos occiderant, graviſſima diſſenſio fuit: quæ & ipſa per Apoſtolicæ Sedis Comiſſarios tali fuit moderamine ſopita. Jus præſentandi ſeu inſtituendi Præpoſitum Eccleſiæ Collegiatæ B. MARIÆ ſemper Virginis in Aquiſgrano, quod eatenus pertinuit ad ejuſdem Urbis Senatum, Comitibus de Juliaco dare in perpetuum compulſi ſunt. Tertiam quoque partem oblationum, ad eandem Eccleſiam cedentium, quæ juris fuit Senatûs, Comites Juliaci ſimiliter aſſecuti ſunt. Aliarum verò partium altera cedit Præpoſito, altera in uſum Eccleſiæ convertitur.

Udalricus de Argentina Ord. Prædicatorum multa ſcripſit.

Claruit his temporibus apud Germanos Udalricus de Argentina Ord. Fratrum Prædicatorum S. Dominici, Alberti Magni quondam auditor atque Diſcipulus, vir in divinis ſcripturis eruditus, & ejus Philoſophiæ, quam Peripateticam vocant, non ignarus; qui memoriam ſui varijs lucubrationibus reddidit immortalitati ſemper obnoxiam. Extant ejus ſuper ſententias libri IV. Opus quod prænotavit, Summam Theologiæ, volumen unum. De Anima, liber unus, & varij ſermones ad Clerum & populum. De cæteris, quæ ſcripſit, noſtras nihil incidit manus.

Thomas Brabantin' Ord. Præd. plura ſcripſit.

Thomas etiam Brabantinus ejuſdem Ordinis FF. Prædicatorum, magníque Alberti olim diſcipulus, vir doctus & eruditus, hæc ipſa tempora docendo & ſcribendo apud noſtros Germanos haud mediocriter illuſtravit. Scripſit inter multa de natura & Proprietatibus Apum, opus Myſticum, & miraculis ſuâ tempeſtate in Germania factis refertum, quod Bonum Univerſale prænotavit, libros duos. De Rerum natura librum unum. Vitam cujuſdam S. Chriſtinæ, lib. I. & alia plura, quæ ad me non venerunt. Ferunt eum Græci ſermonis habuiſſe notitiam, & plura feciſſe latina.

MCCLXXVIII.

Caſtellum Bickelnheim Eccleſiæ Moguntinæ venditur.

Anno Volandi Abbatis ſecundo, Indict. Roman. ſextâ, Henricus Comes à Spanheim Caſtellum ſuum Bickelnheim cum omnibus ad ipſum pertinentibus, Wernhero Archiepiſcopo Moguntino vendidit in perpetuum Jus Eccleſiæ memoratæ, pro mille & quadringentis Marcis denariorum Aquenſium. Quæ venditio Joanni Spanheimenſi Comiti, Henrici germano uſque adeò diſplicuit, quòd non diu poſteà (licet cum damno ſuo non modico) bellum Archiepiſcopo indixit.

Nicolaus Papa hoc anno eligitur, & ſedit annis III.

Eodem anno, quod ſuprà per occaſionem anticipanter præmiſimus, poſteaquam Joanne XXI. vitâ defuncto, Sedes Apoſtolica vacâſſet aliquot menſibus, tandem Cardinales neceſſitate compulſi pro Electione novi Pontificis in unum convenerunt; & poſt multas varíaſque diſceptationes Joannem Cajetanum patriâ Romanum ex nobili Urſinorum familia natum, in Pontificem elegerunt: qui Nicolaus ejus nominis Tertius eſt nuncupatus, & præfuit annis tribus, menſibus IX. dieb. XX.

Fuit

Fuit autem Nicolaus iſte vir magnæ prudentiæ, ingenio ſubtilis, eloquio dulcis, facundus, & ad perſuadendum, quidquid voluiſſet, ſatis idoneus, conſilio cautus, & in omni actione conſtans, atque præcipuus, moribus integer, & in omni converſatione ſua ſingulari virtute ſyncerus; in conferendis Dignitatibus & beneficijs Eccleſiaſticis viros doctos & eruditos ſemper prætulit imperitis, quantumlibet nobiles eſſent, vel potentes. Brevi tempore ſui Pontificatûs plura magnificè geſſit, nihilque præterijt, quod animi magnitudinem cunctis facere potuit manifeſtam. De ſua familia Urſinorum Reges duos creare ſtatuerat, alterum in Etruria, alterum verò in Longobardia, ſed morte præventus neutrum creavit.

Chorizantes ſuper Pontem Moſæ non venerantur Corpus Domini.

Anno prænotato divini honoris contempti miſerabile factum contigit, quod & litteris commendatum accepimus, & poſteritatis memoriæ in his Annalibus commendamus. Trajectum ſuperius eſt oppidum ad littus Moſæ fluminis conſtructum, quod Maſtrich vulgariter nuncupamus, in quo & Corpus S. Servatij primi Tungrorum Epiſcopi venerabile habetur. Ibi homines levioris animi, quàm deceat Chriſtianos, numero ferè ducenti hoc anno, die menſis Junij XVII. ſuper pontem Moſæ fluminis memorati choream ducebant, ineptis motibus & ſaltationibus animorum levitatem declarantes. Contigit intereà Sacerdotem Corpus Dominicum etiam ſanctis Angelis venerabile manibus deferentem ad infirmum neceſſariò tranſire per pontem. At vaniſſimi homines illi cernentes per medium ſui (ut ita dicam) tranſeuntem Presbyterum, & ſacroſanctum Corpus Domini manibus portantem, neque intermiſerunt Choræas: neque Salvatori noſtro ullam exhibuerunt reverentiam. Sed contemptum ſui non diu diſſimulavit altiſſimus. Mox enim ut Presbyter cum ſequentibus venerabile Sacramentum tranſierat, confractus in flumen pons decidit, & chorizantes ſimul cum intuentibus, omnes uſque ad unum impetus aquarum ſuffocavit.

Pons cecidit, & Chorizantes ſubmerguntur.

Cœnobium in Hocheim propè Wormatiam à Dirolpho conſtruitur.

His quoque temporibus præſente Wormatienſi Eccleſiæ Friderico Pontifice, Dirolphus miles quidam Deo ſincerè devotus, cùm liberos non haberet, de conſenſu Agnetis devotæ Conjugis ſuæ, Chriſtum & ejus Caſtiſſimam genitricem cupiens omnium bonorum facere hæredes, novum in villa Hocheim extra muros Wormatienſes conſtruxit Cœnobium; in quo moniales poſuit Ord. Fratrum Prædicatorum. Opere tandem conſummato, Eccleſiam in memoriam & honorem Dominæ noſtræ ſemper immaculatæ Virginis Mariæ per dictum Præſulem fecit conſecrari: Monialibuſque introductis, & de omnibus vitæ neceſſarijs copioſè proviſis, unicam quam habebat filiam Domino Deo in eodem loco perpetuò in Virginitate ſervituram ſolemniter obtulit.

Gerhardus Monachus S. Quintini vir clariſſimus.

Claruit his fermè temporibus Gerhardus Monachus ſancti Quintini de Inſulis, oppido Flandriæ oriundus: homo tam in divinis ſcripturis, quàm in ſeculari litteratura egregiè doctus, ingenio promptus & clarus eloquio, qui multa ſcripſit, non contemnendæ lectionis, quibus nominis ſui memoriam cum laude tranſmiſit ad poſteros. E quorum numero feruntur ſubjecta. Hiſtoriæ translationis Spineæ Coronæ Domini, & partis ſanctæ Crucis de Conſtantinopoli ad Galliam, liber unus. De miraculis divinâ miſeratione factis ad ſepulchrum Divæ Eliſabeth in Marpurg Haſſorum lib. 1. Officium de eadem ſancta Matrona & Cantus ad

Opuſcula Gerhardi, & Lucubrationes ejuſdem.

omnes Horas composuit. Epistolarum ad diversos librum similiter unum edidit. Sermones quoque non paucos & conscripsit & dixit ad populum. Sed & alia plura lucubrâsse dicitur: quæ hactenus ad nostræ lectionis notitiam non venerunt.

MCCLXXIX.

Anno Volandi Abbatis III. Indict. Roman. septimâ. Inter Nicolaum Papam III. & Carolum ex Comite Andegavensi & Provinciæ Regem Apuliæ Siciliæque graves discordiæ fuerunt subortæ, quarum duæ potiores causæ ferebantur. Altera quòd Carolus ipse post Conradi junioris interitum (de quo supradictum est) confirmatus in Regno paulatim Romanam cæpit devastare Ecclesiam, ejúsque Pontifices persequi, & suo Dominio subjicere terras & Jura S. Petri. Altera verò displicentiarum causa fuit, quòd tempore Electionis Papæ Nicolai, Carolus ipse Rex conclavi præsidens manifestè impudentérque Cardinales precibus & minis solicitaverat, ut ex Gallicanis, non ex Italicis Pontificem eligerent.

Dissensio fit inter Nicolaum Papam & Carolum Apuliæ.

Quæ res Nicolao Pontifici usque adeò displicuit, quòd ejus, quamdiu posteà vixit, nunquam poterat oblivisci. Unde Vicariatum Etruriæ, quem illi Romani Pontifices (non sine injuria præeminentiæ Imperialis) commiserant, ab eo rursus abstulit: impulsum se asserens per Rudolphum Germaniæ Regem, cujus epistolam Carolo legendam exhibuit: in qua Rudolphus Rex inter alia sic Papæ scripserat: Quòd exercitui Christianorum in Siria posito auxilium ferre nec posset, nec deberet, quandiu Carolus occuparet Etruriam. Ferunt tamen hanc Rudolphi sententiam Nicolai Pontificis industriâ precibúsque fuisse subornatam: ut justam videretur habere causam.

Papa Rudolphum Regem à voto peregrinationis absolvit.

Nihilominus verum constat, Rudolphum ægrè satis tulisse, quòd Carolus administraret Etruriam in præjudicium Imperij, manifestámque injuriam, fuisséque animo placatum erga Pontificem, quòd illum Vicariatu dejecisset. Unde posthæc quasi delinitus mente, Pontifici & sancto Petro Romandiolam & Exarchatum Ravennæ in perpetuam contulit possessionem, quæ prius ad Imperium pertinebant. Quo Pontifex beneficio lætus Rudolphum à voto Cruciatæ, quod Papæ Gregorio in Concilio Lugdunensi dudum fecerat, absolvit.

Inter Archiepiscopum Moguntinum & Comitem in Spanheim dissensio.

Eodem anno, postquam dissensiones & lites, quæ versabantur inter Wernherum Archiepiscopum Moguntinum: & Joannem Comitem in Spanheim, nemo extinguere posset: contractis undique copijs ambæ se partes paraverunt ad bellum. Causam belli paulò ante dictam ex parte, restat ut prius totam explicemus. Mortuo ante biennium Simone Comite in Spanheim, duo filij ejus Johannes & Henricus in divisione paterni Comitatûs aliquantulum discordare cœperunt: quorum natu major Joannes (cui & Pater moriturus Comitatum regendum commiserat) homo ferox, inquietus & nimis promptulus ad arma (licèt uno pede claudicaret) cùm Henrico fratri condescenderé in parvo despiceret, ex Germano sibi adversarium fecit. Henricus autem sciens, quòd cum fratre viribus æquis certare non posset, ad Wernherum Archiepiscopum Moguntinum confugiens, ejus patrocinium adversus Germanum invocavit & obtinuit. Subjecit enim & se, & omnia sua defensioni dictæ Ecclesiæ Moguntinæ: acceptísque in beneficium singulis annis prostipendio militari ab Archi-

Henricus Comes se submisit Archiepiscopo.

episcopo

episcopo viginti Marcis denariorum Aquensium ministerialis illius factus est. Castellum insuper Bichelenheim, quod parùm distat à Spanheim, cum omnibus ad ipsum pertinentibus (ut anno diximus transacto) sæpedictæ Ecclesiæ Moguntinæ vendidit, & à Comitatu penitus abalienavit.

Quod factum Comiti Joanni Germano ejus nimium displicuit, & quemadmodum hanc venditionem impedire posset, varia mente cogitavit. Inprimis ergo precibus animum Pontificis emollire studuit, & ut receptâ pecuniâ emptionis, quam offerebat, sibi Castellum fratris, ut legitimo hæredi restitueret, instantiùs rogat. Verùm ubi preces contemni sensisset, minas addidit: sed cùm nihil proficeret his omnibus, tandem se hostem Archiepiscopi designavit, factáque incursione crebriùs terras Ecclesiæ rapinâ, ferro, & igne vastare cœpit.

Joannes Comes de Spanheim, hostem se scribit Archiepisc.

Anno igitur præscripto Wernherus Archiepiscopus memoratus non ferens diutius incommoda plebis suæ, copias contraxit, & magnum exercitum contra Joannem comitem destinavit. At verò Comes jam anteà paratus exercitui Pontificis cum suis viriliter occurrit, secum habens Fridericum Comitem Rheni de lapide, Emichonem Comitem de Liningen, Hartmannum Comitem de Feihingen, Philippum Comitem de Kazenelenbogen, & plures alios.

Joannes Comes de Spanheim bello superatur, & fugit.

Conveniunt itaque hi duo Exercitus in pugnam, in campo latissimo haud procul à villa Sprenlingen, quæ uno à Cruciniaco milliario distat, & mox bellum committitur, in quo diu ancipiti Marte fuit pugnatum, & plures ab utraque parte ceciderunt, postremò tamen exercitus Episcopi victoriam obtinuit. Capti fuerunt in eo prælio Comes Rheni, Comes de Liningen, Comes de Feihingen, & Comes de Kazenelebogen prius nominati, Comes verò de Spanheim equi velocitate salvus evasit multis suorum peremptis. Duravit ista contentio non minus biennio, donec tandem Rudolpho Rege vices interponente suas concordia inter eos reformata est, ut infra dicemus.

His quoque temporibus magna contentio fuit inter Episcopum Wirzburgensem Orientalis Franciæ Ducem, & Cives Regalis oppidi Rottenburg cis Thuberam ratione Judicij, quod Provinciale vocant, Germanicè Landtgricht. Nam Pipinus quondam Rex Francorum Anno Dominicæ Nativitatis DCCLII. Indict. Roman. quintâ per S. Bonifacium Archiepiscopum Moguntinum in Regem unctus & consecratus in urbe Suessionum coram tota Congregatione Principum Regni Francorum de omnium consensu Beato Burchardo Wirzburgensium Primo Episcopo, ejúsque Ecclesiæ & successoribus in perpetuum donavit urbem Wirzburg unacum Ducatu Franciæ Orientalis simul, & potestatem exercendi Judicium provinciale per totam Diœcesim suam sine cujusquam impedimento vel contradictione.

Inter Episc. Wirzburgensem & Rotenburgenses contentio.

Verùm successu temporis nonnulli Cives Regni Germanici hoc Judicium subterfugere tentantes, varijs medijs exemptionem clandestinam à Regibus Germanis impetrârunt in detrimentum & præjudicium Ecclesiæ memoratæ. Inter quos Rotenburgenses proprium sibi Judicium Provinciale à Rudolpho Rege impetrârunt. Quod tamen deponere coacti sunt per Episcopum Berchtoldum de Sternberg, litteráque Regales desuper exponere.

Judicium Provinciale Wirzburgensi Episcopo Pipinus dedit.

Rhinberg, Castellum prædonum destruitur.

Anno etiam prænotato Wernherus Archiepiscopus Moguntinus sæpedictus Castellum Rhinberg haud longè à Rheno propè Lorch, de quo latrones passim exeuntes prædas & spolia sine miseratione pauperum exercebant, in terram missis exercitibus suis obsidione vallavit, expugnatúmque tandem cepit, & submisso igne funditus evertit.

Anno eodem prænotato tanta frumentorum copia in Sueviæ partibus crevit, ut modius siliginis unus pro duobus solidis Hallensium emeretur: modius verò speltæ pro viginti Hallensibus: modius autem avenæ pro Hallensibus sedecim. Vini etiam maxima copia fuit, ita ut mensura pro uno solido venderetur.

Henricus Comes de Veldenz se Ministrũ fatetur Ecclesiæ.

Eodem anno Henricus Comes de Veldentia Treverensis Diœcesis se & suos hæredes cum Wernhero Archiepiscopo Moguntino in perpetuum confœderavit per litteras manifestas atque patentes, in quibus se Moguntinæ Ecclesiæ dapiferum recognoscit atque vasallum: quare se meritò ejusdem Ecclesiæ fidelem atque devotum perpetuò pollicebatur fore mansurum. Auxilium quoque tam suum, quàm suorum eidem promisit Archiepiscopo, contra quoscunque injuriatores præstaturum, & nullis propterea laboribus parcendum. Hoc ipsum Comiti similiter promisit memoratus Archiepiscopus.

MCCLXXX.

Volandus Abbas XXVII. hujus Cœnobij resignat Officium.

Hoc anno Dominicæ Nativitatis, qui fuit IV. Volandi Abbatis Hirsaugiensis inchoatus, Indictione Romanorum octavâ, considerans ipse Volandus, quòd Monasterio sibi commisso propter malitiam temporum utiliter præsidere non posset, gravi mentis dolore concutitur, & non parum in secreto cordis anxiatur. Magna etenim fratres rerum pressit inopia, & parva censuum annalium restabat substantia: alieni denique æris pressura non mediocriter ejus animum affligebat, quia non habebat, unde vexationem hanc omnium pessimam redimeret. Concilio igitur amicorum habito Abbatiam resignare statuit, propterea quòd se paupertatem non posse relevare Monasterij certissimè recognovit. Unde ut pacem haberet à laboribus, quos tolerare non potuit, Abbatiam ad voluntatem Conventûs anno prænotato die mensis Januarij quartâ decimâ liberè resignavit, & non diu supervixit.

De Crafftho hujus Monasterij Hirsaugiensis Abbate XXVIII. qui præfuit annis tredecim, diebus xx. & gestis in illo tempore.

Crafftho fit Abbas Hirsaugiensis XXVIII.

ANno igitur Dominicæ Nativitatis prænotato millesimo ducentesimo octogesimo, Indictione Romanorum octavâ mensis Januarij die quintâ decimâ, Monasterij hujus Abbatiâ post Volandi resignationem vacante, Prior & Fratres, qui Electioni debuerant interesse, convenerunt ad locum Capitularem, ac longum de ordinatione Pastoris habuêre consilium; tandem post multos & varios tractatus Craffto Monachus ejusdem Congregationis, & major eo tempore Cellerarius à principali parte Conventûs in Abbatem eligitur,

tur, in quem cœterorum mox omnium vota similiter diriguntur. Qui non diu posteà ordinatus per Neometensis Ecclesiæ Pontificem in Abbatem, ut moris est, præfuit annis XIII. & viginti diebus in multa sollicitudine, sed non sine utilitate. Patriâ fuit Suevus, de honesta parentela natus, qui ad ordinem venit sub Ernesto Abbate, à quo Monachus factus inculpatè vixit secundùm illius consuetudinem temporis.

Deinde crescentibus cum ætate meritis vitæ Presbyter factus est mandato Volpoldi Abbatis, à quo non multo post subcellerarius constituitur, & paucis annis in illo officio peractis, etiam major Cellerarius Fratrum consensu ordinatur. Qui Marthæ officium studiosè adimplere curavit, quamvis propter malitiam dierum parum profecerit. Enimverò sicut præcedentibus pluries jam diximus, conditio hujus Monasterij illo in tempore magnâ premebatur inopiâ, & defecerant non minùs Fratribus temporalis rei subsidia, quàm in eis fuerat extincta regularis disciplinæ observantia. Cecidit, Cecidit nobilis Hirsaugia, & quæ olim cunctis bonis opulentissima viros in omni sanctitate ac eruditione scripturarum produxit plurimos, jam nuda & inops omni decore suo perdito contemnitur spoliata.

Crafftho Abbas Disciplinam reformare non potuit.

Crafftho itáque in Abbatem ordinatus, ad restitutionem rerum ac statûs substantiæ temporalis mentem satis studiosè apposuit, átque in conservatione bonorum adhuc habitorum diligentissimus fuit. Multa etiam Monasterio vel inconsultè alienata, vel injustè distracta per suam industriam restituit, & propterea etiam Sedis Apostolicæ suffragium imploravit. Veruntamen omnia ad plenum reducere non potuit, quoniam loci contritio nimis magna fuit. Collapsam verò regularis Disciplinæ observantiam quomodo ad integritatem reduceret, qui vivere secundùm Regulæ puritatem non didicerat? Mansit ergo in sua tepiditate semel Monachorum præsumpta deformatio per annos plurimos, donec novissimè tandem, ut suo loco dicemus, Bursfeldina Reformatio per Wolframnum Abbatem anno Domini MCCCCLVII. introduceretur.

Albertus M. apud Coloniam moritur.

Eodem anno quo Dominus Crafftho huic monasterio Abbas constituitur, Albertus cognomento magnus ex Ordine S. Dominici quondam Episcopus Ratisbonensis in Bavaria anno ætatis suæ octogesimo septimo Coloniæ mortuus est, & in medio Choro Ecclesiæ sui Conventûs cum honore sepultus, non sine testimonio evidenti magnæ sanctitatis. Fuit autem vir in omni scientia scripturarum tam divinarum, quàm sæcularium omnium suo tempore doctissimus: & non minus vitæ merito, quàm eruditione venerabilis, ut rectè magni acceperit nomen. Scripsit autem penè infinita opuscula, quibus nomen suum immortalitati commendavit. De quibus nos invenimus, quæ sequuntur. Super sententias Petri Lombardi Episcopi Parisiensis scripsit libros IV. Summam Theologiæ libb. IV. de quatuor Coævis lib. I. De Homine lib. I. De Bono lib. I. De vita spirituali quóque lib. I. super officio Missæ lib. I. De Corpore Domini lib. I. Item de Corpore Christi sermones duos & triginta lib. I. De muliere forti. lib. I. In opera & Epistolas Beatissimi Martyris Dionysij Areopagitæ libb. V. De laudibus S. Mariæ semper Virginis lib. I. De multiplici timore lib. I. Defensorium Mendicantium lib. I. De formatione hominis lib. I. De partu hominis lib. I. De Origine animæ lib. I. Super oratione Dominica lib. I. De modo

Opuscula Beati Alberti M.

Præ-

Prædicandi lib. 1. De Reparatione lapſi lib. 1. de adhærendo Deo lib. 1. In Exodum lib. 1. In Leviticum lib. 1. In Numeros lib. 1. In Deuteronomium lib. 1. In Joſue lib. 1. In hiſtoriam Judicum lib. 1. In hiſtoriam Ruth lib. 1. In hiſtoriam Regum libb. IV In Paralipomena libb. 2. In Eſdram & Nehemiam libb. 3. In hiſtoriam Tobiæ lib. 1. In hiſtoriam Judith lib. 1. In hiſtoriam Heſter lib. 1. In proverbia Salomonis lib. 1. In Eccleſiaſten lib. 1. In Cantica canticorum lib. 1. In librum qui prænotatur ſapientiæ lib. 1. In Eccleſiaſticum lib. 1. In hiſtoriam Machabæorum libb. 2. In hiſtoriam Job lib. 1. In Eſaiam Prophetam lib. 1. In Jeremiam Prophetam lib. 1. In Ezechielem Prophetam lib. 1. In Danielem Prophetam lib. 1. In duodecim Prophetas minores libb. XII. In Evangelium Matthæi lib. 1. In Evangelium Marci lib. 1. In Evangelium Lucæ lib. 1. In Evangelium Joannis lib. 1. In omnes Epiſtolas Pauli libb. XIV. In Apocalypſin Joannis lib. 1. In Actus Apoſtolorum lib. 1. In Epiſtolas Canonicas libb. VII. Sermones de tempore & ſanctis per anni circulum libb. 2. De natura animalium libb. XX. Paradyſum animæ lib. 1. Orationes ſuper Evangelicas lectiones. Orationes ſuper ſententias. De differentia ſpiritûs & animæ lib. 1. De Divinatione & Prophetia lib. 1. Diverſarum quæſtionum lib. 1. De natura loci lib. 1. De Cauſis Elementorum lib. 1. De motibus animalium lib. 1. De Juventute & ſenectute lib. 1. De vita & morte lib. 1. De plantis & vegetabilibus lib. 1. Summam Philoſophiæ lib. 1. Contra poſitionem Averrois de unitate intellectûs libb. III. De Intellectu & Intelligibili lib. 1. Quæſtiones contra Averroiſtas lib. 1. De Formæ unitate lib. 1. De Morali Philoſophia libb. XVI. De Monaſtica Philoſophia libb. V. De Oeconomica libb. IV. De Politica libb. VIII. De Arithmetica lib. 1. De Geometria lib. 1. De Muſica lib. 1. De Aſtronomia & Aſtris libb. II. De ſphæra lib. 1. Speculum Aſtronomiæ lib. 1. De antiquis Aſtronomiæ auctoribus lib. 1. De Mineralibus lib. 1. De natura Deorum lib. 1. De ſecretis naturæ libb. IV. De duodecim Alphabetis lib. 1. De Magiſtrorum electione lib. 1. De univerſalibus lib. 1. De ſomnijs lib. 1. De Prædicamentis lib. 1. De ſex principijs lib. 1. De definitionibus lib. 1. De Grammatica lib. 1. De Rhetorica lib. 1. De Medica arte lib. 1. De Lanificio lib. 1. De Agricultura lib. unum. De Aratura lib. 1. De Navigatione lib. 1. De Metaphyſica libb. XIII. De ſpiratione & reſpiratione lib. unum. De voce lib. 1. De perſpectiva lib. 1. De Aſtrolabio & quadrante libb. II. In omnes libros Ariſtotelis commentarios edidit. Alia inſuper multa ſcripſiſſe dicitur, quæ ad noſtræ lectionis notitiam hactenus non venerunt.

Opuſcula B. Alberti Magni.

Quòd verò de Necromantia, & perniciosis artibus ab Eccleſia ſancta meritò prohibitis accuſatur à nonnullis imperfectiſſimis Nebulonibus, injuriam & contumeliam patitur: quippe qui homo doctiſſimus, moribus integerrimus, fide Catholicus, meritóque vitæ ſanctus, & ſemper in Chriſti amore devotiſſimus exiſtens, Necromantiam Magiámque ſuperſtitioſam, & omnes artes Diabolicas damnavit, contempſit, & ſumma cum ratione confutavit, ſicuti manifeſto in libello, quem prænotavit, *Aſtronomiæ ſpeculum*, oſtendit: ubi ſatis exactâ diligentiâ libros Magiæ naturalis à ſuperſtitioſis & prohibitis diſcernit: unde ſi qua miranda feciſſe inventur, non maleficio, ſed occultis naturæ, vel rebus, vel modis procul dubio ſibi notis inculpatè perpetravit. Multa enim ſtupenda ignorantibus cauſas occultas naturaliter fieri poſſunt, quorum viſio intuentes parvi ſenſûs homines vertat in ſtuporem.

Albertus non fuit Necromanticus nec Magus ſuperſtitioſus.

Libri

Libri autem & volumina Magicarum & Necromanticarum superstitiosarúmque artium, quæ circumferuntur sub nomine Alberti Magni, conficta & ementita sunt omnia: & ob id ignibus committenda. Vir etenim ille sanctus atque doctissimus talia non scripsit: nec illicitis & profanis unquam se studijs occupavit. Libros illum Necromantiæ ac Magiæ legisse cursim quandóque ipsius inducti testimonio concedimus: sed usum eis fuisse, aut fidem adhibuisse penitus negamus. Legit illos, ut sciret ex ratione ad confutandum: & nullatenus ad imitandum. Quemadmodum sanctissimus Præsul Augustinus contra Faustum Manichæum tres & triginta tomos scripturus sive libellos, omnes illius errores legendo prius sine culpa offensionis diligenter percurrerat: ita sanctus iste Doctor Albertus cum libris Necromanticis & Magicis, quos falsos errores & damnatos noverat ab Ecclesia, faciebat. Non enim ut sciret, vel operaretur, néque ut delectaretur eorum lectione, momentaneam eis discussionem examinis sui adhibuit: sed ut stultam perfidiam imperitorum hominum, qui talia sectantur, posset redarguere ex fundamento, eorum confictiones sine conscientiæ suæ macula legendo percurrit. Nemo stultorum errores valentiùs potest redarguere quàm ille, qui causas & arcana errantium ex principijs cujuslibet artis aut facultatis proprijs novit in publicum rationabiliter declarare. Alioquin inscitè facilius est reprehendere, quàm emendare. Sic Astrologiam imperiti contemnere possunt multi: scitè autem demonstrare stultitiam pauci: illique soli, qui artis principia noverunt.

Albertus non composuit quicquam in Necromantia.

Magorum libros legere ad arguendum bonum est.

De libris autem Necromanticorum B. Doctori Alberto mendaciter adscriptis, hoc dicimus, quod sentimus. Quemadmodum naturæ præsumptuosi & nimium avari præstigiatores alchimistæ grandia promittentes, & nihil veritatis exhibentes, vel à semetipsis decepti multos & varios circumferunt vanitatis suæ libellos, Platonis, Aristotelis aliorúmque præstantissimorum virorum nominibus prænotatos: vel circumventi ab alijs cùm non habeant unde vivant, sub titulis falsis decipiunt curiosos: ita nebulones & tenebriones isti necromantiæ professores, ut suæ perversitatis instituta curiosis persuadeant, librorum quos confinxerunt falsos titulos mentiuntur. Sed de his alibi diximus.

Necromanticus & Alchimista libros utérque circũfert mendaces.

Anno etiam prænotato Nicolaus Papa tertius ad instantiam Domini Crafftho nis Abbatis hujus Cœnobij Hirsaugiensis, omnia bona, jura, privilegia ejusdem auctoritate Apostolicâ confirmavit, sicut patet in bulla desuper data in Avinione octavo Calend. Decemb.

Item anno præscripto Rudolphus Rex Comitem de Zolra sororium suum in locum demortui sine hæredibus Burggravij Nürenbergensis regali auctoritate Burggravium instituit: & omnia quæ ad eandem pertinebant dignitatem, illi consensu principum condonavit. Ab hoc etenim Comite de Zolra Burggravio facto omnes Burggravij Nürenbergenses posteà descenderunt usque ad Fridericum, qui in Concilio Constantiensi, ut suo tempore dicemus, per Sigismundum Regem Romanorum in Marchionem Brandenburgensem, & sacri Imperij Archicamerarium ac Principem Electorem creatus fuit.

Comes unus de Zolra Burggravius fit Nürenbergensis.

Eodem anno tertio Calendas Octobris mortuus est in vinculis Hartmannus Comes de Griningen, diutino carceris squalore in Asperg pressus.

Hartmañus Comes de Wirtenberg in carcere moritur.

ſus. Hic frater fuit Comitis de Wirtenberg, amborúmque progenies una, titulus quoque unus, ſed comitatus diviſus; unus etenim Curiam ſuam habuit in Stutgardia, alius in Griningen.

Papa Regnũ tranſfert Siciliæ.

Anno quóque prænotato Nicolaus Papa tertius ad Concilium quorundam Carolum Gallum de Regnis Apuliæ ac Siciliæ omni modo tentavit expellere, & Regem Arragoniæ in locum ejus ſublimare. Unde ſecretò per litteras & nuntios neſciente Carolo Regem inveſtivit ad Regnum Siciliæ, quem animo deſtinaverat ſuo; quæ res & magni diſſidij cauſa fuit, & multorum poſteà malorum occaſio.

Rotenburg terræ motu collapſum reſtituitur.

Item anno prænotato oppidum Rotenburg ad littus Neckari fluminis Sueviæ ſitum, quod nuper terræ motu funditus corruerat, conſilio & impenſis Alberti Comitis de Hohenberg, jactis fundamentis atque repoſitis ad priſtinum ſtatum eſt reſtitutum. Hujus oppidi ſimilem ex terræ motu ruinam & reſtitutionem longè ſuprà recitavimus in primo volumine, anno Brunonis Abbatis ſeptimo, Dominicæ verò Nativitatis duodecimo ſupra centeſimum atque milleſimum. Quod quidem oppidum Franci olim temporibus Faramundi Regis conſtruxerunt, & Landeskron, vel ut Codices habent vetuſtiores, Landskorn nominaverunt, aut loci amænitate provocati, aut quardiæ opportunitate.

MCCLXXXI.

Nicolaus Papa tertius obijt & vacat ſedes menſ. v.

Anno Craffthonis Hirſaugienſis Abbatis ſecundo, Nicolaus Papa tertius, homo quamvis cibi & potûs continentiſſimus, apoplexiâ tactus apud Surinum interijt: cujus corpus Romam deportatum in Eccleſia S. Petri ſepultum fuit. Et iterum vacavit Sedes Apoſtolica quaſi menſibus quinque.

Eodem anno Rudolphus Rex Romanorum morabatur in Auſtria: & prudenti conſilio tam ipſum Ducatum, quàm Bohemiæ Regnum pro ſuo arbitrio diſponebat. Poſteà nuptijs ſolemni apparatu Pragæ celebratis, Wenceslao filio Regis Odocari in bello, ſicut diximus, occiſi, Gudam filiam ſuam priùs illi deſponſatam dedit uxorem, cum qua ei & Regnum Bohemiæ paternum aſſignavit, & facta eſt lætitia magna in populo.

Rudolphus Rex devaſtat & obtinet Burgundiam.

Rebus verò tandem in Auſtria & Bohemia pro voto diſpoſitis ad Nürenbergam revertitur: indéque progreſſus ad Franckenfurt conventum principibus indixit. Quibus ad terminum indictum convenientibus, multa pro communi bono ibidem tractata ſunt, & maximè contra prædones & latrones, qui multa in Regno mala committebant. Contra quorum inſolentiam Rex Rudolphus de conſenſu principum & auxilio, miſit exercitum, & multa eorum latibula brevi tempore funditus deſtruxit. Poſt hæc eodem anno expeditionem movit in Burgundiam contra Comitem illius provinciæ gubernatorem, qui jugum imperij conabatur excutere, & ſuo dominio Burgundiam ſubjugare. Unde jam prius ſe ad rebellandum præparaverat, & exercitum haud parvum Gallorum contra Imperium in promptu habebat. Qui audiens Regem contra ſe cum exercitu venientem, in introitu Burgundiæ ſtatuit ei occurrere, & pro libertate, quam præſumpſerat, viriliter pugnare. Sed congreſſione factâ Comes à Rege vincitur, & armorum violentiâ compulſus ad obedientiam revocatur. A Burgundia tandem reverſus in Alſatiam, cives quarundam munitionum in diſſidium conſpirâſſe reperit, contra quo-

rum

rum temeritatem ſtatim copias movit. Erant autem conſpirationis capita, Hagenaue, Colmaria, Turegum, atque Berona, quam vulgari nomine Bernam appellamus. Admotis igitur ad memorata regni oppida Rex Ruodolphus copijs, in brevi ab eo capta ſunt, & mox cives compulſi ad obedientiam, unde exciderant, redierunt. Rex autem miſericorditer egit cum innocentibus, principes verò conſpirationis aut laqueo fecit ſuſpendi, aut gladio percuti. Anno prænotato poſteaquam Sedes Apoſtolica propter diſſenſionem Patrum vacâſſet menſibus quinque, convenerunt tandem pro electione novi Pontificis, & diu concertantes non poterant in unam concordare ſententiam. Nam una Cardinalium pars Pontificem volebat habere nationis Italicæ, alia verò urgente Carolo Rege Apuliæ Papam Gallicum præferebat; verùm poſt multas diſſenſiones tandem compulſi præſentiâ & comminationibus Caroli Regis, Simonem patriâ Turonenſem Gallum natione, presbyterum S. Cæciliæ Cardinalem virum optimum in Pontificem elegerunt, qui Martinum ſe quartum voluit appellari, & præfuit annis IV. menſe uno, qui Carolo Regi fuit in omnibus conſentiens. Eodem anno cives Imperialis oppidi Eslingen in Suevia, caſtellum Kaltental nuncupatum obſidione vallârunt, contra quos in bellum Eberhardus Comes de Wirtenberg exiens, obſidionem ſolvit. Hoc anno factum nonnulli cõmemorant, quod nos anno Volandi Abbatis primo diximus, Hartmannum filium Rudolphi Regis cum quibuſdam alijs in Rheno viceſimâ die menſis Decembris, hoc eſt in vigilia ſancti Thomæ Apoſtoli fuiſſe ſubmerſum, & in Baſilea ſepultum. Rudolphus Rex auditâ morte Nicolai Papæ, Vicarium miſit in Etruriam, qui parvo Germanorum equitatu ſtipatus Florentinos & Lucenſes, Imperio tunc rebelles, graviſſimis incurſionibus ſpretis Pontificis interdictis afflixit. Demum factâ cum Florentinis compoſitione Vicarius ad Regem in Germaniam reverſus eſt. Anno præſcripto in oppido Eslingen memorato, ſeptima decimâ die menſis Martij, hoc eſt, in ſolemnitate ſanctæ Gertrudis virginis, mulier quædam partum edidit monſtruoſum. Erat námque fœtus ab umbilico uſque ad pectus continuatus, quatuor habens brachia ſe invicem complectentia, duo ſimiliter capita ſe invicem reſpicientia, & membra verecundiora duplicata, ſed tamen diu non vixit.

Hagenaw, Colmaria, Turegum & Berone oppida.

Martinus fit Papa IV.

Rex Vicarium miſit in Etruriã.

Infans Monſtruoſus naſcitur.

MCCLXXXII.

Anno Crafftonis Abbatis tertio, indictione Romanorum decimâ Rudolphus Rex Curiam apud Auguſtam Sueviæ civitatem celebravit ſolemnem, in qua filium ſuum Albertum Comitem de Habſpurg, in Ducem Auſtriæ, de conſenſu Principum ſublimavit, conferens ei auctoritate regali totam Auſtriam, Stiriam, Carinthiam, Carniolam & portum Naonis in perpetuam poſſeſſionem. Ab hoc Alberto ex Comite de Habſpurg Duce facto deſcenderunt omnes Duces Auſtriæ uſque ad Maximilianum Cæſarem, qui Romanum hodie in quartum & viceſimum annum regit imperium.

Albertus filius Regis ex Comite fit Dux Auſtriæ.

Eodem anno Rudolphus Rex duo latronum caſtella, haud procul à Rheno ſita, Richenſtein videlicet, & Schönek, ex quibus rapinas & prædas exercere in pauperes ac viatores impietatis & nequitiæ miniſtri conſueverant, cepit, & funditus deſtruxit. Ipſos verò latrones quos

Caſtella prædonum ſubvertuntur juſſu Regis.

reperit, sicut meruerant, omnes laqueo suspendi mandavit, sive nobiles essent sive ignobiles. Comes autem quidam de Waldek Regi persuadere conabatur, ut servos & rusticos laqueo suspenderet, nobiles verò pecuniâ taxaret, indecorum existimans homines militaris Ordinis laqueo interire. Cúmque adjunctis sibi pluribus Regem instantissimè rogaret, quatenus nobilibus parceret, ille cum furore imò Zelo justitiæ plenus tale supplicantibus dedit responsum: *Sinite latrones in supplicium trahi ultimum, quod meruerunt; non enim sunt nobiles, sed fures sceleratissimi atque raptores, qui pauperes opprimunt per violentiam, pacem violenter rumpunt, regnique jura confundunt. Vera nobilitas fidem servat, virtutes colit, justitiam diligit, neminem offendit, nulli penitus injuriam facit. Qui nobilis est, usque ad mortem defendit justitiam, furtum non committit, nec perpetrat rapinam. Cessate nunc igitur vos, si nobiles estis, fundere preces pro furibus, qui etiamsi Comites viderentur aut Duces, mortis non evaderent pœnam, me Judice, quâ digni sunt. Non est viri nobilis officium, pauperes violenter opprimere, sed ab omni potius injuria defensare.*

Neq; nobiles sunt raptores, neq; raptores sunt Nobiles.

Anno item prænotato feriâ secundâ post festum Dominicæ Resurrectionis, facta est in civitate Moguntina Judæorum gravissima persecutio. Cives námque Moguntini Judæis nescio quod genus sceleris (justè an injustè Deus novit) imponentes, seditione commotâ in illos irruunt, omnes comprehendunt, tormentis exponunt, plures occidunt, reliquos cunctis bonis spoliatos, de civitate cum ignominia expellunt. Hinc generalis persecutio Judæorum, quasi per totam Germaniam secuta est, & maxima tribulatio calamitosum genus illud hominum oppressit.

Judæorum persecutio Moguntiæ.

Anno etiam præscripto gens Tartarorum ferissima, conjunctis sibi Armenis, Persidem in manu valida ingreditur, & commisso contra Babilonios atrocissimo prælio, centum eorum millia superavit, quorum occidit plures, alios in fugam convertit. Ex eo tempore gens illa nimium invaluit, & supra omnes mundi nationes multiplicata fuit, ac multa deinceps cum diversis nationibus cruentissima prælia gessit & vicit.

Item anno prænotato Joannes Comes de Spanheim, qui superiore anno sicut diximus contra Wernherum Archiepiscopum Moguntinum apud Genzingen dimicaverat, (concordiâ inter eos factâ per Rudolphum Regem) perpetuum cum eo fœdus iniit, eique assistentiam contra quoscunque adversarios perpetuò fideliter promisit, exceptis Godfrido Comite de Seyna, Henrico Comite de Starkenberg, Eberhardo Comite de Kazenelenbogen, qui erat frater uxoris suæ, Emichone & Friderico Comitibus de Lyningen, Comite quoque de Zvveybrucken, & Landgravio Hassiæ, cum quibus amicitiæ fœdus contraxerat.

Comes Spanheimensis confœderatur Archiepisc.

MCCLXXXIII.

Anno Crafftthonis Abbatis IV. Indictione Romanorum undecimâ, nonâdecimâ die mensis Maij, quæ fuit Beatæ Potentianæ virginis festivitate solemnis, Comites de Hennenberg vasalli Pontificis & Ecclesiæ Herbipolensis, & Comes de Castello similiter & ipse vasallus Episcopi Bertholdi, cum magno exercitu tam suorum, quàm pretio conductorum, venerunt contra memoratum Pontificem Bertholdum veteris odij & infidelitatis veneno incitati, terras Ecclesiæ miserabiliter devastantes. Inter alia Monasterium sanctæ Felicitatis in Svvarzach nostri Ordinis hostiliter

Comites de Heñenberg Dominum suum persequuntur.

hostiliter ingressi spoliârunt, rapientes & deportantes, quidquid poterant invenire. In odium denique præfati Præsulis, etiam Deum contemnentes & sanctos, Ecclesiam incendere tentabant, quam & in favillam redegissent, nisi militis cujusdam Udalrici de Havvno sagacitas potenter obstitisset. Oppidum verò Svvarzach incendio subverterunt. Swarzach oppidum comburitur.

Anno prænotato Martinus Papa quartus totis viribus usus pro Carolo Rege Apuliæ Petrum Arragonensium Regem, quem prædecessor Papa Nicolaus tertius, ut anteà diximus, per litteras & Nuntios ad Regna Siciliæ & Apuliæ contra Carolum investiri fecerat ac vocari, excommunicavit, & gravissimis innodavit Censuris & execrationibus. Petrus enim Rex non solum consilio Nicolai Papæ inductus, sed etiam præcepto compulsus, posteaquam ad ipsa regna fuerat investitus, magnis cum expensis, & sub multis periculis per mare mediterraneum navigavit in Siciliam, & non sine maximis laboribus plurimam insulæ partem obtinuit.

Eodem anno Rudolphus Rex Conventum Principum apud Moguntiam circa festum S. Michaelis habuit, ubi post multa consilia pacis habita, etiam Judæorum causam diligentissimè, quare fuissent combusti, fecit examinari. Contra quos multa dicebantur abominanda scelera, quòd videlicet veneno fontes infecissent aquarum, quòd pueros occidissent emptos aut furtivè sublatos ex ædibus Christianorum, & quòd Sacramentis Dominicis nefandas intulissent contumelias. Conventus fit Principum apud Moguntiã.

Rex autem Christianissimus examinatâ necis Judæorum causâ laudavit sententiam, & sub pœna capitis ac læsæ Majestatis reatu mandavit omnibus & singulis, ut omnia quæcunque de bonis Judæorum direpta fuissent, ad manus Procuratoris fisci Regalis sine mora comportarentur. Quo facto cuncta jussit dari pauperibus, & nec sibi quidquam retinuit, nec aliquid Ecclesijs donavit. Super quæ interrogatus, cur non partem aliquam dedisset Ecclesiæ, respondit: *Nescitis, quòd Bona Judæorum de usura conquisita sunt, & propterea injusta: Dei autem Ecclesia sancta est, & non nisi de justè acquisitis honoranda. Scriptum est enim: Domum tuam Domine decet sanctitudo.* Bona Judæorum dantur pauperibꝰ.

MCCLXXXIV.

Anno Crafftho nis quinto mortuus est Fridericus Episcopus Wormatiensis vir per omnia venerabilis, cujus corpus in majori fuit Ecclesia sepultum. Huic in Pontificatu ejusdem Ecclesiæ successit Simon Canonicus majoris Ecclesiæ dictus de Schöneks, vir bonus, & ad Pontificatum satis idoneus, ac miræ probitatis & honestatis, qui præfuit annis octo, mensibus tribus, diebus XIV.

Eodem anno secundâ die mensis Aprilis, obijt Wernherus de Falkenstein Archiepiscopus Moguntinus, anno Pontificatûs sui quarto atque vicesimo, & in majori Ecclesia sepultus est, vir per omnia strenuus & magnificus, qui tempore suo, redditus, proventus & Dominium Ecclesiæ Moguntinæ haud parum auxit, omnes in circuitu adversarios suos potenter compescuit, & plura Latronum raptorúmque latibula capiens funditus evertit. Post cujus obitum duo in dissensione fuerunt electi, Petrus videlicet Canonicus Basileensis & majoris Ecclesiæ Moguntinæ Præpositus, Doctor Medicinæ, qui fuerat Physicus Rudolphi Regis Romanorum: & Gerardus de Epstein Moguntinæ Sedis Canonicus & Ecclesiæ Trevirensis simili- Wernherus Archiepisc. Moguntinus obijt. Duo in dissensione Canonicorum fuerunt electi.

similiter Canonicus & Archidiaconus, qui non illâ vice, sed post fratrem Henricum Archiepiscopus factus est.

His autem duobus in dissensione per Canonicos Ecclesiæ Moguntinæ, ut præmittitur, electis, & apud Sedem Apostolicam pro Archipræsulatu contendentibus, primò sub Martino Papa quarto, & posteà sub Honorio Papa similiter quarto duravit ipsa calamitas ferme ad biennium: ex qua Moguntina Ecclesia non parvum accepit detrimentum. Tandem Papa Honorius electione cassatâ utriúsque, Henricum Episcopum Basiliensem fratrem Ordinis minorum in Archiepiscopum Moguntinum constituit: & sic amborum contentio cessavit. Petrum autem memoratum Medicum in locum Henrici Basiliensem Episcopum ordinavit.

Bertholdus Episc. Herbipol. obijt. Manegold⁹ fit Episc.

Anno prænotato mortuus est Bertholdus de Sternenberg Herbipolensis Episcopus Dux Francorum anno principatûs sui octavo decimo, in majori Basilica sancti Martyris Kiliani sepultus. Vir certè optimus & sempiternâ memoriâ dignus, qui Deum purè coluit: Clerum & Claustrales Deo manicipatos dilexit, & multa bona fecit.

Post quem Manegoldus de Novo Castro majoris Ecclesiæ Præpositus Episcopus electus est: & præfuit annis ferme duodecim, vir & ipse magnificus, bonorum & libertatum Ecclesiæ suæ defensor acerimus: contra quem cives Herbipolenses veteri more suo conspirabant in detrimentum proprium: quos ipse prudentiâ simul & viribus superans, ad obedientiæ subjectionem revocavit.

Carolus Rex Apuliæ moritur.

Anno etiam prænotato Carolus Rex Apuliæ & Siciliæ mortuus est anno regni sui decimo octavo. Hic fuit Carolus Provinciæ & Andegaviæ Comes, Frater Ludovici Regis Gallorum, qui Regnum paternum Conradino Suevorum Duci contra fas & æquitatem, ut per multas conquerebatur epistolas, præripuit, ipsúmque Ducem pro hæreditate legitima pugnantem bello cepit, & crudeli morte interemit, quemadmodum in prima hujus voluminis parte supra jam diximus. Carolo autem in Regno Carolus ejus filius successit, & regnavit annis xxv.

MCCLXXXV.

Clerus Herbipolensis spoliatur.

Anno Crafftonis Hirsaugiani Abbatis sexto Indictione Romanorum tertiâ decimâ, octavâ die mensis Januarij, cives Herbipolenses juramentorum & promissionum suarum Iringo quondam Episcopo simul & Bertholdo successori ejus factarum immemores, Domos Canonicorum irrumpunt, omnibúsque bonis suo more iterum spoliantes de urbe cum omni Clero violenter expellunt: quod factum satis posteà expiârunt.

Eodem anno Ecclesia Beatæ MARIÆ semper Virginis in Moguntia, quam ad Gradus vulgò nuncupant, cum una turri majoris Ecclesiæ sibi proximore, atque novis Apothecis igne casuali succensa miserabiliter cremata est, non sine damno vicinorum. Quæ posteà cum majore apparatu reædificata, sicuti hodie cernitur, nullum veteris structuræ visentibus præbet vestigium.

Ludovicus Comes Palatinus moritur.

Anno prænotato Ludovicus Comes Palatinus Rheni Bavariæque Dux, filius Ottonis, qui primus ex Bavaris Palatinatum obtinuit cum electione imperij, & frater Ducis Henrici, moritur: & in Monasterio Fürstenfeldt, quod ipse pro expiatione sceleris necatæ primæ uxoris in Bavaria construxerat, à filijs sepelitur.

Reliquit

Reliquit autem filios duos, quorum natu major Rudolphus patri succeſſit in Palatinatu, & genuit filios poſteà tres, Rudolphum, Rupertum, & Adolphum, per quem linea generis continuabitur. Secundus autem fuit Ludovicus, poſteà Imperator Romanorum, qui Ducatum Bavariæ mortuo Patruo ſicuti dicemus totum obtinuit.

Qui Ludovicus uxorem habuit Margaretham Philippi Regis Gallorum ex filia Neptem, cujus pater Comes fuit Hollandiæ, de qua Margaretha genuit filios ſex, quorum primogenitus fuit Ludovicus Marchio in Brandenburg, ſecundo genitus Stephanus Bavariæ Dux, qui morabatur in Landshuta, tertius fuit Albertus Dux Bavariæ, qui morabatur in Straubingen, quartus fuit Wilhelmus Comes Hollandiæ, Selandiæ, & Hannoniæ, Friſiæque Dominus, quintus Otto Dux Bavariæ, ſextus item Ludovicus Dux. De quibus ſuo loco dicemus.

Quorum mater filia Comitis Hollandiæ Wilhelmi & Neptis Gallorum Regis Philippi, mortuo patre ſine filijs, totum ejus Principatum obtinuit, quem Wilhelmo quartogenito filio, unà cum conſenſu Mariti, qui tunc Imperator jam fuit, donavit.

Anno etiam prænotato Martinus Papa IV. curis & ſollicitudinibus multis graviter occupatus pro communi bono plurimorum Peruſium proficiſcitur; ubi lentâ febri correptus non ſine opinione ſanctitatis tandem feliciter ad Dominum emigravit, Peruſij in Eccleſia principali ſepultus, ad cujus tumbam plura divinitus facta miracula, & ſanitates ægrotantium datæ feruntur. Martinus Papa IV. obijt.

Huic in Summo Pontificatu ſucceſſit Jacobus Diaconus Cardinalis patriâ Romanus, gente Sabellicâ ortus, qui ſe Honorium ejus nominis IV. appellari præcepit, & præfuit annis duobus, menſe uno. Pontifex certè tam vitæ merito, quàm ſapientiâ, conſilio & eruditione ſcripturarum omnium præſtantiſſimus. Chriſtianæ quoque Religionis cultor, amator, & pro viribus omni tempore defenſor ſtudioſus. Corpore quidem debilis, & impotentiæ fuit tantæ, ut quibuſdam inſtrumentis ad hoc arte fabricatis uti cogeretur, quoties ad Altare Sacroſanctum Dominici Corporis & ſanguinis voluiſſet offerre myſterium. Conſilio tamen & prudentiâ plurimum valuit, & ſuo mandato brevi tempore multa gloriosè & magnificè peregit. Honorius fit Papa IV.

Hic memorabilis Præſul Ordinem Fratrum B. MARIÆ ſemper Virginis de monte Carmeli in Lateranenſi Concilio, ut quibuſdam videbatur, non ſatis approbatum, & ob id à multis ſuo tempore graviter impugnatum, rurſus de conſilio & aſſenſu omnium Cardinalium, & totius Eccleſiæ Rom. ſufficientiſſimè approbavit, confirmavit, & perpetuâ firmitate ſtabilivit, multíſque Privilegijs & libertatibus contra omnes Blatteratores communivit. Ordo Carmelitarum ſublimatur.

Fuerunt memorati Ordinis iniqui & malitioſi detractores, qui dicerent illum nequaquam titulo B. Virginis Mariæ Deique Parentis inſignitum, ſed ex nomine cujuſdam Mariæ hæreticæ inhabitantis montem Carmeli per Angelum converſæ fore nuncupatum; qui & alia plura contra S. Ordinem & ejus Profeſſores mendacia confingebant, nullâ ratione, ſed ſolâ malitia concitati, quorum temeritatem confuſio ſubſecuta eſt. Carmelitæ, Fratres S. Genitricis Dei nuncupantur.

Unde prædictus Papa Honorius divino procul dubio ſpiritu juſtiſſimè

inflam-

inflammatus, non solùm Ordinem ipsum copiosis Indulgentijs & Privilegijs sufficientissimè confirmavit, sed etiam ejusdem Professores omnes deinceps Fratres B. Mariæ semper Virginis intactæ Genitricis Dei fore nominandos declaravit. Quam ejus laudabilem & sanctam declarationem omnes deinceps Rom. Pontifices concedunt, laudant, & approbant usque in præsentem diem, Carmelitas in suis litteris Fratres Dei Parentis semper intactæ Virginis Mariæ nominantes. E quibus Urbanus Papa VI. anno Pontificatûs sui secundo, hoc est, Dominicæ Nativitatis MCCCLXXX. Indictione Romanorum tertiâ, omnibus Christi fidelibus, qui Ordinem ipsum aut Fratres ejusdem, Ordinem seu Fratres Beatissimæ Mariæ Dei Genitricis de Monte Carmeli vocaverint, nominaverint, seu appellaverint, Indulgentiam trium annorum, & tot quadragenarum gratiosè concessit, perpetuis temporibus duraturam.

Ad titulum Fratrum Carmelitarum Indulgentiæ.

Bertholdus etiam Herbipolensis Ecclesiæ quondam Reverendissimus Præsul, de quo paulò ante fecimus mentionem, sicut in litteris Originalibus perspeximus contineri, omnibus Christi fidelibus contritis & confessis, eorundem Fratrum Carmelitarum fautoribus, ac ipsos suo titulo prædicto devotè nominantibus in sua Diœcesi decem Indulgentiarum dies misericorditer concessit. Quod & alios complures Episcopos fecisse non ignoramus.

MCCLXXXVI.

Henricus fit Archiepiscopus Moguntinus.

Anno Crafftonis Abbatis septimo, Honorius Papa IV. Electionem Canonicorum Moguntinensis Ecclesiæ, quam per dissensionem anno priore fecerant in Petrum & Gerardum, sicut ibidem locuti fuimus, omnino cassavit, & ambos jure Pontificatûs, si quod habuissent, privatos esse voluit. Quibus per sententiam abrogatis Fratrem Henricum Ord. minorum Episcopum Basiliensem ad Ecclesiam Moguntinam transtulit, & in Archiepiscopum sublimavit. Reliqua verò quæ supra diximus, repetere superfluum judicavimus.

Honorius Legatum misit in Germaniã.

Eodem anno memoratus Papa Honorius IV. Episcopum quendam Tusculanum S. R. E. Legatum suum de latere misit in Germaniam ad Regem Rudolphum & Principes Imperij, pro quibusdam negotijs & Ecclesiarum utilitate communi. Qui veniens in Franciam Orientalem Synodum generalem in civitate Wirzburg instituit: ad quam non solùm Pontifices & Abbates vocavit, sed etiam quosdam Principes seculares. Aderat etiam Rex ipse Rudolphus cum alijs multis comitibus átque nobilibus Regni, & varia pro communi utilitate tractabantur. Hoc tamen concilium anno sequenti primò fuit celebratum, quemadmodum ibi dicemus, ubi & causam exponemus.

Rex Vicarium misit in Italiam.

Anno prænotato Rudolphus Rex ad instantiam Romani Pontificis Vicarium suum nomine tam suo quàm imperij misit in Italiam, ut in omnibus locis jurisdictionem & justitiam faceret imperialem. Qui veniens in Tusciam, ab his qui Guelpharum partium erant, civibus Florentinis, Lucensibus & nonnullis alijs, fidelitatis & obedientiæ juramentum Romano imperio debitum exigebat. Quod illi cùm nullo pacto facere consentirent, Vicarius in furorem succensus Florentinos in sexaginta millibus argenti Marcis, Lucenses verò in duodecim florenorum millibus pro inobedientiæ demerito condemnavit: pecuniâ acceptâ in Germaniam reversus est.

Fuerunt

Fuerunt qui scriberent, Rudolphum Regem auri cupidum Cancellarium suum pro Vicario misisse in Italiam, qui acceptâ pecuniâ populis libertatem venderet. Ea de causa Florentinos exposuisse tot argenti marcas, Lucenses quoque & alios contulisse pecuniam, ut libertate coëmptâ, imperij non subderentur deinceps jussionibus. Qui hoc factum contendunt, in argumentum assertæ veritatis consequentia producunt: quòd Florentini mox post impetratam pro pecunia libertatem, magistratum instituerint, quem Priores artium vocaverint, addito & alio, quem velut Majestatis & libertatis præconem vexilliferum Justitiæ nuncupabant. In quem modum & alias pleraſque urbes libertatem sibi comparâsse referebant.

Comes de Wirtenberg Eberhardus Regi contrarius.

Anno prænotato, Comite Wirtenbergensi Regijs mandatis jam diutius reluctante, nec hoc solùm, sed etiam alios Imperij defensante Rebelles, Rudolphus Rex magno suorum contracto exercitu Comitatum Wirtenbergensem in manu valida ingreditur: & omnia quæ potuit hostili vastatione demolitur. Comes etenim Eberhardus cùm se tantæ multitudini cerneret non posse resistere, se & quidquid servare voluisset illæsum, non in villis, sed in oppidis & castris collocavit.

Unde Rex hoc ipso anno post devastationem terræ comitatûs binâ vice Stutgardiam oppidum memorati Comitis obsidione vallavit, fortiter muros arietibus impulit, & constantissimè impugnavit, majore suo ut ferunt damno atque suorum, quàm commodo. Nam muris etiam in plerisque locis tormentis machinarum quassatis atque dejectis, nullus hosti patebat introitus, his qui intus erant resistentibus.

Comes Eberhardus ad gratiam Regis revertitur.

Postremò Archiepiscopus Moguntinus vices suas amicè interposuit: & post concussum oppidi murum, post incendia villarum multa, post desolationem terrarum & spolia, ad Regis gratiam reduxit Comitem, & reformavit inter illos concordiam simul & pacem. Quibus peractis Comes Eberhardus Rudolphum juramento fidelitatis recognovit ut Regem: quem ille deinceps gratiosè prosequebatur ut Comitem. Deinde vicesimâ secundâ die mensis Februarij Rudolphus Rex pacem inter eundem Comitem & Senatum Eslingensem restituit.

MCCLXXXVII.

Concilium in Herbipoli celebratur Episcoporum.

Anno Domini Crafftho nis Abbatis octavo Indictione Romanorum quintâ decimâ in media quadragesima, hoc est, in Dominica quarta, quando *Lætare in Hierusalem* pro Missæ introitu cantabatur in Ecclesia Dei, Cardinalis Tusculanus Apostolicæ Sedis Legatus, quem præcedenti anno Legatum ab Honorio missum in Germaniam diximus, in Civitate Francorum Wirzburg in præsentia Rudolphi Regis & multorum Principum concilium Episcoporum & Abbatum penè totius Theutonici Regni generale magnum Papæ nomine celebravit. In hoc verò generali Episcoporum concilio præfatus Cardinalis atque Legatus Clero & Religiosis omnibus per totum regnum contributionem quartæ partis omnium proventuum quatuor annis continuis Romanæ solvendum Ecclesiæ de consensu Regis ac Principum quorundam secularium imposuit, & sub maximis dandam pœnis censurarum districtiùs mandavit. Quæ res sicut nova & inaudita prius extitit, ita contra Ecclesiam Romanam animos complurium provocavit. Cúmque ad hanc Romani Pontificis legationem indiscretam nimis atque crudelem, Archiepiscopi, Episcopi, Ab-

Papa nimium volebat exactionare Clerum.

bates, & reliqui viri Ecclesiastici omnes, qui erant in concilio, mentibus confusi obstupescerent vehementer, nemo tamen quidquam manifestè præsumeret contradicere, murmur confusum inter eos fuit exortum, & nullum (ut fieri solet) in perturbatione consilium. Nec mirum, nunquam enim prius exactio huic similis fuit audita, ut in quatuor annis omnes Cleri & Religiosorum totius Regni Germanici proventus, faucibus Romanorum insatiabilibus deberent ingurgitari. Unde cùm exactio hæc nulli esset portabilis, à nullo fuit approbata. At verò cùm Archiepiscopi atque reliqui Pontifices, quorum ingens convenerat numerus, ad eam Papæ legationem contremiscerent, & suis dignitatibus metuentes, nullus contradicere de cunctis manifestè præsumeret, omnibus amarum silentium tenentibus, surrexit tandem ex omnibus Præsul unus nomine simul & actione Probus de ordine Fratrum minorum Tullensis Episcopus, patriâ Suevus, ex oppido Tubingen, ut legitur, oriundus, qui Zelo justitiæ armatus, non jussus à quoquam, sed virtute Spiritûs Dei conceptâ loquebatur pro omnibus. Habebatur autem concilium illud in majori Ecclesia Herbipolensi. Probus igitur memorabilis Præsul; quo intelligi faciliùs posset ab omnibus, in locum eminentiorem, cùm aliàs non posset, super Baptisterium, quod tunc erat in medio templi, confestim ascendit, multa rationabiliter contra legationem proposuit, ac tandem de tanto gravamine coram omnibus appellavit. Videns & audiens Legatus Apostolicus, quid fecerit, dixerítque Probus Episcopus, iratus est, & auctoritate Apostolicâ illum velut inobedientem & Schismaticum, à suo Pontificatu deposuit. Probus autem ab Episcopatu dejectus ad Ordinem suum est reversus. Denique videntes Probi constantiam, Archiepiscopi Trevirorum Henricus, & Colonienſis Sifridus, cum quibusdam alijs Cardinalem concilio præsidentem multis rationibus informare curabant, eam contributionem Clero non esse possibilem; quam si Romanus Pontifex per fulmina censurarum omnino pergat exigere, metuendum vehementer, ne dissidium periculosum & Schisma pestiferum in Ecclesia sancta contingeret. Informandum super his Papam consulebant, ut mente conceptam temperaret sententiam, ne furor Germanorum excitatus, vel à Romana Ecclesia subiret dissidium, vel Clerus in necem conspiraret Episcoporum. Legatus autem cùm hoc audisset, sibíque non satis tutum arbitraretur, apud Germaniam diutius commorari, quorum in se jam suscitaverat iram, in Italiam reversus est, fructum Legationis suæ non parvam reportans confusionem. Qui ubi Romam redijt, Honorium Papam adversâ laborantem valetudine reperit, de qua non diu posteà mortuus, in Ecclesia sancti Petri sepultus fuit. Honorio mortuo Sedes Apostolica vacavit mensibus decem.

Legationi Papæ nullus Episc. audebat contradicere.

Probus Episcopus contradicens fuit depositus.

Legatus in Italiam vacuus revertitur.

Anno prænotato nonâ decimâ die mensis Aprilis, Judæi puerum quendam nomine Wernherum ex Wanrad villa comitatûs Spanheimensis oriundum occultè rapientes, ad oppidum, quod Wesaliam vocant superiorem, juxta Rheni fluenta secum blanditijs lenitum abducunt, cultris pungunt, lacerant, & postremò crudeliter occidunt, ejúsque sanguinem suo more sibi (nescio in quem prophanum usum procul dubio) servantes. Scelere autem paracto impudentissimi canes Judæi, corpus ipsius Wernheri innocentis pueri cum summa cautela nitebantur abscondere, sed provi-

Wernherus puer à Judæis Wesaliæ perimitur.

providente Deo non potuit latere. Inventum námque miraculosè à Christianis, & ad Bacherach oppidum Comitis Palatini, quod vix uno ab Wesalia milliari distat, portatum, in quadam nova Capella ponitur, quæ hodie nomine illius insignita ad sanctum Wernherum in monte nuncupatur, ubi usque in præsentem diem integrum & incorruptum ostenditur: ad ejus tumbam in principio facta quædam miracula dicebantur.

Anno item prænotato Senatus Argentinæ Civitatis in Alsatia, constitutiones quasdam contra libertatem Ecclesiasticam, in urbe ipsa edidit. Unde non parva Cleri turbatio subsecuta fuit. Inter plures alios de Clero, qui propter easdem constitutiones de Civitate recesserunt, Fratres etiam Prædicatores urbem deserentes exeunt, & cum toto suo Conventu per triennium foris continuè remanserunt. His temporibus in Italia cæpit Ordo Fratrum Servorum Beatæ Mariæ nuncupatus, per quendam Philippum natione Florentinum, virum certè doctum & religiosissimum, qui ex medico ad vitam conversus Eremitarum, servitutis suæ pensum Domino Deo semper devotissimè studuit impendere, & se totis animi viribus ad cœlestia elevare. Divino post hæc oraculo prænonitus, hanc Servorum Mariæ sanctam Religionem instituit, quam sub Regula Divi Augustini ordinavit. Quam quidem Religionem in principio suæ institutionis, multi satis temere carpentes perturbantésque, occasionem Romanis Pontificibus Benedicto undecimo, Bonifacio octavo, & Urbano sexto præbuerunt, quâ illam suis litteris & privilegijs eò firmius & amplius raborarent.

Ordinis Servorum Mariæ initium.

MCCLXXXVIII.

Anno Crafftho nis Hirsaugiani Abbatis nono, Indictione Romanorum primâ, posteaquam Sedes Apostolica post mortem Honorij vacâsset item mensibus decem, Hieronymus ex Ordine Fratrum minorum Presbyter Cardinalis in Papam eligitur, & Nicolaus ejus nominis quartus appellatur, qui præfuit annis quatuor, mense uno diebus octo. Hic natione Lombardus, Patriâ Esculanus, qui à pueritia se sacris litteris impendit, & cum tempore Theologus doctissimus evasit. Posteà ex Ordine minorum factus est Presbyter Cardinalis tituli sanctæ Sabinæ, ac noviſſimè Pontifex summus. Scripsit cùm adhuc esset in Ordine suo, super libros quatuor sententiarum, egregios commentariorum libros totidem, in quibus Theologum se doctissimum demonstravit. In veteri quoque ac novo testamento tractatus composuit multos, & alia diversa, quæ necdum ad notitiam nostræ lectionis pervenerunt. Eodem anno, octavâ decimâ die mensis Martij obijt Frater Henricus ex Ordine minorum Archiepiscopus Moguntinus in Cathedrali Ecclesia apud Moguntiam sepultus. Quo mortuo iterum duo per dissensionem à Canonicis fuerunt electi. Gerardus videlicet de Epstein Canonicus Moguntinus & Archidiaconus Trevirensis, quem prius etiam cum Petro post Wernherum diximus electum, & Emericus de Schönek Ecclesiæ Moguntinæ Scholasticus. Dum hæc fierent apud Moguntiam, adhuc Sedes Apostolica vacabat, propterea necesse fuit electionem Moguntinensis haud examinari posse à quoquam, sed causam differri, usque dum Papa esset ordinatus. Intereà verò Henricus de Vinstingen Archiepiscopus Trevirorum moritur, & in majori Ecclesia S. Petri Apostoli tumulatur. Quo sepulto Canonici statim

Nicolaus Papa IV. Ord. minorum.

Henricus Archiepisc. Moguntin. moritur.

Henricus Archiepisc. Trevirorũ moritur.

diversa sentientes duos elegerunt, Gerhardum, qui prius jam bis à Moguntinensibus fuit electus. Qui posteaquam Romanæ Ecclesiæ cognovisset de Pontifice provisum, Romam cum duplici electione proficiscitur, & à Nicolao Papa quarto in Archiepiscopum Moguntinum confirmatur. Qui Præsul ordinatus annis ferme sedecim præfuit, & Ecclesiæ sibi commissæ diligenter intendens multa utiliter peregit. Boemundus autem per Papam Nicolaum ad Ecclesiam Trevirorum confirmatus, & in Archiepiscopum ordinatus præfuit annis undecim, vir prudens atque magnificus, qui bona Ecclesiæ suæ non minuit sed auxit, & spiritualia non omisit. Qui inter alia providentiæ suæ studia Castellum à fundamentis novum construi fecit, in Novimagio vico cismosellano, qui ab incolis terræ vulgariter Neumagen nuncupatur, & distat à vico nativitatis meæ Trittenheim in descensu Mosellæ vix lapide sesqui altero: Clerum dilexit, & Religiosis optimè favit.

Gerhardus fit Archiepiscopus Moguntinus.

Anno prænotato mortuus est Dux Limburgensis sine liberis, & magna pro ejus Ducatu inter Joannem Brabantiæ Ducem, & Reinhaldum, sive ut more nostro dicamus, Reinhardum Geldriæ Comitem fuit suborta dissensio. Utérque enim se jure proximum clamabat hæredem, & multiplici quisque jus suum ratione conabatur astruere. Dies placitandi servabantur plures, & semper causa fiebat seipsâ deterior. Cúmque dissidentes ad concordiam pacis nemo posset reducere, necessitas tandem partes impulit, litem armis bellicis terminare. Dies ad prælium determinata statuitur, copiæ ab utráque parte contrahuntur.

Brabantiæ Dux & Geldriæcomes contendunt pro terra Limburgensi.

Brabantiæ Dux Joannes pro sua parte secum habuit Godfridum fratrem suum, Adolphum Montensem Comitem, Henricum Comitem de Windeck, Walramum Comitem Juliacensem, & Gerardum fratrem ejus, Eberhardum Comitem de Marcha, quam nunc possidet Dux Clivensis, & fratrem ejus, Episcopum quoque Leodiensem; Comitem Lossensem, Cives Colonienses, & complures alios, quorum memoria non occurrit.

Reinhardus autem Geldriæ Comes in suo exercitu habuit auxiliarios istos: Sifridum Archiepiscopum Colonienſem, Henricum Comitem Lutzelburgensem, & Valramnum fratrem ejus, Joannem Dominum in Lymburg, Henricum Comitem de Westerburg, Comitem quoque de Falckenburg: & quosdam alios ex nobilibus.

Die statuto jam relucente bellum inter eos cruentum satis cõmittitur: Comes Geldriæ cum suis ab adversarijs vincitur & superatur. Dux Brabantiæ triumphans victoriâ potitur. Et multi ab utraque parte ceciderunt vulnerati. Denique Comes ipse Reinhardus à Duce Brabantiorum capitur: & in vinculis aliquandiu detinetur. Qui tandem ut libertatem consequeretur amissam, non solum Ducatui Limburgensi renuntiare coactus est, sed multa etiam de suo superaddere.

Comes Geldriæ in bello vincitur & capitur.

Sifridus quoque Archiepiscopus Colonienſis in eodem captus est bello, quem Adolphus Comes de Monte pro suo interesse abducens, septennio ferme captivum tenuit: quoniam dare pecuniam pro liberatione sui postulatam recusavit. Auxit etiam tyrannidem Comitis in Archiepiscopum furor & contentio Civium Colonienſium, qui Comiti jam prius confœderati animos in Pontificem suum gerebant hostiles. Tempus ergo

se nacto-

se nactos opportunum & horam convenientem arbitrantes, quo non solùm omnem de Præsule vindicarent injuriam: sed pro suo etiam arbitrio deinceps optatâ diutius abuterentur potestate, multas illi conditiones imponere tentabant, non satis honestas: sine quibus omnem spem ei liberationis denegabant. At ille constans animo, cùm turpem honori suo conditionem nullam penitus consentiret admittere, captivitatem suam in septennium usque compulsus est tolerare. Postremò tamen si à carcere dimitti voluit, magnam dare pecuniæ summam coactus fuit.

Ducatum Limburgensem Brabantij obtinent.

Sunt qui scribant, in memorato prælio plus quàm centum hominum pugnatorum convenisse millia, & plures ab utraque parte occubuisse. De parte autem Comitis Geldriæ multi ceciderunt. Capti sunt multi Comites ac nobiles, reliqui se fugiendo salvârunt. Ex illo tempore Ducatus Limburgensis Brabantinorum Ducatui conjunctus est usque in præsentem diem, Dominio sæpe tamen translato.

MCCLXXXIX.

Burgundiones iterum superantur per Regem.

Anno Crafftonis Abbatis Hirsaugiensis decimo, Indictione Romanorum secundâ, Rudolphus Rex contractis copijs denuo in Burgundiam movit exercitum, contra inobedientem Comitem atque perjurum. Et in primis quidem Paterniacum oppidum post obsidionem brevem expugnavit & cepit. Deinde ipsum Comitem Burgundiæ iterum cepit. Quem sibi & Romano Imperio cum multis ac necessarijs cautelis in perpetuam servitutem subjecit. De priore autem transgressione & perjurio pœnas illum dare compulit, & graviter punivit.

In eadem expeditione Burgundiana cepit etiam memoratus Rex Rudolphus Comitem Sabaudiæ: Comitem quoque montis Bellicardi, & plures alios: qui venerant in auxilium Burgundionibus: quos omnes fortissimâ congressione superatos imperio subdidit, & fidelitatis jurare homagium singulos coëgit. Rebus in Burgundia prosperè gestis ad interiora Rex Rudolphus victor tandem reversus est: & suum contra prædones studium continuat.

Eodem anno Emicho Comes de Liningen: Dietherus filius Eberhardi Comitis de Kazenelenbogen: Waltherus Comes de Geroldseck: Gerlachus Dominus in Limpurg senior: Comes quoque de Veyhingen: Comes de Reneck cum pluribus alijs in conflictu quodam apud Nigram silvam habito miserè perierunt.

Comes Juliacensis devastat Colonensis Diœcesin.

Anno prænotato cùm Sifridus Colonensium Archiepiscopus apud Comitem Adolphum de Monte sicut diximus in arcta custodia teneretur captivus, Comes de Juliaco Walramus cum suorum armata multitudine per terras Ecclesiæ Colonensis discurrens, prædas & incendia perpetrabat, & multa pauperibus atque villanis damna intulit. Castellum Ecclesiæ fortissimum Zulph inter alia traditione cepit, ac funditus destruxit.

Consimili vesaniâ Eberhardus Comes de Marcha furens cum suorum valido exercitu intravit Westphaliam, & Angariæ Ducatum Ecclesiæ Colonensi pertinentem incendio & rapinâ devastans multas terræ munitiones cepit, & sibi subjugavit.

MCCXC.

Discordia inter duos Comites de Spanheim & de Veldentia.

Anno Crafftonis Hirsaugiani Abbatis undecimo Indictione Romanorum tertiâ, inter Joannem Comitem de Spanheim, & Henricum

Comitem de Veldentia magna pro levi causa fuit suborta dissensio. Comes etenim Joannes hominem quendam pauperem ex comitatu Henrici oriundum pro quibusdam forensibus sceleribus laqueo fecerat suspendi, qui fuerat in tortura confessus, quadringentos se auri nummos in oppido Creützenach furatum de domo cujusdam civis ac Ministerialis memorati Comitis Spanheimensis, ipsámque pecuniam in domo sua sub lecto fodisse in terram, quæ fuit in villula quadam dicti comitatûs Henrici Veldensis.

Archiepisc. Moguntin' reformavit concordiã.

Hinc pro pecunia illa contentio inter Comites oritur: quia Comes de Spanheim adjudicabat, eam illi, qui perdiderat, cùm esset verus Dominus, debere ad integrum restitui: sed Comes alter illam in suo repertam dominio sibi putabat deberi. Crevit paulatim hæc dissensio in tantum, ut prope fuerit, ut non aliter, quàm bello videretur terminanda. Quod audiens Gerardus Archiepiscopus Moguntinus, cui ambo fœdere amicitiæ fuerant conjuncti, vices suas interposuit, & reformatâ pace, pecuniam civi Creützenacensi, àquo fuerat sublata, donavit.

Joannes fit Abbas in Spanheim nonus.

Eodem anno mensis Maij die secundâ, mortuus est Petrus Abbas mei quondam Spanheimensis Cœnobij octavus, cui successit Joannes ejus nominis secundus, qui præfuit annis ferè octo. Hic oriundus ex oppido Sobernheim, quod uno duntaxat milliario distat à Spanheim, qui Ecclesiam de novo fecit consecrari.

Miraculum Dominici corporis in Gallia factum.

Anno prænotato magnum apud Parisienses in Gallia miraculum accidit. Mulier quædam ab uno perfido Judæo pecuniam mutuò (ut solet fieri frequenter) acceperat, cui vestem suam meliorem pro pignore locavit. Instante posteà Resurrectionis Dominicæ festo, tunicâ suâ festivâ non exornari verecundum ducens, cum ob tantæ solemnitatis reverentiam, tum ne vicinorum suspicione aliquod incurreret bonæ opinionis suæ detrimentum, Judæum accessit; ut vestem sibi concederet locatam pro fœnore per solum diem solemnem petijt, séque mox illam posteà relaturam promisit. Ad quam Judæus: *Si*, inquit, *Corpus Christi vestri, quod in Hostia contineri dicitis, mihi secretò apportaveris, faciam quod petis.* At mulier vestis cupidine ducta promisit facturam se, quod Judæus postulabat. O miseranda generis humani defectio! Accedens jam perfida mulier ad Altare, posteaquam Sacrosanctum Corpus Domini nostri Jesu Christi de manu Sacerdotis suscepisset, illud mox retrocedens secretò ab ore manibus retraxit: & Judæo sicut promiserat impia impio, desperata perfido dedit. Judæus Sacro Sanctissimum Sacramentum pollutis manibus acceptum in patellam aquâ repletam super ignem posuit, & fortiter bullire fecit. Verùm posteaquam diutius Hostia sacra super ignem bullierat, semper tamen mansit integra, & sine aliqua sui corruptione sana.

Sacramentum emittit sanguinem.

Quod impietatis minister cernens Judæus, gladium furens arripuit, & sacram Hostiam feriendo vulneravit. Et ecce miraculum evidens, & magnum fidei nostræ firmamentum. Mox etenim sanguis de vulnere Hostiæ copiosus cæpit profluere, & aquam caldarij, in quo bulliebatur, totam in rubedinem mutare. Contingere Deus voluit, ut hæc in domo sua sceleratissimus faceret Judæus, dum supervenirent quidam Christiani, mutuò pecuniam pro fœnore postulantes. Qui cùm aquam sanguine tinctam intuerentur super ignem prius bullitam, nihil de facto scientes, ecce subitò Hostia Sacrosancta nullo contingente super tabulam de caldario

saltavit,

saltavit, & irrogatam sibi à Judæo injuriam omnibus ostendit. Rem Christianis mox ad Judicem deferentibus, perfidus ille Judæus capitur, qui prodito negotio, palàm ignibus concrematur: Sacro-verò-Sanctum Dominici Corporis Sacramentum solemni cum Processione à Clero defertur in Ecclesiam, & laudes Omnipotenti Deo pro tanto miraculo decantantur. Domus verò Judæi, in qua tantum piaculum contigit, in Ecclesiam sub Salvatoris nostri honore commutata fuit. Mulier etiam illa pœnas dedit, quas meruit.

Judæus pro scelere commisso datur incendio.

Anno præscripto Rudolphus Rex in manu suorum valida per Sueviam & Franciam Orientalem quasi visitator Provinciarum diligentissimus, & inquisitor latronum atque castigator prædonum ferventissimus circumeundo transivit, & transeundo raptorum latibula & munitiones ubique terrarum studiosissimè quæsivit, reperit, obsedit, cepit, & plusquam LXX. numero funditus evertit, principibus regni & civitatibus Imperij lætanter auxilia ferentibus. Ubicunque raptorum & prædonum receptacula invenire potuit, omnia mox sine delectu personarum solotenus evertit. Videbant hæc latrones terræ, qui vias obsidere consueverant & spoliare, & capere viatores, & dissecabantur cordibus suis; qui cùm stare non possent ante faciem persequentis, fugere compulsi sunt in exteras nationes. Nam, sicut diximus, in brevi tempore postquam à Burgundia redierat, plusquam septuaginta castra latronum sive Prædonum fortissima cepit, ac funditus evertit. Sed plura cum tempore posteà in detrimentum Reipublicæ maximum restaurata cernimus, de quibus fieri multa quotidie latrocinia dolemus. Rudolphus Rex sempiternâ memoria dignus hominum Regni deprædationes sustinere non voluit, sed latrones sceleratissimos omnes aut capitibus truncavit, aut extra patriam proscripsit. Et quia liberavit pauperem & humilem, de violentia potentiæ, magnam à Deo benedictionem promeruit, cujus semen supra omnes Germaniæ Principes multiplicatum, dilatatum, exaltatum fuit; multi námque Reges ex eo descenderunt.

Prædonum castra LXX. destructa per Regem Rudolphū.

Anno etiam prænotato mortuus est Henricus Dux Bavariæ frater Ludovici Comitis Palatini Rheni de Heidelberg, & filius Ottonis Ducis, qui primus ex Bavaris Palatinatum cum uxore obtinuit, de quo diximus in prima parte hujus operis, anno Eberhardi Abbatis sextodecimo. Reliquit autem Henricus Dux memoratus filios quatuor ex Elisabeth filia Belæ Regis Ungariæ uxore sua, videlicet, Ottonem qui posteà Rex Ungariæ factus est, Ludovicum, Stephanum & Joannem. Qui fratres paternum inter se divisère Ducatum utriúsque Bavariæ.

Henricus Dux Bavariæ moritur.

MCCXCI.

Anno Crafftonis Abbatis duodecimo, Indictione Romanorum IV. Rudolphus Rex Conventum principum celebravit in oppido imperiali Franckfurt: ubi inter alia Regni negotia principes Electores & precibus rogabat multis, & magnis allicere promissionibus tentabat, quatenus Albertum Ducem Austriæ filium suum Regem designare Romanorum consentirent. Quod illi facere omnino recusábant, dicentes, eum se Regem habere viventem, super quem alium inducere non liceret; & enim satisfacere uni pro Majestatis honore cùm vix possint, multo minus duobus sufficerent. Veruntamen ne Regem senem & properantem ad exitum

Conventus fit Principū in Franckfurt.

exitum vitæ optimè de Imperio meritum improvidè contristâsse viderentur, cùm perstaret in precibus orans, rem in aliam consultationem deliberationis maturæ gratiâ tandem concluserunt. His factis discedunt, & faciem Regis non vident amplius. Discedens enim à Franckenfurt Rex confestim ascendit ad Argentinam Alsatiæ civitatem amæniſſimam, ubi recreationis gratiâ convocavit ad se filios suos & amicos, cupiens fatigatum multiplicibus curis animum eorum aliquantulum præsentiâ relevare. Aderat ibi Guda nomine filia, uxor Wenceslai Regis Boemorum, aderant & alij filij ac filiæ, lætam cum Patre jam senio & labore gravato quietem celebrantes.

Rex cum filiabus & amicis Argentinam ascendit.

Cùm verò paucis apud Argentinam demorarentur diebus, Rex Rudolphus ægritudinem mortalem incidit, per quam non diu posteà consumptus fuit. Unde sentiens ægritudinem augeri quotidie, & crescere, navigio cum sua familia descendit ad Spiram, ubi Regum fuit sepultura communis. Morbo autem ingravescente, cùm se jam intelligeret moriturum, testamentum cum bono rationis usu condidit, præmunitúsque Sacramentis ex more Dominicis, XXII. die mensis Julij, hoc est, in solemnitate S. Mariæ Magdalenæ moritur, & in Choro Regum majoris Ecclesiæ Spirensis cum honore sepelitur. Post cujus mortem Regnum vacavit anno quasi uno.

Rex infirmus Spiram descendit, & moritur.

Eodem anno mense Decembri, mortuus est etiam Papa Nicolaus ejus nominis IV. de Ordine FF. Minorum, cujus Corpus Romæ in Ecclesia S. Mariæ Majoris cum debita fuit religionis observantia sepultum.

Nicolaus Papa moritur & vacat Sedes annis 2.

Quo mortuo Cardinales per biennium dissentientes in electione concordare non potuerunt. Et propterea Sedes Apostolica vacavit annis duobus, mensibus tribus, diebúsque decem & octo. Insuper, quod rarum extitit, uno eodémque tempore & Apostolica Sedes Romæ, & Regnum Theutonicorum cum Imperio vacavit.

Rudolphus autem Rex sempiternâ memoriâ dignus, annis decem & octo sine Imperij corona regnavit, multa laudabiliter gessit, purgavit Regnum prædonibus, & qualibet incursione latronum, ad Imperij subjectionem rebelles compulit, pacem per totum Francorum Orientalium imperium reformavit: Hæredibus suis copiosè providit, quibus Austriam, Carinthiam, Stiriam, Carniolam, Portum Naonis, & magnam partem Sueviæ cum alijs terris multis comparavit. In Regno Germanorum optimè præfuit, sed de Italia parum curavit. Unde quotiens interrogaretur à suis, quare pro corona Imperij suscipienda non peteret Italiam, respondere cum Æsopo fabulatore solebat: *Cùm olim bruta animalia diversi generis invitarentur à Leone in spelunçam, ubi senio gravatus jacebat esuriens, nec valens præ corporis debilitate quoquam ire venatum, venerunt successivè plura quidem, quæ ubi caveam intrâssent, mox à leone capta & dilacerata, ventrem ejus implebant. Vulpes autem veniens ad os spelunçæ introspexit quidem, sed introire contempsit. Quam leo sentiens adesse, fraude plenus inclamavit: Cur non ingrederis ad me visitandum vicina mea dulcissima? Respondit illa: Quoniam, inquiens, ingredientium vestigia cerno plurimorum, sed nullum è caverna redire tua considero. His dictis præpeti cursu vulpes retrocessit. Ita legimus,* inquit Rudolphus, *Regum Theutonicorum plures pro corona Imperij, vel quibuslibet alijs regni negotijs profectos in Italiam, sed rediisse absque detrimento sui*

Responsio ejus, cur non proficisceretur in Italiam.

paucos

paucos invenimus. Italia enim sævi leonis est caverna, & substantiam Germanorum semper anxiè quærit, & sanguinem sitit. Quem Germanorum Principum non vel extinxit, vel exhausit Italia si potuit, aut persecuta non fuit illusitque, si vincere nequivit? vadat in Italiam, qui & se & sua odit, nos isthic nostra curabimus.

Italia spelunca Leonis aurum Germaniæ sitiens.

MCCXCII.

Crafftthonis Hirsaugiani Abbatis tertio decimo, Indictione Romanorum quintâ, hyems fuit asperrima, & nimis diuturna, ratione cujus defeceruut jumentis pabula, & magna pauperes egenósque pressit inopia. Vineta etiam in multis locis præ nimio frigore læsa parum fructificârunt.

Hyems dura.

Eodem anno Gerhardus Archiepiscopus Moguntinus provinciale Concilium cum Suffraganeis suis Episcopis celebravit in Ecclesia Sanctorum Petri & Alexandri Pontificum in oppido Aschaffenburg juxta littus Mogoni fluminis. In qua comparuerunt Manegoldus Episcopus Herbipolensis, Fridericus Episcopus Spirensis, Simon Episcopus Wormatiensis, Episcopus quoque Augustensis, Episcopus Eichstattensis, Episcopus Hildesheimensis: reliqui verò Moguntinæ provinciæ Episcopi Constantiensis, Curiensis, Argentinensis, Halberstattensis, Padelbronnensis, & Verdensis oratores suos atque Vicarios, ut moris est, cum potestate mandata sufficiente miserunt.

Concilium celebratur provinciale in Aschaffenburg.

Comparuerunt & Abbates nostri Ordinis in eodem Concilio plures: quorum cœnobiorum nomina conscripta invenimus ita: Abbas Hirsfeldensis, Abbas sancti Albani prope Moguntiam, Abbas sancti Jacobi ibidem, Abbas in Selgenstat, Abbas sancti Petri de Erfurt, Abbas in Homburg, Abbas de fonte Reinhardi, Abbas de Salveldt, Abbas de Blidenstatt, & alij plures tam nostri Ordinis, quàm aliorum, quorum nomina non tenemus. Multa in eo Concilio statuta sunt, quæ litteris commendata servabantur.

Abbates in eodem Concilio præsentes.

Soluto tandem concilio, dum unusquisque ad sua regreditur, Fridericus Ecclesiæ Spirensis Episcopus in itinere juxta Mogonum apud villam Kesterspach nuncupatam, à Gerhardo filio Eberhardi Comitis de Kazenelenbogen captus est: & ad Castellum quoddam munitissimum deductus, custodiæ mancipatur. Causam verò captivitatis hujuscemodi non invenimus. Verùm non diu posteà compositione inter eos factâ Episcopus liberè abire permittitur.

Anno prænotato circa initium mensis Maij, hoc est, ad festum Sanctorum Philippi & Jacobi convenerunt principes Imperij Electores in oppido Franckenfurt pro novi Regis electione, cùm jam Regnum in mensem decimum vacâsset. Post plura consilia inter se habita varióque tractatus, tandem cõmuni decreto Adolphum Comitem de Nassavv in Regem elegerunt, virum strenuum, & imperio ab anteà semper fidelem, quippe qui filios suos & proximos in nullo de rebus imperij ditare voluit: sed omnia regno integra conservavit. Electus autem à Principibus ad Aquisgranum perducitur, & secundum morem antiquum in Regem Theutonicorum cum solemnitate maxima coronatur. Sex annis tantum regnavit, & ad Imperij coronam non pervenit. Tandem per Principes ad Moguntiam convenientes fuit à regno depositus, & postremò sicut dicemus in bello occisus.

Conventus Principum in Franckfurt.

Adolphus fit Rex, qui fuit Comes in Nassaw.

Adolphus, Rex Coronatus à cunctis suscipitur.

Coronatus autem Rex apud Aquisgranum ad Coloniam revertitur, & civibus ex more in ejus verba jurantibus, ut verus Theutonici Regni Monarcha salutatur. Inde progrediens fidem dedit & accepit per quæque Regni oppida, & fecit omnia, quæ fieri per novos Reges fuerant à consuetudine introducta. De Colonia per fluenta Rheni ascendit ad Moguntiam, lustratísque per circuitum oppidis & Urbibus Imperij cunctis, tandem pervenit ad Argentinam. In omnibus locis ut Rex verus Theutonicorum suscipitur, & à cunctis futurus Imperator salutatur.

Adolphus Rex obsedit & cepit Colmariã.

Comites autem nonnulli per Sueviam & Alsatiam conspiratione factâ nobiles quosdam & Oppidulorum Cives sibi contra Regem Adolphum conciliaverunt socios, quorum auxilio rebellionem parabant. Quo circa Rex Adolphus Colmariam Alsatiæ vicum obsidione cingens potenter expugnavit & cepit, oppidanósque jurare in suam fidem coëgit ac prævaluit. Cujus quidem oppidi Capitaneum (vel ut ab incolis dicebatur) Advocatum Rex Adolphus in curru ligatum secum abduxit captivum, Baronem quòque unum de Rappolstein capiens non prius dimisit, quàm filios suos pro se obsides dedit.

Misnensiũ terra Imperij est.

Idem Rex Adolphus totum Principatum Misnensem pro magna pecuniarum summa coëmens incorporavit Imperio, quem cùm filiorum suorum alicui dare potuisset, quemadmodum Rudolphus fecerat cum Ducatu Austriæ, nequaquam voluit, sed eum Imperio cunctis regni sui diebus reservavit.

MCCXCIII.

Anno Crafftonis Hirsaugiensis Abbatis Reverendissimi quarto decimo inchoato, qui & ultimus fuit, Indictione Romanorum sextâ in fine mensis Januarij, Adolphus Rex Conventum Principum celebravit in Moguntia. In quo multa pro comuni utilitate Regni constituit, & pacem inter discordantes reformavit. Et quoniam erant nonnulli Comites & Nobiles Regni, qui rebellionem meditabantur contra eum, statuit in illos copias movere exercitûs, & contumaciam armis humiliare superbam. Ad proximum igitur vernale tempus conveniendi terminum Principibus statuit, & ut parati ad festum S. Mart. Georgij essent, mandavit.

Adolphus Rex feliciter cæpit, malè finivit.

Rex iste Adolphus in principio promotionis suæ ad Regnum cunctis in rebus atque negotijs & metuendus fuit hostibus, & omnium judicio fortunatissimus, atque feliciter regnare cæpit. Verùm non diu posteà vultus mutavit fortuna serenos, & eum quem sublimaverat, repentè deseruit, suámque in eo cæcitatem improbè ostendit. Nam confestim omnibus cœpit fieri odiosus, maximè Principibus Imperij, à quibus Rex anteà fuerat designatus. Hujus odij causam ipse non ultimam in eo præstitit, quòd Regi Anglorum promissam fidem contra Gallos maximâ pecuniarum summâ prius ab eo receptâ non servavit. Quod quo sit modo gestum, suo inferius ordine dicemus. Unde paulatim deficiens tandem à Principibus deseritur, & Regnum Duci Austriæ Alberto condonatur.

Crafftho hujus Monasterij Abbas XXVIII. ob.

Eodem anno Dominus Craffto hujus Monasterij Hirsaugiensis octavus & vicesimus Abbas, jam senio gravatus, & multis laboribus exhaustus, post febrium quartanarum longam decoctionem quartâ die mensis Februarij moritur, & cum Antecessoribus suis in majori Ecclesia sepelitur,

anno

anno Regiminis sui tertio decimo jam completo, simul adjunctis viginti diebus. Vir quidem in sua generatione bonus & diligens in ministerio, sed priscis hujus Cœnobij Patribus tam Zelo regularis disciplinæ, quàm observantiâ inferior.

De Godfrido hujus Monasterij Hirsaugiensis Abbate XXIX. qui præfuit annis VII. mense uno, diebus XXIV. & Gestis varijs.

ANno Dominicæ Nativitatis MCCXCIII. Indictione Romanorum sextâ, die mensis Februarij decimâ, convenerunt Fratres hujus Monasterij Pastoris regimine destituti ad locum capitularem pro novi electione Abbatis. Qui præmissis ex more ad Deum precibus, consilijs quoque & tractatibus pro negotio tunc necessarijs & opportunis, tandem unanimi consensu Godfridum Monachum venerabilem, qui Custodis eo tempore curabat officium, in Abbatem super se constituerunt. Godfridus fit Abbas XXIX.

Qui confirmatus à Friderico de Bollandia Ecclesiæ Neometensis Episcopo, & juxta consuetudinem antiquam solemniter benedictus, præfuit annis VII. mense uno, diebus verò quatuor & viginti. Vir quidem bonus in se, & nulli sine rationabili causa molestus, qui temporalium rerum reparator & pro viribus consectator diligentissimus extitit, quamvis non omnia, quæ prius fuerant alienata, reparârit.

Patriâ Suevus erat, de honesta familia natus, quem cura parentum Cœnobio tradidit, cùm esset adhuc invenis, provisionem magis intendens corporalem, quàm animæ salutem. Veteris etenim constitutionis à Sanctissimo Abbate Wilhelmo editæ, ac per Sedem Apostolicam approbatæ, quâ omnino cavebatur, ne quis ante vicesimum ætatis annum in hoc sacro Cœnobio susciperetur ad Monachatum, subintraverat oblivio; quoniam tepescente paulatim regularis observantiæ studio, transivit in abusum etiam hæc laudabilis institutio. Non est puerorum Regularis observantiæ integritatem posse custodire, quæ res & moribus, & ætate requirit perfectos. Godfridus igitur ad Monasterium puer susceptus, ad exemplum eorum, quos reperit, instituitur, & moribus cum ætate proficiens tandem Sacerdos ordinatur. Non diu post Subcantoris ei ministerium committitur, in quo multis annis Domino fideliter servivit. Magnæ litteraturæ non extitit, non tamen penitus Idiota vel indoctus fuit. Mediocriter potuit scripturas intelligere, & in his, quæ suum concernebant officium, competenter se juvare. Nam illo tempore ordo noster tam in eruditione scripturarum, quàm in sanctimonia vitæ meritorum nimium defecerat: in quo Monachus vel sanctus vel eruditus rarus occurrebat. Quæ quidem calamitas Ordinem sanctum pene totum operuit: à qua deformitate nunquam posteà totus surrexit. Verùm ut in semita cæpti permaneamus propositi, oportet nos querelas intermittere communes. Godfridus fit Monachus.

Godfridus ergo Monachus posteaquam Succentoris officium multis annis strenuè impleverat, Custos tandem Ecclesiæ principalis constituitur, & suorum jussione Abbatum sæpiùs etiam in rebus externis arduis

ad consilium seniorum convocatur, fuit enim prudentiâ singulari præditus: qui si fuisset tempore prisco, quando Monasticæ disciplinæ in hoc Monasterio vigebat integritas, homo certè magnæ Religionis præ cæteris evasisset. Ex Custode tandem vasorum Ecclesiæ materialium factus est sicut diximus Custos & Rector immortalium animarum.

Godfridi Abbatis dispositio corporis.

Quantum ad corporis dispositionem pertinet, homo erat staturâ magnus & satis longâ, plus ad pinguedinem tendens, quàm in contrarium: persona elegans & majestate quadam naturali reverendus; ut etiam ipsa in eo natura diligens operatrix nihil videretur omisisse eorum, quæ virum cæteris præficiendum vel ornare possunt, vel perficere. Caput pro magnitudine corporis habebat pulchrè dispositum, nigris capillis decenter ornatum, ab anteriore parte aliquantis per calvum. Barbam & multam in eo natura produxit, & canitie venerandâ respersam. Incessu gravis & lentus erat, ut etiam inter eundum quandam præ se ferret maturitatem. Vox illi virilis erat & sonora, & quæ maximè ornabat perorantem: cujus eloquium omne præmeditatum esse à nescientibus videretur propter dicendi proprietatem.

Godfridi Abbatis dispositio animi.

Consilio fuit promptus, & ad quæque difficilia sufficiens, ita ut in rebus arduis nemo facilius illo & citius consuluerit unquam. Contulerat ei natrua ingenium docile, profundum, subtile & promptum, quo tam acutè plerumque uti consuevit, ut scire cogitationes Fratrum suorum crederetur. In agendis negotijs temporalibus magnâ utebatur providentiâ, & jurisdictiones Monasterij sui non permisit in aliquo violari. Collapsam tamen Regularis disciplinæ observantiam reformare non potuit, qui moribus inventis rectè se vivere putavit. Conversatione suâ publicâ præseferebat honestatem, sed quantum ad internæ puritatis integritatem pertinet, sicut nemo scit cogitationes hominum, ita judicare conscientiam, te latentem, alienam temerarium est, & nimis periculosum. De manifestis ergo loquimur, quoniam Godfridus Abbas quidem in sua generatione fuit bonus, veruntamen peculium Monachis non abstulit: sed eum vivendi modum quem reperit, quamvis Regulæ contrarium, permisit.

Wormatia crematur ignibus.

Anno Dominicæ Nativitatis prænotato nonagesimo tertio supra ducentesimum atque millesimum, qui fuit primus Godfridi Abbatis hujus Monasterij Hirsaugiensis, Urbs Wormatiensis igne casuali nocturno tempore incensa magna ex parte cremata fuit, & multa civibus incommoda provenerunt.

Adolphus Rex in Misnenses ducit exercitum.

Eodem quoque anno Rex Adolphus contractis undique copijs ingentem contra Misnenses duxit exercitum, quorum Princeps, quem Marchionem vocabant, Romano diu rebellis Imperio extiterat. Rex verò Adolphus Marchionatum ipsum potenter ingressus, Marchionem superavit, & procul extra patriam proscripsit. Magnam deinde auri summam ex pia consideratione legitimis donavit hæredibus, comparatúmque pecuniâ simul & armis principatum illum Romano imperio totaliter subjecit & ipsum pacificè possedit deinceps, quam diu regnum obtinuit.

Anno prænotato inter duos Reges Anglorum scilicet & Gallorum diuturnum illud bellum, & utríque parti longè pernicioſissimum pro quibusdam

busdam Regni terminis sumpsit initium, cujus occasione successu temporis multa hominum millia perierunt. Quæ quidem Regum dissensio tunc incepta, pluribus annis durans, ac multis plerunque bellis agitata nec hodie finem accepit.

His temporibus Albertus ex Comite de Habspurg Dux Austriæ Rudolphi quondam Regis natu major filius, Regi Adolpho maximè contrarius extitit, & æmulos contra illum plurimos excitavit. Cujus rebellionis causa principalis cæca fuit ambitio, quâ alter alteri non parum invidebat pro regno. Mortuo siquidem Rege Rudolpho Albertus ejus filius ad se regnum pertinere totis viribus contendebat, asserens non alienum quempiam ad regnum vocandum, quamdiu idoneus inveniri posset de regali prosapia ad regnandum. Verùm Principes hanc ejus contentionem libertati electionis scientes esse contrariam, Adolphum Comitem de Nassaugia sicut diximus in Regem unanimiter elegerunt. Albertus Dux Austriæ Regi Adolpho contrarius.

Hinc motus in iram Albertus, quoniam à Principibus se putabat contemptum, Regi Adolpho cunctis diebus adversabatur, donec desertum à Principibus tandem in campo Wormatiensi occidit. Inter alios verò, qui cum Duce Alberto contra Adolphum conspiraverant Regem, non ultimus fuit Eberhardus Comes de Wirtenberg, homo bellicosus, fortis, audax & quietis impatiens, qui semper vixit in armis, & multa cum vicinis prælia gessit. Nulli regum suo tempore imperantium voluntate spontaneâ unquam fuit subjectus, sed cum singulis contentiones habuit, & cunctis semper fuit infestus: Rudolpho inprimis, ut supra diximus, rebellis fuit atque contrarius, & in eum cum quindecim comitibus conspiravit. Deinde Duci Alberto contra Regem Adolphum usque ad mortem pertinacissimè adhæsit. Quo tandem occiso non minus Alberto Regi extitit contrarius, quàm reliquos ante illum fuerat persecutus. Eberhardus Comes de Wirtenberg.

Anno item prænotato Rex Adolphus in oppido imperiali Eslingen apud Suevos conventum Principum habuit: ad quem omnes Sueviæ Comites, Barones, ac nobiles convocavit, qui mandatis Regalibus obtemperantes ire curabant, solus Comes Eberhardus de Wirtenberg venire contempsit. Regina tamen, quæ intereà morabatur in castro Achalm in monte propè Rütlingen, invitata per Comitissam de Wirtenberg uxorem Eberhardi Comitis ad Stutgardiam venit, & baptismo filiæ illius interfuit. Conventus Principum in Eslingen.

Anno etiam prænotato in die Apostolorum Petri & Pauli moritur Henricus de Gandavo Canonicus & Archidiaconus Ecclesiæ Tornacensis, ibidem in Templo Beatæ semper Virginis Mariæ sepultus, Doctor Parisiensis omnium sui temporis facilè doctissimus: qui inter multa ingenij sui opuscula scripsit opus insigne, quod Summam Theologiæ prænotavit. Super sententias quoque libros quatuor. Quodlibetorum etiam libb. II. De sancta Virginitate lib. I. De Pœnitentia salutari lib. I. Sermones quoque multos & varios composuit. Et plures in Aristotelis volumina commentarios scripsit elegantes. Henricus de Gandavo Doctor Parisiensis obijt.

Item anno præscripto sextâ decimâ die mensis Novembris obijt Simon de Schöneck Episcopus Wormatiensis, & in Monasterio Schönaugiensi Cistertiensis Ordinis in sua Diœcesi sepelitur. Post quem Canonici majoris Ecclesiæ Gerardum filium Comitis Hirsuti vulgari vocabulo Rug- Gerhardus fit Episc. Wormatiensis.

graff in Antiſtitem unanimiter elegerunt. Sed quia vacavit Sedes Apoſtolica, & illo in tempore non habebat Pontificem, electus iſte mortuus fuit ante confirmationem.

MCCXCIV.

Cœleſtinus fit Papa V. ex Eremita.

Anno Godfridi Abbatis Hirſaugienſis ſecundo, Indictione Romanorum ſeptimâ, poſt longam & diuturnam Papatûs vacationem in hoc tandem convenêre Cardinales, ut quia nullus alteri Pontificatum favebat, nullum de Collegio vel cætu ſuo hâc vice, ſed extraneum aliquem in Papam eligerent. Quæ res cùm placeret omnibus, elegerunt Petrum de Murrone Eremitam, cujus fama ſanctitatis totam tunc reſperſerat Italiam, qui ſtatim de Eremo per ſolennes nuntios evocatus Pontificatum aſſumpſit invitus. Electus verò Aquilam profectus eſt, & convocatis ad ſe Cardinalibus cum maxima ibidem ſolemnitate coronatur, cujus ordinationi ducenta millia hominum interfuiſſe referuntur. Qui Cœleſtinus ejus nominis quintus nuncupatus præfuit menſibus v. & die unâ, vir quidem litterarum ignarus, ſed vitæ merito & prærogativâ ſanctitatis nulli ſuo tempore ſecundus.

Eberhardus fit Epiſcopus Wormatienſis.

Eodem anno mortuus eſt Gerhardus Comes Hirſutus electus Epiſcopus Wormatienſis, priuſquam Confirmationem ſuam à Rom. Pontifice impetrare potuerit, ſicut antehac diximus. Quo nimis citò vitâ defuncto Electus in Pontificem memoratæ Eccleſiæ fuit Eberhardus de Stralenberg, & præfuit menſibus decem.

His temporibus inter Philippum Regem Gallorum, & dictum Regem Anglorum Eduardum concepta prius diſſenſio plura mala protulit, & eos in prælium atrox nimium concitavit. Multa ſibi invicem damna & mala intulerunt, incendio, prædâ, ferro & nece plurimorum, injurias ſuas totis viribus mutuò vindicantes. Nec diu poſteà cùm Rex Anglorum Gallum viribus metueret fortiorem, Adolphum Regem Theutonicorum tam contra Flandriæ Comitem, quàm adverſus Regem Galliæ in auxilium vocavit. Cui Rex Adolphus voluntarium promittit auxilium, ita tamen, ſi pecuniam prius mitteret ſufficientem ad conducendum exercitum. Rex ergo memoratus Anglorum, quem bellandi neceſſitas magna urgebat, ſine cunctatione aliqua centum millia marcarum argenti miſit Adolpho Regi ad Coloniam, rogans ut promiſſum auxiliatorum exercitum ad ſtatutum diem deſtinaret in Flandriam. Nam ſic ambo Reges inter ſe apud Coloniam prius concluſerant, quòd Eduardus Rex Angliæ memoratum pondus argenti mitteret ad manus Regis Adolphi, quanto citiùs poſſet; Rex verò Adolphus Principes Imperij cum eadem pecunia conduceret, & Anglis contra Gallos & Flandrenſes in auxilium deſtinaret. Rex Angliæ promiſit pecuniam, Adolphus Rex aſſiſtentiam, Principes quoque ſubventionem ſalvo ſtipendio promiſſo. Rex verò Adolphus poſteaquam in cõmuni diſtribuendam principibus pecuniam accepiſſet, centum millia videlicet marcarum argenti, totum pnndus illud æris ſibi retinuit, & nihil omnino Principibus dedit: propterea eos ad maximam contra ſe indignationem provocavit. Unde cùm dies jam inſtaret congregandi exercitum, nullus Principum Regi curavit occurrere, propterea quòd pecuniam eis promiſſam ſingulis juxta conditum minimè tranſmiſiſſet. Unde nimium confuſus Rex Adolphus cùm

Adolphus Rex Anglis promittit auxilium contra Gallos.

pecu-

pecuniam eâ conditione accepisset memoratam, ut Principes conduceret cum ea contra Comitem Flandriæ ad pugnandum, & eam sibi retinuisset totam, exercitum congregare non potuit, nec in auxilium Anglorum venit; solus enim cum paucis, quos secum habebat, militibus proficisci erubuit, & coñeatum Principum propter suam avaritiam & infidelitatem minimè impetravit. Hæc ejus infidelitas magnum Regi Anglorum periculum & incoñodum attulit, & Imperio non parum contemptûs & scandali fomitem dedit. Et magnum reverà scandalum, & maximè fuit ipsi Regi Adolpho, tam ingentem summam accepisse pecuniarum, & auxilium non attulisse promissum. Ex eo tempore Principes à Regis obedientia cæperunt deficere, & eum de die in diem amplius contemptui habere, causam habentes duplicem; alteram quòd auxilium Regi Anglorum promissum sub jurejurando non præstitit; alteram verò, quòd tam notabile pondus argenti Principibus distribuendum sibi ex avaritia soli reservavit. Crevit exinde paulatim contra illum indignatio Principum, quoúsque tandem vitam amisit & Regnum.

Rex Adolphus fidem Regi Anglorũ non servavit.

Principes Imperij à Rege Adolpho defecerunt.

Anno prænotato Cœlestinus Papa V. vir sanctissimæ conversationis, eum ob causas multiplices Ecclesiæ, tum propter animi simplicitatem, factâ prius constitutione, quòd Papa renuntiare posset sumæ dignitati, ad consilium Benedicti Cajetani Cardinalis, qui maximè ad Pontificatum videbatur anhelare, Papatum spontaneâ voluntate in manus Cardinalium resignavit. Qui cùm posteà ad Eremum redire, unde venerat, disponeret, à Bonifacio VIII. Successore suo captus est, & usque ad mortem in custodia firmissima detentus, coactus non diu, ut ferunt, posteà mori, statim infinitis miraculis coruscavit. Quem Clemens V. sub nomine Petri posteà canonizavit.

Cœlestinus Papa Papatum resignavit.

Hic sanctissimus vir ante Papatum vitam in Eremo ducens religiosissimam, pluribus annis eum ordinem Monachorum, quem Cœlestinorum vocant, sub Regula S P. N. Benedicti omnipotenti Domino militantem primus instituit, & plura ejusdem sanctæ Religionis Monasteria per Eremum fundavit.

Ordinis Cœlestinorum initiũ.

Eodem igitur anno tertiâ decimâ die mensis Decemb. hoc est, in festivitate S. Luciæ, Benedictus Cardinalis apud Neapolim in Papam assumitur, & Bonifacius VIII. nuncupatur, qui præfuit annis octo, mensibus novem diebus XVII. vir in utróque jure doctissimus, cujus gesta copiosiùs scripta habentur.

Bonifacius fit Papa VIII.

MCCXCV.

Anno Godfridi Abbatis tertio, mortuus est Eberhardus de Stralenberg Episcopus Wormatiensis, decimo Pontificatûs sui mense vixdum completo. Cui successit in Episcopatu electione Fratrum Emicho de Badenberg majoris Ecclesiæ Præpositus anno præterito in crastino S. Thomæ electus, sed anno prænotato consecratus, & præfuit annis quatuor. Iste venerabilis vir cùm adhuc esset memoratæ Ecclesiæ Vangionum Præpositus, Capellam in Suburbano Civitatis novam construxit in honorem Beatæ Mariæ semper Virginis, in qua præbendas Canonicales 12. instituit, quas totidem Sacerdotibus, qui Domino servirent altissimo, concessit. Deinde Pontifex ordinatus opus bonum, quod intentione sanctâ cœpit, abundantiore studio pietatis consuma̅vit. Nam & proventus

Emicho fit Episcopus Wormatiensis.

Ecclesia B. Virg fundatur Wormatiæ.

ejusdem

ejusdem Ecclesiæ haud mediocriter auxit, & numerum personarum Domino servientium ampliavit. Sciendum verò, quòd priusquam Ecclesia memorata sumpsisset initium, erat in eodem loco posita Imago B. Virginis Mariæ, ad quam plura divinitus fiebant miracula, quibus provocatus Dei populus locum solemni concursu quotidianisque honorabat obsequijs. Crevit cum tempore fidelis devotio populi, & jam etiam de remotioribus provinciæ locis ad Wormatiam solemnis fiebat concursus orantium, & pia vota deferentium Christianorum. Alios (ut in similibus fieri solet) sinceræ mentis devotio, alios ad concursum induxit curiosa signorum admiratio. Duravit concursus iste pluribus annis, miraculis quoque roboratus creberrimis insignem construxit Ecclesiam.

Albertus Dux Austriæ Regi Adolpho contrarius.

Anno prænotato Albertus Dux Austriæ Rudolphi quondam Regis Romanorum filius contra Regem Adolphum manifestam rebellionem exercuit, & quoscunque potuit Duces, Comites, Principes, Episcopos, Nobiles & Urbanos ab ejus fide revocavit. Quem Adolphus Rex consulentibus amicis à Ducatu deponere voluit, sed metuens furorem Principum cum eo sentientium, dissimulare coactus fuit. Nam multi cum Alberto jam sentientes, contra Regem conspiraverant apertè, quorum fortitudini cum nullâ posset ratione resistere, non audebat eos contra se quavis occasione in bellum provocare.

Archiepisc. Colonienſ. liberatur de captivitate.

Anno etiam prænotato, posteaquam Siffridus Archiepiscopus Colonienſis in annum jam septimum captivus à Comite Montensi Adolpho detentus, quemadmodum superius diximus anno Crafftthonis Abbatis nono, liberari aliter non posset, quàm ad voluntatem ipsius detinentis, postulatam dedit pecuniam, & liberationis amore coactus est facere omnia, quæ Comes ille sacrilegus voluisset, non sine gravissimo Ecclesiæ suæ dispendio. Conditionibus à Comite propositis, cùm satisfecisset Archiepiscopus per omnia, tandem de custodia solvitur, & redire ad Ecclesiam suam liber permissus est. Sed memor injuriarum, quemadmodum illatam sibi contumeliam posset vindicare, anxius cogitat, & varios modos, omnésque vias, si Comitem posset capere, sedulò explorat. Postremò non diu post sui dimissionem, arte usus & industriâ, sicut optaverat, ipsum Comitem Adolphum cepit, & in carcerem horrendum conjecit, in quo & usque ad mortem in afflictione mentis & corporis maxima sedere compulsus est. Cui miserabiliter vinculato memoratus Archiepiscopus improperando, quod ab eo sustinuerat ipse, pluries dixit: *Disce nunc, quoniam ego te docebo, quemadmodum Archiepiscopum debeas tenere captivum.* Verùm dum Comes omnia se Archiepiscopo illico ad integrum promitteret restituturum, quæcúnque ab eo extorsisset, imò & alia multa polliceretur superadditurum de proprio, ille respondit: *S. Petrus, cujus me servum non solùm captivum detinere tanto tempore non timuisti, sed etiam indignè tractare non erubuisti, sine his, quæ tu polliceris, suos potest enutrire ministros, idcirco tuas pollicitationes tanti facio, quanti honorem Archiepiscopi Colonienſis tu, antehac apud te detenti, injustè fecisti. Unde si totum aurum Arabiæ mihi dare posses, nihil tibi proficeret: quoniam non quæro tua, sed te: nec pecuniam à te habere desidero: sed justitiam in te, quam meruisti, justè exercere volo. Tu pecuniam S. Petri contra justitiam sitivisti, cupitam quoque per violentiam extorsisti: & per hoc in Deum & sanctos ejus graviter peccâsti.*

Comes Montenſis Adolphus capitur ab Archiepisc. Colonienſ.

Ego

Ego Dei minister & Servus Beatissimi Apostolorum Principis Petri pecunias tuas non cupio, sed injurias Domini ac Patroni mei vindicabo. Captum te ut Sacrilegum & impium Ecclesiæ Dei hostem usque ad mortem hæc vincula indubitanter amodò continebunt. Quod ore dixit, opere complevit. Nullâ etenim ratione induci potuit, ut captivitatem ejus unquam relaxâsset, sed manere usque ad mortem Comes infelix vinculatus compulsus est.

Adolphus Comes Montensis obijt in carcere.

Eodem anno Joannes Dux Brabantiæ, qui Ducatum Limburgensem sicuti anno Crafftonis nono diximus, Comiti Reinhardo de Geldria præripuit, & captivitatis memoratæ tam Archiepiscopi Colonienſis, quàm Comitis de Monte principalis causa fuit, volens agilitatem suam in armis ostendere, in quodam Hastiludio lanceâ secum congredientis transfixus miserabili morte interijt.

Joannes Dux Brabantiæ in Hastiludio occiditur.

Claruit his temporibus Nicolaus de Bibera patriâ Francus Orientalis, vir tam in divinis scripturis, quàm in sæcularibus studiosus & eruditus: ingenio promptus & clarus eloquio, nec minus in carmine exercitatus, quàm prosa: qui suâ eruditione & scriptis Erpfurdianum insigne Gymnasium mirificè illustravit. Scripsit gemino Stylo quoddam opusculum, quod de malo cavendo sive occultum prænotavit, lib. unum. Epistolarum quoque familiarium ad diversos lib. I. Diversorum Carminum & Epigrammatum lib. I. Alia etiam nonnulla scripsisse dicitur, quibus nomen suum posteritati commendavit, quæ ad manus nostras non venerunt.

Nicolaus de Bibera Francus Doctor in Erpfurt.

Conradus etiam Saxo dictus de Media civitate vulgariter de Halberstat Ordinis Fratrum Prædicatorum, vir undecunque doctissimus, hæc ipsa tempora eruditione simul & lucubrationibus suis plurimum illustravit. Qui cùm esset in Divinis scripturis egregiè doctus, scripsit super sententias libb. IV. Volumen quoque insigne, quod summam Studentium prænotavit libb. III. De Trivio lib. I. Commentarium in lib S. Job, opus notabile composuit: quod legendo suis discipulis publicè recitavit. Sermones quoque tam de Tempore, quàm de sanctis libb. II. Concordantias Bibliæ novi & veteris testamenti, quas Repertorium haud impropriè nuncupamus, ipse primus juxta ordinem Alphabeti excogitâsse dicitur, ad commodum non modicum quidem eorum, qui vel in Cathedra docent, vel in Ecclesia sermocinando prædicant. Post plures annos hoc ipsum Bibliæ Repertorium per multos viros eruditos fuit ampliatum, & maximè tempore Concilij Basileensis per Joannem de Ragusio, deinde per Gualterum Scotum, ac postremò per Joannem de Secubia sacræ Theologiæ doctorem studiosissimum consummatum est, & in ea forma, quâ nunc impressum cernitur perfectum. In multos denique sacræ Scripturæ libros idem Conradus elegantes commentarios scripsit: edidit simul & alia plura nobis ut ferunt incognita.

Conradus de Media Civitate Ordinis Prædicatorum.

Concordantiarum Bibliæ comportatio.

MCCXCVI.

Anno Godfridi Abbatis quarto, Indict. Romanorum nonâ, mortuus est Manegoldus Episcopus Herbipolensis Dúxque Francorum Orientalium, vir bonus & prudens, amator Cleri & singularis fautor atque promotor Claustralium. Hic in primo anno Pontificatûs sui gravissimas cum civibus dissensiones habuit, in tantum, quòd Clerus omnis propterea de Civitate expulsus fuit. Postremò tamen Adolphus Rex vices suas amicè interposuit, & concordiam inter dissidentes reformavit, & ita Clerus in urbem redijt.

Manegoldus Episcopus Herbipol. obijt.

Andreas fit Epiſcopus Herbipol.

Huic in Præſulatu Peapolitano & Ducatu, Canonicorum Electione ſucceſſit Andreas de Gundelfingen, & præfuit annis ferme duobus atque viginti: vir ſtrenuus & Jurium Eccleſiæ defenſor acerrimus, qui & ipſe aliquandiu ſtetit in diſſenſione cum civibus: qui tamen ſuâ prudentiâ & virtute ſuperbiam eorum valde humiliavit.

Comes Hollandiæ filius Regis Wilhelmi occiditur.

Eodem anno Florentius Comes Hollandiæ filius Wilhelmi quondam Regis Romanorum à Friſonibus occiſi, quemadmodum longè ſupradiximus anno Volboldi Abbatis duodecimo, homo nimium bellicoſus, qui mortem Patris ſatis graviter & plus æquo de Friſonibus multo tempore vindicavit, anno ætatis ſuæ quadrageſimo primo, tandem ſuorum traditione ſuperatus ab ipſis Friſonibus inimicis ſuis occiſus eſt in bello viceſimâ ſeptimâ die menſis Junij.

Cui Joannes filius ejus in Regimine comitatûs Hollandiæ ſucceſſit, vir & ipſe bellicoſus neceſſitate magis quàm voluntate compulſus, utpote, qui Eliſabeth filiam Eduardi Regis Anglorum habebat uxorem, de qua tamen liberos non ſuſcepit; unde ad bellandum duplici urgebatur causâ, altera quòd auxilium ferre Socero contra Gallos fuit neceſſarium: altera, quâ necem vindicare Genitoris videbatur honeſtum: ſed annis non plenè tribus ſupervixit.

Wilhelmus fit Epiſc. Trajectenſ.

Eodem quoque anno Bonifacius octavus Joannem Epiſcopum Trajectenſis Eccleſiæ per Tyrannidem & occaſione bellorum de ſede ſua pulſum, Tullenſis Eccleſiæ Pontificem conſtituit: & per hæc ejus paci & tranquillitati maximè providit. Porrò in ejus locum ad Eccleſiam Trajectenſem Wilhelmum de Mechlinia in Romana curia eo tempore Auditorem cauſarum, ordinavit Epiſcopum: qui præfuit annis quinque in tribulationibus multis, & tandem in bello quodam crudeliter fuit occiſus, ut ſuo loco inferius dicemus.

Cauſa bellorum inter Reges Galliæ & Angliæ.

Anno prænotato bellum inter Philippum Regem Galliæ, & Eduardum Regem Angliæ parabatur maximum, propter Guidonem Flandriæ Comitem, cujus talem poſuêre auctores occaſionem. Guido Comes Flandriæ, & Bari, filiam ſuam filio Regis Anglorum deſponſavit uxorem, quod Regi Gallorum nimis ferunt diſplicuiſſe. Unde pauliſper diſſimulatâ indignatione animi Comitem ipſum cum uxore & filia invitavit in Galliam, cauſam lætitiæ quandam ſimulans honeſtatis publicæ atque cõmunis. Cùm ergo Pater nihil ſuſpicatus mali cum uxore & filia veniſſet ad Regem Philippum, ille metuens, ne tali connubio Flandria quolibet caſu in deditionem veniret Anglorum, totis impedire viribus negotium ſatagebat. Unde quàm primùm filia Comitis applicuit Pariſienſem ad urbem, quò eam præceſſerant Genitores, fecit eam Rex detineri in carcere honeſto, ne poſſet effugere, præcavere cupiens, ne inimico ſuo, hoc eſt, filio Regis Anglorum fieret uxor. Non diu poſt memorata puella in carcere moritur, veneno ſublata, ut tunc palam ab omnibus dicebatur. Comitem quoque genitorem puellæ, Rex ſimili furiâ, ſub leviore tamen cuſtodia detineri fecerat: qui uſus induſtriâ, citò evaſit, & in ſua reverſus eſt. Audiens poſt hæc filiam in carcere mortuam, valde nimis doluit, & omnes amicos ſuos contra Gallum in vindictam concitavit, & in primis ſe cum omnibus comitatûs ſui hominibus Regi Gallorum inimicum exhibuit, & ſe contra illum totis viribus armavit.

Filia Comitis in Carcere poſita veneno interijt.

armavit. Rupertum primogenitum ſuum oppido Inſulenſi & omni circa regioni cuſtodem & defenſorem conſtituit, in Duaco Wilhelmum ſecundogenitum locavit, & Cortracum Joanni minori filio commiſit. Ipſe autem Comes remanſit in cuſtodiam Brugenſium, & Ducem Brabantiæ nepotem ſuum deſignavit Capitaneum pro defenſione Gandenſium.

Rex autem Gallorum auditâ rebellione Flandrenſium, maximum ſuorum contraxit exercitum, & profectus eſt contra illos ad prælium. Veniénſque cum magna bellatorum multitudine in Flandriam caſtra metatus eſt juxta oppidum Inſulenſe, ubi Rupertus à Patre fuerat cuſtos deputatus, habens ſecum Comitem quendam de Falkenberg, quem Adolphus Rex Theutonicorum cum multis alijs militibus in auxilium Comiti Flandrenſium jam prius tranſmiſerat. Contra Gallos Rupertus cum ſuis exivit ad prælium, ignorans quòd Rex Philippus tantam hominum multitudinem adduxiſſet. Conflictu tandem inito Comes Artenſis, qui exercitibus Gallorum præerat in multitudine gravi, pugnans victoriam obtinuit, & Flandrenſes cum Theutonicis in fugam citius convertit, qui retrò fugientes unde venerant, ſeſe in oppidum Inſulis receperunt. Confeſtim Rex oppidum præcepit obſidione vallari, quod cùm eſſet debile, & non ſatis munitum, citò ſub conditione traditum fuit manibus Gallorum. Rupertus autem Comes, & qui cum ipſo erant, ſalvis omnibus tam rebus quàm perſonis abire juxta condictum permiſſi ſunt. Rex autem Gallorum præſidio ad tutelam ſufficienti locato in Inſulis, exercitum ad reliqua oppida Flandriæ capienda emittit. Qui ad imperium Regis velociter egreſſi Bettonam & plures alias Flandriæ villas ceperunt nullo penitus reſiſtente. Poſt hæc Gallorum exercitus hoſtiliter diſcurrens per terras Comitis Barenſis incendio cuncta devaſtavit. His factis Rex Philippus cuſtodiam militum copioſam poſuit in locis ſingulis, ubi neceſsè videbatur, & poſteà in Galliam reverſus eſt.

Rex Gallorum cum exercitu intrat Flandriam.

Comites Flandriæ ſuperantur à Gallis.

MCCXCVII.

Anno Godfridi Abbatis quinto, Rex Gallorum Philippus iterum in Flandrenſes ſtatuit movere exercitum: Rex verò Angliæ Eduardus una cum Comitibus Flandriæ & Barij in unam ſententiam convenientes Adolphum Regem Theutonicum, ſicut jam prius dictum eſt, in auxilium vocaverunt. Miſit enim pecuniam ſuperius memoratam Rex Eduardus Regi Adolpho centum millium marcarum argenti, rogans ut juxta condictum, quod juramento firmaverat, veniret cum exercitu magno Comiti Flandriæ in auxilium contra Gallos. Rex quoque memoratus Angliæ cum magno ſuorum exercitu ſe perſonaliter venturum promiſit in Flandriam, Comiti adverſum Gallos in auxilium. Rex tamen Adolphus non venit in Flandriam ſicut promiſerat, ſive quia corruptus pecuniâ à Rege Gallorum fuerat, ut multi opinabantur, ſive ut alij voluerunt, rem in melius exponentes, quia Dux Auſtriæ Albertus per Gallos munere conductus illum aggreſſus eſt bello, & propterea neceſſitate præoccupatus venire non potuit. Quam ob cauſam Eduardus Rex Angliæ cernens ſe ab Adolpho deceptum, ſive ex voluntate factum ſit, ſive ex neceſſitate, non determinamus, & quoniam æquis viribus Gallo congredi non poſſet, cum feſtinatione magna reverſus eſt in Angliam, relinquens Comitem Flandriæ malè proviſum, & in multa neceſſitate malè poſitum. Dux

Adolphus Anglo & Flandrenſibus auxilia promittit, ſed nullo eventu.

autem Gallorum, quia hyems appropinquabat, & non erat aptum tempus ad prælium, & quia litteris jam fuerat certificatus, quòd Carolus Rex Apuliæ missus à Papa Bonifacio jam prope veniret in Galliam, facturus inter eum & Regem Angliæ concordiam & pacem, sine bello reversus est in Galliam. Dimisit tamen oppida jam prius acquisita, & terras sub bona custodia militum, quibus & Capitaneos plures præposuit, per quos omnia muniri fortiter præcepit. Rex verò Carolus cùm venisset in Galliam, nomine Romani Pontificis, concordiam & pacem inter duos Reges prænominatos composuit, omnémque dissensionem, quæ fuit inter Gallos & Flandrenses, penitus extinxit. Pro confirmatione autem pacis Rex junior Angliæ Sororem Philippi Regis Gallorum duxit uxorem, Bonifacio Papa dispensante cùm eis, cum lineâ consanguinitatis jungerentur. Ex illo tempore auctoritas Regis Adolphi nimium apud omnes pene Principes ac nobiles cæpit vilescere, & multi cum Alberto sentientes ab ejus fide recesserunt. Ipse verò cùm se contemptui habitum intelligeret, omni mansuetudine regali depositâ in tyrannum crudelissimum permutatus est, & multas in Regno turbationes excitavit. Unde cùm paucis justa conservare curaret, multorum odia incurrit.

Pax inter Anglos & Gallos componi turtandem.

Anno siquidem prænotato Comitem de Geroldseck & quendam alium Comitem, quos Præfectos Provinciales in Alsatia constituerat, qui Conrado de Liechtenberg Episcopo Argentinensi, ejus Ecclesiæ civibus & incolis terræ nimium molesti, plures molestationes crebriùs intulerunt. Qui contumelijs & injurijs graviter læsi, querelam contra dictos Comites Hermannum de Geroldseck & alium sæpius detulerunt ad Regem, postulantes instanter, ut eorum temeritatem Regali auctoritate compesceret; sed omnia frustra, quoniam Rex in tyrannidem conversus, aut eos audire contempsit, aut verbis mendacibus decepit. Unde postremò non valentes injurias sibi quotidie illatas diutius æquanimiter tolerare, se potenter contra Regem Adolphum oppoſuerunt. In unum igitur consentientes Conradus præfatus Episcopus, cives Argentinenses, cives de Hagenavve, cives de Colmaria, Comites de Liechtenberg, Comites de Ochsenstain, Comites de gemino Ponte, vulgariter de Zvveibrucken nuncupati, Comites de Hohenloe, & alij multi præsules, Comites, Barones, nobiles & cives, contra Regem Adolphum unanimiter conspirârunt, & factâ cum Alberto confœderatione firmissimâ, quidquid partes sequebatur Regis in circuitu, pro viribus hostili animo persecuti sunt. Nam inpetu facto, supradictos duos Comites Alsatiæ intrusos violenter præfectos, usque adeò persequentes afflixère, ut Alsatiâ dimissâ fugere ad Regem suum fuerint compulsi.

Præfecti Regis graviter oppresserunt Alsatiam.

Conspiratio in Regē plurimorum.

Anno etiam prænotato Joannes Hollandiæ Comes Florentij Comitis, ut antehac dictum est, filius, congregato magno suorum exercitu Frisiam hostili manu ingreditur, & vicesimâ septimâ die mensis Martij conflictu cum Frisonibus habito, victoriâ potitur. Comisso etenim prælio juxta oppidum Alckmariam, campum victor obtinuit, & ex Frisonibus plusquam quatuor hominum millia trucidavit.

Frisones victi sunt ab Hollandis.

MCCXCVIII.

Anno Godfridi Abbatis Hirsaugiensis sexto, Indictione Romanorum undecimâ, mortuus est Sifridus Colonienſis Archiepiscopus, in Ecclesia

Ecclesia Bunnensi ut ferunt sepultus. Iste Archipræsul Sifridus contentiones cum suis civibus multas habuit, & toto Pontificatûs sui tempore sine adversarijs rarò fuit. Post cujus obitum Wigbaldus majoris Ecclesiæ Decanus in Archiepiscopum eligitur, qui confirmatus per Bonifacium Papam octavum, & ordinatus in Archiepiscopum Ecclesiæ memoratæ Colonienſis, præfuit annis quatuor. Hunc Wigbaldum, statim ut in Archiepiscopum fuerat sublimatus, quoniam vir erat prudens, magni consilij & multum expertus in actionibus mundi, Boemundus Trevirorum Archiepiscopus jam senio gravatus in Coadjutorem assumpsit, & uno tantum anno supervixit.

Wigbaldus fit Archiepiscopus Colonienſ.

Eodem anno convenientes apud Moguntiam Principes Regni Theutonici Electores, post multa consilia & varios tractatus Adolphum ex Comitibus de Nassavv Regem, anno regni sui sexto jam ferme completo, unanimi voto ex pari consensu per sententiam, ab omni jure, quod eatenus ad Regnum habuerat & imperium, deposuerunt, privantes illum & titulo Regni, & dignitate per omnia; cujus rei occasione multæ per Regnum turbationes fuerunt subsecutæ, quibusdam hanc ejus abrogationem justam confirmantibus, alijs verò contradicentibus, & cum Adolpho sentientibus. Causæ, propter quas à regno fuit depositus, istæ fuêre potiores. Primam depositionis ejus causam Principes eo in tempore assignabant, quòd Imperio esset non solùm inutilis, sed etiam infidelis, propterea quòd Imperij coronam sperneret, & Italiam, Lombardiam, & alias nationes sive Provincias Imperij non curaret, sed Regnum mancum & infirmum per suam negligentiam redderetur. Item pacem & concordiam in regno turbaret, quam maximè fovere debuisset, dissensiones ubique lites atque discordias, & quòd ejus instinctu bella sevirent ubique in Regno per circuitum, per quod periisset jam publica fides atque justitia, ipso bonos deprimente violenter. Tertiam verò assignavêre causam, quòd regnum nimis extenuaret dietis & expensis inutilibus, & propter suam avaritiam populum inconsuetis & importabilibus exactionibus gravaret, omnésque vires & nervos Imperij, nutriendo lites, non in exteros, malè consumeret. Quartam assumpsêre causam, quòd Principes Regni per superbiam suam contemneret, nobiles sperneret, Clerum despiceret, omnia Regni negotia, & maximè ardua, non juxta consilia Principum, sed secundum proprij capitis judicium omnia disponeret, contemptóque Principum consilio, vilium consultationes hominum sequeretur. Quinta verò depositionis causa fuit non ultima, de qua jam supra fecimus mentionem, quòd videlicet pecuniam ab Eduardo Rege Anglorum accepit, magnum promisit auxilium atque juravit, sed fidem non servavit, pecuniam tamen retinuit. Sextam adduxêre causam, quòd latrocinijs implesset Regnum, permitterétque prædones spoliare viatores, & opprimere pauperes, eorúmque castella & latibula, quæ Rudolphus Rex destruxerat, ejus vel consensu, vel dissimulatione in perniciem reipublicæ jam ut plurimum essent restituta, & quotidiè mala fierent graviora. His causis & quibusdam alijs quas brevitatis intuitu pertransimus, Adolphus Rex per Gerardum Archiepiscopum Moguntinum, & alios Principes, qui ad hoc convocati apud Moguntiam convenerant, à regno per sententiam deponitur: & Albertus Dux Austriæ filius Rudolphi quondam regis tunc

Adolphus Rex per Principes à Regno deponitur.

Causæ depositionis Adolphi sex potiores.

Albertus Dux Austriæ contra Adolphum eligitur.

tunc quidem abſens in regem eligitur. Miſſis igitur nuntijs cum litteris Principum in Auſtriam, Albertus vocatur ad regnum: contra Adolphum quem ipſi pronuntiaverant abrogatum, ſicut diximus, pollicentur auxilium. Hoc nuntio Albertus accepto lætus efficitur, & contractis undique copijs magnum coadunavit exercitum, & veniens ad Franckenfurt ut moris eſt, ſe contra Adolphum paravit ad bellum. Intereà dum Principes conveniſſent apud Moguntiam, Rex Adolphus cum exercitu morabatur in Alſatia, bellum gerens cum indigenis terræ. Obſedit autem in primis oppidum Rubiacenſe, quod vulgari vocabulo Rufach nuncupant: ſed infecto negotio; cùm audiſſet Principes conveniſſe apud Moguntiam, diſceſſit, & venit Spiram præſtolaturus exitum conventûs. Verùm poſteaquam regno ſe intellexit privatum, Albertum infeſtiſſimum contra ſe hoſtem à Principibus electum, fractus eſt animo: & præhabito ſuorum conſilio rem dubio ſtatuit Marti cõmitendam. Erant in ejus parte fideles adhuc nonnullæ civitates Imperij, de quarum conſilio confidebat.

Albertus cum magno exercitu venit ad Rhenum.

Albertus verò cum ſuorum exercitu profectus de Auſtria, commeatum direxit per Alſatiam, propterea quòd Argentinenſes cum Alſatijs Adolpho noviſſet infeſtos, cui Argentinenſis Epiſcopus octingentos pugnatores in auxilium, Cives verò Argentinenſes cum Alſatijs quatuor ei millia tam equitum, quàm peditum virorum fortium miſerunt, qui eum apud Friburgum venientem cum magno ſuſceperunt honore. Habebat autem in ſuo exercitu pluſquam viginti quatuor millia pugnatorum, quos ſecum adduxerat ex Auſtria, Bohemia, Ungaria, Carinthia, Carniola & alijs diverſis Provincijs in auxilium contra Adolphum.

Nomina Principum cum Alberto ſentientium.

De Alſatia profectus cum toto exercitu venit ad Frankenfurt, & inde ad Moguntiam, ubi auxilia reperit Principum, Gerardi videlicet Archiepiſcopi Moguntini, Boemundi Archiepiſcopi Trevirorum, Wigbaldi Archiepiſcopi Colonienſis, Conradi Argentinenſis, Friderici Conſtantienſis quoque Epiſcopi, Comitum etiam de Liechtenberg, Comitis de Ochſenſtein, Comitis de Freybach, Comitis de Gemino Ponte, Comitis de Liningen & aliorum plurium, quorum omnium auxilio fretus contra Adolphum ſe fortiſſimè armavit.

Rex Adolphus contra Albertũ ſe parat cum ſuis.

Rex verò Adolphus cùm audiſſet Ducis Alberti contra ſe cum tanta multitudine adventum, congregavit & ipſe quantum potuit ſuorum exercitum, & paravit ſe contra Ducem Albertum totis viribus ad bellandum. Habebat autem in ſua parte generum ſuum, videlicet, Rudolphum Comitem Palatinum Rheni de Heidelberg: Ludovicum quoque Ducem Bavariæ, Cives etiam Wormatienſes, Spirenſes, Frankofurtenſes, Geilenhuſenſes, Oppenheimenſes, Provincialem Haſſiæ Comitem, Comitem quoque de Iſenburg, & plures alios Comites, Barones, Nobiles, Cives, Oppidanóſque, quorum auxilio, ſi omnes debito conveniſſent in tempore, adverſarios fortè viciſſet.

Inſtante autem belli tempore circa finem menſis Septemb. Rex Adolphus cum ſuis in Oppenheim conſtitutus, amicorum expectabat ſuffragia. Interea Dux Albertus cum exercitu in Moguntia, & circa regionem morabatur, & omnia, quæ fautorum erant Regis Adolphi, devaſtabat. Verùm Adolphus poſteaquam amicorum quibus ſcripſerat auxilia per decem dies apud Oppenheim exſpectâſſet, & aliqui tardius adveni-

advenirent, moræ impatiens, & bellandi cupidus, nimis incautè ac præcipitanter de Oppenheim contra Ducem Albertum cum suis egressus est, viribus impar, & tantæ multitudini resistere nequaquam sufficiens.

Campus erat magnus haud procul ab Oppenheim inter villam, quæ vocatur Gillenheim, & Cœnobium quoddam Monialium Rosenthal, id est, vallem rosarum appellatum: in quo Dux Albertus Regem Adolphum statuit exspectare ad pugnam. Itaque Dux Albertus cum magno suorum exercitu de Moguntia exiens latitudinem terræ Ganiensium suâ multitudine operuit, & omnia in circuitu desolavit. Oppidum Ganij, quod Alzten dicitur, à Wormatia tribus distans milliaribus, sub ditione Rudolphi Comitis Palatini Rheni constitutum, qui partes sequebatur Adolphi, Dux Albertus positis in circuitu papilionibus obsedit, ac præter arcem cepit ac desolavit. Locus bellandi haud procul à Wormatia.

Et notandum, quòd memoratum oppidum Altzen olim ad jus pertinebat Comitis de Rabengirspurg cum villis & terris adjacentibus. Anno autem Dominicæ Nativitatis millesimo vel circa, quidam Comes de Rabengirspurg ipsum castrum suum Omnipotenti Deo Creatori omnium obtulit: & in Monasterium Canonicorum sancti Augustini Præsulis cõmutavit. Hoc autem Cœnobium Regularium in Moguntina Diœcesi constitutum à Monasterio quondam meo Spanheimensi tribus ferme distat milliaribus. Cujus fundator totum Comitatum suum Fratribus pro sustentatione sui, donatione perpetuâ contulit: addens & prædictum oppidum Altzen cum omnibus proventibus suis, in augmentum præbendarum Dei famulorum. Albertus cepit Altzen oppidũ & destruxit

Deinde post annos plurimos Comes quidam Hirsutus, qui vulgariter dicebatur der Ruchgraff pro dicto oppidulo per viam cõmutationis quædam bona & proventus in Ducatu Mosellano sita memorati Cœnobij Præposito & Fratribus dedit, & arcem in eo construxit. Et sic Altzen à Monasterio Rabengirsburg alienatum fuit usque in præsentem diem. Postremò Comitibus Hirsutis omnibus vitâ defunctis, & omnino deficientibus, hodie quoque memoria penè in oblivionem devenit. Oppidum verò Altzen Palatini obtinuerunt. Unde oppidũ Altzen venerit ad Palatinos.

Rex igitur Adolphus cùm audivisset omnia, quæ Dux Albertus in Altzen oppido fecerat, moræ impatiens non exspectatis amicis, qui erant venturi, de oppido Oppenheim exijt, & versus Altzen contra illum ad pugnam cum suo exercitu processit. Dux verò Albertus cùm Adolphum Regem intellexit contra se venientem, contractis mox copijs in memorato loco prope Cœnobium Rosenthal illi occurrit. Ubi congressione factâ diu acriter pugnatum est, & multi ab utraque parte ceciderunt. Adolphus autem Rex manu propriâ diu fortiter pugnavit, & sicut Leo rugiens pro Regno morti seipsum exposuit, eligens magis fortiter mori, quàm alio regnante turpiter vivere. Adolphus contra Albertum procedit.

Atrox bellum diu continuatum fuit, & cùm victoria jam Adolpho videretur accessisse in manibus, clamore adversariorum exorto sui fugere cæperunt. Qui derelictus in medio hostium, & desertus miserabiliter à suis, tandem occubuit, & in eodem loco interemptus fuit. Cujus corpus in præfato Cœnobio Monialium Rosenthal sepultum, per annos ferme duodecim jacuit: sed posteà per mandatum Henrici Regis septimi ex Adolphus Rex in bello memorato cum multis occiditur.

Comi-

Comitibus de Lutzenburg exhumatum, & ad Spiram delatum in Sepultura Regum honorificè tumulatum fuit. Hic finis & vitæ Adolphi Regis, & regni miserabilis extitit: qui vocatos si exspectâsset amicos, nec tam præceps irruisset in hostem viribus impar, victor certè vixisset.

Filius Adolphi capitur & multi occiduntur.

In eodem bello filius Adolphi Regis Comes de Nassavv captus est, & pro magna tandem sum̃a pecuniarum redemptus. Sed & alij plures de exercitu Regis Adolphi, Comites & Nobiles capti sunt. Occisi autem fuerunt in memorato bello Comes de Isenburg supremus in exercitu Regis Adolphi capitaneus, vir strenuus & miles fortissimus, & cum eo plusquam sexaginta Comites ac Nobiles præcipui fortes ac strenui, præter alios minoris Ordinis plures.

Otto Comes de Ochsenstein in bello perimitur.

Ex parte verò Ducis Alberti, cecidit Otto Comes de Ochsenstein, vir & ipse strenuus ac bellicosus, supremus in exercitu ejus Capitaneus, cum alijs pluribus viris inferioris Ordinis.

Post cruentissimum hoc bellum Dux Albertus Oppenheim prædictum oppidum obsidione vallavit: ubi cùm se nihil videret proficere, solutâ obsidione cum exercitu ad Moguntiam reversus est.

Varia de Regis abrogatione infertur opinio.

Fuerunt qui scriberent, Adolphum Regem non jure, sed contra jus æquitatis à Regno depositum abrogatum & desertum: omnésque articulos præscriptos in eum falsò & malitiosè compositos, cùm Princeps esset optimus, Regno utilis. Unde ferunt, Gerhardum Archiepiscopum Moguntinum omnium malorum in eum extitisse causam propter invidiam: quippe qui cœteros in æmulationem contra Dominum suum Regem multis & varijs modis concitaverit.

Omnes Adolphi Regis contradictores malè pericrunt.

Scribunt enim, qui pro Rege Adolpho senserunt, quòd ultio Divina satis acriter in omnes fuerit subsecuta, qui contra Regem Adolphum arma capessere præsumpserunt. Nam Gerardus de Epstein Archiepiscopus Moguntinus, sicut legimus, non diu posteà super sellam residens, corpore sanus & mente, subitò cadens exspiravit. Albertus verò Dux usurpator Imperij, qui Dominum suum Regem fuerat persecutus, posteà fertur à fratris sui filio peremptus: Otto Comes de Ochsenstein in bello sicut diximus occubuit: Comes de Hohenloe à proprio servo fuit occisus: Comes de Gemino Ponte in aqua Glies dicta submersus est: Conradus Episcopus Argentinensis ante Friburgum à quodam rustico perfossus gladio interijt: Comes verò de Liningen insanus & phreneticus factus, usque ad mortem permansit. Et ut breviter multa concludamus, omnes ferunt & citò, & malè perijsse, qui contra memoratum Regem Adolphum conspirârunt.

Albertus Rex coronatur apud Aquasgrani.

Post mortem Regis Adolphi, quem in bello diximus occisum, Albertus Dux Austriæ victor evadens cum sibi adhærentibus Principibus cunctis, à Moguntiaco solvens descendit per Rhenum ad Coloniam, & ulterius ad Aquasgranum oppidum imperiale profectus est. Ubi per ministerium Wigbaldi Colonienſis Archiepiscopi, cum magna pompa & solemnitate in Regem unctus & coronatus fuit. Coronatione autem peractâ fidem & subjectionem ei Principes juraverunt. Regnavit autem jam deinceps post Adolphi mortem annis decem.

Alberti Regis uxor & filij sex numero.

Uxorem habuit Elisabeth filiam Meinhardi Ducis Magni Carinthiæ, de qua genuit sex filios, & quinque filias: quorum ista sunt nomina. Primogenitus

mogenitus fuit Rudolphus posteà Rex Bohemiæ, qui obijt anno Domini millesimo trecentesimo septimo, Pragæ sepultus: Secundo genitus Fridericus Dux Austriæ, qui posteà contra Ludovicum Bavarum in Regem fuerat electus, ut suo loco dicemus. Tertius Lupoldus Dux Carinthiæ, qui obijt Anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo sexto, sepultus est in Monasterio Kŏnigsfeldt: Quartus fuit Henricus Dux Austriæ, qui uxorem habuit Elisabeth filiam Comitis de Virneburg, & obijt anno Domini MCCCXLIV. Quintus fuit Albertus Dux, qui fundavit Monasterium in Gemines, à quo linea Maximiliani Cæsaris continuatur: Sextus fuit Otto Dux Austriæ, qui obijt anno Domini MCCCXLIV. Uxor verò Ducis Bavariæ mortua est anno Domini MCCCXXX.

Filiarum prima nomine Agnes, nupsit Andreæ Regi Ungariæ, quo sine liberis mortuo, nupsit Duci Uratislaviæ: Secunda fuit Elisabeth, quæ nupsit Friderico Duci Lotharingiæ, quæ peperit Rudolphum Patri in Ducatu successorem: Tertia fuit Anna, quæ nupsit Hermanno Marchioni Brandenburgensium: Quarta fuit Catharina Regi Henrico septimo ex Lutzenburg desponsata: quo ante nuptias mortuo data fuit uxor Ruperto Regi Apuliæ atque Siciliæ, quæ obijt anno Domini MCCCXXXIV. Quinta nomine Guda nupsit Ludovico Comiti de Oetingen in Bavaria, & obijt anno Domini MCCCXXXIV.

His temporibus Cives urbis Colonienſis propter lites & dissensiones, quas cum Sifrido habuerant Archiepiscopo, per annos septem ac menses totidem in excommunicatione permanserant interdicti, ita quòd toto tempore illo divinorum apud eos Célebratio fuerit intermissa. Coronato Rege Alberto apud Aquasgrani, & cum Principibus ad Coloniam reverso, cives unanimi supplicatione ejus interventu absolvi à censuris postulârunt. Egit Rex cum Archiepiscopo Wigboldo, qui Sifrido successerat in Pontificatu, & precibus suis obtinuit, inter eos concordiam fieri, & Cives ab anathemate relaxari. His peractis Rex ad superiores Rheni partes regreditur.

Colonienſi. septennio fuerunt excommunicati.

Anno Godfridi Abbatis prænotato, quinto Calend. Aprilis, mortuus est Joannes ejus nominis secundus Abbas Monasterij quondam mei Spanheimensis Nonus, & ante gradus Presbyterij sepultus. Cui mox decimus in Abbatia successit Diethlibus nomine, & præfuit annis decem, mensibus sex, Patriâ Mosellanus ex urbe antiquissima Trevirorum oriundus, qui aliquanto tempore Cancellarius extitit Joannis Comitis de Spanheim, ut alibi scripsimus.

Diethlibus fit Abbas in Spanheim.

Anno etiam præscripto in vigilia S. Jacobi Apostoli, hoc est, vicesimâ quartâ die mensis Julij, obijt Emicho Wormatiensis Episcopus in habitu ut ferunt monachorum, sepultus in Ecclesia cathedrali. Cui Ebervvinus de Cronenberg in Pontificatu successit, & præfuit annis tribus, mensibus novem, qui ad instantiam civium suorum consensit, quòd sedecim viri de cõmunitate ad Senatûs consilium fuerunt admissi, quod antea fieri in ea civitate non consuevit. Hujus Pontificis tempore fundatum est Cœnobium Monialium in Liebenavv, Ordinis Prædicatorum extra muros civitatis Wormatiensis, per quendam civem nomine Jacobum Engelman dictum; qui cùm esset dives, & non haberet filios, Deum bonorum suorum hæredem constituit, & omnia quæ habuit, fundato à se

Eberwinus fit Episcop. Wormatiensis.

Liebenaw Cœnobium Monialium prope Wormatiam.

Monasterio & Christo in eo servituris virginibus donavit. Hanc autem fundationem simul & donationem præfatus Episcopus auctoritate ordinariâ confirmavit, & auxilium impendit.

Eodem anno nonâ die mensis Novembris, obijt Boëmundus Archiepiscopus Trevirorum, de quo supra diximus anno Crafftonis Abbatis Hirsaugiensis nono, & in Monasterio Hemmerad Cistertiensis Ordinis tumulatur. Hic quemadmodum supra dictum, Castellum in Neumagen juxta littus Mosellæ fundavit, quod à villa nativitatis meæ Trittheim non multum distat. Post mortem Boëmundi, Dietherus ex Comitibus de Nassavv frater interempti Regis Adolphi Ordinis ut ferunt Fratrum Prædicatorum, non electus, neque postulatus, sed quorundum consilio & provisione Bonifacij Papæ octavi in odium Alberti Regis, Archiepiscopus Trevirensibus ordinatur & missus est, qui veniens Trevirim cum honore suscipitur, & ut verus Archipræsul ab omnibus salutatur. Præfuit annis ferme octo, Alberto Regi semper quidem contrarius, sed parum nocivus.

Dietherus de Nassavv fit Archiepiscop. Trevirorum.

MCCXCIX.

Anno Godfridi Abbatis Hirsaugiensis septimo, Indictione Romanorum duodecimâ, Rex Albertus Conventum Principum in oppido Frankenfurt, ubi Rudolphum Comitem Palatinum Rheni, & quosdam alios, qui cum Adolpho Rege, dum viveret, senserunt, usque ad mortem, sibi reconcilians ad gratiam recepit. Multa etiam pro confirmatione & stabilitate regni sui constituit, & jurare omnes in sua verba Principes fecit.

Conventus fit Principum.

Erat autem homo grossus, moribúsque subrusticanus, monoculus, aspectu ferox, & pecuniarum nimis cupidus, cujus uxor Elisabetha filia Meinhardi Comitis Tirolis fuit, ut supra jam diximus, viri potentis atque ditissimi, mulier honestæ conversationis. Confirmationem sive ut propriè dicamus, coronam Imperij pluries à Papa Bonifacio per nuntios & litteras Rex ipse Albertus petivit, sed Pontifex hoc ei munus semper denegans respondebat: *Imperio non esse dignum, qui Dominum suum Regem in bello proprium occidisset.* Quæ responsio Papæ cùm ei renuntiata fuisset, impositâ sibi regni coronâ, & gladium tenens in manibus dicebat: *Quid ergo si Papa mihi coronam denegat? Electione Principum & Rex sum, & Imperator.* Verùm non diu posteà in odium Regis Gallorum Albertus quod petivit, obtinuit.

Alberti Regis dispositio corporis.

Eodem anno Bonifacius Papa octavus Sectam & hæresim Circumcellionum, qui se Fratricellos nominabant, damnavit, qui suos errores occultè disseminaverant in populo, auctoritatem contemnentes Ecclesiæ, & Prælatorum ministeria despicientes. Verùm quamvis pernicioſa hæresis à Bonifacio Papa octavo damnata fuerit, posteà nihilominus per Joannem vicesimum secundum similiter confutata fuit; quia tamen impietatis suæ radices tam altè fixit, ut usque in præsentem diem extincta penitus non fuerit, operæ pretium duximus, si causam & errorum ejus articulos altiùs explicemus. Originem hujus pernicioſissimæ hæresis licet alijs erroribus cum tempore varijs intermixtæ, de illa processisse credimus, de qua longam supra fecimus mentionem, anno videlicet Volmari Abbatis septimo, quam homo ille pestifer Tancellinus apud Antuerpiam in Brabantia disseminavit, & mulos suâ perfidiâ decepit. Surrexerunt posteà temporibus Manegoldi Abbatis, quemadmodum anno ejus sexto supra diximus,

Hæresis Fratricellorum.

De ejus Origine.

diximus, Cathari nuncupati hæresim Tanchellini per sanctum Norbertum destructam instaurantes, qui novis quibusdam erroribus superadditis, omnes illius articulos in damnationem propriam susceperunt. Ex fœcibus præscriptorum posteà surrexerunt memorati pestilentes hæretici, qui se Fratricellos nuncupabant, magnam sanctitatem coram nescientibus dolos eorum simulantes, & multos in profundum erroris, non solum laicos, sed etiam Clericos & Monachos traxerunt; quamvis tamen quosdam inter se spurcissimos occultavêre articulos, quos non omnibus passim cõmunicabant, non enim confidebant omnibus omnia, sed unicuique ministrabant venenum sui erroris, secundùm quod posse illum bibere videbant. Primus autem erroris eorum fuit articulus, quòd omnia Sacramenta Ecclesiæ præter baptismum irridebant, Corpus & Sanguinem Christi spernebant, pœnitentiam nullam omnino faciebant; dicebant enim se plenos Spiritu Sancto, nullum habere peccatum, & pollicebantur omnibus ad sectam eorum initiatis remissionem omnium peccatorum, & quòd deinceps peccare non possint quidquid fecerint. Item dicebant nullum Pontificem Romanum super eos auctoritatem habere, & maximè Bonifacium octavum, & Joannem Papam vicesimum secundum, à quibus damnati fuerant, blasphemâ garrulitate carpebant, asserentes nec eos, nec aliquem eorum successorem legitimè vel electum vel ordinatum Pontificem, sed omnes Romanos Pontifices post suæ damnationem sectæ esse damnatos. Item omnes homines, qui sectam eorum non essent professi, dicebant in æternum damnandos, propterea quòd aliter vivant, & credant, quàm sancti Apostoli & Christiani in primitiva Ecclesia crediderunt, docuerunt & vixerunt, Sectam námque suam à sanctis Apostolis institutam & observatam pertinaciter affirmabant. Item luxuriam, adulterium, & stuprum dicebant in eorum secta non esse peccatum, affirmantes Apostolos & alios Christi Discipulos in Ecclesia primitiva nunquam fuisse continentes, sed vel cum proprijs uxoribus, si habebant, vel cum alienis indifferenter coibant, & hanc magnam inter se charitatem prædicabant. Item pro confirmatione sui erroris adducebant, Nicolaum Antiochenum Diaconum propterea hæreticum ab Apostolis declaratum in Actibus, & damnatum ab Ecclesia primitiva, quoniam uxorem haberet pulchram, & nollet eam Apostolis & alijs discipulis esse cõmunem ad coeundum, sicut ceteri omnes suas fecissent cõmunes. Item non contenti homines isti pernicioſissimi Fratricelli, quòd cum uxoribus & filiabus luxuriabantur alienis, quin etiam in cavernis montium, in speluncis & latibulis noctu convenire solebant, coitum indifferenter cum nepte, sorore, filia & matre, quod turpissimum est, in tenebris exercentes, & hoc nullum dicebant esse peccatum, perversè interpretantes illud Apostoli: *Omnia munda mundis.* Item convenientes in antris nocturno tempore de industria seductas virgines aut viduas pulchriores, sub multis & varijs pollicitationibus intrò secum ducebant, quibus introductis latitabant ejusdem sectæ Sacerdotes & Clerici in eodem antro, qui divinas quidem laudes ad comparandam fidem imprimis decantabant, quibus circa noctem mediam finitis, Sacerdotes eorum altâ admonebant voce, binos debere masculum & feminam, sancto Spiritu invocato in complexum & coitum cõmisceri. His dictis, & luminibus extinctis, quisque

De articulis ejus.

Articulus 1.

Articulus 2.

Articulus 3.

Articul' 4.

Articulus 5.

Articul' 6.

Articul' 7.

virorum proximam mulierem ſibi proſternebat ad coitum, nullâ ſanguinis conſideratione habitâ. Item ſi ex hujuſmodi complexu ſeu coitu
Articul⁹ 8. aliqua mulier concepiſſet, infans genitus mox ad conventiculum illud in ſpeluncam deferebatur, & ibi per ſingulas eorum manus trahebatur, tam diu totiénſque bajulandus, quoúſque animam exhalaret; is verò, in cujus manibus exſpirâſſet infantulus, ſummo honore dignus inter eos habebatur. Item quoties ſemel inter eos corrupta ſecundum aut tertium
Articul⁹ 9. peperiſſet infantem, Sacerdotes ipſi congregati in unum, ſtatim ſuper prunis aſſabant eum, & in pulverem minutiſſimum redigebant. Collectum verò exinde pulverem ipſum ad prophanum reſervabant uſum. Nam quoties Novitium aliquem vel Novitiam ad ſuam accipiebant ſectam, mittebant de prædicto pulvere in vaſculum, vinum deſuper infundentes cum execrabili imprecatu, ipſiſque Novitijs, qui per eos initiandi fuerant, pro Sacramento dabant in poculum.

Alios quoque articulos multiplices profitebantur erroris, quorum recenſere capita brevitatis ſimul & honeſtatis causâ non curamus. Bonifacius igitur Papa VIII. diligentiſſimâ inquiſitione per Italiam factâ, ubi prænominata hæreſis maximè vigebat, quantis potuit conatibus, eam ſtuduit extirpare. Unde & Hermannum quendam ejuſdem Sectæ authorem apud Ferrariam Urbem ante viginti annos, ut ferebatur, ſepultum, qui à multis colebatur pro ſancto, exhumari & exuri fecit, habitâ prius de hujuſmodi re diligentiſſimâ inquiſitione.

Hæreſiarcha de ſepulchro exhumatus exuritur.

Nec tamen propterea hujuſmodi hæreſis terminari potuit, ſed in dies excreſcens, multos etiam profeſſione religioſos viros, Sacerdotes & Clericos doctiſſimos, ſi non in toto, in parte tamen fautores habuit, & contra Eccleſiam Dei acerrimos defenſores. Quod malum poſteà uſque ad tempora Joannis Papæ XXII. multipliciter fuit diffuſum, & non ſolum Italiam, ſed etiam alias Nationes infecit.

Libet jam nunc iſthic pauliſper immorari, & hiſtoriam retexere mirabilem, quâ hæreſis prænominata, quæ multis latuerat annis, apud Mediolanum detecta & manifeſtata his ipſis fuit temporibus Fuit in Civitate Mediolano mulier quædam dives, & iniquiſſima hujus Sectæ Fratricellorum propagatrix callidiſſima, nomine Wilhelma, virum habens ejuſdem Sectæ nomine Andream. Hæc permaximam in omni vita ſua præ ſe tulit ſanctitatem, & ſimulavit Religionem. Unde & mortua anno prænotato apud Claramvallem, atque ibidem ſepulta pro ſancta habebatur ab omnibus. Hæc itaque impijſſima femina una cum viro ſuo Andrea ſub ſpecie ſanctitatis conventiculum in antro domûs ſuæ conſtruxerat, in quo ſacrilegi Fratricellorum ritus exercebantur. Ad quem locum multi viri nocturno tempore, & certis in hebdomada conveniebant diebus, & plures mulieres, viduas, maritatas & virgines in errorem inductas adduxerunt, quibus de mandato Wilhelmæ coronas radebant in capitibus in modum Clericorum occultas, benedicentes & conſecrantes, imò maledicentes execrantes eos in Clericos. Deinde poſtquam horrendis execrationibus ſuis ad imitationem ritûs Chriſtianorum eas initiâſſent, dabant eis potum de ſupra ſcripto pulvere infantum cum vino dicentes, eas eſſe ſanctas & omnino impeccabiles, ita tamen, quòd non coirent cum alijs viris, quàm illius Sectæ, quam profitebantur. Omnia enim

Hiſtoria jucunda, quomodo hæc hæreſis fuit publicata.

Multi ad antrum Wilhelmæ conveniebant hæretici.

enim quæcunque voluissent sibi licere dicebant in ea Secta permanentibus.

At ipsa maledicta Wilhelma, cùm omnes in antro congregatos inspiceret, mox se vestimentis ornabat sacerdotalibus more Presbyteri, astantibus cunctis ante altare, fundénsque preces Deo execrabiles, officium sibi Sacerdotis usurpabat. Precibus autem finitis dicebat: *Aduramini, aduramini, & ignem sub sextario ponite, & quæ Deus ordinavit, facite.* Mox igitur lumine sub modio posito vel extincto, in mutuos ruebant amplexus, turpitudinem suam in alterutrum exercentes. Et hoc scelus statutis per hebdomadam diebus exequebantur, occultè noctibus convenientes. Wilhelma Sacerdotis agebat officium.

Post annos verò plures hæc eorum mater atque sacerdos moritur, & apud Claramvallem pro sancta sepelitur. Post cujus obitum Andreas vir ejus per sex annos in tali pernicioso & Diabolico scelere perseverans, innumerabiles seduxit populos, quoúsque tandem Mercator quidam Mediolanensis nomine Conradus hoc manifestissimum scelus mirabili modo & industriâ fecit manifestum.

Habebat námque idem Conradus uxorem seductam, & in memoratam Fratricellorum hæresin occultè juratam, quam dum frequenter in noctis medio surgere animadverteret, sed quorsum pergeret, scire non posset, mali alicujus de ipsa incidit suspicionem. Demum die quâdam cupiens omnino scire, quò pergeret, noctem dormitione simulatâ duxit insomnem. Circa medium verò noctis uxor putans dormire maritum, suo more surgit, & consuetum pergit ad antrum, quam occultè maritus subsequens post eam, incognitus antrum illud perfidorum intravit, & omnia quæ ibidem aut dicebantur, aut fiebant, diligentissimè conspexit. Conradus uxorem secutus omnia quæ fiebant conspexit.

Audivit prophana concionantem Sacerdotem: vidit mulieres in modũ rasas Clericorum omnes, & horrendæ institutionis documenta impiorum à Prædicatore percepit. Lumine verò tandem sub sextario ex more posito, uxorem suam de industria cepit, & cum ea rem incognitus peregit. Deinde annulum cum Sapphyro de manu uxoris suæ abstulit, & cum alijs de antro velociter exivit, studiosè curans, ut uxorem præveniens prior lectum ascenderet. Conradus uxori suæ annulum abstulit.

Post dies paucos uxorem interrogavit Conradus, ubi haberet annulum cum Sapphyro; quæ respondit, se illum tempore opportuno quæsituram, jam autem ad præsens, ubi eum deposuerit, nescire. Sed cùm maritus vehementer instaret pro annulo, simulans illa, se multùm quæsivisse, nec invenisse, eum perditum viro respondit.

At verò Conradus re dissimulatâ post dies paucos in domo sua lautum parari fecit convivium, ad quod Consanguineos & vicinos, maximè tamen illos, quorum in antro noverat fuisse uxores, invitavit, viros videlicet ipsos cum mulieribus suis. Qui omnes ad ejus Convivium vocati, cum suis uxoribus venerunt, causam tamen invitationis hujusce nemo cognovit. Conradus parat Convivium amicis in domo sua.

Quibus in Convivio lautè refectis, & singulis juxta uxorem propriam sicut ex industria per Conradum fuerant collocati, residentibus, hospes invitator ait: *Amici & fratres, rogo, unusquisque vestrûm cum uxore sua ludat, prout me cum uxore mea facere conspexeritis, & posteà causam invitationis à me vestræ audietis.* Qui postquam ludos multos exercuissent, postremò

ligaturas uxoris ſuæ de capite manibus traxit, & clericatam ſive tonſam in modum clerici, hoc eſt, habentem coronam omnibus oſtendit.

Conradus rem geſtam coram amicis expoſuit.

Quod factum cœteri omnes imitantes detractis à capitibus uxorum peplis ac ligaturis omnes ſimiliter raſas ut Sacerdotes in coronæ modum invenerunt. Unde nimium admirantes viri, quid ſibi vellet hoc monſtrum quod cernerent, conclamârunt. Stans autem Conradus omnem rei hiſtoriam ſicut viderat & audierat, cunctis nimium ſtupentibus enarravit. Fæminas autem ne diffugerent, aut negotium propalarent, diligenti cuſtodiâ intra domum Conradi manere compulerunt.

Conſilio autem inter ſe habito viri protinus rem omnem Inquiſitori hæreticæ pravitatis denuntiaverunt; qui diligentiſſimâ inquiſitione factâ didicit hoc execrabile & diabolicum ſcelus, induſtriâ & malignitate Wilhelmæ & Andreæ mariti ejus per undecim annos in eorum perſeverâſſe domo. Quamobrem & Andreas & complices ejus ſimul, & oſſa Wilhelmæ cremata ſunt. Et quæ prius venerabatur ut ſancta, poſteâ ut peſtilentiſſima hæretica contempta fuit, & blaſphemata ab omnibus. Similiter & mulieres, quæ in hujuſmodi ſceleribus fuerunt comprehenſæ, non ſine magna punitione à maritis ſuis dimiſſæ ſunt.

Combuſti ſunt hæretici ſimul & oſſa Wilhelmæ.

Anno Godfridi Abbatis ſupra ſcripto, viceſimâ nonâ die menſis Octobris, mortuus eſt Joannes Comes Hollandiæ apud Harlam ſine liberis. Vitâ functo Joannes Comes Hannoniæ filius Adelheidis ſororis Wilhelmi quondam Regis Romanorum jure propinquior Hollandiæ Comitatum aſſumpſit, ac ſuo dominio copulavit. Uxorem habuit Philippam Comitis de Lutzelburg filiam, de qua genuit Joannem, Comitem Lutzelburgi, Patrem Henrici Regis Romanorum ſeptimi, Wilhelmum Comitem Hollandiæ, Joannem Dominum Bellimontis, Henricum Canonicum Eccleſiæ Cameracenſis, Margaretham Comitiſſam Atrebatenſem, Adelheidem Comitiſſam Claromontenſem, Mariam Comitiſſam de Burbon, & Mechtildem Comitiſſam de Neyde natu minorem.

Verùm Albertus Rex Romanorum & Francorum Theutonum, Hollandiæ Comitatum mortuo Joanne ad Imperium pertinere volebat, & propterea à memoratum Hannoniæ Comitem litteris, præceptis, & comminationibus inquietare graviter tentabat. Sed poſteà in cõmuni Principum Conventu Comes ipſe Joannes conſilio amicorum inductus perſonaliter comparuit, & interceſſione Principum Hollandiæ Comitatum à Rege in feudale beneficium Imperij accepit. Ex illo tempore Hollandiæ & Hannoniæ Comitatus in unum convenêre dominium uſque in præſentem diem.

Item anno prænotato Caſſanus Tartarorum Imperator magno ſuorum advocato Exercitu Bellum Saracenis, qui morabãtur in Syria & Ægypto, indixit, cum quibus pugnans Triumphator evaſit, & Syriam cum ſepulchro Domini pro Imperio ſubjugavit.

MCCC.

Jubilæus Romæ primus à Bonifacio inſtituitur.

Anno Godfridi Abbatis Hirſaugienſis octavo, Indictione Rom. XIII. Bonifacius Papa VIII. ad exemplum veteris Inſtrumenti Annum Jubilæi primus omnium Pontificum ad ſalutem humani generis providâ diſpenſatione inſtituit, & per totum Orbem Chriſtianum prædicari ſolemniter mandavit, Remiſſionem & indulgentiam omnium repromittens ſcelerum

rum, his qui Contriti & Confessi limina sancta Romæ visitâssent Apostolica, facturi juxta ejus ordinationem preces & eleemosynas, prout cujúsque facultas permiserit.

Res nova & eatenus non visa, sed verè populo Christiano ad salutem valde proficua. Nam pro consequendis hujusmodi Indulgentijs Jubilæi anno præcedente per universum Orbem Christianum pronuntiati, tanta hominum utriúsque sexûs multitudo in isto anno præscripto ex omni Europa Romam proficiscitur, ut eorum numerus incredibilis esse videatur. Unde homines præ nimia multitudine compressi vix per stratas urbis potuerunt incedere. Constituit autem idem Præsul Bonifacius eundem plenariæ Remissionis Jubilæum de centesimo deinceps anno in centesimum perpetuis futuris temporibus Romæ celebrandum.

Rex Albertus pro Hollandia copias educit.

Anno prænotato Rex Albertus contractis undique copijs magnum adunavit exercitum, contra Joannem Comitem Hannoniæ, propter Hollandiæ Comitatum, ut supra diximus, processurus ad bellum. Cúmque ad Novimagium Geldriæ oppidum pervenisset, litteras hujusmodi tenoris per omnem fecit Regionem publicari. *Noverint universi, quòd serenissimus Dominus Rex Albertus Romanorum semper invictus, vacantem Hollandiæ Principatum, quem Carolus Imperator olim magnus Theodorico Comiti concessit in Beneficium feudale, tam Jure, quàm gladio ad sacrum Romanum intendit revocare Imperium.*

Hannoniæ Comes Hollandiam suscepit ab Imperio.

Audiens Comes Hollandiæ Joannes Regem Albertum cum exercitu suorum contra se venire ad prælium, congregavit & ipse maximam multitudinem pugnatorum, confortatúsque & viribus, & animo, Regis Alberti intrepidus præstolabatur adventum. Rex autem cùm didicisset Comitis & vires, & constantiam animi, contra eum venire ad bellum non audebat, sed mediante Archiepiscopo Colonienſium Treugas interposuit, & pro confirmatione pacis Comitem ad Principum sententiam vocavit: quo veniente, Hollandiam in feudum accepit.

Godfridus Abbas hujus Cœnobij moritur.

Anno præscripto, septimo die mensis Aprilis, obijt Dominus Godfridus hujus Monasterij Hirsaug. Abbas nonus atque vicesimus, anno Regiminis sui septimo cum uno mense & viginti quatuor diebus exacto: in majori Ecclesia cum honore sepultus.

De Henrico secundo hujus Monasterij Hirsaugiensis Abbate XXX. qui præfuit annis XVI. mensibus X. diebus XX.

Henricus fit Abbas Hirsaug. XXX.

MOrtuo Abbate Godfrido, & in medio Ecclesiæ juxta morem Ordinis sepulto, convenientes in unum Fratres cum Priore, qui poterant interesse novi Pastoris Electioni, anno prænotato undecimâ die mensis Aprilis, præmissísque ad Dominum orationibus consuetis, & præhabitis inter se tractatibus necessarijs, Henricum Congregationis Hirsaugianæ Monachum in Abbatem hujus Monasterij tricesimum elegerunt, qui confirmatus & benedictus per ministerium Friderici de Bolandia Episcopi Spirensis Ecclesiæ præfuit annis XVI. mensibus X. & diebus viginti, non satis utiliter pro Monasterio:

sed

sed potius in grave utriúsque statûs tam spiritualis, quàm temporalis detrimentum sempiternum.

Henrici Abbatis patria fuit Suevia.

Patria illi fuit Suevia: parentes secundum mundi hujus considerationem humiles, & nullâ prærogativâ nobilitatis insignes. Qui cùm esset annorum ætatis decem & octo, venit ad Monasterium, susceptúsque ad Congregationem per Volandum Abbatem, factus est Monachus, vitámque instituit suam ad aliorum exemplar, quod reperit. Illo autem in tempore, quod sæpius diximus, Regularis disciplinæ observantia non solum apud Hirsaugienses Monachos, sed in omnibus penè Cœnobijs nostri Ordinis per totum mundum usque adeò defecit & tepuit, quòd fervoris pristini vestigium omnino nullum dereliquit. Unde & Henricus iste Monachus factus est, mores quos juvenis à senioribus didicit, usque ad obitum servavit. Tandem verò in Abbatem promotus, sicut dictum est,

Henricus Abbas plura bona Monasterij alienavit.

parum utilis extitit, imò plus detrimenti quàm comodi suo regimine Monasterio fecit; mox enim licentiosè vivere incipiens, otio & inertiâ, torporéque ignavus tepuit; & rem familiarem simul & monasticam turpiter neglexit. Enimverò statum rerum temporalium, quem in bona conditione reperit, valde malum fecit. Multa etenim bona Monasterij tempore sui regiminis impignoravit: multa penitus vendidit: & multa sine Consensu Fratrum suorum in perpetuum alienavit, quorum pecuniam malè exposuit. Moribus fuit nimium dissolutus & incompositus; sæculariter vivens potius quàm monasticè; quippe qui convivijs & discursibus vagis diebus & noctibus frequenter intentus, nihil minus quàm spiritualia curabat. Conversatione suâ puerili non solùm Fratres suos Monachos contristavit: sed etiam sæculares homines multipliciter offendit. Sermone fuit præceps & multum inconsideratæ locutionis; quo factum est, quòd ejus dictis modica fides consueverit adhiberi. Consilio varius, instabilis & inconsideratus extitit: verbis promptulus, sed actione nimium tardus fuit.

Quantum verò ad dispositionem pertinet corporalem, homo fuit statutâ mediocris, nec procerus corpore, nec brevitate nimiâ pusillus. Capite parvus & ventre aliquantum crassus: subrufos tam in capite, quàm in barba copiosos habebat capillos: incessu velox & titubans in modum gradiebatur parumper claudicantis, & qui nullâ decorabatur gravitate. Postremò jubente Ludovico Imperatore propter culpas suas, ut suo loco dicetur, deponitur.

Henricus Abbas ultimò deponitur.

Anno prænotato MCCC. Dominicæ Nativitatis, quo Henricus ordinatus est Abbas, moritur Joannes Dux Bavariæ filius Henrici Ducis, & Comitis Palatini Rheni sine liberis. Huic pro futura uxore ferunt desponsatam fuisse Apostolicâ dispensatione mediante filiam parvulam necdum triennem Ludovici Comitis Palatini Rheni, Bavariæque Ducis, posteà Imperatoris Romanorum: qui mortuo sine liberis destinato genero Ducatum illius totum obtinuit.

Eodem anno Fridericus de Bolanden Episcopus urbis Spirensis magnam illam Crucem in arcu ambonis Ecclesiæ memoratæ nimiâ vetustate ruinosam piâ devotione instaurans fecit renovari. Alia insuper multa pro decore Domûs Domini & fecit, & constituit, quibus nominis sui memoriam cum laude posteris commendavit.

Claruit

Claruit his ferme temporibus Alanus ex Insulis oppido Flandriæ oriundus Magister Parisiensis, in Divinis scripturis omnium suâ tempestate facilè doctissimus, Theologus insignis, Philosophus clarus, & Poëta celeberrimus; qui scholæ Theologorum apud Parisienses docendo & scribendo multo tempore gloriosè præfuit, ubi in omni scientia tam divina, quàm humana clarissimus effulsit. Unde & meritò nomen Universalis obtinuit: qui Doctor in omni scibili fuit profundissimus. Scripsit autem & metro & prosâ multa præclara synthemata, de quibus nos hactenus exceptis quæ sequuntur, vidimus pauca.

Alanus de Insulis Doctor magn⁹.

Super quatuor libros sententiarum scripsit volumina quatuor. Ad quendam Abbatem S. Dyonisij, aliàs S. Ægidij de sacræ Scripturæ vocabulis opus non inutile, quod prænotavit oculum sacræ Scripturæ, librum unum non parvæ quantitatis. De doctrina quóque lib. I. In quinque libros Moysis volumina totidem. In Cantica Cant. lib. I. Ad Archiepiscopum Bituricensem de Pœnitentia libb. IV. De Mysticis æquivocis lib. I. Parabolarum lib. I. De modo sive arte prædicandi lib. I. Opus metricum quod Anteclaudianum prænotavit lib. I. De sex alis Cherubin. lib. I. De planctu naturæ lib. I. Sum̃am virtutum & vitiorum. lib. I. De maximis Theologiæ documentis. lib. I. De natura quorundam animalium lib. I. sermones varios & epistolas plures scripsit ad diversos, quorum omnium invenire numerum difficile judicamus. Denique in multos Bibliæ libros insignes Com̃entarios lucubrâsse dicitur, quorum nos invenire titulos omnium non potuimus. Sunt qui scribant, eum in sua senectute pro Christi amore spreviſſe mundum, & Monachum Cistertiensis Ordinis factum religiosissimè conversatum usque ad mortem.

Opuscula hujus Doctoris Alani.

Wilhelmum etiam Haffliginij Monasterij nostri Ordinis in Brabantia Monachum suam ætatem scriptis & moribus haud mediocriter illustrâsse ferunt. Qui cùm esset vir tam in divinis scripturis, quàm in sæcularibus litteris egregiè doctus, multa gemino stylo comportavit opuscula; quibus nominis sui memoriam posteris com̃endavit. Ex his nos vidimus pauca, quæ subnotavimus. Vitam sanctæ Lutgardis lib. I. Visionem cujusdam Monialis Ordinis nostri lib. I. Sermones etiam plures tam ad Fratres, quàm ad populum Dei composuit.

Wilhelmus Monachus in Haffligi-nio Brabantiæ.

Henricus de Bruxellis, Brabantinus patriâ, præfati Monasterij de Hafflingen nostri ordinis Monachus prædicto Wilhelmo contemporaneus, vir & ipse in omni genere doctrinæ peritus, hæc tempora scriptis & lucubrationibus suis reddidit clariora. Qui cùm esset maximè in Mathematica peritus, plura in ea facultate composuit, quibus ingenij sui vivacitatem declaravit. Extat de ratione computi Ecclesiastici liber talis elegans, quem ad quendam amicum composuit. Calendarium quoque novæ ac pulchræ inventionis lucubravit pro inscensionibus Lunæ ad punctum investigandis. De compositione Astrolabij scripsit lib. I. De usu & utilitate Astrolabij lib. I. De cæteris quæ composuit nihil ad notitiam nostræ lectionis pervenit.

Henricus Monachus Haffliginij.

MCCCI.

Anno Henrici Abbatis secundo Indictione Romanorum quartadecimâ Cometes in cœlo per dies aliquot magnus apparuit, qui suo aspectu intelligentes terruit, qui noverunt his novitatibus frequenter aut bella præ-

Cometes apparuit vates malorum.

signari, aut pestilentiam, aut quaslibet alias clades mortalium, quod & factum est. Nempe secuta fuère plura mala inter mortales, bella, fames, pestésque tam hominum, quàm jumentorum, ut pateret non frustra fuisse Cometem.

Eodem quippe anno quarto die mensis Julij bellum atrox factum est inter Wilhelmum Episcopum Trajectensem, & quosdam Comites ac Nobiles Jura memoratæ Trajectensis Ecclesiæ temere violantes. Congressione autem factâ diu atrociter & ambiguè pugnatum est, & multi ab utraque parte ceciderunt. Extremò ipse Præsul Wilhelmus in prælio superatus ab inimicis, miserabiliter occubuit anno Pontificatûs sui quinto in multis tribulationibus & adversitatibus infeliciter exacto. A die namque introitûs sui Pontificatûs semper æmulos habuit & hostes, non solùm inter Laicos, sed etiam inter Canonicos, ob id maximè, quòd provisione Bonifacij VIII. & non eorum Electione intrâsse videretur, sicut diximus quarto anno Godfridi Abbatis. Post ejus verò interitum Præsul Ecclesiæ Trajectensis fuit ordinatus Guido ibidem Canonicus & Thesaurarius, vir nobilis, prudens atque magnificus, qui præfuit annis fere sedecim. Alibi legimus, quòd fuerit ante Pontificatum Canonicus & Thesaurarius Ecclesiæ Leodiensis, quod verius dictum credimus. Hujus viri fratres Germani fuerunt Botzardus Episcopus Metensis, Joannes Episcopus Cameracensis, Joannes Hollandiæ, Hannoniæque Comes, & Florentius Princeps Morinensis.

Wilhelmus Episcopus Trajectens. in bello perimitur.

Anno prænotato in die S. Mariæ Magdalenæ Joannes Comes unà cum Henrico fratre suo Comite de Lutzelburg contractis undique copijs magni exercitus Imperialem urbem Trevirorum obsidione vallavit, castrametatus retrò Civitatem ad plagam Orientalem, in eo loco ubi Ecclesia S. Crucis constructa usque in præsens conspicitur. Omnia in circuitu devastavit hostiliter, domos, torcularia & cuncta ædificia extra munitionem posita funditus incendio combussit, & quidquid frugum erat in agro cum vinetis omnino desolavit. Cives autem Trevirenses, qui paribus armis adversarijs congredi non poterant, clausis fortiter portis, Letanijs & precibus quâ poterant devotione insistentes, Divinum auxilium invocabant. Et ecce nocte undecimâ urbis obsessæ Dominus Deus meritis Sanctorum suorum, quorum Treveris multa millia corporaliter requiescunt, orationes civium clementer exaudiens, spiritum vertiginis & pavoris immisit in hostes, qui suborto clamore ac nimium perterriti arma, quæ contra cives Trevirenses attulerant, in semetipsos verterunt, percutientes se mutuò & occidentes, cùm hostes se ferire putarent. Unde pavor eos subitò tantus invasit, quòd omnes relictis tentorijs & rebus suis quas attulerant fugere quantocius nudi festinarent. Et sic urbs Trevirorum antiquissima divinâ miseratione, meritísque Sanctorum ab hostium formidine mirabiliter & sine armis liberata est.

Civitas Sanctorum meritis liberata est.

Anno prænotato mortuus est Andreas Rex Ungariæ sine liberis, qui uxorem habuit Agnetem filiam Regis Theutonicorum Alberti sicut dictum est supra. Post cujus mortem Ungari Ottonem inferioris Bavariæ Ducem pro Rege assumpserunt, quem tamen capientes posteà in vincula conjecerunt, custodiæ illum Comitis Transilvani committentes. Verùm non diu postea per industriam uxoris memorati Comitis Consanguineæ

suæ

suæ liberatus, ad Ducatum suum in Bavariam reversus est, nec amplius se de Regno Ungariæ intromisit. Auspicio autem Bonifacij Papæ VIII. & Alberti Carolus quidam Martellus Regnum Ungarorum obtinuit, & eorum perfidiam humiliavit.

His temporibus postquam Rex Gallorum Philippus obtinuit dominium Comitatûs Flandriæ totum, in carcere detinens ipsius Principatûs Comitem cum duobus filijs, populus terræ humillimæ conditionis, ut fuerunt artifices diversi, textores pannorum, lanifices, cerdones, macellarij, sartores vestium, pellifices, & reliquum id genus hominum gravissimam contra rectores terræ à Rege positos persecutionem suscitârunt. Cujus rei causâ fuit grave jugum Gallorum, quod Flandrensibus imposuerant supra consuetudinem antiquitus introductam, & à Comitibus observatam, in præstatione talliarum & contributionum. Unde nimium gravati, primò rectores terræ, deinde & ipsum Regem Philippum per certos nuntios suos rogabant, ut alleviaretur eis jugum nimis durum & importabile servitutis, & provideretur eis de mercede solvenda pro laboribus suis competente ab his, qui conducerent eos ad operandum. Verùm cùm rectores terræ ad instantiam eorum civium, qui Senatores, Consules ac Principaliores videbantur urbis, populum humilem & egenum non solum contemnerent, sed & duos ac triginta ex eis in vincula conjecissent in oppido Brugensi, facta est in oppido ipso seditio gravissima; surrexit enim populus vulgaris & confæderatus sibi mutuò, armatus per urbem hostiliter cœpit discurrere, & ad castellum, in quo manebant rectores urbis constituti per Gallos, turmatim properare. Inprimis autem facto impetu castellum obtinuerunt, & tam ex Rectoribus ipsis, quàm ex Brugensibus non paucos crudeliter occiderunt. Deinde fractis carceribus violenter captivos omnes extraxerunt. His tumultuosè peractis inter partes factæ sunt treugæ, & causa ad examen Regis Gallorum Philippi discutienda quàm primum missa est. Duravit hæc dissensio quasi per annum, & semper à Rege differebatur sententia; quam si nunquam tulisset, prudenter sanè fecisset. Brugenses autem multâ instantiâ, precibus, & pretio contra plebem tandem extorserunt nocivam sententiam in malum sibi pernicioſum. Nam mox ut in Brugis fuit auditum, quòd sententia esset lata contra populum, plebs omnis in unum conspirans, quoniam se majoribus non posse resistere timebat, oppidum armata exivit. Et primò venerunt ad oppidum quoddam Damum nuncupatum, quod ferme tribus à Brugis distabat milliaribus, per illúdque discurrentes cum furore nimio ejus Rectorem à Gallis positum interfecerunt, omniáque deprædati sunt, plures etiam ex Brugensibus ibi repertos crudeliter occiderunt. Exinde furore simul & desperatione ducti transierunt ad terram Dandenburgensem, & fecerunt similiter. Postea venerunt ad alium locum haud procul à Brugis oppido, ubi Balivus sive Rector Brugensium residebat cum LX. ferme militibus, quos omnes simul peremerunt.

Flandrenses populi conspirant contra rectores terræ.

Rex Gallorum sententiam dedit contra plebem oppidi.

Quibus auditis cives Brugenses, ac metuentes, ne similia paterentur, nuntios ad Regem miserunt Gallorum, contra insolentiam plebis furentis auxilia postulantes. Quibus ille misit Comitem S. Pauli Jacobum supremum Flandriæ Gubernatorem cum mille quingentis Equitibus, &

magna peditum multitudine. Qui cùm perveniſſent ad oppidum Brugenſium, mox ſibi Regis nomine urbis dominium potenter uſurpârunt. Claves portarum, turres & munitiones loci omnes in ſuam poteſtatem recipientes, quod multis incolarum non parum diſplicuit. Unde cives inferioris conditionis, qui in oppido remanſerunt, timore ac ſuſpicione fluctuantes ſimul & ex proſperè geſtis audaciam ſumentes (Deo nimirum permittente in ultionem avaritiæ majorum urbis, & ad humiliandam Gallorum ſuperbiam) conjuratione ſecretiſſimè factâ in unum conſpiraverunt, majores oppidi & Gallos omnes morti, quàm primum poſſent, animo ſimul & propoſito deſtinantes.

Plebs inferior conſpirationē facit.

Cujus rei gratiâ ut viribus auctis intentum ſuum facilius perducerent in effectum, nuntios miſerunt occultos pro illis de plebe, qui ſeditionis erant principes, & oppidum jam pridem exiverant, & Duacum ſimul & Dandenburg præoccupaverant. Qui nuntio lætantur accepto viri ſimul & mulieres ad oppidum Brugis nocte omnes redierunt, & ſilenter cum bona facilitate intrantes, cùm & foſſata eſſent humo repleta, & portæ deſtructæ omnes, confeſtim in foro convenerunt. Stantes autem conjurati in medio fori clamare cœperunt: *Vivat communitas: Galli cum magnis capitibus omnes moriantur.* Galli ab his clamoribus excitati, cùm illi theutonicâ uterentur linguâ, quid ſignificaret clamor ipſe, non intelligebant. Convenientes ergo plebei cum illis, qui deforis advenerant, plateas urbis magnis trabibus obſtruxerunt, diſcurrentéſque per oppidum, omnes partis adverſæ, quos invenire poterant, occiderunt nemini parcentes. Quicunque verò Gallum ſuſcepiſſet in domum fugientem, aut ſi prius in hoſpitium admiſiſſet, illum aut ſubitò perimebant, aut ductum ad principes ſuos in forum clamantes minutatim in fruſta conſcindebant. Galli autem furentium clamoribus excitati, & arma corripientes ſine ordine ad pugnam diſcurrebant, qui omnes à plebe fuerunt interempti. Equites verò armati cùm equos vellent aſcendere ſuos, néque ſellas invenire poterant, neque frena, quæ plebis induſtriâ per mulieres & pueros callidè prius fuerant deportata. Cúmque fugâ ſalutem quærerent, vias urbis trabibus clauſas invenerunt, & dum pertranſire non poterant lapidibus per feneſtras in eos fortiter jactatis à mulieribus omnes mori compulſi fuerunt. Duravit illa cruenta Gallorum occiſio per totum diem, in qua ex Gallis equitibus fuerunt interempti à populo 1400. ex peditibus verò 2000. interierunt. Unde ſtratæ urbis omnes ſanguine & cadaveribus mortuorum fuerunt repletæ, ita quòd per tres continuos dies plebs in evectione illorum, & ſepultura extra oppidum multipliciter fuerit occupata. Jacobus autem S. Pauli Comes quoniam juxta portam morabatur oppidi cum paucis aufugit. Facta ſunt hæc anno Dominicæ Nativitatis prænotato MCCCI.

Plebei currentes per urbem Gallos & conſules occidunt.

Gallorum tria millia quadringenti peremti.

Anno præſcripto magna inter Papam Bonifacium octavum, & Philippum Regem Gallorum diſſenſio fuit exorta. Cujus cauſam Auctores hiſtoriarum commemorantes dixerunt, quòd Pontifex ipſe Carolum Valeſianum Regis Gallorum cognatum pro quibuſdam negotijs ſuis de Gallia evocaverit in Italiam, promittens ei multa, quætamen non præſtitit. Inter quæ ferunt Carolum ipſum ex verbis & pollicitationibus Pontificis ſpem concepiſſe non modicam Romanum conſequendi Imperium.

Inter Papam & Regem Gallorum orta diſſenſio.

rium. Quæ omnia impedita & nulla manserunt, imò promissis fecit omnia contraria. Nam eodem anno Regem Albertum Rudolphi, ut supra diximus, filium, prius Electum ad Imperium confirmavit. Ex quo Gallorum Rex nimium offensus, & reputans se à Papa delusum, quidquid mali potuit in eum excogitare, totis viribus in effectum perducere studiosissimè conabatur. Unde Stephanum de Columna Pontifici hostem acerrimum in magno apud se honore detinuit, & omnes Bonifacio contrarios & adversantes, sive Columnenses fuerint, sive alij, sumo favore honoravit. In odium denique ipsius Pontificis Rex Philippus complures Episcopos per Galliam à suis fugavit Ecclesijs, omnibúsque bonis spoliavit, propterea quòd cum Romana viderentur consentire Ecclesia. Vacantes etiam Pontificatus pro suo arbitrio disposuit, & bona Ecclesiarum sibi & suis usurpavit. Quamobrem Papa Bonifacius ut magnanimus & audax, neminem timens, cœpit contra ipsum agere quidquid potuit, quem hostem Ecclesiæ Christianorum publicum declaravit. Verùm ut comodiùs in eum, id quod cogitavit, efficeret, tali adinuentione usus est. Vocari fecit per litteras Apostolicas omnes Episcopes & Prælatos totius Regni Gallorum, mandans sub gravibus censuris, ut Romam venirent ad celebrandum Concilium. Quod mox ut Regi Philippo innotuit, nequis ire posset, omnes vias præclusit; hinc Papa Bonifacius nimium contra Regem iratus, alium modum excogitare cœpit, per quem se acriter posse vindicare non dubitavit. Revolutis enim antiquis statutis & privilegijs sacræ Romanæ Ecclesiæ, reperisse se gloriabatur tumidus, quòd Reges Gallorum omnes Regnum ipsum, tam in temporalibus, quàm in spiritualibus à Sede Apostolica sibi beneficialiter indultum, debeant recognoscere, & propterea Romanum Pontificem ut feudalem Dominum suum honorare. Misit ergo in Galliam Clericum quendam Romanum Narbonensem Archidiaconum, oratorem suum atque Legatum cum litteris suis Apostolicis, in quibus Regi mandavit, ut recognitionem faceret Regni Apostolicæ Sedi: quod nisi faceret quantocius, fideliter sciret se fore excomunicatum, & regnum alteri Auctoritate Apostolicâ conferendum. Veniens autem ad urbem Parisiensem, ubi tum Rex morabatur, præfatus Papæ Legatus malè fuit exceptus, & citò per Gallos de Regno haud sine injuria repulsus. Comes námque Artensis litteras Papæ de manibus Nuntij violenter rapuit, & pro contemptu Pontificis Legato ipso conspiciente in ignem projecit. Unde posteà justo Dei judicio malè perijt, quando per Flandrenses in bello peremptus fuit. Exinde Rex Gallorum omnes vias diligentissimè fecit observari & custodiri per suos, ne quis cum litteris Apostolicis ad regnum haberet introitum. Convocavit autem Rex in urbem Parisiorum, Episcoporum, Abbatum, Prælatorum, Baronum ac Nobilium copiosam multitudinem, & facto Concilio pro sui justificatione appellavit ab illa sententia se excusando, & contra Bonifacium invehendo plura in illum scelera produxit in medium, videlicet hæresis, Simoniæ, perjurij, homicidij & aliorum, concludens eum pro his meritò esse deponendum. Abbas verò Cistertiensis, coram quo appellavit, non acceptavit appellationem. Orta est ergo dissensio inter Papam Bonifacium & Regem Philippum gravissima; & alter alterum fortiter impugnabat, quærens eum à sua dignitate potenter dejicere.

Papa recognitionem Regni exigit à Rege.

Rex contrà Papam Parisijs celebravit concilium.

Bonifacius autem Papa utróque gladio pro viribus utebatur in Regem, quem inprimis excommunicavit, átque censuris alijs terribilibus subjiciens innodavit; nec minus gladio materiali quantum potuit persequi non cessavit. Quoscúnque potuit verbis, scriptis, muneribus atque promissis in ejus odium provocare, diligentissimè studuit, & multos Principes, Duces, Comites & Barones ab ejus fide in magnam displicentiam revocavit, quamvis totum quod voluit, efficere minimè quidem potuit.

Denique in tantum furor Pontificis crevit contra Philippum Regem, ut eum penitus à regno cogitaverit deponere, multúmque secum deliberavit, qualiter depositionis modum potuisset convenientem invenire. Post multam igitur deliberationem Regi tandem Theutonicorum scripsit Alberto, instantissimè hortans, eum quatenus ad sumendam coronam Imperij Romanam properaret ad urbem, se operam promittens daturum, ut amplioribus titulis decoraretur honoris, qualibus à tempore Caroli magni nullus Germaniæ Regum decoratus esset. Intellexit confestim Rex Albertus mysterium, & nuntio regalibus cumulato muneribus Pontifici rescripsit, eâ se vice propter ardua regni negotia, & corporis valetudinem venire haud posse, rogans nihilominus intuitu necessitatis se haberi excusatum. Rursus Papa Legatum misit alterum cum litteris Apostolicis, quibus significabat se Regem Philippum propter contemptum Apostolicæ Sedis & multa nefanda scelera per sententiam à Regno deposuisse Gallorum, & nunc Regnum ipsum vacans ad Ecclesiam Romanam esse devolutum, tanquam ad verum Dominum ratione juris feudalis. Unde ne regnum pollueretur ab invasione hæreticorum, illud Regi Alberto ut fideli Romanæ Sedi concessit, & ut non contradiceret per Apostolica scripta mandavit. Pollicebatur ad hæc pecunias, viros armatos, & quidquid esset necessarium, se promptè daturum. Rex verò Albertus consilio suorum habito, Pontifici rescripsit, antiquâ Regum provisione cautum, ne post divisionem Regni Francorum, quæ facta est post mortem Caroli Imperatoris magni Regis Francorum Orientalium, id est, Theutonicorum, sibi violenter regnum usurpet vel inquietet Gallorum, nec quisquam Regum Galliæ, id est, Franciæ Occidentalis aut Regnum invadat Theutonicorum, aut Imperium sibi quomodolibet usurpet Romanum. Unde cùm ea Principum constitutio eatenus permanserat inviolata, sibi non videretur honestum, si primus ipse eam temeraverit. Regnum itaque Gallorum sibi à Pontifice oblatum Albertus respuit, & ut non videretur Ecclesiæ inobediens, multa pro sui excusatione scripsit. Rex autem Gallorum Philippus, cui omnia Pontificis consilia per eos, quos pecuniâ corruperat, fuerunt manifesta, quotidiano studio & maximâ utebatur industriâ, ut non solùm Pontificis præveniret insultus, sed ad hæc maximè laborabat, quatenus illum capere potuisset, quod etiam postremò factum est, ut suo loco dicemus.

Papa Regē Albertum invitat ad Imperium.

Quare Albertus recusaverit Regnum Gallorum.

MCCCII.

Anno Henrici Abbatis tertio, Indictione Romanorum quintadecimâ die mensis Januarij vicesimâ octavâ, mortuus est Fridericus de Bolandia Episcopus Spirensis, cujus Corpus in Monasterio Userstal Cistertiensis Ordinis, cum debito honore sepelitur, ad cujus sepulchrum tale sculptum in marmore legitur Epitaphium: *Continet hæc fossa Friderici Præsulis*

Fridericus Episcopns Spirensis obijt.

sulis ossa quondam Spirensis: Deus illum pascere mensis cœli digneris, epulis quoque jungere veris. Anno MCCCII. Atque Calend. quinto Februi datur is pius antro. Moritur Anno Pontificatûs sui tricesimo minus quinque & triginta diebus duntaxat exacto. Memoratus Præsul in multa pietatis suæ studia posteaquam inquisitionem fecisset diligentissimam, nec posset invenire neque in sculpturis parietum, neque in scripturis Annalium, neque etiam ex testimonijs hominum, quis aut quando major Ecclesia Spirensis esset consecrata, accepto suorum consilio eam nonâ die mensis Septembris de novo consecravit, anno Pontificatûs sui nono, qui fuit Dominicæ Nativitatis MCCLXXXI. Post cujus mortem Sigebodo de Lichtenberg Electione Canonicorum Episcopus Spirensis Ecclesiæ institutus præfuit annis ferè XII. Vir bonus & Jurium Ecclesiæ suæ defensor studiosus, qui ad honorem Omnipotentis Dei, caput S. Stephani Papæ & Martyris argento vestiri præcepit, sicut hodie cernitur; sanctus námque idem Stephanus Papa & Martyr memoratæ Spirensis Ecclesiæ Primarius post Dei Genitricem Patronus est.

Sigibodo fit Episcopus Spirensis annis duodecim.

His temporibus mortuo Wigboldo Colonienſis Ecclesiæ Archiepiscopo, Henricus de Isenburg ejus nominis secundus in Pontificatu succedens præfuit annis sex & viginti: homo stemmate generis aviti satis æmulator, & qui ad militiam magis, quàm ad Clericatum natus videretur. Toto Pontificatûs sui tempore cum Civibus urbis Colonienſis dissensiones gravissimas habuit, sed & contributiones Clero non minus inconsuetas quàm duras sæpius imposuit. Cum vicinis etiam Comitibus & Nobilibus plures discordias tenuit, sed tamen victor semper evasit.

Henricus Comes de Isenburg fit Archiepisc. Colonienſ.

Anno etiam prænotato Gerhardus Archiepiscopus Moguntinus, Dietherus Archiepiscopus Trevirensis, Henricus Archiepiscopus Colonienſis & Rudolphus Comes Palatinus Rheni, Bavariæque Dux, cum Comitibus quibusdam & Baronibus quandam confœderationis mutuæ inter se concordiam juraverunt, quam litteris necessarijs confirmârunt átque sigillis. Causa ejus confœderationis Principum alia fuit in aperto, atque alia in occulto; quæ dicebatur in aperto, reverà non erat causa; quæ autem latebat in occulto, non dicebatur, propter metum Regis & infidelitatem Aulicorum. Fuerant enim qui scriberent, Regem Albertum suo arbitrio, & sæpius quidem præter causam & rationem agere multa, quæ jure cum Principum consilio & consensu fieri debuissent. Denique scribarum & humilium personarum, non dico vilium, quæ in aula versabantur regali, quotidianæ consultationes animum Regis falsis delationibus à via rectitudinis & veritatis multùm fecêre deviantem, in tantúmque malè proficere malos judex æquitatis permisit, ut Rex aliquoties diceret inter pocula Bacchi: *Nihil sè Principibus boni considere, propterea quòd Adolphum Regem, cui tunc fuerant jurati, sicut nunc sibi, perfidiâ moti dejecissent à Regno; ne mihi faciant simile, curabo eorum superbiam humiliare.* Alia quoque multa in Principes Electores fulminavit opprobria, quibus animum suum non parum satis illis declaravit aversum. Fuerunt & aliæ in cognitionibus Principum causæ hujus confœderationis occultæ, quas in publicum ratio vetat edicere. Unde Principes non sine causa mutuum hoc fœdus inierunt, metuentes futurum, cui simile multis in regnis contigit malum. Et quidem talis provida eorum confœderatio extitit, sed in periculo jam constituto

Confœderatio Principum Imperij.

Rex contempsit Principes.

alter

alter alteri juxta compactata non occurrit. Audiens enim Rex fœderis continentiam, quod Principes sine ejus coniventia inter se composuerant, haud parum obstupuit; & metuens sibi, quod Antecessori suo Regi noverat factum Adolpho, consilium eorum destruere totis viribus cogitavit.

Rex movit exercitum contra Rudolphū Palatinum.

Morarum itaque impatiens magnum suorum conduxit exercitum, & de Basilea inopinatè descendens in terram Rudolphi Comitis Palatini Rheni, qui morabatur in Heidelberg, cùm eâ vice nihil mali ille suspicaretur venturum, essétque omnino & penitus imparatus ad bellum, omnem ejus Principatum devastando nemine resistente pertransivit. Quid moramur cùm res acta sit breviter? Ad omnimodam Regis deditionem Comes venire Palatinus Rheni compulsus est, fidem Alberto iterum dedit atque juravit, obsides præstitit, conditiones ut sincerus à Domino suscipiens, fœdus Comprincipum abjuravit.

Et contrà Archiepisc. Moguntinum.

Rex autem Albertus Rudolpho Comite Palatino in sua verba compulso, ne cœteris copia daretur Principibus congregandi Exercitum, copias movit confestim contra Gerhardum Archiepiscopum Moguntinum, omnia in circuitu hostiliter devastans. Quid animo cogitârit, innotuit, & plures Ecclesiæ munitiones funditus destruxit. Tum verò inopinatè super gentem Archiepræsulis irruit, quòd nullum Exercitûs congregandi tempus Archiepiscopo fuit.

Rex oppidū Bingen obtedit & obtinuit.

Anno igitur Dominicæ Nativitatis prænotato Rex Albertus venit cum magno suorum exercitu per Gavium Wormatiensem in terras Archiepiscopi Moguntini, per quam devastator hostilis proficiscens oppidum Bingen ad Rheni littus positum, ubi Nahus fluvius Rhenum influit, quatuor in descensu fluminis à Moguntia milliaribus distans, obsidione vallavit; pertinet enim memoratæ Ecclesiæ Moguntinæ. Est in oppositio Bingiorum ab alia parte Nahi fluminis Cœnobium Monialium nostri Ordinis in colle positum, quod S. Hildegardis Monialis quondam construxit, quemadmodum in prima hujus operis parte longè supra diximus, anno videlicet Volmari Abbatis XXVII. quod cùm sit ad expugnationem urbis conveniens statio, Rex Albertus in eo partem exercitûs locavit. Moniales autem prius metu ad loca se tutiora cum rebus suis contulerant.

Archiepisc. recipitur ad gratiam Regis Alberti.

Post dies obsidionis paucos cùm cives tantæ se multitudini armatorum resistere haud posse perpenderent, Regi oppidum tradiderunt; qui mox urbem cum suis intravit, & juramentum fidelitatis, ut consuendinis esse ferunt, à Civibus accepit. Interea Gerhardus Archiepiscopus considerans se Regi viribus imparem, ad eum in memorato consistentem oppido venit, gratiam petijt, indulgentiámque commissorum, & facilè quidem totam impetravit.

Verùm pro confirmatione pacis atque concordiæ inter Archiepiscopum & Regem datæ & acceptæ fuerunt multæ conditiones. Nam Archiepiscopus denuo fidem Regi Alberto juravit, ipsúmque oppidum Bingiorum, cum adjacente castello Klopp dicto, Erenfels quoque castellum ab alia Rheni parte situm cum telonio, Scharpfenstein quoque castrum, & Loinstein oppidum haud procul à Confluentia positum cum quibusdam alijs ad manus Regis dare quasi obsidum vice Archiepiscopus ipse compulsus fuit; quæ tamen omnia successu temporis ad Jus Ecclesiæ Moguntinæ Regali munificentiâ restituta fuerunt. Oppidum verò

Bingen

Bingen cum adjacente castro Klopp: Erenfels quoque & telonium, quæ olim ad Archiepiscopum respiciebant, hodie ad Jus Canonicorum majoris Ecclesiæ pertinere noscuntur.

Miraculum B. Virginis factum apud Bingen.

Anno prænotato, posteaquam Rex Albertus oppidum Bingen obtinuit; præsidium militare, quod in Cœnobio Monialium sancti Ruperti locaverat, ejus jussione discedens ad alia se loca recepit, & Monasterium sine habitatore omnino vacuum remansit. Erant autem duo nebulones nihil omnino habentes, qui propter suam inopiam (ut fieri solet) exercitum sequebantur furandi gratiâ, non pugnandi. Qui Monasterium Divi Ruperti post militum recessum intrantes, dum Rex cum Archiepiscopo pro concordia pacis tractatum haberet in oppido, diligenter omnia perlustrabant loca, si quippiam invenire potuissent, quod in relevamen suæ inopiæ rapuissent. Scrutatis autem quàm diligentissimè cunctis Monasterij angulis, nihil penitus invenerunt, quoniam prius omnia per Moniales seu alios fuerunt ablata.

Duo fures Cœnobium S. Ruperti perlustrabant.

Exeuntes ergo claustrum, perscrutabantur Ecclesiam, si quid in ea relictum invenirent: chorus eo tempore Monialium non erat elevatus in altum, sed in terra positus instar Ecclesiæ Monachorum, quem nostris temporibus Gerlacus Abbas Tuitiensis ex mandato Bertholdi de Henneberg Archiepiscopi Moguntini reformator & visitator ejusdem Monasterij, ut nunc est, in altum construendo erexit. Erat ante chorum in exteriori Ecclesia in angulo ad meridionalem plagam altare sub honore S. Catharinæ Virginis & Martyris consecratum, super quod in muro arcualiter excavato Imago B. Mariæ semper Virginis in plano manu artificis admodum pulchrè, atque decenter depicta, Coronam habens in capite, in qua lapides quatuor erant cristallini per gyrum intexti atque infixi, quintus verò cæteris major in pectore fuit sacræ imaginis collocatus.

Fur lapides de corona Imaginis Mariæ avulsit.

Cùm ergo fures illi perlustrato choro simul & Ecclesiâ nihil invenissent rapiendum, alter eorum ne vacuus abiret, prædictum altare pollutus & immundus ascendit; extractóque pugione suo lapides de corona sanctæ imaginis effodere cœpit. Cui alter socius ejus per increpationem dixit: *Quid facis, ô miser, quid facis? Desine Matrem spoliare misericordiæ, per quam solam post Deum (si nobis salus unquam contingere debebit) & non aliter poterit obvenire.* Cujus monita sacrilegus ille contemnens, ut cœperat, de corona lapides evulsit. Postquam verò lapides quatuor de corona effodissent, etiam quintum de sacro virginis pectore impiâ temeritate subfodere cœpit.

Imago Virginis sudavit per totum.

Mira res contigit. Mox enim ut sacrum pectus pugione contingere, ac violare præsumpsit, sudare per totum imago cœpit. Quo viso miraculo sacrilegus aliquantulum horruit. Sed obcæcatus animo à cœpto crimine non cessavit. Evulsit ergo de sacro Imaginis pectore lapidem, & sceleris reatum sui grandem non attendit.

Lac & sanguis ex vulnere imaginis prosilit.

Extracto autem lapide mox sanguis lacte mixtus de vulnere imaginis in magna quantitate erupit. Quod videns infelicissimus ille, totus inhorruit, prosiliénsque de altari, pulverem in Ecclesia collegit, & vulnus Imaginis obstruere cœpit. Quanto autem magis vulnus Imaginis obstruere studuit, tantò plus liquor sanguinis & lactis de sacro pectore emanavit. Quod ubi miserabilis ille vidit, non ad pœnitentiam, ad quam

per lactis invitabatur liquorem, conversus est, sed obstinatus in malitia & datus in reprobum sensum, confestim de Ecclesia exijt, & præcipitans se in vicinum flumen submersus fuit.

Superveniens autem Sacerdos quidam, qui Missam in eodem altari celebrare consuevit, & videns miraculum quod contigerat, corporale suppositit, & sanguinem cum lacte de vulnere Imaginis profluentem in eo collegit: quem ad perpetuam rei memoriam devotio populi vitro impositum, cum Sanctorum reliquijs in eodem Monasterio venerandum collocavit. Et nos jam longo ex tempore siccatum hunc liquorem lactis & sanguinis, qui de vulnerato imaginis pectore miraculosè fluxit, & vidimus oculis, & contrectavimus manibus nostris, & ad preces Magistræ de veteri confracto vase in novum transposuimus vitrum anno Abbatiæ nostræ Spanheimensis quinto decimo, quando ossa etiam S. Hildegardis elevavimus.

Publicato autem per Sacerdotem, qui liquorem de vulnere imaginis manantem collegerat miraculo, factus est magnus fidelium concursus non solùm ex oppido Bingiorum proximo, sed etiam ex Stauroneso & ex Moguntino ceteríque in circuitu viculis multis: Albertus etiam Rex, qui cum magna parte Principum sui exercitûs, dum hæc fierent, adhuc morabatur apud Bingios in tractatibus concordiæ cum Archiepiscopo sicut dictum est, occupatus, audiens miraculum tam grande factum, unà cum memorato Pontifice atque Principibus ad monasterium S. Ruperti venit; sanguinem lacte mixtum de pectore imaginis perforato fluxisse vidit & obstupuit; & valde confortatus in fide Dominum collaudavit.

Capella in eodem loco ad rei memoriam constructa est.

In memoriam verò hujus Miraculi Capella ibidem in honorem Beatissimæ Dei Genitricis semper Virginis Mariæ constructa est permissione Gerhardi memorati Archiepiscopi Moguntini, in qua etiam altare nunc est positum: & in honore Dei parentis consecratum. Imago autem sanctissimæ Virginis Mariæ, de qua lactis & sanguinis emanaverat liquor, in arcu parietis super altere deposita manet cum vulnere usq; in præsentem diem.

Anno item prænotato Rex Albertus, posteaquam Moguntinum in deditionem compulisset Archiepiscopum, contra Trevirensem quoque Archiepiscopum movit exercitum; ducens in auxilium copias & Rudolphi Comitis Palatini, & Archipræsulis Moguntinensium, quos sibi potenter, ut diximus, fecerat subjectos. Archiepiscopus autem Trevirorum, quem æris magna premebat inopia, cùm regis percepisset adventum, cui se nullatenus posse obviare viribus non ignorabat, mox in ejus properavit occursum, humiliatóque supercilio gratiam & veniam obtinuit commissorum.

Ulterius autem progrediens cum exercitu, provinciam terræ Henrici Archiepiscopi Colonienſis nostri vastavit incursu: nec à devastatione cessare voluit, donec & ipsum ad subjectionem omnimodam armorum potentiâ revocavit. Acceptísque ab eo sicut & à cæteris multis cautionibus, eorum confœderationem ut aranearum rete dissolvit, & suis obedire præceptis coegit.

Wilhelmus fit Capitaneus Flandrens. contra Gallos.

Anno Dominicæ Nativitatis prænotato perpendens illa Colligatio Flandrensium populorum, de qua præcedente anno diximus, quòd sola

& sine

& sine duce non esset sufficiens Philippo Regi Gallorum resistere, anxia cœpit de suis negotijs consultare. Erat illo in tempore Wilhelmus filius Comitis vallis Rheni, & mater ejus fuit filia Guidonis quondam senioris Comitis Flandriæ, qui mortuus fuit in carcere Regis Gallorum, & ipse in Brabantia Clericus degebat. Hunc evocatum Flandrenses sibi Ducem exercitûs constituerunt, quoniam & juvenis erat audacissimus, & propter fratrem suum in carcere Comitis Artensis mortuum acerrimus Gallorum inimicus. Qui relicto Clericatu Flandriæ dominium acceptavit. Mox ergo contractis Copijs Gandenses, qui cum Rege Gallorum eo tempore sentiebant, obsidione vallavit; quos cùm expugnare non posset propter loci firmitatem, solutâ obsidione inde recessit, & per Comitatum ubique discurrens, villagia & loca minus communita sine difficultate omnia celeriter in suam potestatem accepit, ex quorum acquisitione, & numero & opibus valde auctus est. Hæc audiens Guido filius Comitis Flandriæ profugus & exul à terra, nepos memorati Comitis Wilhelmi, reversus est in Flandriam, susceptúsque honorificè ab incolis auxiliator illis factus est. Imprimis igitur Guido Comes memoratus de consensu nepotis cum quindecim millibus Flandrensium Cortracum obsedit, expugnavit & cepit præter castellũ oppido adjacens fortiter munitum, in quo firma locata fuerant præsidia Gallorum. Comes autem Wilhelmus cum reliqua parte exercitûs oppidum Casellæ obsedit expugnavit & cepit Civium deditione voluntariâ, ex quo iterum exercitus Flandrensium magnum habuit incrementum. Intereà Galli milites, qui erant in arce Cortraci, de victualibus ad continuandam defensionem non satis provisi, nuntios miserunt ad Regem, auxilium contra Flandrensium obsidionem postulantes. Qui misit ad eos Comitem Artensem avunculum suum cum magno pugnatorum exercitu, peditum videlicet quadraginta millium, & equitum septem millium, in quorum numero magna pars nobilitatis, Ducum, Comitum, Baronum ac militarium Galliæ fuisse memoratur.

Guido filius Comitis Flandriæ associatur nepoti.

Venientes autem in Flandriam Galli castrametati sunt propè oppidum Cortrich ad spatium dimidij milliaris. Rex autem Gallorum Philippus avaritiâ contristatus, ad supplementum expensarum hujus inchoati maximi belli, monetam alterari (ne dicamus falsificari) mandavit, unde lucrum sibi maximum, mercatoribus autem & populo inæstimabile oriebatur detrimentum. Duas etenim partes valoris de moneta retraxit, & novam, quæ tertiam prioris monetæ partem valebat duntaxat, fabricavit; quam tamen tantundem ut priorem solvere mandavit. Ex hac mutatione monetæ Rex omni populo detestabilis & odiosus factus est, & mercatores Italiæ multi in extremam sunt acti paupertatem.

Moneta jussione Regis mutatur in deterius.

Comites ergo Flandrensium Guido & Wilhelmus cùm tantam multitudinem exercitûs Gallorum contra se intellexissent advenisse, & quòd eorum congressum subterfugere cum honore non possent, decreverunt magis cum decore inire conflictum, & mori pro populo, quàm memoriam sui per turpem fugam aut servitutis cujuscunque opprobrium perpetuis maculare temporibus. Igitur Guido & Wilhelmus strenui milites simul adunati cum viginti millibus ex plebeis Brugensibus & vicinis eorum pedestribus cunctis (præter paucos nobilitares) de Cortraco exierunt, contra exercitum Gallorum, & castrametati sunt in quadam

Flandrens. ad bellum contra Gallos se parant.

planicie, per quam via dirigitur ad Gandavum, acies ſuas ex adverſo Gallorum ordinantes. Erat autem in fine illius campi quoddam foſſatum aquarum in modum novilunij arcuatum, quod propter elevationem terræ non poterat videri niſi à propè conſtitutis. Super uno igitur latere cornuto hujus laci Flandrenſes ſe pedites locaverunt; Equites etiam quos habebant deſcendentes ex equis juxta reliquos in pedibus ſteterunt, tenentes lanceas in manibus ſuis, quemadmodum ſi contra apros in venatione eſſent proceſſuri. Baculos quoque ferratos atque nodoſos in promptu habebant, ferro in extremitate acutos. Arma eis aut nulla erant, aut pauca, qui pauperes ac neceſſitate commoti bellandi conſuetudinem non habebant. Deſperatio illos fecit audaces, utpote qui mori, quàm fugere aut in manus devenire hoſtium ſuorum conſtanter ſtatuerunt. Duces verò populi Guido & Wilhelmus jam proceſſuri ad pugnam, juſſerunt adeſſe Sacerdotem, qui Corpus Dominicum in convenienti loco poſitus cunctis palam oſtenderet: verùm quia propter multitudinem cõmunicare non omnes poterant, ſigna devotionis ſuæ in Deum cuncti oſtendebant. Nam unuſquiſque modicum quid in memoriam Dominicæ cõmunionis de terra in os ſuum poſuit. Comites etiam memorati diſcurrendo hinc inde per acies populum admonebant ad viriliter pugnandum, revocantes eis ad memoriam tyrannidem, ſuperbiam, impietatem, dolos & fraudes Gallorum, & quantam contumeliam, injuriam, & injuſtitiam fecerint Comitibus Flandrenſium ſimul & omni populo, ſimul monentes, ut illorum crudelitatem ante oculos ponerent, quam eſſent ſubituri, ſi Gallos in eo tantum prælio contingeret eſſe victores. Verba dicta multa, rationi convenientia & negotio, quibus animos multitudinis Dux belli Guido ad fortitudinem provocavit. Comes verò Artenſis exercitûs Gallorum Capitaneus, ubi vidit, quòd Flandrenſes in planitiem conveniſſent ad pugnandum, ſuos contra illos in decem acies ordinavit, proceſsítque ad locum, ubi illi ſtabant prælium exſpectantes. Habebat autem in ſuo exercitu non minus quinquaginta millia pugnatorum, qui omnes ad bella fuerunt doctiſſimi. Flandrorum verò ſicut diximus, vix erant viginti millia, è quibus pauciſſimi fuerunt in rebus bellicis exercitati. Accedentes itaque Galli ſatis armati contra Flandrenſes fortiter cœperunt, & inchoatum eſt bellum. Acies ergo prima impetum faciens contra ſtantes turmatim cecidit in foveam, quæ aquis plena fuerat inter utrumque exercitum, & à Flandrenſibus, qui ſtabant ex adverſo clavis & baculis ferreis percuſſa interijt. Comes quoque Artenſis qui erat Dux belli cum ſua acie impetum faciens cum ſuis equeſtribus urgebat præcedentes in tantum, quòd procedere cogebantur. Venientes autem ad foſſatum quod ignorabant, omnes in ipſum ceciderunt, ab aquis ſuffocati vel interempti. Et quia pulvis etiam magnus repleverat aërem ex curſu equorum, quòd non poterant prævidere quid ageretur in acie Galli, nec voces intelligere periclitantium propter rumores & ſonitus percuſſionum, & poſteriores fortiter impellebant præcedentes, nulli retro cedere fuit poſſibile. Unde Comes Artenſis & Coneſtabulus cum alijs multis cadentes in foſſatum vel ſuffocabantur in aquis, vel à Flandrenſibus occidebantur. Superatus eſt igitur Gallorum exercitus à Flandrenſibus & ita exterminatus, ut ſex millibus equitum occiſis & peditibus

Bellum fit inter Gallos & Flandrenſes atrox.

Galli ſuperantur à Flandrenſibus.

ſine

sine numero interfectis pauci ex tanta multitudine Gallorum evaserint. Post hanc Brugensium victoriam contra Gallos apud Cortracum habitam, Guido & Wilhelmus Comites omnem Flandriam cum exercitu peragrantes Gandavum, Insulas, Duacum & reliqua oppida cuncta in deditionem sine alicujus resistentia acceperunt. Nec remansit villula vel oppidum in tota Flandria sive locus, qui ab eis dissentiret. Ejecerunt autem Brugenses & Gandavenses simul & reliqui cives omnes majores natu extra patriam, qui favere Gallis putabantur. Rex autem Gallorum Philippus auditâ strage suorum dissimulans mentis suæ dolorem, qui non erat modicus, ad vindictam se totum contra Flandrenses præparavit, & magno suorum adunato exercitu personaliter egressus est in manu forti de civitate Parisiorum, venítque ad civitatem Atrebatensem cum decem millibus equitum & peditum sexaginta millibus. Insuper litteras miserat Carolo Valesiano Fratri suo, qui tunc erat in Italia, ut omni occasione postpositâ cum suis veniret in Galliam, cum eo processurus in Flandriam. Qui veniens Regi conjunctus est, & exercitum octoginta millium pugnatorum contra Flandrenses produxerunt ad pugnam.

Flandria Guidoni subjicitur.

Anno igitur Henrici Abbatis prænotato Rex Gallorum Philippus cum suo exercitu de Atrebato egressus contra Flandriam venit in villam Flandriæ vicinam, quæ nominatur Vitriacum, non procul à Duaco distantem, & est magna, habens in circumferentia spatium fermè decem milliarium Gallicorum, in qua castra posuit. Flandrenses qui se ad defensionem jam antea præparaverant, duces belli habentes Johannem filium Comitis Flandriæ, & Guidonem supra dictum, nihil cunctati, neque paventes ad multitudinem Gallorum, non se continuerunt in Duaco, sed exeuntes cum exercitu contra hostes processerunt, vociferantes die noctúque, & provocantes adversarios suos Gallos, ut exirent ad pugnam. Facta sunt hæc in mense Octobri, & fuit tempus pluviosum, nec satis aptum ad bellum. Et quia terra illa plena est paludibus & foveis in tantum, quòd periculosum videbatur, tempore hyemali, in ea committere bellum, quando nec victualia exercitui poterant adduci, nec milites cum equis suis ad quæque loca procedere. Quamobrem Rex congressum bellandi conpulsus fuit intermittere, & aliud tempus exspectare. Unde treugis datis & acceptis per annum cum Flandrensibus, sine pugna cum suis copijs in Galliam reversus est. Erant qui aliam recessûs illius causam assignarent. Anglorum Rex Eduardus, qui Flandrensium occultus fuit amicus, cùm eos liberare apertè non auderet, tali consilio liberavit. Hic nocte quadam jacens in lecto cum uxore (quæ soror fuit Philippi memorati Regis Gallorum) prudenti fictione dixit ad illam: *Est secretum, quod tibi volo dicere, ô conjunx mihi charissima, si mihi fidem dederis tuam, quòd illud nemini sis dictura.* Juravit illa silentium, & excogitatum detexit maritus arcanum: *Timeo*, inquit, *vehementer, ne frater tuus Rex Galliæ Philippus grande malum subiturus sit cum istis Flandrensibus pugnaturus; nam secretò percepi, quòd aliqui ex Comitibus & Baronibus suis in eum facturi sint proditionem. Sed cave, ne cui revelaveris.* At mulier alterâ mox die omnia per nuntium Regi Gallorum fratri suo intimari curavit, quæ à marito in secreto audivit. Territus his novitatibus Rex Gallorum, ac suspectos habens suos omnes, cùm nesciret, à quibus foret sibi cavendum, Flandrensibus

Rex Gallorum treugas facit cum Flandrensibus.

Regis Anglorum subtilis inventio.

congredi non audebat, sed factis ad anni spatium treugis, sine prosecutione belli in Galliam reversus est.

MCCCIII.

Bonifacius Papa VIII. Anagniæ capitur.

Henrici Abbatis quarto, Indictione Romanorum primâ, in mense Septembri, Rex Gallorum Philippus misit hominem quendam ferocis animi de familia Columnensium nomine Sciarra cum quadringentis equitibus & magna multitudine peditum ad civitatem Anagniæ, ubi Papa Bonifacius tunc morabatur octavus, ad capiendum eum. Traditione igitur factâ urbem cum suis Sciarra nullo resistente intravit, & cùm nihil tale suspicaretur Pontifex, ad ejus palatium manè armatus pervenit. Bonifacius autem Papa cernens se proditoriè circumventum & captum (Cardinales enim aufugerant omnes, & absconderant se timore ducti, & forsitan aliqui hujus conspirationis non ignari) inperterritus dixit ad invasores: *Ex quo proditoriè sicut JESUS Christus captus sum, & datus in manibus impiorum ad occidendum, mori volo ut Papa.* Et his dictis fecit se indui ornamentis Papalibus, ac mitrâ seu coronâ aureâ redimitus in throno sedebat. Ad quem accedentes inimici ejus, Sciarra & reliqui plures, verbis contumeliosis aggressi sunt Pontificem & irriserunt eum circumstantes multiplici subsannatione. Inter alios quidam Wilhelmus de Lungueretto vehementius Papæ insultabat, qui pro Rege Gallorum tractatum capturæ illius adduxerat, & minatus est ei, quòd ligatum ipsum duceret Lugdunum, quatenus in generali Concilio solemniter deponeretur. Cui Papa non deficiens animo respondit: *Patienter feram me condemnari & deponi per Patarenos.* Fuerunt autem Patareni Hæretici atque Schismatici, ab Ecclesia condemnati & combusti, cujus sectæ progenitores Wilhelmi extiterant, & ignibus cremati, de quibus supra diximus Anno Gottfridi Abbatis VII. qui alio nomine dicebantur Fratricelli. Quibus verbis Papæ confusus Wilhelmus, cum rubore obmutuit. Domino autem disponente ob dignitatem Sedis Apostolicæ nemo ex inimicis ejus ausus fuit mittere in eum manus, sed indutus sacris vestibus sub honesta detinebatur custodia. Ipsi autem insistebant prædæ diripientes thesauros Ecclesiæ, & quidquid in palatio poterant invenire. Permansit Pontifex in custodia sic tribus diebus. Tertiâ autem die Cives Anagniæ suum ad memoriam revocantes errorem, & de sua erga Pontificem ingratitudine haud immeritò pœnitentes arma corripiunt, & vociferantes: *Vivat Papa, & moriantur traditores*, per urbem discurrunt. Mox itaque Sciarram cum suis militibus de Civitate violenter ejicientes, quosdam ceperunt, & non paucos ex ijs occiderunt, Pontificem de custodia impiorum liberantes.

Papa liberatus è custodia tertio die.

Papa animi mœrore consumitur.

Liberatus igitur Pontifex cum familia sua nimio animi dolore propter susceptum dedecus absorptus, & contristatus inde discessit, ac Romam cum suis remeavit. Disposuerat autem in animo suo Romæ apud S. Petrum convocare Concilium ad vindicandam injuriam sibi & Ecclesiæ factam subordinatione Philippi Regis Gallorum, quemadmodum legimus & sanctum fecisse Papam Sylverium contra suos detractores impios, qui illum proscripserant in exilium. Injuria enim Romano Pontifici facta nulli Christianorum est dissimulanda, cùm fideles concernat omnes, qui Ecclesiæ sunt subjecti.

Verùm

Verùm Pontificem ista cogitantem moeror animi quotidie gravior afflixit, comotum usq; adeò, quòd melancholia morbum induxit gravem, quo nimium crescente quod cogitaverat implere non potuit. Post paucos etenim dies moerore ac infirmitate consumptus obijt, & in Ecclesia sancti Petri post introitum honorificè sepultus fuit. De cujus introitu ad Pontificatum vita, & moribus multi multa perperam satis scripserunt; sed quia nobis judicium usurpare non debemus, nam prava de mortuis scribere nisi aut utilitas requirat publica, aut necessitas persuaserit manifesta, non est boni viri atque prudentis, multò ergo minus Christi Vicarium licebit alicui deturpare. Post cujus obitum de mense Octobri Canonicè in Papam fuit Electus Nicolaus Tarvisinus ex ordine Fratrum S. Dominici Cardinalis, homo doctus & magnæ probitatis, qui Benedictus ejus nominis XI. nuncupatus præfuit duntaxat mensibus novem. Cui si diutius vivere licuisset, profectò Pontificem se non inutilem Ecclesiæ præstitisset. Hic quondam iu sæculo humilis conditionis extitit, natus ex Tarvisio, qui paupertate compulsus, apud Venetos aliquanto tempore pueros in Grammaticis docuit, & eorum se stipendio tenuiter enutrivit. Ordinem posteà S. Dominici ingressus non segniter conversatus est, sed virtutibus operam navans & studio scripturarum, in modico tempore doctissimus evasit: & in Ordine per omnia officia gradatim ascendens ex subpriore Prior effectus, deinde ex priore Conventuali Provincialis, posteà Magister Ordinis Generalis, exinde Cardinalis, & postremò Papa esse meruit. Factus autem Papa subitò ad componendam pacem in omnibus Ecclesiæ finibus animum suum apposuit, & inprimis quidem Philippum Regem Gallorum reconciliavit Ecclesiæ, absolvens eum ab Excommunicationis sententia, quam Papa in eum Bonifacius fulminavit: Censuras etiam Bonifacij contra Columnenses prolatas revocavit.

Bonifacius Papa VIII. Romæ moritur.

Benedictus fit Papa XI. Ordinis Prædicatorum.

Rex Gallorum ab Excomunicat. absolvitur.

Anno Dominicæ Nativitatis prænotato Suitenses contra Comitem de Habspurg moventes, castrum Vallis obsidione cinxerunt, quod tandem capientes, castellanum crudeliter interfecerunt, & ipsum castellum destruentes suppositò igne funditus subverterunt. Deinde Conventione factâ perpetuum adinuicem fœdus perficiunt, litteris & juramentis illud fortissimis confirmantes, videlicet Incolæ de villa Svvitz, Ure, & Undervvalden contra præfectos terræ; quorum exactiones ultra debitum gravissimas ferre amplius recusabant. Crevit hæc eorum colligatio cum tempore multum, in tantum, quòd etiam magnis hodie Principibus & metuenda videatur non immeritò.

Switenses bellum agunt contra Comitem de Habspurg.

Anno etiam præscripto Flandrenses adunatis Copijs suis hostili incursu Comitatum intraverunt Artensem, & omnia per circuitum ferro & incendio gravissimè devastârunt. Suburbana etiam Artensis oppidi flammâ destruxerunt, & multam prædam ex toto Comitatu abegerunt. Exinde castrametati sunt in nemore ultra fluvium Liscium. Galli autem qui erant in oppido numero plures, Equitum videlicet tria millia, peditum verò sex millia, posuerunt insidias Flandrensibus. Nam pars exercitûs Gallorum nocte quadam de oppido secretè exiens, in loco se quodam nemoris occultavit, residui verò equites simul & pedites de oppido Artensi manifestè procedentes ad bellum contra Flandrenses insultum fecerant. Quibus Flandrenses congressi ad pugnam viriliter resistebant.

Bellum Flandrensium cum Gallis.

Ee

Et ecce bello jam ingravescente, Galli de latibulis insidiarum subitò erumpentes, à tergo Flandrenses cædere fortiter incipiunt, & ex utraque parte bellum atrox quamvis sorte inæquali committitur. Flandrenses autem cùm se in medio Gallorum viderent concluſos, fugæ subsidium quærebant, interfectis ex eis non minus tribus millibus.

Eodem anno Comes Flandriæ Guido contractis Copijs occupavit Seelandiam, quam jure hæreditario ex parte Matris ad se pertinere confirmabat unà cum Hollandiæ Comitatu. Et inprimis quidem principale oppidum Seelandiæ Middelburgum potenter obtinuit, ac postremò totam sibi Insulam Seelant subjugavit.

Philippus Flandriæ Comes belli Capitaneus instituitur.

Anno etiam prænotato Philippus memorati Guidonis de Flandria filius, qui lata in Apulia possidebat Dominia (habebat enim duos Comitatus in feudum à Rege Siciliæ) cùm audisset patriam suam in periculis constitutam, eique compateretur ex animo, resignavit feudum quod habebat, Regi Siculorum Carolo, & in Flandriam reversus est, malens Patriæ suæ subvenire pauper & modicus, quàm pereunte in provincia aliena dives esse & magnus Dominus. Qui veniens in Flandriam summâ Incolarum gratulatione susceptus est, & belli Capitaneus ac Dominus communi voto omnium constitutus. Mox igitur cum valido suorum exercitu Comitatum Artensem ingreditur, & per omnem discursans regionem oppida incendio destruxit & ferro, ac villas terræ omnes solotenus evertit usque ad mare. Custodiam verò Gallorum per oppida Comitatûs Artensis positam partim interfecit, partim fugere compulit. Post hæc urbem Tornacensem obsidione cingens fortiter impugnavit, his qui intus erant non minus fortiter repugnantibus. Erat autem Civitas benè munita, & omnibus necessarijs ad resistendum copiosè provisa.

Rex Gallorum treugas dedit & accipit annales.

Interim obsidione durante Rex Gallorum Philippus non minus fatigatus multitudine negotiorum, quàm magnitudine inpensarum attædiatus, Treugas à Flandrensibus per annum duraturas petijt & impetravit. Quibus compositis etiam sublata fuit obsidio. Et Comes Guido de Flandria, qui captivus tenebatur in Gallia, sub conditione in Flandriam redire permissus est, ut post certum tempus reverteretur ad carcerem; Qui dimissus venit in Flandriam, & cum magno susceptus gaudio, dixit: *Jam lætus morior visâ liberatione Patriæ meæ de manibus & tyrannide Gallorum.* Reversus autem ad carcerem, sicut juraverat, tempore constituto, non diu posteà moritur captivus, annos ætatis habens non minus octoginta. Vir bonus & prudens, cujus corpus in Flandriam relatum cum honore sepelitur.

MCCCIII.

Anno Henrici Abbatis quinto, Indictione Roman. secundâ, Comes de monte Rutilo, quem vulgari titulo nuncupant Landtgraffium de Leuchtenberg, magno Francorum adunato exercitu imperiale oppidum Schweinfurt obsidione vallavit & cepit.

Gerhardus Archiepisc. Moguntin' obijt.

Anno prænotato quinto Calend. Martij obijt Gerhardus de Epstein Archiepiscopus Moguntinus, & in principali Ecclesia sancti Martini cum debita solemnitate sepelitur. Post cujus mortem Ecclesia Moguntina vacavit in annum sequentem mensibus fermè decem. Fuit autem Gerhardus iste Præsul magnificus, vir magnæ prudentiæ, amator Cleri, & Claustralium tutor atque patronus singularis. Eodem

Eodem anno circa principium Junij mensis mortuus est Benedictus Papa XI. Perusij in Ecclesia sui Ordinis, Fratrum scilicet Prædicatorum, cum magna pompa sepultus non sine opinione Sanctitatis. Fuit enim vir optimus & religiosissimæ conversationis; in Divinis scripturis valde peritus, & sæcularis litteraturæ non ignarus: qui nonnulla fertur lucubrâsse opuscula, quorum tamen nihil ad nostræ meminimus pervenisse lectionis notitiam. Hic Pontifex tantæ fertur extitisse humilitatis, ut exemplar meritò dici queat omni posteritati ad imitationem virtutis. Nam ut insonuit Nicolaum summum adeptum Pontificatum apud Tarvisios, Mater ejus gaudio repleta venire ad eum salutandum quantocius festinavit. Quæ cùm paupercula esset mulier & humillimæ conditionis, ne vilitate indumentorum suorum filio Pontificatu jam sublimato verecundiam generaret, sericis ac pretiosis vestimentis, quæ commodato acceperat, se induit, & comitantibus matronis honestissimis ad Papam filium intravit. Quam ut vidit ingredientem, circumstantibus dixit: *Non est hæc mater mea, quam video, nec quæ sit novi. Mater etenim mea sericum nunquam portavit ornatum.* Quod mater intelligens retrocessit, ornatum pretiosum deposuit, & resumptis vestimentis suis vilibus ad Papam denuò intravit. Quam videns Pontifex dixit: *Hæc est Mater, quæ me genuit: hanc esse novi, quæ me suis uberibus lactavit.* Et surgens eam ut parentem reverenter suscepit. Fama est hunc venerabilem Pontificem veneno perijsse quorundam æmulorum, qui toxicum in ficubus recentibus sibi per Abbatissam S. Petronellæ missis occultârunt. Mortuo autem memorato Pontifice Sedes vacavit mensibus undecim.

Benedictus Papa XI. obijt, & vacat sedes mensibus 11.

Matrem pauperculam in veste pretiosa non admisit.

Anno prænotato finitis treugis Rex Gallorum magnum exercitum adunavit, vid. Equitum 12. millia, peditum 60. millia ad pugnandum contra Flandrenses. Divisit autem exercitum in duas partes. Nam unam partem in sedecim Galæis bene armatis per mare destinavit in Seelandiam contra Guidonem Seelandiæ Comitem, qui illam & vicinas insulas bello navali, ut supra diximus, sibi nuper subjugaverat. Et huic expeditioni suæ navali Rex præfecit quendam Reynherum de Grimaldis Januensem virum strenuum, & in prælijs navalibus expertum. Hic ergo Reynherus cum XVI. Galæis prænominatis stipendio Regis Gallorum venit ad Seelandiam, ut removeret obsidionem à Salisca oppido Seelandiæ, quam Guido Comes memoratus firmaverat. Audiens autem Guido Comes adventum Gallorum in multitudine pugnatorum contra se, non est animo dejectus, sed confortans admonitione suos, dimissaque obsidione Salisca, cum decem millibus armatis & octoginta navibus contra adventantes properavit ad pugnam navalem. Congressione factâ superati & victi fuerunt Flandrenses; Comes Guido cum multis alijs captus in Galliam mittitur, plures occiduntur, reliqui fugerunt. Alij autem Flandrenses, qui remanserant in obsidione Salisca mox à Gallis circumdati omnes, qui fugere non potuerunt, aut fuerunt occisi, aut capti. Comes Guido Parisijs fuit carceri mancipatus. Aliam verò exercitûs partem Equitum & peditum magnam Rex Gallorum Philippus propria in persona per terram duxit in Flandriam, & castra locavit in valle quadam inter Lillam & Duacum. Wilhelmus autem & Philippus Comites & Capitanei exercitus Flandrensium castrametati sunt haud procul à sta-

Navale bellum Gallorum, in quo sunt victi Flandrenses.

Guido Comes Flandriæ capitur.

tione Gallorum. Non tamen extenderunt sua tentoria, quia propositum habebant citius pugnandi cum Gallis; propterеáque, quòd Guidonem audierant captum, & ejus omnem profligatum exercitum. Descendentes autem de equis castrum fecerunt de curribus, in quibus sibi necessaria attulerant, & in eo per circulum residebant, dimittentes aliquos aditus per quos ad hostem exitum haberent.

Inter Gallos & Flandrenses bellum committitur.

Galli verò distincti & ordinati in 14. acies, quarum quælibet unum ex majoribus Galliæ principibus Capitaneum habebat, leves quosdam & extraordinarios conflictus cum Flandrensibus habere cœperunt; propiúsque accedentes ad eorum castra lapides & sagittas in eos projecerunt. Unde provocati Flandrenses ab alia parte castrorum exiverunt, & impetu facto in Gallos irruerunt nil tale suspicantes. Tantus eorum fuit impetus & furor cum clamore subitaneus, quòd Carolus Dux Valesianus Frater Regis, & Comes S. Pauli qui erant principaliores, cum suis aciebus terga verterunt cum multis alijs Copijs Gallorum.

Wilhelmus autem Comes Flandriæ cum Brugensibus eodem impetu processit usque ad papilionem Regis Gallorum, trucidantes omnes, qui eis obviabant. Ingressi autem papilionem Regis, epulas jam ipsi, cæteríque Principibus ejus paratas ad cœnam invenientes, comederunt, & videntes Regem non cognoverunt, qui sine armis erat, nec veste regali indutus, quem si cognovissent, viventem non dimisissent. Rex autem quamvis incognitus hostibus, quia tamen homo fuit proceræ staturæ, in tam præcipiti occursu cum labore vix tandem potuit ascendere caballum. Nam quoties aliquis Flandrensium impetum facere in illum tentabat, ab his, qui ministerio ejus fuerant deputati, tuebatur, & ob id plures eorum fuerunt occisi.

Prælium dubium.

Posteà verò quàm Rex equum ascendisset armatus, cœpit objurgare suos, & cohortari ad fortiter repugnandum, & mox instauratum est bellum; modico autem intervallo temporis transacto campum Rex Gallorum obtinuit, & cum suis contra Flandrenses triumphavit: Carolus etiam Dux de Valois frater Regis, qui cum multis aufugerat, reversus est, & ingravatum est prælium. Demum Flandrenses à Gallis superati sunt, & eorum ad minus sex millia ceciderunt. Comes etiam Wilhelmus cum multis alijs nobilibus terræ occubuit, reliqui salutem fugâ quæsierunt. Evaserunt autem de prælio Philippus Comes Flandriæ, Joannes de Namurco Comes, & Emericus frater ejus, cum plerisque alijs in Lillam fugientes. Ex parte verò Gallorum in eodem prælio 1500. ceciderunt.

Post hanc victoriam Rex Gallorum Lillam oppidum Flandriæ, in quod confugerant Flandrenses, obsidione fortissimâ cinxit, ita quòd introitus nulli patebat vel exitus; cujus exercitus terram in circuitu per sex milliaria occupavit. Multis autem machinis utebatur, & totis viribus intendebat, ut urbe captâ reliquias Comitum Flandriæ penitus extingueret, & Flandriam omnem suo imperio subjiceret.

Intereà Comes Joannes de Namurco, qui ante obsidionem Lillæ recesserat, audiens socios in tribulatione constitutos, congregatis Brugensibus & alijs terræ populis multis in succursum Lillæ properârunt. Unde omnes Flandriæ artifices, rustici quoque & quicunque ad pugnam judicabantur idonei, processerunt ad bellum, numero sexaginta millia virorum

virorum Flandrensium contra Gallos versus Lillam, simul omnes juramento confirmantes, se nunquam reversuros in domos suas, nisi obtinerent vel pacem sibi convenientem, vel emptam gladio victoriam & omnimodam libertatem. His inter se firmiter concluſis, animis concitati & veluti penitus desperati accesserunt propius ad copias Gallorum, provocantes illos ad bellū, eligentes mori potiùs, quàm imperio subesse tyrannorum.

Rex autem considerans eorum audaciam, & desperatam animositatem, consilium suorum habuit, quid utilius videretur agendum. Qui communi voto consuluerunt omnes, nullo modo cum eis pugnandum, propterea quòd essent in desperatione audaces, sed potius de pace tractandum: *Quoniam*, inquiunt, *si victi fuerimus ab illis, damnum irrecuperabile sustinere cogemur: si autem vicerimus illos, cùm sint homines desperati, necesse erit, ut plures nostrùm moriantur.* Melius ergo pacem tractare voto videbatur communi.

Rex Gallorum Flandrensibus congredi metuit.

Annuit Rex sententiæ communi procerum, & cœpit per Mediatores de pace cum Flandrensibus habere tractatum. Itaque reformata est pax tali sub conditione. Quòd Flaudrenses suâ deinceps omnimodâ gaudeant libertate ab impetitione Gallorum perpetuò absoluti: & quòd Rex, Comites & Nobiles Flandriæ, quos tenebat captivos, omnes dimitteret liberos, nec Flandriam de cœtero amplius inquietaret. Item quòd Flandrenses Regi Gallorum sub certi spatio temporis darent in refusionem expensarum ducenta millia Parisiensium, eámque Flandriæ partem quæ est ultra flumen Liſciæ versus Galliam, & utitur lingua Gallica sive Picarda, Regi cederet in possessionem sempiternam. Firmatis itaque pactis Rex in Galliam est reversus, pecunia cum tempore soluta, & captivi omnes mox libertati donati, & in Flandriam remissi, videlicet Rupertus, Wilhelmus, Guido, & alij, sicque finis bello datur, quod Flandriam quatuor annis oppresserat.

Pax firma inter Gallos & Flandrenses constituitur.

Anno Henrici Abbatis prænotato, die nonâ vicesimâ Aprilis, obijt Ebervvinus Episcopus Wormatiensis, cui successit Emmericus de Cronenberg & præfuit annis decem, homo pacificus, Ecclesiasticæque institutionis devotus cultor atque defensor, qui non minus populo gratus & acceptus fuit, quàm Clero propter morum probitatem.

Emmericus fit Episcopus Wormatiensis.

Eodem anno nonâ die mensis Septembris obijt Joannes Hollandiæ Hannoniæque Comes & Seelandiæ, vir strenuus & bellicosus, cui Wilhelmus ejus filius in principatu successit, qui uxorem habuit Joannam, filiam Caroli Ducis de Vallois fratris Philippi Regis Gallorum, de qua genuit tres filios & quatuor filias, Joannem, Wilhelmum & Ludovicum. Filiarum prima nomine Margareta Ludovico Duci Bavariæ nupsit, Imperatori posteà Romanorum, Joanna Comiti nupsit de Juliaco, Philippa nupsit Regi Anglorum, Elisabeth Virgo juvencula obijt. Porrò Wilhelmus patri in Comitatu succedens, sine liberis obijt, & soror ejus Imperatrix omnem principatum Wilhelmo filio suo impetravit, quemadmodum loco inferius congruo dicemus. Ludovicus etiam tertius Wilhelmi filius in pueritia, sicut & Joannes sine liberis moritur.

MCCCV.

Anno Henrici Abbatis Hirsaugiæ sexto, Indictione Roman. tertiâ, postquam Sedes Apostolica mensibus undecim vacavit, Benedicto mor-

Clemens fit Papa quintus ex Archiepisc.

tuo, ut supra diximus, propter discordiam Cardinalium, tandem in Papam fuit electus, Raimundus Burdegalensis Archiepiscopus, & dictus Clemens quintus, præfuit annis octo, mensibus decem, diebus quindecim, qui Ordinem Templariorum extinxit, Concilium generale Viennense celebravit, libros Clementinarum edidit, quos Joannes Papa vicesimus secundus publicavit. De cujus Electione inconsueta narrationem veram afferamus.

Historia Electionis hujus Papæ describitur.

Cardinales apud Perusium in Conclavi pro Electione novi Pontificis, anno prænotato constituti, duas in partes divisi vehementer ab invicem discordabant. Nam Cardinales Italienses, & maximè qui Bonifacij Papæ VIII. tenebantur amore, Pontificem habere cupiebant Italum, & Regi Gallorum adversum. Alia verò pars Papam requirebat ex natione Gallicana, & Regi Gallorum faventem. Tandem industriâ Nicolai Cardinalis Pratensis, qui erat principalis eorum, qui partes tuebantur Regis Galliæ, pars Italica fraudis ignara, tres nominavit extra Collegium Cardinalium in Gallia constitutos idoneos viros, qui stabant in discordia cum Rege in illo tempore, ex quibus pars Italica, cujus caput erat ipse Pratensis Cardinalis, unum teneretur eligere infra dies quadraginta. Placuit ista conditio Cardinalibus Gallicanis, taléque nominare curaverunt, qui olim Bonifacio fuissent amici, & Regi Gallorum Philippo semper adversarij. Factâ igitur hâc solemni conventione inter se Cardinales, & fidem mutuò jurantes litteris firmaverunt, & secreti silentium. Mox ergo pars Cardinalium Italiæ tres Archiepiscopos nominaverunt Gallicanos, fautores Bonifacij, sibíque amicos, & Regi Gallorum contrarios, inter quos unus erat memoratus Archiepiscopus Burdegalensis, qui Regi Gallorum illo in tempore multum erat infensus, atque contrarius, propter injurias suis amicis factas à Carolo Valesiano.

Nominatione trium Archiepiscoporum factâ, Cardinalis Pratensis suæ parti persuasit secretò, quòd Raimundum Burdegalensem sibi promittebant eligendum in tempore præfixo, nulli tamen interim quidquam dicerent de præmissis, ne pars altera posset intelligere, quæ secreta istorum esset intentio: & ante publicationem Electionis Nicolaus Pratensis per litteras Regi Gallorum intimavit negotium, & suasit quatenus sibi Raimundum Archiepiscopum reconciliando faceret amicum, quem Cardinales, modo Regi placeret, in Pontificem eligerent. Mittuntur in hoc negotio ad Regem secretissimè nuntij veloces, qui in undecim diebus à Perusio iter facientes ad ipsum Parisios venerunt. Rex verò cùm litteras Cardinalium accepisset, gavisus est gaudio magno, & mittens pro Archiepiscopo litteras amicabiles, rogabat quatenus pro bono pacis ad locum, quem determinaverat, venire dignaretur. Qui cùm venisset infra sex dies ad quandam Ordinis nostri Abbatiam, Rex cum parva Comitiva suorum adesse curavit. Convenientibus ergo in unum, Rex Archiepiscopum blandis sermonibus alloquitur, & dato hinc inde juramento de secretando penitus negotio tali eum benevolentiâ affatur: *Domine Archiepiscope, scias in mea fore potestate, si velim, te summum Ecclesiæ Romanæ facere Pontificem. Quod ut verum intelligas, missas ad me Cardinalium has litteras per ordinem legas.* (& tradidit ei non omnes, sed quasdam Cardinalium epistolas pro negotio compositas ad legendum.) *Si igitur deinceps*

vis

vis mihi esse amicus & favorabilis, faciam te fieri summum Antistitem; sed volo mihi certas gratias te daturum promittas.

At verò stupefactus Archiepiscopus ad novitatem rei, cùm litteras Cardinalium legisset, dixit ad Regem: *Domine mi Rex video, quòd me supra omnes mundi homines amas & diligis, bonum reddens pro malo; propterea præcipe quidquid volueris, & ego si Papa factus fuero, libenter omnia concedam.* Tunc Rex manum ejus exosculans dixit: *Istæ sunt petitiones meæ, & gratiæ quas mihi concedes sub juramento, cum Papa fueris.*

Rex à futuro Pontifice suo sex petitiones postulat.

Prima petitio mea est, ut posteaquam Romanus Pontifex evaseris, me procurante, ut me perfectè reconcilies Catholicæ Matri Ecclesiæ, relaxando & veniam concedendo plenariam omnium eorum, quæ vel ego, vel amici mei & servitores commisimus in Bonifacium Pontificem octavum, sive in ejus captione, sive in alijs quibuslibet injurijs.

Secunda mea postulatio est, ut omnes censuras & sententias Excommunicationis & maledictionis, quas idem Papa Bonifacius in me & in generationem meam fulminavit, omnino tollas, auferas & annulles perfectè, tam à me, quàm à genere meo, meisque amicis & servitoribus universis in Consistorio publico plena sub auctoritate.

Tertia petitio mea est, quòd mihi promittas sub jurejurando, quatenus memoriam Bonifacij Papæ de Catalogo Romanorum Pontificum penitus & omnino deleas, & omnia per eum facta, constituta & ordinata, revoces, annihiles & casses, extractúmque de tumulo corpus ut hæretici & nunquam veri Pontificis comburendum des ignibus.

Quarta petitio mea est, quòd honorem Cardinalatûs, quem Bonifacius injustè abstulit Jacobo & Petro de Columna, eis mox favorabiliter restituas, & eos in pristinum statum, & locum suæ dignitatis recipias cum restitutione omnium Beneficiorum, & bonorum ablatorum. Et quòd aliquot Cardinales novos instituas ex meis amicis & fautoribus, quorum tibi nomina pro tempore nota fecero, promovendo.

Quinta petitio mea est, ut concedas mihi per quinque annos continuos omnes decimas totius Regni Gallorum, & terrarum mearum, sive quas Clerus & Monachi possident, sive quicumque seculares, in relevamen expensarum multiplicium, quas feci in bello cum Flandrensibus.

Sextam petitionem meam hâc vice non volo exprimere, sed in aliud eam tempus pro necessaria cautela reservare, ut qualibet occasione mihi occurrente, unum à te habeam petere, quod mihi ex vi juramenti præstiti ac firmiter roborati non possis denegare.

At Raimundus sæpe dictus Archiepiscopus omnia servare promisit, & super Corpus Dominicum insuper juravit, se facturum omnia, quæ Regis ambitio postulavit. Ad confirmationem quoque omnium obsides Regi dedit, fratrem suum unum & alterum nepotem. Rex etiam juravit Archiepiscopo, quòd eum in Romanum Pontificem promoveret. Et sic ab invicem cum magno gaudio recessum, negotium secretissimè occultantes, hoc solùm divulgantes apud suos, quòd essent amici.

Reversus ergo Parisios Rex confestim rescripsit Pratensi Cardinali gestæ rei conditionem, & ut Burdegalensem Archiepiscopum jam sibi reconciliatum in Papam eligerent, rogavit. Nuntij itaque ante quintum & trigesimum diem Perusium reversi litteras Regis Pratensi tradiderunt.

Cardinalium verò pars altera nationis Italicæ nihil istarum rerum sciebat, sed putabat Archiepiscopum Burdegalensem Regi adhuc esse inimicum.

Convocatis igitur Cardinalibus omnibus, & pactis prioribus renovatis & confirmatis, Pratensis Cardinalis oratione congruente negotio propositâ, vice omnium in Romanum Pontificem elegit Raimundum sæpe dictum Burdegalensem Archiepiscopum. Cujus Electio cæteris quoque omnibus tam populo, quàm Cardinalibus placuit, & magnis lætitiæ vocibus acclamata & comprobata fuit, ignorantibus, quòd esset Regi Gallorum reconciliatus, sed putantibus illum perpetuum esse adversarium.

Electio intimatur Electo, qui statim acceptavit.

Exeuntes igitur Conclave Domini Cardinales, decretum Electionis cum solemnibus nuntijs miserunt Burdegalim ad ipsum electum, quam ille statim acceptans Clementem se V. nominavit. Deinde per litteras Cardinalibus mandavit, quatenus Lugdunum sine mora accederent, & ejus Coronationi simul interessent. Vocari autem etiam fecit ad eandem Coronationis suæ pompam, Regem Galliæ, Regem Angliæ, Regem Aragoniæ, & multos Galliæ & Vasconiæ Principes, quoniam Patriâ Vasco fuit. Electio ejus quintâ die mensis Junij apud Perusium facta est Anno Domini prænotato; Coronatio autem undecimâ die Novembris.

Anno prænotato hyems fuit asperrima & nimis diuturna, frigus magnum & valde intensum, quo nimium algente omnia Germaniæ flumina glacies operuit, & viam transeuntibus fecit. Unde & alimenta multis in locis defecerunt hominibus simul atque pecoribus, & in urbibus multis penuria lignorum mortales graviter afflixit.

Eodem quoque anno primâ die mensis Maij, quæ festivitate Sanctorum Apostolorum Philippi & Jacobi annuâ revolutione consuevit esse solemnis, tanta nivium copia cecidit, quòd terram operuit, & ventorum impetus multas arbores subvertit, & vineta graviter læsit.

Rex Bohemiæ moritur, cujus Exequiæ Spiræ peraguntur.

Item anno prænotato mortuus est Rex Bohemorum, cujus exequias Rex Theutonum Albertus ultimâ die Junij, Spiræ in majori Ecclesia convocatis multis Episcopis solemniter celebravit, inter quos & Henricus hujus Monasterij Hirsaugiensis supradictus per Regem vocatus adfuisse invenitur. Ubi inter pulsandum diutius, ut in talibus fieri solet, major campana nimio tractu violentata desuper cecidit, & jacta per duas Ecclesiæ testudines in pavimentum, fracta in tres partes fuit.

Anno prænotato Ecclesiâ Moguntinâ post obitum Gerhardi Archiepiscopi jam diutius vacante, propterea quòd etiam Sedes vacaret Apostolica, tandem Canonici cùm Papam Electum audivissent Clementem quintum, etiam ipsi ad Electionem Archiepiscopi novi processerunt. Sed in Electione duos elegerunt, Baldevvinum videlicet Moguntinensis & Trevirensis Ecclesiæ Canonicum, Fratrem Henrici Comitis Luzenburgensis, posteà Imperatoris, & quendam alium, cujus nomen ad præsens non occurrit. Verùm nullus Electorum ad Archiepiscopatum Moguntinum illâ vice pervenit, ut dicemus.

Confluentia obsidetur ab Archiepiscopo Trevirensi.

His temporibus inter Dietherum Comitem de Nassavv Trevirorum Archiepiscopum & Cives Confluentinos maxima fuit exorta discordia propter multas causas & varias displicentias. Tandem Archiepiscopus exercitum stipendio conducens peregrinum, vocatisque in auxilium

Prin-

Principibus amicis, Confluentiam obsidione vallavit, quam aliquandiu impugnans, tandem violenter obtinuit, & oppidanos rebelles ad obedientiam reducens suo imperio subjugavit.

Ferebatur autem illo in tempore, quemadmodum ex veterum monumentis accepimus, quòd memoratus Archiepiscopus Trevirorum Dietherus multam pecuniam pro stipendio conductij exercitûs ac principum contra suos rebelles Confluentinos exposuit; pro quorum comportatione penè omnia bona Ecclesiæ in pignus dedit. Fuit enim Præsul inquietus, & Rege Alberto mente & voluntate semper contrarius. Et quamvis in hoc nihil omnino profecerit, rigorem tamen animi sui propter necem fratris sui Regis Adolphi usque ad mortem continuavit, & multos æmulos habuit.

Anno prænotato Henrici Abbatis, undecimâ die mensis Novembris Clemens Papa V. ut supra diximus, in Ecclesia Lugdunensi solemniter coronatus est: cujus coronationi Rex Galliæ Philippus personaliter interfuit, similiter & frater Regis Dux Valesianus, Joannes quoque Dux Britanniæ cum alijs multis Episcopis & Prælatis atque Principibus Galliarum. Maxima etiam multitudo populi ad eam Coronationis pompam confluxit, quòd præ nimia compressione multitudinis paries unus corruerit, & memoratum Ducem Britanniæ cum multis alijs oppresserit. Pontifex etiam adeò turbâ premente agitatus est, quòd mitra ejus de capite cecidit, & procul excussa Jaspidem æstimationis magnæ lapidem amisit.

Clemens Papa V. Lugduni coronatur.

Ab eo tempore Sedes Apostolica de Roma per Clementem hunc Pontificem V. in Galliam translata per annos ferme 74. ibidem permansit, non in parvum detrimentum tam urbis, quàm Ecclesiæ Romanæ simul & totius Italiæ, cujus occasione urbs Romana & pulcherrimæ in ea Ecclesiæ multæ penè in ultimam desolationis solitudinem venerunt. Verùm ne Romani ejus perpetuam ægrè ferrent absentiam, tres illis Cardinales destinavit, quibus Senatoriam contulit potestatem. Tam multos verò ex Gallis & Vasconibus creavit Cardinales, ut Itali cum reliquis nationibus cunctis penè viderentur excluſi. Omnia verò, quæ Papa futurus Regi Gallorum promiserat, factis adimplevit, præter unam petitionem, quam facere non potuit, ut postea dicemus.

Añis LXXIV. Sedes Apostolica mansit in Gallia.

Anno Henrici Abbatis prænotato in Comitatu Novariensi Provinciæ Longobardorum hæresis Fratricellorum per Bonifacium Papam VIII. olim condemnata, sicut diximus Anno Godfridi Abbatis VII. iterum resuscitata fuit per quendam hypocritam nomine Dulcinum, qui non erat alicuius Ordinis seu Religionis approbatæ, sed propriâ temeritate sibi officium desumens prædicandi, multos suo infecit errore, sanctitatem fingens, quam nec opere habebat, nec mente.

Dulcinus instaurator hæresis Fratricellorum.

Primus & principalis error hujus pernicioſissimæ hæresis ex radice Fratricellorum pullulavit. Dicebant enim, quòd Christianis omnia deberent esse communia, non solum res, sed etiam mulieres, non tantum ad ministerium, verum etiam ad commixtionem carnis. Coitum etenim indifferenter cum matre, sorore, filia & uxore sua, vel alterius exercentes nullum dicebant esse peccatum, sed opus charitatis.

Ejus errores.

Secundus error fuit, quia dicebant Papam, Cardinales ac Episcopos Ecclesiæ non veros esse pastores, sed potius lupos rapaces, æternóque supplicio

cio dignos, propterea quòd vitam Apostolicam non servarent. Se autem Dulcinus verum Christi dicebat Apostolum & Papatu dignum.

Item omnes Ordines & Religiones Claustralium veluti quasdam superstitiones contemnebant, dicentes Sanctissimos Christi famulos Basilium, Augustinum, Benedictum, Franciscum, Dominicum & alios quoslibet institutores ordinum, corruptores extitisse sacrosancti Evangelij, & propterea torqueri animas eorum jaculo diaboli.

Omnes denique articulos erroris, quos de Fratricellis Anno Godfredi Abbatis VII. consignavimus, etiam iste profitebatur Hæresiarcha Dulcinus. Ecclesiæ ministros irridebat, Sacramenta sprevit, Pœnitentiam & omnes ritus Christianæ Religionis contempsit.

Quatuor millium hæreticorũ numerus.

Multos secum populares utriúsque sexûs, vilis tamen conditionis, in hæresin illam pernicioſam attraxit, quorum numerus quatuor millibus constabat, qui omnes simul in montibus & locis nemorosis habitabant more bestiarum, ad libitum se mutuò polluentes. Cùm autem defecissent illis victualia, prædabantur undecumque potuissent occurrentes, asserentes omnia esse communia, & ratione Sanctitatis licere sibi universa. Per duos annos talis Congregatio duravit impiorum. Biennio tandem elapso plures victi tædio incommodorum & paupertatis, hæresiarcham deserentes ad fidem Ecclesiæ regressi sunt. Postremò Dulcinus auctor malorum per Novarienses captus est, cum quadam Margaretha erroris sui complice, ac aliis multis in perfidia præduratis, qui omnes utriúsque sexûs ignibus cremati sunt.

Dulcinus cum multis igne crematur.

MCCCVI.

Anno Domini Henrici Abbatis septimo, Indictione Romanorum quartâ Henricus Comes Luzenburgensis Imperator posteà Romanorum frater Baldevvini, quem anno præcedente ad Archiepiscopatum Ecclesiæ Moguntinæ diximus postulatum, audiens Clementem Papam V. jam coronatum Pictavis commorantem, misit ad eum Magistrum Petrum de Achtpalt Medicinæ Doctorem in urbe Trevirorum eo tempore practicantem, ut confirmationem fratri ad Archiepiscopatum memoratæ Ecclesiæ precibus impetraret. Qui cùm venisset ad Papam, negotium sibi commissum fideliter exposuit, & pro Baldevvino diligentissimè rogavit. Erat autem Baldevvinus ætatis annorum vix duorum & viginti. Unde Papa sciens negotium & statum Ecclesiæ Moguntinæ melius quàm putabatur, electionem Canonicorum anno præterito factam omnino cassavit, & neutrum electorum per eos confirmare voluit, producens plures causas in medium, propter quas provisio Ecclesiæ Moguntinæ de Jure ad Romani Pontificis devoluta videretur arbitrium. Dicebat ergo, se illi mox provisurum secundum sententiam Cardinalium. Cùm hæc Petrus audisset Baldevvini orator, & nuntius, quòd preces fudisset incassum, doluit, & se ad reditum præparavit. Cùm ecce Papa subitò gravissimè cœpit infirmari úsque adeò, quòd se omnino timuit in instanti moriturum. Revocatur Petrus jam jam abiturus ad Pontificem, & rogatur, si possit, infirmanti conferat sanitatem. Qui cùm esset in practica Medicæ artis expertissimus, infirmanti Papæ medicinam convenientem adhibuit, eúmque in triduo curavit. Pontifex cernens & gaudens se tam subitò sanatum, obstupuit, & ad Medicum suum gratulabundus ait:

Electio Moguntinensium à Papa Clemente cassatur.

Quia

Quia tam bonus medicus es corporum, ne tuis benefactis videamur ingrati, magnum te facimus medicum animarum; Archiepiscopatum Ecclesiæ Moguntinæ nobis vacantem tibi conferimus, & Archiepiscopum ejus pleno jure ordinamus. Quibus auditis Petrus ad vestigia Pontificis procidit, & ut Archiepiscopatum illi conferre dignaretur, pro quo missus fuerat, instanter rogavit. Pontifex autem non consensit oranti, sed dixit: *Ecclesiam Moguntinam tibi contulimus, quam alteri te vivente non dabimus; Baldevvinum pro quo venisti orator, suo tempore providebimus.* Itaque Petrus medicus patriâ Trevirensis Clemente Papa V. jubente apud urbem Trevirorum in mense Julio anno prænotato Archiepiscopus Moguntinus solemni pompâ ordinatus est, ac deinceps cum pallio & litteris Apostolicis ad Moguntiam mittitur, & tam à Clero, quàm à populo civitatis ut verus Archipræsul susceptus, cum favore & reverentiâ omnium inthronizatur, & præfuit annis fere quindecim. Fuit enim vir doctus & morum integritate præcipuus, ingenio subtilis, eloquio disertus, & in omni actione magnificus.

Papa Moguntinum Archiepisc. Petro dat medico.

Henricus autem Comes de Luzenburgo, qui miserat illum pro fratre ad Papam, cùm audivisset rem gestam, malè fuit contentus, existimans, quòd Baldevvino infideliter neglecto, semetipsum apud Papam promovisset potius, quàm illum. At Petrus Comiti litteras misit cum suis Apostolicas, in quibus omnem rei gestæ ordinem pleniùs edocuit, & concitatum Henrici Comitis animum placavit. Nam posteà totum ordinatione divinâ factum didicit, cùm hujus promotione Petri & se Imperatorem, & fratrem Trevirorum Archiepiscopum vidit.

Henrico Comiti displicuit promotio Petri.

Anno Henrici Abbatis prænotato in principio mensis Februarij, hoc est, in solemnitate Purificationis Beatæ Mariæ semper Virginis, nivibus & glacie simul in aquam resolutis, tam magna, & vehemens inundatio facta est, ut suo impetu circa Rhenum & Moganum hominibus damna intulerit penè infinita; domos námque plures & ædificia subvertit, hortos, agros & vineta sine numero destruxit, homines & jumenta plura suffocavit, Pontem supra Moganum apud Franckenfurt subvertit, partémque murorum urbis Moguntinæ dejecit, & duas turres cum muro Colonienſis civitatis penitus prostravit.

Aquarum inundatio multa intulit damna.

His quoque temporibus Magister & Fratres nuncupati Hospitalarij Sancti Joannis Hierosolymitani per totum orbem Christianum missis nuntijs Indulgentias Cruciatæ pro fide Catholica permissione Apostolicâ prædicari fecerunt, & infinitam pecuniam exinde colligentes, magno Fidelium adunato exercitu insulam Rhodiensem in mari Mediterraneo haud procul à terris Turcarum distantem occupantes, per annos quatuor navali prælio fortiter impugnârunt. Quam tandem potenter expugnantes, interfectis aut fugatis inde Saracenis & Turcis inhabitare cœperunt, & inhabitant úsque in præsentem diem per annos CC.

Rhodis insula per Johannitas expugnata possidetur.

Anno etiam prænotato Judæi omnes per totum Regnum Gallorum ubilibet constituti mandato Regis Philippi fuerunt expulsi vel occisi, bonis eorum omnibus in fiscum repositis regium. Hujus persecutionis causam in Judæos variam apud scriptores Historiarum invenimus esse digestam. Nam alij scripserunt, fontes Christianorum per Judæos veneno esse intoxicatos, & propterea illos justè occisos. Aliqui verò insatiabilem Regis avaritiam notaverunt ut causam, quippe qui omnes bonis cunctis

Judæi omnes in regno Gallorum fuerunt occisi.

spoliaverit, cùm omnes non fuerint nocentes. Et hanc illius crudelem avaritiam, sive ut ipsi loquuntur, crudelem impietatem nece & extinctione Templariorum confirmant, quos pœnas dedisse non reatûs proprij, sed alienæ cupiditatis existimant. Constat ex Veterum lectione satis, quàm avarus & crudelis fuerit Rex iste Philippus, quamvis pater ejus fuerit sanctissimus.

MCCCVII.

Anno Henrici Abbatis Hirsaugiæ octavo indictione Roman. quintâ, Canonici majoris Ecclesiæ S. Petri Trevirorum dolentes bona & res Archiepiscopatûs per malum regimen Dietheri ex Nassavv Archiepiscopi sui distrahi & multipliciter alienari, posteaquam sæpius illum admonuissent, atque rogâssent humiliter, sicut filij patrem, ut vel ipse regiminis sui emendaret errores, vel si non posset aut vellet, coadjutorem ex capitulo unum assumeret, cujus auxilio Ecclesiam utiliter gubernaret, & ille cuncta surdâ contemneret aure, necessitate compulsi rem ad examen Apostolicæ Sedis deferentes auxilium Papæ postulârunt. Romanus igitur Pontifex Clemens Papa V. de statu periclitantis Ecclesiæ Trevirorum, sufficienter informatus, Dietherum memoratum Archiepiscopum ad audientiam Sedis Apostolicæ in Galliam ad civitatem Pictaviensem, ubi tunc erat Curia Papæ, citavit, & super quibus esset responsurus objicendis innotuit.

Archiepisc. Trevirorũ accusatur coram Papa.

Dietherus verò Archiepiscopus Trevirorum cùm se accusatum à suis & citatum ad examen Romani Pontificis audivisset, animo dejectus infirmitatem gravissimam incidit, & crescente dietim languore, priusquam terminus citationis adesset, Anno prænotato vicesimâ tertiâ die Novembris vitam cum morte commutavit; Treviris in Ecclesia Fratrum Prædicatorum sepultus, cujus & Ordinis fuit. Quo mortuo Petrus supra dictus Medicus Archiepiscopus Moguntinus apud Canonicos Trevirenses suâ exhortatione obtinuit, quòd Baldevvinum Fratrem Henrici Comitis de Luzenburgo tertium atque vigesimum ætatis annum tunc agentem, in Archiepiscopum Trevirorum postulârunt. Cum quo Clemens Papa V. ad instantiam ipsius Petri, quondam, ut diximus, Medici sui super minorennitate favorabiliter dispensavit, Electionem confirmavit, Pallium misit, & Archiepiscopum Trevirorum instituit. Baldevvinus igitur Archiepiscopus Trevirorum auctoritate Apostolicâ institutus, annis quadraginta sex, mense uno, decémque & octo diebus utiliter præfuit, & Ecclesiam ex omnibus debitis relevavit. Fuit enim vir prudens, strenuus, & in cunctis operibus suis valde magnificus, amator Cleri, Monachorum Pater, advocatus pauperum, defensor & protector fidelissimus subditorum.

Dietherus Archiepisc. Trevirensis moritur, Baldewino succedente.

Anno prænotato Philippus Rex Gallorum cum tribus filijs, duobus fratribus & multis Baronibus Clementem Papam Pictavis in Gallia cum sua Curia residentem accessit: & ut memoriam Bonifacij Papæ VIII. de Catalogo Romanorum Pontificum deleret: omnia ejus facta & Constitutiones sive ordinationes penitus revocaret: Corpus & ossa ejus exhumata comburi faceret, quemadmodum ante Papatum juramento promisisset, nimis importunè & præter rationem instabat; asserens se per suos Clericos posse probare, illum fuisse hæreticum & multis sceleribus irretitum, & ob id corpus ejus incendio dignum. Attoni-

Regis Gallorum impia & crudelis petitio ad Papam.

Attonitus Pontifex ad petitionem Regis impietate plenam, de consilio Cardinalis Pratensis viri astutissimi respondit: *Rem hanc arduam fieri sine determinatione Generalis Concilij non posse.* Unde ut animum Regis aut deliniret, aut deluderet, potius Generale Concilium in Delphinatu post triennium indixit celebrandum, in quo firmum Regis petitio consequeretur effectum; rem námque tam arduam nullius fore momenti confirmabat, nisi totius auctoritate Concilij solido fulciretur fundamento. Hæc responsio Pontificis haud parum contristavit Regis animum, iniqua postulantis: qui nimis furore sæviens in mortuum, nihil magis quàm de Bonifacio Papa sepulto quærebat vindictam. Cogebatur tamen exspectare Concilium, in quo sperabat suam petitionem sine dubio sortituram effectum. Mens autem Pontificis malè postulatorum quærebat diffugium, & propterea causam remisit ad Concilium, quam certò sciebat ab omnibus fore meritò reprobandam: evasionem de laqueo impietatis & angustiæ Pontifex quærere voluit, qui petitionem Regis iniqui ad futurum Concilium remisit. Propterea ut manus impietatis posset evadere, urbem Viennensem, quæ fuerat extra ditionem tyranni, pro Concilio voluit deputare.

Eâ tempestate Ordo Templariorum, qui quondam temporibus sancti Bernardi Abbatis Clarevallensis in terra sancta Hierosolymis sumpsit exordium, & per annos duraverat fermè ducentos, cui & ipse Divus Pater Bernardus vivendi normam præscripsit, ad instantiam sæpe dicti Regis Gallorum Philippi, ac permissione Clementis Papæ V. miserabiliter uno die fuit extinctus. Erat autem Ordo ipse post amissionem terræ sanctæ cum certis alijs Ordinibus, Carmelitarum videlicet, Cruciferorum, Theutonicorum, Johannitarum & Dominici Sepulchri de partibus transmarinis in Europam translatus, & brevi tempore valde multiplicatus.

Ordinis Templariorum qualis fuerit institutio.

Nam Professores ejus dicebantur milites Templi, habentes sub se plures ejusdem Professionis Presbyteros, qui Divina coram eis celebrare solebant: quemadmodum in Ordine Theutonicorum hodie cernimus observari, quorum cura fuit præcipua in subventionem terræ sanctæ, quamdiu fuit in manibus Christianorum, nec non & illorum, qui templo Hierosolymis ministrabant, pro viribus impendere tributum: & pro recuperatione ejusdem terræ sanctæ bellum gerere & pugnare contra gentem infidelium. Unum Generalem totius Ordinis Magistrum habebant, cui reliqui priores, milites & fratres erant omnes subjecti; qui eâ tempestate quando eorum tribulatio sumpsit exordium, Parisijs in Gallia residebat, natione Burgundus, genere nobilis & nomine Jacobus. Fuit autem Ordo ipsorum potens atque ditissimus inter omnes Religiones, multa habens Cœnobia, Possessiones, proventúsque, & lata Dominia, oppida simul atque Castella non solum in Gallia, sed etiam in cæteris Europæ nationibus multis, in Hispania, in Normandia, in Burgundia, in Alsatia, in Suevia, in Orientali Francia, in Bavaria, in Thuringia, in Saxonia, in provincia cis-Rhenana & per totam ferè Germaniam, Lombardiam, atque Italiam. Nec erat eâ tempestate Religio aliqua votivorum inter omnes Religiones claustrales ditior in auro & argento Templariorum Ordine, cujus magnitudo divitiarum interitûs eorundem causa fuisse memoratur. Scribit Hugbertus Monachus extinctioni Tem-

Ordo Templariorum inter omnes fuit ditissimus.

plariorum contemporaneus, quòd Magistro eorum cum alijs sexaginta ejusdem Ordinis militibus Parisijs capto, & diutius incarcerato, metuentes reliqui futurum, quod posteà contigit, ne hostes eorum prædam invenirent quam quærebant, omnem pecuniam, quam habebant in auro & argento per totum Ordinem pondere innumerabilem, & numero infinitam, per diversa loca, diversísque modis abscondere sub silentio ac secretissimè curaverunt, partim intra Monasteria sua, atque Castella, partim verò extra in campis atque nemoribus. Maximè tamen sicut posteà ex quorundam eorum confessione in tortura fuit compertum, pecunias suas in cloacas projecêre vetustas, & in puteos aquarum profundos terrâ simul & lapidibus foramina diligentissimè obstruentes, ne ab aliquo inveniri potuissent. Multi tamen post extinctionem Ordinis, cum hæc thesaurorum occupatio fuisset publicata, pretio loca eorundem comparantes à Principibus cum tempore plura de absconditis invenerunt.

Historia extincti Ord.

Sed nunc ratio expostulat, ut modum & originem extinctionis Templariorum, sicuti ab alijs digestum accepimns, huic etiam nostræ compilationi quanto compendiosius poterimus, ad notitiam posteritatis fideliter inferamus: protestantes, quòd nullum per hoc sacrosanctæ Romanæ Sedi sive Pontifici contumeliæ genus sive injuriæ crimen irrogare intendimus, dum Clementis papæ consensu factum declaramus. Historiam etenim quam conscriptam prius ab alijs accepimus, posteritati fideliter enarramus. An verò justè vel injustè fuerint exterminati sæpè dicti Templarij, non est nostrum proferre sententiam, sed Divino judicio, quod falli non potest, committimus causam. Hujus mali principium tale fuisse narratur. Quidam Prior dicti Ordinis Templariorum de monte Falcone apud Tholosam pro suis sceleribus captus per Magistrum Generalem Parisijs ad perpetuum fuerat carcerem condemnatus, qui tantæ persecutionis in totum Ordinem præstitit causam; in eodem námque carcere detinebatur & alius quidam Florentinus, vocabulo Nossus homo sceleribus plenus, qui & ipse ad carcerem perpetuò fuerat condemnatus.

Ordinis duo incarcerati crimina publicârunt.

Hi duo spiritu maligno pleni, ut cum emolumento aliquo ex vinculis potuissent eripi, horrenda in Ordinem crimina falsò (uti multi existimant) inter se mutuò confinxerunt; sciebant enim multas Ordinis Templariorum esse divitias, & Regem Galliæ Philippum nimis avarum, & propterea ad persecutionem Ordinis facilè inducendum. Nec dubitabant, se mox posse libertatem consequi, modò per eorum revelationem, quæ vera crederetur, Ordinem contingeret extingui. Cùm ergo sic ambo detinerentur in carcere, per suum custodem atque ministrum Officialibus Regis avari denuntiari fecerunt, ut si ad eos venire prope carcerem dignarentur, secretè revelaturi essent eis aliqua, per quorum scientiam Regi commodum nasceretur infinitum. Quibus ad carcerem venientibus sceleratissimi traditores illi dixerunt: *Si Dominus Rex vitam nobis simul & libertatem perpetuam vobis intermediantibus dignaretur concedere, possemus & vellemus vobis revelare aliqua secretissima, per quorum notitiam & vestra substantia simul, & Regis in immensum sine dubio quantocius augeretur.* Bone Deus quid mali non facit aurum, & quem non perdit avaritia justum! Mox ut sibi divitias polliceri audierunt ingentes, negotium celeriter detulerunt

tulerunt ad Regem, & vitam cum liberatione carceris impetrant sceleratis, parum advertentes, quo illi moverentur Zelo ad tam horrenda, & prius inaudita dicere contra proprium Ordinem suum; quippe qui minus odio & vindictâ laborabant contra Magistrum Ordinis Generalem, cujus imperio detrusi fuerant in carcerem, quàm desiderio liberationis à vinculis ad libertatem. Revertentes igitur ad carcerem Officiales Philippi Regis Gallorum liberationem captivis promittunt omnimodam, si & ipsi suam Regi exhibeant pollicitationem. Tunc illi duo sceleratissimi traditores ad invicem prius quàm optimè deliberati in malum Officialibus dixerunt: *Dicatis Domino Regi, Ordinem Templariorum hæresibus & infinitis sceleribus esse plenum, & propterea meritò penitus extinguendum. Unde si favore Pontificis Romani processerit ad inquisitionem per tormenta, inveniet sine dubio quæcunque dicimus, esse verissima. Deinde auctoritate Papæ Ordinem ipsum funditus destruat, quoniam hæresibus & inauditis sceleribus plenus est, & habebit omnia bona eorum per totum regnum suum nullo prohibente. Verùm ut noveritis, super quibus fieri debeat inquisitio, notate singula per ordinem, quæ dicemus.* Et introductus scriba publicus ex relatione illorum duorum subjectos articulos contra Templarios adnotavit.

Rex captivis libertatem promittit, ut Ordinem prodant.

Primus articulus, quem duo illi contra Ordinem Templariorum coram Notario & testibus proposuerunt, iste fuit: *Quòd omnes recipiendi ad ipsum Ordinem in sua professione jurare cogerentur, quòd ipsam religionem suam omnibus vitæ suæ diebus usque ad mortem defendere, honorare, juvare & ampliare pro viribus velint in personis, in rebus, & in substantia indifferenter, sive justè, sive injustè, sine exceptione aliqua, etiam cum injuria & detrimento aliorum.*

Articuli contra Ordinem Templariorum.

Secundus Articulus fuit: *Quòd cum Saracenis occultum superiores eorum haberent contractum, & plus de perfidia Mahumeti sentirent, quàm de fide Christiana. Quod ut fortius comprobarent, dicebant, quòd in professione sua, quam semper omnes facerent in occulto, imaginem Crucifixi Salvatoris nostri conspuerent, & pedibus conculcarent, & fidem Christi multipliciter blasphemarent.*

Tertius Articulus fuit: *Quòd superiores eorum omnes essent homicidæ, sacrilegi, crudeles & hæretici, quoniam Novitios ad Ordinem conversos, qui sectam eorum postea compertam detestarentur, & vellent redire ad sæculum, vel ad alios Ordines, secretissimè occiderent, & nocturnis temporibus in occulto sepelirent. Similiter quoties mulieres & Virgines per eos corruptæ fuissent impregnatæ, docebant eos procurare abortum, & natos infantes occultè trucidabant.*

Quartò dicebant: *Templarios omnibus erroribus Fratricellorum esse infectos, Papam & auctoritatem Ecclesiasticam spernere, Sacramenta contemnere, Pœnitentiam & Confessionem peccatorum penitus irridere. Ea verò, quæ secundum Ecclesiæritum facere viderentur, omnia fieri mendaciter & fictè, ut secta eorum ver hoc non appareat.*

Quintò dicebant: *Superiores eorum milites, priorésque non esse contentos, quòd die, noctúque cum mulieribus in occulto suas voluptates implerent, sed etiam (quod meritò Christiani auditus horrebit) sodomitarum exemplo in alterutrum turpitudinem exercentes, naturæ leges confunderent, & Deum sermone simul & opere blasphemarent, seque propterea carceri perpetuò mancipatos à Magistro, quòd his erroribus atque spurcitijs fuissent omnino contrarij.*

Sextò dicebant: *Eorum templa & habitacula omnia sordibus plena, impunda violata & meretricum latibula, in quibus omnia fierent Luxuriæ genera*

sine reverentia Dei, temporum vel locorum. Quæ illorum delatio posteà in omnem terram publicata & pro vera habita usque in hodierum diem plerísque Germaniæ gentibus proverbium dederit, ut occulta meretricum prostibula, in quibus licenter omnia fiant, vulgariter Tempel haus consueverint appellare.

Septimò dicebant: *Majores & antecessores in ordine suos causam fuisse, quòd Terra Sancta in manus devenerit Sarracenorum, per proditionem occultam, & quòd illis plus faverint, quàm Christianis.*

Octavò dicebant: *Quòd benedictio sive institutio Generalis Magistri eorum semper fiebat in occulto præsentibus paucis ex junioribus Ordinis, esséque vehemens eorum suspicio, quòd fidem abnegaret Christianam, vel aliquid aliud promitteret vel ageret honestati contrarium.*

Nonò dicebant: *Multas in Ordine Templariorum esse constitutiones illicitas, prophanas & Christianæ Religioni omnino contrarias, & propterea cunctis ejusdem Religionis Professoribus, sub pœna incarcerationis perpetuæ fore interdictum, ne revelent eas alicui.*

Decimò dicebant: *Eis luxuriam quocunque modo in eorum secta commissam, dolum, fraudem, mendacium, deceptionem, perjurium, homicidium, seu quidquam aliud pro commodo vel honore Ordinis eorum quomodolibet factum seu commissum, nullum esse peccatum.* Hæc quæ præmisimus cum alijs multis, illi duo Parisijs captivi, quatenus optatam assequerentur libertatem, contra Ordinem suum produxerunt, quæ vera fuerint, an falsa, solus ille novit hodie, qui nihil ignorat.

Rex autem Gallorum Philippus his delationibus contra Ordinem Templariorum secretò acceptis, cum nonnullis inductionibus, quæ videbantur probare negotium, cùm Ordini & Magistro prius haud parum esset infensus, propterea quòd multa possiderent in Regno, & decimas sibi à Papa quinquennio indultas permittere omnino recusâssent, esséque multum avarus, & omnia eorum bona percuperet, gaudebat sibi oblatam pro extinctione totius Ordinis qualemcunque occasionem.

Rex Papam cum articulis pro consensu accessit.

Accessit igitur Pontificem Romanum Clementem vid. quintum Pictavis cum sua curia residentem, articulos præscriptos cum alijs multis contra Magistrum & Ordinem Templariorum proposuit, & sibi concedi contra eos inquisitionem petijt, totámque deleri eorum Religionem ut pestiferam & hæresibus plenam instantissimè postulavit. Creditur autem, quòd Rex magis inductus odio Magistri & avaritiâ succensus bonorum Ordinis ista petierit, quàm amore justitiæ.

Pontifex autem etsi talia invitus audivit, tamen ut infestationem Regis importunè nimis postulantis à se removere potuisset, & ut venundatus sub necessitate promissionum impossibilium animum leniret commoti, absque alia discussione materiæ eorum, quæ Templarijs objiciebantur à Rege, nimium credulus tandem consensit, concedens per litteras Apostolicas, ut omnes Templarij per orbem caperentur, torquerentur, & omnia bona eorum sequestrarentur, qui sicut diximus ubique habebant maximas possessiones & multa bona.

Magister Ordinis cum alijs multis Parisijs capitur.

Rex verò Gallorum posteaquam Pontificis consensum extorsit, supremum Templariorum Magistrum, qui tunc erat Parisijs nomine Giachi, natione Burgundum, genere nobilem cum alijs ejusdem Ordinis sexaginta militibus genere nobilibus, æquè capi fecit, & durissimis manci-

parí

pari carceribus. Deinde omnes Templarios per totum regnum Gallorum ubilibet constitutos cepit, carceribus durissimis mancipavit. Post hæc Apostolicas litteras & mandata per totam Europam direxit, quibus Papa multis Principibus distinctè mandavit, quatenus Templarios in suis terris constitutos omnes caperent, eósque super præmissis articulis per torturam examinarent, pertinaces in errore, criminâque negantes, ut hæreticos ignibus, pœnitentes verò & reatum confitentes vitæ reservarent. Bona verò eorum sequestrata secundum Diœcesanorum dispositionem in usus Ecclesiæ necessarios converterent. Ordinem verò Templariorum ad nimis importunam Regis Gallorum instantiam penitus cum titulo idem Clemens Papa V. in perpetuum extinxit.

Super articulis autem præmissis Rex Gallorum captivos suos infelices & miserabiles per tormenta crudelissimè fecit examinari, nihil plus audire cupiens, nihilque magis affectans, nisi ut objecta sibi scelera confiterentur esse vera, quatenus causam extinguendi Ordinem eorum, & sibi usurpandi bona Ordinis sicut & fecit, justam habuisse videretur. Verum cùm illi constanter in tormentis omnia negarent, quæ eis fuerunt objecta, dicentes cuncta esse conficta, falsa & ementita, Rex mandavit augeri torturam, ut dicere, quod volebat audire, saltem pœnarum magnitudine cogerentur.

Templarij Parisijs sine Confessione fuerunt combusti.

Postremò Rex, qui ad eorum festinabat interitum, ut conclusionem faceret negotij, præcipit eos extra urbem Parisiorum duci vinctos in Campum, ubi alto solario quasi theatro ex lignis facto ascendere fuère compulsi, & inspectante omni populo fecit eos ligari ad palos, & nudatos ignem jussit pedibus eorum supponi, deinde ad tibias, sicque paulatim ad membra superiora, unum post aliud miserabiliter exurendo, denuntians eis manifestè, quoniam si reatum suum, hoc est articulos faterentur objectos, mox liberarentur à pœnis, & vitam assequerentur liberam pœnitentes.

Templarij Deum innocentiæ suæ testem invocabant.

Intereà cùm talia paterentur, eorum amici propius accedentes, & consanguinei hortabantur, & cum lachrymis eos rogabant, quatenus confiterentur objecta potius & viverent, quàm in obstinatione perdurantes pœnas & mortem sustinerent acerbam. Sed illi precibus amicorum nequaquam præbuère consensum, nec induci quâlibet ratione potuerunt, ut scelera confiterentur objecta. Constanter in tormentis negando perseverabant, clamantes injuriam se pati coram Deo & hominibus, sed esse innocentes & innoxios omnium & singulorum, pro quibus torquerentur. Deum omnipotentem, ejúsque intactam Genitricem Virginem Mariam, & omnes Dei sanctos in testes suæ innocentiæ lugentes præ dolore pœnarum invocabant, atque inter clamandum miserabiliter obierunt. Reservati verò ad tempus Regis jussu fuerunt Ordinis Magister Generalis F. Delphinus, F. Hugo Paraldi, frater quidam alius ex principalioribus Ordinis, qui fuerunt aliquando ipsius Regis Gallorum Thesaurarij. Hos duci ad Papam Pictavis commorantem Rex vinctos præcepit, quorum vestigia secutus & ipse Pontifici assidere curavit, se judicem faciens, qui persecutor simul & accusator judicandorum acerrimus extitit. Constitutis autem in audientia Papæ, fuit promissum, quoniam si palàm confiterentur objecta, veniam consequerentur & vitam. Verùm posteaquam sibi

objecta

objecta diutius constanter negâssent, tam Regis quàm Pontificis, Cardinalium, amicorúmque blanditijs & persuasionibus tandem inducti, ut vitam redimerent, fatebantur, se quibusdam objectarum hæresum sceleribus fuisse infectos, pro quibus à Papa veniam postulabant. Quorum confessio per Notarium publicum jussu Regis confestim excipitur, & processus ut consuetudinis est litigantium desuper declaratorius formatur. Quibus peractis vincti Parisios reducti sunt, & in carcerem repositi; Pontifex autem duos Cardinales misit Parisios ad executionem negotij, qui sententiam ferrent contra Ordinem, confessata Pictavis coram Papa facerent manifesta, & pœnitentiam aliquam inponerent confessis pœnitentibus. Qui cùm venissent in urbem Parisiorum, eductos de carcere Templarios in eminentiori loco posuerunt, ut videri & audiri ab omni populo possent. Relecto autem processu confessionis coram Papa habito in urbe Pictavensi per Notarium publicum coram omnibus, Magister Templariorum surrexit in loco stans eminentiori, & cum magno clamore silentio postulato dixit: *Viri fratres audite precor cum patientia, quæ dicturus sum vobis, & veritatem hujus negotij sine dubio plenam intelligetis; vera enim dicturus sum, & à veritate non recedam in aliquo.* Existimantes autem ministri pœnarum, quòd confessurus esset objecta, indixerunt plebi silentium.

Magister Ordinis coram Papa confitetur aliqua.

Stans ergo Magister Ordinis in pulpito, magnâ & clarâ voce clamabat: *Hæreses & crimina, super quibus ego & confratres mei accusamur, penitus in nobis, & in Ordine nostro nec esse, nec fuisse unquam, publicè & veraciter dico, scio & protestor, & dico nunc publicè coram Deo & omnibus sanctis ejus, qui judicaturus est vivos & mortuos, quòd injuriam patimur, & contumeliam injustè manifestam. Omnia enim, quæ nobis objiciuntur, falsa sunt, & ficta ac ementita, sic me Deus salvet extremis in periculis. Religio enim mea, cujus fui minister, sancta est, & fuit omni tempore, & innocens ab omni scelere hæreticæ pravitatis. Hæc est mea confessio vera, in qua sto, manebo, & mori paratus sum.* Eo sic vociferante, quidam astantium dixit: *Non concordant hæc verba sermonibus tuis, quos coram Summo Pontifice & Domino meo Rege nuper Pictavis spontaneâ voluntate dixisti.* Cui ille respondit: *Propterea me morte dignum fateor, & eam subire patienter sum pro mea levitate paratus, pro eo, quòd timore perterritus, & blanditijs Papæ ac Regis seductus, de me & sancto ordine meo nuper aliqua confessus sum, quæ scivi & scio esse falsa, ficta & ementita. Ob id innocentiam mei Ordinis testaturus, & mendacium ulturus, in nomine Christi libenter moriar.*

Magister Ordinis se morti adjudicat, quòd falsa confessus esset.

Cùm hæc dixisset, sermo ejus tumultu ministorum interruptus est, & amplius loqui non fuit permissus. Cardinales autem & reliqui Ecclesiæ Prælati, qui aderant, datâ sententiâ in eos Romani Pontificis nomine, prout Rex Gallorum extorserat, inde recesserunt. Concilio autem cum Rege habito, dictus Magister Templariorum Generalis cum Delphino socio suo ante Regis aulam ligatus ad palum igne suppositio primùm ad pedes, deinde ad tibias, & ita paulatim consequenter ad membra superiora longo supplicio deficiens exustus est. Qui tunc inter supplicia tam crudelia, & se & religionem suam de objectis sceleribus constantissimè excusavit, Deum in testem suæ innocentiæ invocans, & intemeratam ejus Genitricem in auxilium. Frater autem Hugo de Paraldo cum alio

Magister Ordinis cum uno suorum comburitur.

milite

milite socio suo, timore mortis perterritus, ne pati similia cogeretur, ea quæ Pictavis coram Papa confessus fuerat, iterum Parisijs coram omni multitudine confitebatur, & sic mortem ambo evaserunt. Scribit tamen Archiepiscopus Florentinus, quòd miserabiliter posteà interierint. Similiter & illi duo, quos Magister Ordinis Parisijs incarceraverat, qui omnium malorum fuêre principium, & incentores, dimissi per Regem ex carceribus, malâ morte tandem perierunt, uno eorum suspenso in patibulo, & alio morte violentâ interempto. Per totam denique Europam in Gallia, Hispania, Normandia, Burgundia, Alsatia, Suevia, Francia, Bavaria, Thuringia, Saxonia, & reliquis Nationibus Templarij ubilibet constituti & inventi, mandato Apostolico capti fuerunt, & examinati per tormenta; quorum plures fuerunt combusti, aliqui vel extra Patriam proscripti, vel ad Cœnobia aliarum Religionum ingressi. Totum hoc factum est ad instantiam Regis Gallorum, qui cùm Papam in sua haberet potestate, litteras ab eo quales voluit, de facili impetravit, quas per totam Europam principibus destinavit.

Ordo Templariorum in toto mundo fuit extinctus.

Bona verò Templariorun, possessiones, dominia atque castella, quæ per Galliam habebant latissima, Rex supra dictus Gallorum Philippus, sibi omnia usurpavit. Similiter & in alijs nationibus factum est, dum quilibet Princeps eorum, quæ in suo dominio reperit, si non cuncta, tamen multa suis applicavit. Nonnulli etiam, quorum Deus corda tetigerat, bona Templariorum suis inferre usibus veluti malè acquisita recusantes, alijs ea Religiosis sive pauperibus distribuerunt. Ecclesiarum verò sive Monasteriorum, in quibus habitaverant, quædam hodie penitus sunt destructa, quædam verò ab alijs religiosis habitata.

Ordinis bona Principes mundi sibi usurparunt.

A multis verò, quemadmodum memoratus Archiepiscopus refert Antoninus, opinantibus dicebatur, illos innocentes & sine justa causa fuisse damnatos, ut per hoc sibi eorum bona usurparent, qui tam anxiè Ordinis interitum quærebant. Verùm ut prius contestati sumus, non est nostrum, hujus facti promulgare sententiam, qui non judicis, sed scriptoris historiarum profitemur officium.

Fuerunt qui scriberent, Philippum Regem Gallorum post extinctionem Templariorum præscriptam, cujus incentor ipse principalis fuit, sicut dictum est, multa deinceps mala passum tam in se, quàm in filijs suis, fuítque infortunatus in cunctis operibus suis usque ad mortem; omnes etenim filij vitæ brevis malè regnaverunt multis subacti calamitatibus. Nam Rex ipse Philippus non diu supervivens moriebatur invitus. Cui Ludovicus filius succedens annis regnavit duntaxat duobus. Quo mortuo successit ei Joannes filius adhuc puer, & supervixit tantum viginti diebus. Post quem Philippus frater Ludovici regnavit annis ferme quinque, illo mortuo Carolus frater succedens regnavit annis tantùm sex. Hi omnes brevioris vitæ multas incommoditates passi sunt, quarum causam peccata Regis Philippi fuisse opinabantur. Multi verò Templarios injustè passos existimantes eorum corpora & ossa colligentes, & sepelientes honorificè, ut Martyres venerati sunt.

Regem Gallorum ferunt multa passum contraria.

MCCCVIII.

Anno Henrici Abbatis Hirsaugiæ nono, Indictione Rom. sextâ in die SS. Philippi & Jacobi Apostolorum, quæ fuit prima dies mensis Maij.

Albertus Rom. Rex à nepote suo interficitur.

Cùm Rex Theutonicorum Albertus, Romanorum electus Imperator, non procul à Schaffhusen Rhenum navigio cum paucis transisset, & reliquam Comitatûs sui partem ab alia parte littoris consistentem, donec transiret & ipsa, præstolaretur, atque per fata cum equo more ludentis discurreret, accessit ad eum Joannes Rudolphi fratris sui filius, & nil tale metuentem gladio perfodit & occidit; móxque cum suis, qui aderant fugam arripuit & evasit. Corpus autem regis occisi posteà Spiram relatum fuit, & vacavit Imperium post interitum Alberti mensibus septem. Causam hujus commissi sceleris in patruum nepotis competit ut dicamus. Rex Albertus Comitatum, castra & terras dominij de Kyburg occupabat, quæ memoratus Joannes, filius Rudolphi Ducis Suevorum, fratris Alberti hæreditario jure ad se matris nomine voluit & asseruit pertinere. Cúmque Regem multis precibus tam per se quàm per amicos sæpius pulsaret, ut sibi maternam hæreditatem restitueret, & præter verba nihil omnino reportaret, pravorum tandem consilio usus, patruum interficere & injuriam vindicare cogitavit. Metuens tamen solus committere facinus tam arduum & ingens, socios sibi conjurationis pernicioſæ quosdam Barones assumpsit, quorum assistentiâ regem nihil mali suspicantem occidit, sicut diximus, è quorum numero tres istos nominatim scriptorum industria litteris commendavit, qui & conspirationis in Regem fuerunt socij, & cooperatores memoratæ illius interfectionis: videlicet Rudolphus de Wart, Baro, principalis unus ex conspiratoribus fuit, Waltherus quoque de Eschelbach secundus, & Udalricus de Palma tertius: horum trium consilio pariter & auxilio fretus Joannes Dux, Patruum interemit.

Socij conspirationis in Regem Albertum, qui fuerint.

Sociorum sceleris infelix exitus.

Rege Alberto per nepotem crudeliter occiso, mox sceleris conscij cum auctore fugientes aliquanto tempore latuerunt. Sed quidam ex his posteà deprehensi meritas impietatis suæ pœnas sustinere compulsi sunt. Nam Udalricum de Palma Lupoldus Dux Austriæ filius Alberti Regis occisi, cum quinquaginta viris in castro, Altpurena dicto, constitutum obsedit, cepit & interfecit, mortémque patris crudeliter vindicavit. Deinde idem Dux Lupoldus castrum Waltheri de Eschelbach obsidione vallavit, cepit & suo dominio subjugavit. Porrò Waltherus occultè fugiens, & assumpto rustici pauperis vilissimo habitu, incognitus venit in Territorium Comitis de Wirtenberg, & ibi per annos triginta quinque custodiens porcos rusticorum latuit, & vitam in miseria consummavit. Moriturus autem post annos exulationis suæ quinque & triginta exactos, nomen suum & genus cum scelere prodidit: cujus corpus mandato Comitis honorificè sepultum fuit.

Rudolphus autem de Wart captus fuit, & ad rotam adjudicatus, ligatúsque ad caudam equi nudus tanquam latro ad locum patibuli ducitur, & quassatus miserabiliter, sicut promeruit, rotatur, finem accipiens vitæ calamitosum & miserabilem, qui non timuit conspirare in Christum Domini, & perjurus morte scelus suum expiavit.

Joannes Dux ut Beghardus exulat.

Joannes verò, qui Dominum & Patruum suum dolosè & crudeliter interfecerat, & cùm nusquam in Germania tutò posset latere, per Italias in habitu Beghardi vagus hinc inde discurrebat, semper pavidus & metuens cunctorum hominum expavescebat conspectum. Tandem post multas latebras cùm errabundus & vagus pervenisset Pisas, cognitus à quodam

fuit,

fuit, & captus, atque Henrico Imperatori septimo, qui Alberto (sicut dicemus) immediatè succeſſit, præſentatus, ejus ſententiâ & Principum decreto ad agendam pœnitentiam in Monaſterium quoddam Eremitarum S. Auguſtini poſitus eſt, in quo lugens & pœnitens continuè uſque ad mortem permanſit. Et hic finis Alberti Regis calamitoſus extitit, cujus interitûs judicio multorum fuit obnoxius, qui divinam in eum ſæviſſe ultionem dicebant juſtiſſimâ ratione, ut qui Dominum ſuum Regem Adolphum minùs juſtè occiderat, etiam ipſe non ab alio, quàm à nepote ſuo interiret.

Anno prænotato in menſe Junio, Papâ in Gallia reſidente, Eccleſia S. Joannis Lateranenſis Romæ cum Palatio & univerſis Canonicorum manſionibus igne conſumpta fuit, & in cinerem redacta, præter Capellam ſolam, quæ ſancta nuncupatur Sanctorum, quæ comburi non potuit, quia teſtudinata quàm optimè fuit, in qua & corpora SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, cum pluribus reliquijs aliorum Sanctorum quieſcebant. Quidquid in eadem Capella fuit, ſalvum permanſit, Eccleſiâ principali, domibúſque in circuitu omnibus, & cunctis, quæ in eis fuerunt, igne conſumptis. Clemens autem Papa corpore quidem abſens in Gallia, multas pecunias Romam miſit, & Eccleſiam pulchrius, quàm prius fuerat, cum palatijs reparavit.

Eccleſia Lateranenſis igne comburitur.

His temporibus Petrus Archiepiſcopus Moguntinus Omnipotenti Deo gratum ſe exhibere cupiens pro multiplicibus beneficijs ab eo ſuſceptis, inter cætera pietatis ſuæ ſtudia Monaſterium Fratrum Monachorum Carthuſienſis Ord. extra muros Civitatis Moguntinæ juxta Rheni fluenta conſtruere cæpit, quod brevi tempore ſtudioſiùs intendens feliciter conſummavit: quo ritè per omnia completo Monachos Carthuſianos ad ſerviendum Omnipotenti Deo introduxit, quibus hujus vitæ neceſſaria providâ conſideratione diſpoſuit.

Eodem anno poſt mortem Alberti Regis Rom. Imperio vacante propter diſcordiam Principum Electorum, Philippus Rex Gallorum ſupradictus ambitione & avaritiâ plenus, cupiens illud dominio ſubjugare ſuo, ſextam pro eo petitionem Summo Pontifici cenſuit offerendam, quam in ejus promotione, congruo & tempori & negotio dixerat conſervandam. Hujus rei gratiâ conſilium habuit ſecretum cum Carolo fratre Duce Valeſiano & reliquis amicis ſuis, dicens ſibi Papam adhuc eſſe obligatum in una petitione, quamcunque illi proponeret: ſibi autem videri, quòd nihil poſſet ab eo poſtulare utilius, quàm Romanum Imperium, quod ſine capite vacaret.

Rex Gallorum Fratri ſuo Rom. ambiebat Imperium.

Placuit Baronibus cunctis Philippi Regis conſilium, & hortabantur ſtudioſè, ut nec laboribus parceret nec impenſis, quò Gallia tanto poſſet munere lætari decoris imperij. Rex autem non ſibi ſed fratri ſuo memorato Carolo Duci de Valeſijs imperium promittebat, quod illi Bonifacius olim Papa octavus etiam ferebatur pollicitus. Concluſio igitur in conſilio facta eſt talis; quòd Carolus Dux cum exercitu ſex millium pugnatorum, Pontificem in Avenione reſidentem accederet, & vigore ſextæ petitionis Regi promiſſæ, vacans Romanum Imperium ab eo poſtularet, quod concedere Pontifici ne forſitan durum videretur, deletionem memoriæ Bonifacij Papæ relaxaret.

Sed Omnipotens Deus (qui consilia dissipat Principum, & reprobat cogitationes populorum, quoniam vanæ sunt) non permisit concluſa Regis pervenire in effectum; ne sancta Romana Ecclesia subijceretur dominio Gallorum. Nam etsi consilium hoc secretissimè habitum, mandato Regis cunctorum postulabat silentium, per unum tamen de secretarijs Romano Pontifici fideliter & secretissimè citius fuit revelatum. Quod ubi Papæ innotuit, mox Cardinalem Hostiensem Nicolaum Pratensem videlicet Episcopum vocavit, & quid agendum in tam arduo negotio consuleret, secretius requisivit: erat enim memoratus Cardinalis, vir non solùm in utróq; jure peritissimus, sed etiam in agendis quibuslibet Ecclesiæ negotijs valde expertus. Et notandum, quòd eo tempore Rex Gallorum Philippus non solùm Romano Pontifici, sed penè cunctis etiam Cardinalibus & maximè promotis à Bonifacio Papa octavo, multum in secreto erat odibilis, despectus & contemptus, propter malas inordinatas & tyrannicas petitiones suas, quibus totum Ecclesiæ Romanæ statum subvertere laborabat. Memoriam etenim Bonifacij Papæ octavi extinguere penitus & delere: omnia per illum facta revocare: constitutiones & ordinationes ejus universas annihilare: corpus & ossa ejus exhumari & comburi Pontificem cum tanta furia nitebatur compellere, ut Antichristus potius dicendus fuisset, & hostis Ecclesiæ, quàm Rex Christianus. Enimverò si Papa secundum petitionem ejus frivolam stultam & impiam, Ordinationes & facta Bonifacij revocâsset, non solùm scandalum in Ecclesia Catholica maximum fuisset exortum, sed etiam ipse Papa Clemens, & Archiepiscopus Burdegalensis à Bonifacio promotus, Pratensis quoque Cardinalis & plures alij Cardinales atque Pontifices per eum constituti fuissent deponendi. Summâ igitur diligentiâ curandum eis non immeritò stabat, ne Romana Ecclesia lupo subderetur rapaci, Gallorum scilicet Regi. Dixit ergo memoratus Cardinalis ad Pontificem: *Pater sancte, hic non est aliud remedium ad obviandum, ne Ecclesia Regi subijciatur Gallorum, nisi hoc unicum, quòd quantocius Electoribus Imperij significetur secretè, ut procedant ad Electionem novi Imperatoris sine mora. Quod nisi quantocius fecerint, Imperium devolveretur ad Gallos. Et hoc totum expediatur per secretum nuntium, priusquam Rex veniat ad petendum.* Placuit Pontifici consilium; & ambo tenuêre secretum. Scripserunt igitur ambo Papa & Cardinalis proprijs manibus, ne quovis modo publicaretur negotium, Electoribus Imperij litteras secretas, in quibus illos de intentione Regis Gallorum avisandos monebant, quatenus sine mora Imperatorem eligerent; & hanc eorum avisationem nulli penitus revelarent, sed omnia conservarent in secreto, ne ad notitiam Regis Gallorum devenirent. Erant autem inter Cardinales nonnulli precibus Regis promoti, & propterea illi faventes, à quibus oportebat celari consilium, ne Gallo per ipsos fieret manifestum. Cardinalis ergo Pratensis unum ex familiaribus suis, qui erat natione Theutonicus, cum litteris Papæ suisque misit ad Principes, de cujus fide non dubitabat.

Ecclesia Romana Gallis non favet Imperij potestatem.

Consilium Papæ dedit Cardinalis Pratensis.

Anno igitur Henrici Abbatis Hirsaugiensis prænotato, in mense Novembri, litteris Apostolicis secretò prænoniti Principes Imperij Electores, apud Villam quæ Rense nuncupatur, haud procul à Confluentia juxta Rhenum convenientes, Henricum Comitem de Luxenburg fratrem

Henricus Comes Luxenburgensis Rex Romanorum eligitur.

trem Baldevvini Archiepiscopi Trevirorum unanimi consensu in Regem ad Imperium elegerunt, virum bonum, strenuum & honore imperiali dignissimum. Electione autem secretiùs inter se factâ Principes in memorato oppido Rensensi ulterius per fluenta Rheni ascenderunt ad imperiale oppidum Franckenfurt, & ibi vicesimâ septimâ die mensis Novembris eandem electionem solemniter coram omni populo publicârunt. Deinde anno sequenti in festo Epiphaniæ Domini, ut suo loco dicemus, in Regem Francorum orientalium Aquisgrani Coronatus est.

Audiens verò Gallorum Rex, quòd Principes imperij ad scripta Papæ Clementis tam subitò novum elegissent Imperatorem; valde confusus est, & multum iratus, quòd ejus intentio non potuit habere progressum; & nunquam deinceps amicus Papæ fuit. Præparaverat etiam jam se cum magna bellatorum comitiva, ut iret ad Papam, qui tunc in Avenione morabatur, petiturus ab eo fratri suo Romanum Imperium, sicut in secreto consilio Parisijs antea fuerat conclusum. Et cùm jam in procinctu esset eundi, venit nuntius cum litteris certus, qui diceret Comitem Luxenburgensem à Principibus ad Imperium solemniter electum. Unde spe suâ frustratus, ad effectum sextæ petitionis arrogantis non pervenit.

Anno prænotato sexto iduum Novembris, obijt in Colonia Joannes Duns, cognomento Scotus Ordinis minorum, Alexandri de Hales ejusdem Ordinis quondam auditor atque discipulus, Doctor magnus atque subtilis, & in choro fratrum suorum memorati Conventûs Colonienſis ante sacristiam cum honore sepultus est. Qui cùm esset vir tam in divinis scripturis quàm in Philosophia peripatetica omnium ferme suo tempore doctissimus, scripsit quædam profundi sensus volumina, quibus memoriam suam posteris commendavit. Equorum numero subjecta feruntur: super Magistrum sententiarum libb. IV. Quodlibetorum quoque lib. I. De Cognitione Dei lib. I. In Metaphysicam variarum quæstionum lib. I. Sermones etiam scripsit & varias quæstiones. De reliquis, quæ lucubravit, nihil vidimus.

Joannes Scotus Doctor subtilis Coloniæ moritur.

MCCCIX.

Anno Henrici Abbatis decimo, in mense Januario, Principes Imperij Electores cum suo electo de Franckenfurt per fluenta Rheni navigio descenderunt ad Coloniam, & ulterius ad Aquasgrani terrestri comitatu processerunt. Ubi in festo Epiphaniæ Domini memoratus Comes Henricus Luxenburgensis, nuper, sicut diximus, electus, per ministerium Henrici Archiepiscopi Colonienſis in Regem solemniter inunctus est, & coronatus, cæteris Archiepiscopis cooperantibus. Coronatus autem deinceps regnavit annis quatuor & mensibus novem. Uxorem verò habuit idem Rex Henricus septimus Margaretham filiam Joannis Ducis Brabantiæ, de qua genuit Joannem posteà Regem Bohemiæ, de quo etiam paulò post latius dicemus. De cæteris hujus Henrici Regis septimi liberis, nihil hac vice comperimus.

Henricus Rex in Aquisgrani coronam suscepit.

Henrici Regis uxor Margaretha.

Eodem anno Henricus memoratus Rex Germanorum confestim ut Regni coronam suscepit, de Aquisgrani ad Coloniam redijt, & inde per Rhenum navigio Spiram cum Principibus ascendit. Quem omnes sine contradictione susceperunt cum reverentia & honore, homagium illi præstantes fidelitatis. Spiræ autem constitutus duorum corpora Regum

Adolphus & Albertus Spiræ sepulti.

Adolphi & Alberti fecit adduci, & cum honore debito in majori Ecclesia sepeliri. Quorum alter, videlicet Adolphus haud procul ab Alzen occisus per Albertum in bello peremptúsque, ut supra diximus, anno Godfridi Abbatis sexto, in quodam Cœnobio Rosenthal dicto, per annos ferme undecim jacuerat sepultus. Alter verò Albertus à fratruele gladio perfossus uno tantum anno haud procul à Schaffhusen in quadam Ecclesia fuit tumulatus. Ambo itaq; in uno sepulchro fuerunt tandem reconditi, qui nunquam dum viverent fuerunt amici. Facta est hæc Regum sepultura Spiræ anno prænotato quarto Calendas Septembris. In apertione verò sepulchri, cùm Reges jam essent sepeliendi, inventa fuit corona cuprea inaurata per totum, cum pallio purpureo & ossibus Beatricis quondam Imperatricis, de qua sic legebatur in plumbea tabella scriptum: *Anno Jesu Christi millesimo centesimo octogesimo quarto XVII. Calend. Decembris obijt Beatrix Imperatrix Romanorum.* Omnia reperta in sepulchro manserunt. Memorata verò Beatrix, dum viveret in humanis, altare portatile sive capsam illam magnam, quæ capiti sancti Papæ Stephani in majoribus festis ex more supponitur, fieri fecit, & Ecclesiæ Spirensi devotâ mente donavit. In cujus quidem circumferentia capsæ ita scriptum legimus: *Hoc altare sacrum gemmis auróque decorum, fecit peccatrix, non re, sed voce Beatrix. Dispereat prorsus anathematis igne percussus, quisquis id abstulerit sacro cuicunque dicârit.* In medio verò ipsius capsæ marmor album videmus inclusum ad modum altaris, & reliquias Sanctorum subtus impositas, ut missa desuper valeat celebrari, in cujus circumferentia sic legimus: *Immolat hic almum redivivi sanguinis agnum, Dextra Sacerdotis potúmque cibúmque salutis, quo factæ fortes animæ per bella per hostes, Dulcia perpetuæ redeunt ad gaudia vitæ.* Alia insuper multa Ecclesiæ Spirensi bona contulit.

Corpus Reginæ inventum est.

Altare pretiosum portatile in Ecclesia Spirensi.

Et nota, quòd memoratus Rex Germanorum Albertus anno regni sui quinto, hoc est Dominicæ Nativitatis millesimo trecentesimo tertio, Indictione Romanorum primâ, dotavit altare sanctæ Annæ genitricis Dei Parentis in gradibus majoris Ecclesiæ Spirensis, duas instituendo ad illud Vicarias perpetuas, quæ nuncupantur Regales; propterea quòd earum collatio ad Regem Romanum pertinet pro tempore existentem, sicut ipse primus institutor ordinavit.

Item eodem anno, quo Rex Albertus prædictas præbendas instituit, Sigebotho Pontifex Ecclesiæ Spirensis nonâ decimâ die mensis Novemb. hoc est, in festo S. Elisabeth cum consilio & auxilio communitatis civium urbis memoratæ coram omni populo adhoc per campanæ pulsum convocato, deposuit senatores sive consules civitatis omnes propter demerita eorum, & alios de communitate civium electos ad consulatum ordinavit.

Anno Henrici Abbatis prænotato in festo sancti Michaëlis Archangeli mortuus est Dietlibus decimus Abbas Monasterij quondam mei Spanheimensis, & in choro fratrum ante gradus presbyterij ut petierat sepelitur. Cui undecimus in Abbatia successit Wilicho ejusdem Cœnobij Monachus filius Comitis de Westerburg & frater Comitissæ de Spanheim vir valde notabilis, & præfuit annis XXVII. mensibus quinque, diebus quatuordecim.

Wilicho fit Abbas in Spanheim.

Anno etiam præscripto, Rex Ungariæ sine liberis mortuus est: post cujus

cujus obitum Ungari Ottonem Bavariæ Ducem filium Henrici fratris Ludovici quondam Comitis Palatini Rheni Bavaríæque Ducis, in Regem Ungariæ concorditer elegerunt, veluti proximum hæredem regni memorati; erat enim nepos Belæ Regis defuncti ex parte matris, quæ filia Belæ fuit. Electum igitur Ottonem de Bavaria in Ungariam evocantes cum magno honore suscepérunt, sibíque in Regem solemni conventu unxerunt, gaudentes quòd relictum in eo sanguinem Ungariæ Regalem ex matre invenissent. Sed ferocitas innata Ungaris non diu regali permansit in fide, cùm Regem Ottonem plus odire cæpit & detestari, quàm prius amaverat unquam; mutatâ námque sententiâ manus temerarias miserunt in eum, ipsúmque sub custodia vinculis etiam mancipârunt. Qui tandem fugâ lapsus in Bavariam redijt, & Ungariæ Regnum amplius non vidit. Non supervixit diu, sed mærore consumptus citò mortuus est, filium relinquens unicum infantem dierum quatuordecim, quem illi Uxor pepererat, filia Ducis Poloniæ, & morabatur in Notterberg.

Otto Bavariæ Dux fit Rex in Ungaria electus.

Otto Rex fugatus de Ungaria in Bavaria obijt.

Anno prænotato circa festum S. Michaelis Archangeli Rex Henricus conventum Principum solemnem habuit, in quo personaliter comparuerunt Baldevvinus Archiepiscopus Trevirorum frater Regis, Petrus Archiepiscopus Moguntinus, Henricus Archiepiscopus Colonienſis, Andreas Episcopus Herbipolenſis Dux Franciæ Orientalis, Sigebodo Episcopus Spirenſis, Emericus Episcopus Wormatienſis, Episcopus quoque Argentinenſis, Episcopus Constantienſis, Episcopus Augustenſis, Episcopus Curienſis, Episcopus Eichstatenſis, Episcopus Bambergenſis, Archiepiscopus Salzburgenſis, Episcopus Passavienſis, Episcopus Ratisbonenſis, Episcopus Frisingenſis, Episcopus Metenſis, Episcopus Leodienſis, Episcopus Trajectenſis, Episcopus Monasterienſis, Episcopus Hildesheimenſis, Archiepiscopus Magdenburgenſis, Archiepiscopus Bremenſis, cum reliquis Episcopis Saxoniæ, ac totius regni penè cunctis. Aderant & Principes Imperij seculares. Rudolphus Comes Palatinus Rheni, Duces quoque Saxoniæ, Bavariæ, Brabantiæ & Lotharingiæ cum multis alijs Principibus. Comparuit in eodem Conventu Principum Elisabeth filia Wenceslai defuncti Regis Bohemiæ, annos habens ætatis ferme decem & octo, postulans se ad regnum investiri Paternum, contra duos tyrannos Henricum & Joannem, qui pro regno jam diu concertantes totam Bohemiam incendio & rapinis impleverant. Bohemi quoque inter se divisi, partes in dissensione confortabant, quorum aliqui Henrico, cæteri Joanni adhærebant.

Conventus in Spira fit Principum magnus.

Rex igitur deliberatione per paucos dies acceptâ, filium suum Joannem Comitem de consensu Principum creavit in Ducem, & Comitatum Namurcenſem olim nuncupatum, id est, Luzenburgenſem in Ducatum sublimavit, quemadmodum & Fridericus Imperator tertius, ut suo loco dicemus, Austriæ Ducatum, unde procreatus fuit, in Archiducatum erexit, qui titulus nescio si ab origine Imperij Romani unquam fuerit auditus: Henricus autem Rex filium propterea sublimavit in Ducem, ut illum eo convenientiùs, sicut animo disposuerat, promoveret in Regem.

Comitatus Luzenburgenſis fit Ducatus.

Posthæc de consilio Principum & consensu procerum Regni Bohemiæ, qui aderant, inter filium suum Joannem ex Comite Ducem novum, & memoratam Elisabeth Bohemiæ Regis filiam matrimonium contrahitur,

hitur, & nuptiæ cum lætitia multorum solemni apparatu in eadem Spirensi Urbe in præsentia multorum Principum celebrantur. Nuptijs autem solemniter & regio apparatu celebratis, Rex Henricus filium suum Joannem Imperiali auctoritate de consensu Principum ad Regnum Bohemiæ investivit, & feudum esse Romani Imperij Bohemiam juxta veterem & antiquam consuetudinem non solum scriptis docuit, sed etiam opere demonstravit. Reliquerat autem Rex Wenceslaus Bohemorum, præter memoratam Elisabetham & aliam filiam unam, quam Henricus Princeps Carinthiæ duxit uxorem, cum qua sibi Regnum nitebatur usurpare Bohemorum. Qui audiens Joannem filium Regis Henrici Romanorum, alteram filiam Wenceslai duxisse uxorem, & ad regnum Bohemiæ à Patre Imperiali auctoritate investitum, nihil cunctatus Bohemiam cum exercitu magno ingreditur, & regnum præoccupaturus, Joannem ne intrare posset coercere meditatur. Sensit cum eo Misnensium Marchio, & exercitum illi non parvum personaliter adduxit. Unde Henricus Imperator cùm intellexisset memorati Principis ad Bohemiam introitum, sine mora exercitum convocavit, ex Francis maximè Orientalibus, & Thuringis, & Bavaris, quem Duce Petro Moguntinensium Archiepiscopo cum Joanne filio & uxore festinanter in Bohemiam destinavit. Bohemi autem sicut diximus, inter se discordes fuerunt, quorum altera pars Henricum Carinthiæ Principem supradictum sequebatur ut regem, altera verò Joannem Imperatoris filium sibi regem assumpsit. Veniens ergo in Bohemiam cum exercitu Joannes à fautoribus quidem suis lætè suscipitur, ab adversantibus verò refutatur. Bellum itaque grave committitur, & marte ancipiti diutius pugnatur. Tandem Joannes cum suis Pragam obsidione vallavit, in qua sibi occultè consentientes multos esse cognovit. Henricus autem Carinthiæ Princeps, & Marchio Misnensium cum suis copijs in ipsa erant civitate, muros & arces, quantâ poterant diligentiâ, custodientes, & civium non pauci cum ipsis apertè sentiebant. Obsidione paucis continuatâ diebus proditio per eos facta est, qui Joanni Luzenburgensi favebant, quorum & numerus inter cives erat major, & virtus armorum potentior. Pragam igitur Joannes victor ingressus, cives jam anteà voluntarios in fidem clementer accepit, & eos qui prius inimici fuerant, sibi amicos faciens, fidem jurare firmiter coegit.

Henricus Dux Carinthiæ Bohemiam invasit.

Joannes Pragam & totum Regnum obtinet.

Henricus autem Carinthiæ Princeps fugâ lapsus in terram suam reversus est, & de Bohemorum regno se non amplius intromisit. Reliqui verò Proceres in arcem sancti Wenceslai, ubi & major est Ecclesia sese receperunt, qui tamen & ipsi posteà dextras Joanni dederunt. Qui civitate obtentâ brevi etiam totum Bohemiæ regnum obtinuit, & annis ferme sex atque triginta non minus potenter, quàm pacificè regnavit. Mox autem ut Pragam traditione civium obtinuit, se coronari fecit, & inungi in Regem Bohemorum una cum uxore sua per ministerium Domini Petri Archiepiscopi Moguntini, ad quem de jure simul & consuetudine antiqua pertinet consecratio Regum Bohemiæ, sicuti continetur in privilegio, quod anno Eberhardi Abbatis Hirsaugiensis tertio decimo rescripsimus. Verùm Episcopatu Pragensi posteà in Archiepiscopatum sublimato, privilegium hoc ab Ecclesia Moguntina, pecuniâ non modicâ interveniente penitus fuit ablatum, & Archiepiscopo Pragensium liberè concessum;

Joannes consecratur Pragæ in Regem Bohemiæ.

concessum; nam eatenus tam Pragensis Episcopus, quàm Olmucensis sub provincia Moguntina fuerunt.

Huic autem Coronationi Regis Bohemorum Joannis, plus quàm trecenta millia hominum interfuisse memorantur. Coronatione solemniter peractâ Joannes Rex inter alia dona, quæ Petro donavit Archiepiscopo Moguntino, sedem quoque auream contulit gemmis & pretiosis lapidibus pulchrè decoratam: quæ habetur in principali Ecclesia Moguntina usque in præsentem diem, ponitúrque in magnis solemnitatibus cum reliquijs Sanctorum super altare majus ad decorem Domus Domini, hanc sedem vulgus sancti Martini appellat: non quòd Beatus Martinus eam aliquando habuerit, sed quia ejus Ecclesiæ Moguntinæ data fuerit.

Aurea Sedes sancti Martini Moguntiæ.

Henrico Rege cum Principibus Imperij adhuc in civitate Spirensi moras faciente, Eberhardus Comes de Wirtenberg imperiali citatus edicto, cum ducentis armatis equitibus cum magna superbia venit ad Spiram. Qui cùm de tyrannide in homines Imperij commissa, & multiplici rebellione, quâ jam diu regno extiterat inobediens, graviter fuisset accusatus, nihil curavit, sed in sua pertinacia perseverans, non solum veniam non petijt, sed etiam cum suis insalutato hospite temerarius recessit; cunctis etenim vitæ suæ diebus tanquam natus ad rebellionem imperio & Regibus Germaniæ semper fuit contrarius. Primò videlicet Rudolpho, deinde Adolpho, consequenter Alberto, nunc Henrico, & posteà similiter imperatori Ludovico quarto.

Eberhardus Comes de Wirtenberg rebellis imperio.

Rex igitur Henricus præfati Comitis Eberhardi superbiam humiliare statuens, maximam pugnatorum congregavit multitudinem: ex qua tres magnos exercitus uno tempore constituit. Quorum primum cum Joanne filio suo rege, sicut diximus, sub Ducatu Petri Moguntini Archiepiscopi destinavit in Bohemiam: secundum verò contra memoratum Comitem misit in Sueviam: cum tertio ipse pro corona Imperij profectus est in Italiam. Egressus itaque contra præfatum Comitem Eberhardum imperialis ductor exercitûs, omnia quæ ad illius spectabant dominium, potenter ubique vastavit, & brevi tempore ex octoginta castellis & oppidis benè munitis ad Comitatum Wirtenbergensem pertinentibus duo & septuaginta violenter obtinuit, de quibus non pauca funditus destruxit. In quorum numero nobile illud Castrum Wirtenberg primum extitit: quod tunc penitus eversum, nunquam posteà ad primæ fundationis elegantiam, fortitudinem & pulchritudinem restitutum fuit. Comes autem Eberhardus videns se tantæ multitudini armatorum nequaquam posse resistere, recusavit cum hostibus in patulo dimicare; nam subditorum aliqui jam prius ab eo defecerant, plures etiam ab hostibus aut capti fuerunt aut interfecti. Reliqui verò scilicet oppidani in Urach, in Nyfen, in Herburg & in Witlingen pro Comite suo domino fortiter steterunt.

Castella Comitis Eberhardi LXXII. capta sunt.

Continebat se Comes in Castello suo Asperg juxta Neccharum, quod natura montibus & flumine fortiter communivit. Quod ubi capitaneo imperialis exercitûs innotuit, Castellum cum oppidulo in manu suorum gravissima obsedit. Eberhardus autem Comes loco non ducens confidendum propter murorum oppiduli infirmitatem, quamvis alioquin situ fuerit munitissimum, noctu cum paucis aufugit, & veniens occultè ad Rudolphum Badensium Marchionem Sororium suum ab eo receptus est

Asperg obsidione cingitur durâ.

apud Boeseken oppidum, ubi & latuit, quamdiu Rex Henricus in humanis fuit. Verùm Henrico mortuo amissâ omnia recuperavit, partim armis, partim benevolentiâ quorundam subditorum.

Sepultura Comitum frangitur in Butelspach.

Eodem tempore urbium & oppidorum imperialium cives, qui omnes partes sequebantur regales, cùm odio Comitum Wirtenbergensium incredibili æstuarent, propterea quòd plura dudum suscepissent incomoda, suas cupientes vindicare injurias, factum nimis execrabile ac penitus crudele in mortuos perpetrârunt; sepulchra namque in quibus vitâ defuncti Comites de Wirtenberg cum armis & inscriptionibus suis in memoriam posteritatis quiescebant in Ecclesia Collegiata in Butelspach, ubi sepulturam habere solebant, perfregerunt, ad invidiam nominis & stirpis, arma delentes cum inscriptionibus cunctis. Capitaneus autem regalis victoriâ contra Eberhardum Comitem de Wirtenberg obtentâ, jussu regis contra Comitem de Oettingen traduxit exercitum; qui jam antè Ptincipum decreto fuerat proscriptus de terra propter rebellionem suam, & scelera quæ commiserat contra Imperium. Veniens ergo cum exercitu Capitaneus Regalis in terram memorati Comitis, omnia sine alicujus resistentia obtinuit, & homines Imperio subjugavit. Conradus autem Comes prædictus in Oettingen, quoniam resistere tantæ multitudini non potuit; relictis omnibus miser exul, & de terra proscriptus aufugit. Qui veniens ad Monasterium Raisheim Ordinis Cistertiensis, in eo latuit: & panem tribulationis vivens in amaritudine maxima usque ad mortem comedit.

Comes Oettingensis fugit proscriptus in exilium.

Anno prænotato Rege Henrico apud Spiram cum Principibus commorante, venerunt ad eum Fridericus, Lupoldus, Albertus & Otto filij Regis quondam Alberti, postulantes se investiri ad Ducatum Austriæ, & reliqua Paternæ successionis dominia, quæ Rudolphus olim Rex Germaniæ Patri eorum contulisset Alberto. Venerant autem vocati per edictum à Rege Henrico, qui illis mandavit, quatenus se abdicarent Austriæ Ducatu, propterea quòd pertineret ad Imperium, pro quo etiam Reges quinque fuissent occisi. At illi magis instantes paternam sibi postulabant confirmari hæreditatem, quam Principum consensu Avus Patri tradidisset.

Duces Austriæ citati ad Regem Spiram veniunt.

Cùmque Rex concepta permaneret in sententia, Fridericus Dux illi per internuntium jam abiturus ita fertur misisse respondendum: *Quinque Reges propter Austriæ Ducatum Rex iste protestatur occisos; qui nisi ab eodem se Ducatu abstinuerit, inter occisos poterit fieri sextus.* Quod audiens Rex Henricus, eos de Ducatu Austriæ, consilio & assensu Principum revocatos investivit. In cujus recognitionem beneficij Lupoldus Dux cum ducentis equitibus cum ipso Rege Henrico se in Italiam iturum promisit, quod & fecit.

Henricus Rex cum exercitu in Italiam proficiscitur.

His Spiræ peractis Henricus Rex cum tertio exercitu, dispositis rebus Germaniæ, profectus versus Italiam pro susceptione diadematis imperij, habens secum fratrem suum Baldevinum Trevirorum Archiepiscopum cum quadringentis equitibus, Rudolphum quoque Comitem Rheni Palatinum Bavariæque Ducem, Lupoldum Ducem Austriæ cum ducentis equitibus, & plures alios Principes, Episcopos, Duces, Comites, Barones, milites & nobiles, multa prælia & bella per Italiam constituit, ut suo loco dicemus.

MCCCX.

MCCCX.

Anno Henrici Abbatis Hirſaugienſis undecimo, Indictione Romanorum octavâ, Henricus Rex in Italia conſiſtens, ad urbem Eſtenſem cum exercitu ſuo applicuit, & à civibus cum ſummo honore, ut verus Imperator ſuſceptus fuit. Inde progreſſus Mediolanum proficiſcitur, ubi tyrannus quidam nomine Guidotus de Turre per violentiam tunc dominabatur. Qui audiens Regis adventum, fugam arripuit, & comparere in ejus conſpectu etiam citatus nullatenus acquievit; nam Vicecomites & Archiepiſcopum cum reliquis Gibellinis de Mediolano per tyrannidem expulerat, propterea venire ad Cæſarem non audebat.

Henricus Rex Coronâ ferreâ Mediolani coronatur.

Henricus autem Rex, poſteaquam intravit Mediolanum, mox Vicecomites cum Archiepiſcopo & cunctis exulibus revocavit in Urbem, pacémque reformavit inter Guelphos, qui certârunt pro ſolo nomine Pontificis, & Gibellinos, qui partes ſequuntur Imperatoris. Quibus utcunque compoſitis, in Vigilia Epiphaniæ Domini Rex Henricus ab Archiepiſcopo Mediolanenſi coronatus eſt ferreâ coronâ, ſicut moris eſt, una cum uxore ſua in Eccleſia S. Ambroſij, præſentibus Nuntijs & Oratoribus penè omnium civitatum Italiæ.

Henricus Rex Lombardiam obtinet.

Rex verò Henricus poſteaquam coronatus fuit, de Mediolano profectus, totam Lombardiam in deditionem accepit, his qui ultroneos ſe offerebant, plura conferens beneficia; illis verò qui reſiſtere tentabant, indicens juſtæ ſeveritatis prælia, omnes tamen civitates penè totius Lombardiæ cum rectoribus ſuis ad ejus obedientiam promptiſſimâ voluntate acceſſerunt, offerentes ei magnam pecuniarum quantitatem, ratione tributi conſueti juris Imperialis, quod in multis annis non ſolverant.

Henricus Rex urbes expugnat rebelles.

Soli autem Florentini cum adhærentibus ſibi Paduanis, Bononienſibus & Cremonenſibus, conſpiratione factâ rebellare tentârunt, iter ejus ad Romam omnino prohibere cupientes. Quos Imperator in multis propter eorum temeritatem graviter ſatis afflixit, & ſæpe congrediens in bello contra eos gloriosè triumphavit: denique privavit eos cunctis honoribus & privilegijs, auferens eis Monetam ſimul & omnem judiciariam poteſtatem, qui niſi morte immaturâ fuiſſet ſublatus, eos penitus humiliâſſet. Movens igitur exercitum Rex contra rebelles, inprimis Cremonam obſidione vallavit, ac obtinuit, & in ſua verba jurare coëgit. Deinde Vincentiam & Paduam ſimili fortitudine capiens ad obedientiam revocavit. Veneti quoque magnam ei pecuniarum ſummam in adjutorium præſtantes, ut Imperatorem ſuſceperunt. Poſteà etiam Brixianos recuperavit, quibus tamen in ſolutione cenſûs annui pepercit, muros tamen civitatis omnes dejecit.

Arnoldus de Villa nova Philoſophus, ſed vanus Propheta.

Anno prænotato Arnoldus de Villa nova natione Provincialis, magnus Philoſophus & Medicus excellentiſſimus apud Pariſienſes in Gallia conſtitutus dogmatizabat, & ex Prophetiæ libro Danielis ac Sybillæ Erythreæ probare nitebatur adventum Antichriſti cum perſecutione Eccleſiæ futurum eſſe inter annos Dominicæ Nativitatis mille trecentos, & mille quadringentos, terminum apparitionis ejus indubitatum conſtituens ad annum Chriſtianorum milleſimum CCCLXXVI. vel quaſi circa illud tempus. Super quâ materiâ librum unum compoſuit, quem de ſpeculatione adventûs Antichriſti prænotavit: quem quidem libel-

lum Doctores Gymnasij memorati ut frivolum & falsum reprobârunt, ipsiúsque auctorem, nisi revocaret errorem suum, hæreticum declarantes. Unde quia Magistri Parisienses tenebant illi contrarium, timens ne aliquando in manus deveniret Inquisitoris, Galliâ dimissâ fugit in Siciliam; qui cùm non diu posteà Orator mitteretur à Friderico Rege Siculorum ad Papam, in mari mortuus est. Vani sunt omnes & fatuis procul dubio stultiores, quantumlibet sibi videantur eruditi, qui adventûs Antichristi, aut finis mundi tempus determinatum assignare præsumpserunt, Veritate suos dicente ad discipulos: *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Non est hominis mortalis scire consilium Dei, quod Majestas incircumscripta voluit esse in sua potestate secretum. Erravit ergo tam Arnoldus iste, quàm reliqui omnes, qui sese intromittunt de fine mundi vel Antichristi adventu determinare vel exprimere tempus sive momentum.

Omnes qui tempus Antichristi determinant vani sunt & fallaces.

Fuit autem Arnoldus iste vir alioquin undecunque doctissimus, Philosophus acutus, Medicus experientiæ singularis, Theologus, Mathematicus, & multarum linguarum peritus. Cujus in medicinis & in Alchimia plura feruntur opuscula, de quibus nos legimus subjecta: speculum Introductionum Medicinalium lib. I. De diversis intentionibus Medicorum libb. II. De humido radicali. libb. II. Commentariorum super libello Galeni de mala complexione diversa lib. I. Quæstionum XVIII. super eodem libello. lib. I. De Regimine sanitatis opus utile atque pulcherrimum. lib. I. Aliud volumen de conservatione sanitatis ad Regem Arragoniæ lib. I. De conservanda Juventute diutius, & senectute retardandâ lib. I. De considerationibus operis Medicinæ. lib. I. De Phlebotomia lib. I. Tabulas Medicum informantes, quando morbi causam ignorat. lib. I. Aphorismorum particularium lib. I. Doctrinam de parte operativa Medicinæ lib. I. De regimine sanitatis eorum, qui castra sequuntur lib. I. Commentum super Salernitanum regimen sanitatis. lib. I. Breviarium practicæ Medicinæ à capite usque ad pedes volumen optimum libb. VI. Practicam Medicinæ summariam ad Clementem Papam V. lib. I. De modo præparandi cibos & potus infirmorum in ægritudine acuta lib. I. Compendium Regiminis acutorum lib. I. Consilium sive regimen Quartanarum febrium lib. I. Cura febris hecticæ. lib. I. Consilium sive regimen Podagræ lib. I. De cura sterilitatis humanæ libb. II. De Procuratione Conceptionis lib. I. De signis lepræ lib. I. De bonitate memoriæ conservanda lib. I. De amore heroico & cura ejus lib. I. Remedium contra Maleficia lib. I. De Cautelis Medicorum. lib. I. De graduationibus Medicinarum lib. IV. De simplicibus Medicinis. lib. I. Antidotanarium. lib. I. De vinis lib. I. De Aquis medicinalibus. lib. I. De ornatu mulierum. lib. I. De decoratione faciei lib. I. Commentum parabolarum medicinal. lib. I. De coitu. lib. I. De conferentibus & nocentibus principalibus membris humani corporis. lib. I. Repetitionem super Canone vitæ brevis lib. I. Fabulam super eodem Canone lib. I. Expositionem Hypocratis Aphorismi: In morbis minus periclitantur ægrotantes lib. I. Regulas generales de febribus lib. I. Expositiones visionum quæ fiunt in somnis libb. III. De Judicijs Astronomiæ lib. I. De incantatione & physicis ligaturis opusculum Lucæ Cossaben è græco fecit latinum. Item scripsit in Alchimia subtile opus, quod

Arnoldi de nova Villa opera.

Rosarium

Rosarium prænotavit sive Thesaurum Thesaurorum. libb. II. Item in eadem facultate composuit aliud volumen, quod prænotavit Lumen novum. lib. I. Ad Regem quoque Arragonum scripsit de Alchimia opus, quod intitulatur flos florum, sive Perfectum Magisterium lib. I. De eadem materia ad Regem Neapolitanum lib. I. De sigillis duodecim signorum Zodiaci. lib. I. De præservatione ab epidimia lib. I. contra calculum lib. I. contra Catharrum lib. I. De tremore cordis lib. I. De morbo & cura Epilepsiæ seu morbi caduci lib. I. De abstinentia Carnium pro Carthusiensibus contra Jacobitas lib. I. Hæc sunt quæ nos de scriptis memorati viri legimus, quem & alia multa in Medicinis & Alchimia lucubrâsse minimè dubitamus.

MCCCXI.

Anno Henrici Abbatis Hirsaugiæ XII. Indict. Rom. nonâ, Henricus Germanorum Rex cum exercitu suorum in Italia consistens prælia multa constituit, & rebelles ad subjectionem per potentiam reduxit. Compositis autem rebus in Lombardiâ, Pisas revertitur, & inde profectus in Liguriam summa cum reverentia susceptus à Januensibus honoratur. Comitabantur illum jussu Summi Pontificis, Cardinales quinque, quorum hæc nomina fuerunt; Nicolaus Pratensis Cardinalis Episcopus Hostiensis, Arnoldus Sabinensis, Leonardus Albanensis, Franciscus S. Luciæ, & Lucas Genuensis Diaconus Cardinalis. Comes quoque Sabaudiæ ac Pisanorum legati, cum alijs multis Comitibus Italiæ & Lombardiæ Regis castra continuè sequebantur.

Henrici Regis uxor in Liguria moritur.

Eodem anno Rege Henrico apud Januenses aliquandiu moram protrahente, Margaretha uxor ejus Regina imprægnata, ex aëris mutatione febre corripitur, & prævalente morbo post dies paucos ab hac miserabili vita transmigravit, cujus corpus in Ecclesia Fratrum minorum sepelitur. Rex autem etsi morte uxoris non parum turbaretur, nihil tamen eorum prætermisit, quæ in animo conceperat; nec eum conjugis dilectissimæ repentinus interitus à cæpto itinere potuit revocare. Verùm ad Pisanos reversus, & cum magno honore ut Pater Patriæ susceptus aliquandiu ibidem substitit.

Concilium Viennense à Clemente celebratur.

Anno prænotato primâ die mensis Novemb. hoc est in solemnitate omnium Sanctorum, Clemens Papa V. Concilium Viennense inchoavit, quod biennio durans celebratum fuit, in quo plusquam trecenti comparuerunt Episcopi, præter Abbates & alios Prælatos penè innumerabiles, qui de diversis Europæ Regionibus convenerant, à Papa per nuntios dudum evocati. Multa salubriter in eodem Concilio generali fuerunt à Patribus constituta, & maximè Religiosos & Clerum concernentia.

In eodem Concilio Viennensi Clemens Papa V. ad instantiam quorundam Episcoporum & Cardinalium, Guidonem Episcopum Ecclesiæ Trajectensis in Cardinalem Ecclesiæ Romanæ sublimavit semirenitentem. Qui tamen præter solum titulum nihil sibi de nova dignitate usurpavit, sed suâ Ecclesiâ contentus fuit.

Regis Gallorum temeritas in Concilio refutatur.

In eodem quoque Concilio Clemens Papa V. Petitionem Philippi Regis Gallorum iniquam & malitiosam, quâ memoriam Bonifacij Papæ VIII. de Catalogo Pontificum deleri, & ossa ejus postulavit ignibus cremari, Patribus jam adunatis proposuit, & quid ipsi de Bonifacio sentirent, per

singulos requisivit. At verò Pontifices auditâ Regis temeritate, non sine magna indignatione animorum omnes contra illum justissimâ ratione commoti sunt, ejus iniquis postulationibus consentire noluerunt, dicentes, Bonifacium Papam semper fuisse Catholicum, & nullâ hæresi unquam fuisse maculatum, quod & veritas declaravit. Veruntamen ad complacendum Pontifici Romanorum Concilio præsidenti, quatenus ab impetitione Principis iniqui liberaretur, hoc unum consentientes Episcopi decreverunt, quòd Rex memoratus Gallorum cum suis omnibus absolveretur de commissis in Ecclesiam Romanam, vel in ejus olim Pontificem Bonifacium VIII. qui maluissent omnes (nisi tempus opportunitatem denegaret & locus) novis illum innodare censuris. Itaque Rex impius non potuit impetrare, quod invidiâ motus in defunctum impiè voluit, sed meritò contemptus à Concilio fuit.

Hæresis Beghardiana in Concilio damnatur.

Item in eodem Viennensi Concilio damnata fuit hæresis quondam Beghardorum & Beghinarum, quæ de fœcibus Fratricellorum ex Lombardia & Gallia sumens exordium, plures etiam utriusque sexûs homines Idiotas per Germaniam infecit. Cujus sectæ homines sub Religionis habitu, sine tamen obedientiæ jugo incedentes, & varios ac pernicioso dogmatizabant errores, atque sub prætextu simulatæ Sanctitatis, plures deceperunt incautos.

Articulus I.

Primus eorum error manifestus sive articulus fuit; dicebant enim, quòd homo viator suis virtutibus & exercitationibus usque adeò possit proficere, & talem in hac vita gradum perfectionis obtinere, quòd penitus fieret impeccabilis, ita videlicet, quòd nec amplius in gratia possit proficere, nec deinceps peccare. Unde falsò concluserunt dicentes, si homo semper in altiora posset proficere, posset aliquando ad Christi mensuram pervenire.

Articulus II.

Secundus error fuit, quia dicebant, quòd illum hominem, qui prædictum gradum perfectionis attigisset, nec orare deinceps oporteat, nec jejunare, propterea quòd omnis in eo sensualitas jam orationi & spiritui tam sit perfectè subjecta & absorpta, quòd homo corpori suo liberè omnia posset concedere, quæcunque placerent. Unde coitum & alia legibus negata sibi mutuò indulgebant, nullum conscientiæ scrupulum admittentes, quasi omnia licerent.

Articulus III.

Tertius, quòd omnes, qui prædictum gradum perfectionis ascendissent, libertatem spiritûs omnimodam consequerentur, & propterea nec præceptis Ecclesiæ, nec majorum quorumcunque obedientiæ haberentur subjecti: sed liberrimè deinceps viverent ab omni humana præceptione penitus absoluti; quoniam scriptura diceret Apostolica: *Ubi spiritus Domini, ibi libertas.* Unde præcepta Prælatorum & Ecclesiæ simul omnia contemnebant.

Articulus IV.

Quartus Circumcellionum error fuit, quòd homo in præsenti mortalitate constitutus finalem beatitudinem secundum omnem gradum perfectionis assequi possit: sicuti eam in gloria obtinebit futura. Unde cùm essent miserrimi, se tamen beatos prædicabant.

Articulus V.

Quintus verò error Beghardianæ hæresis fuit, quoniam dicebant, quòd quælibet intellectualis natura seipsâ naturaliter esset beata; & quòd anima non indigeat lumine gloriæ ipsam elevante ad Deum videndum, & adeò beatè fruendum in Patria.

Sextus

Sextus error, quòd se in actibus exercere virtutum, seu in quibuslibet operibus pietatis, sit hominis imperfecti, & adhuc in stadio militantis inferiore: propterea quòd secundum eorum stultam opinionem, anima, quæ ad statum memoratæ perfectionis jam perveniſſet, omnino esset beata, & ob id licentiaret à se virtutes tanquam suæ beatitudinis quædam impedimenta. Articulus VI.

Septimus, quòd mulieris osculum, quando natura ad hoc non inclinat osculantem, semper sit peccatum mortale. Coitus autem sive actus carnalis cum quacúnque muliere indifferenter, si natura inclinat, non sit peccatum; maximè cùm tentatur exercens. Articulus VII.

Octavus error, quòd omnes, qui ad præscriptum gradum imaginatæ perfectionis pervenerint, non solùm Prælatis Ecclesiæ nullum debeant exhibere honorem: sed nec in Elevatione Corporis Domini & Salvatoris nostri JESU Christi assurgere: aut ullam venerabili Sacramento reverentiam exhibere: asserentes, quòd esset imperfectionis eisdem, si à puritate & altitudine contemplationis suæ tantundem descenderent, ut circa mysterium Dominici Sacramenti scilicet Eucharistiæ seu Passionem Christi quippiam cogitarent. Articulus VIII.

Alia insuper quædam abominanda diviníque institutionibus omnino contraria & dicebant & faciebant in occulto memorati pestilentes hæretici: quæ omnia sacri auctoritate Concilij per Clementem Papam quintum in præfato Concilio damnata fuerunt. In sæpe dicto etiam Viennensi Concilio generali Clemens Papa quintus Codicem novarum constitutionum suarum, quas vulgo Clementinas nuncupant ab auctore, Patribus exhibuit: quem de consensu omnium Corpori Juris adijciens perpetuâ sanctione confirmavit. Quem quidem Codicem Clementinarum Joannes quoque Papa vicesimus secundus posteà similiter confirmavit. Liber Clementinarum editur.

MCCCXII.

Anno Henrici Abbatis Hirsaugiensis tertio decimo, Henricus Rex Germanorum pro Imperij Corona Romam profecturus, in singulis ferme urbibus Lombardiæ ac Liguriæ cæteríque suo imperio faventibus contra Guelphos præsidia & milites sine damno vel injuria civium collocavit. Exercitum deinde movens à Pisis Viterbium venit, ac deinde Romam potenter ingressus est, licet pars Romanorum, qui Ursinis factionibus adhærebant, frustra ei conarentur introitum urbis prohibere. Intravit autem Romam Columnensibus & magnâ Romanorum parte faventibus, & auxilia præstantibus in mense Aprili anno prænotato. Ursini verò cum reliquis Italiæ Guelphis adjutorio Roberti Regis Apuliæ montem Vaticanum præoccupaverunt, cupientes Regi Henrico viam non solùm præcludere in urbem; sed etiam coronationem ejus, quæ apud sanctum Petrum in Vaticano fieri debuisset, penitus impedire. Rex autem parcens multitudini, cùm potuisset eos debellare, noluit: sed urbem per aliam partem intrans, castra & papiliones in Aventino Cœlióque monte per gyrum collocavit. Duravit ista castrorum adversa locatio partium mensibus ferme tribus: & incursiones multæ ab Imperialibus crebrò fiebant in hostes: quamvis ad bellum publicum non pervenerit exercitus. Tandem Rex consilio suorum usus, licet hostium temeritatem cum tempore simul & ratione humiliare potuisset, Basilicam sancti Henricus Rex intravit Romã.

Joannis

Ecclesia Laterana Mater omniũ Ecclesiarũ.

Joannis in Laterano pro sui coronatione deputavit: quæ hoc privilegium antiquitus præ cunctis mundi Ecclesijs habuit.

Henricus Rex VII. fit Romanorũ Imperator VI.

Anno igitur Dominicæ Nativitatis prænotato millesimo trecentesimo duodecimo, Indictione Romanorum decimâ, Henricus Rex Germanorum ejus nominis septimus, Romæ in Ecclesia Lateranensi primâ die mensis Augusti, coronam imperij Romanorum suscepit cum solemnitate magna, per ministerium Nicolai Pratensis, Cardinalis videlicet Hostiensis; cui Papa Clemens quintus eo tempore Concilium apud Viennam, sicut dictum est, celebrans, vices suas ad consecrandum Imperatorem commiserat. Erant autem albi coloris quæque indumentæ ipsius Imperatoris in signum pietatis & clementiæ, quippe qui omnino pacificus veniisset Italiæ, si Guelphorum impia factio non obstitisset.

Eodem die Coronatione solemniter factâ, novus Imperator magnum convivium suis præparaverat amicis: ad cujus lautitias omnes urbis nobiles & Proceres fecerat invitari: qui etiam præter solos Ursinos contumaces, ad prandium omnes venerunt. Romani autem concitato subdolè per Ursinos tumultu, in Palatium Imperatoris super convivantes subitò irruentes omnia clamoribus impleverunt. Quos Impeartor fecit interrogari, quid vellent. At illi respondentes dicentes: *Istos voratores, id est, Romanorum nobiles volumus occidere.* Sed Imperatoris jussu repulsi, non sine detrimento sui retrocesserunt.

Completis omnibus Romæ, quæ ad Coronationem Imperatoris fieri antiquâ introductione Principum consueverunt: Imperator Henricus more veterum, Legem de summa Trinitate edidit, quam Romæ solemniter publicavit. Post hæc ad Pisanos cum exercitu suo reversus est, habens secum in comitatu supra dictos quinque Cardinales, quos ei Papa Clemens adjunxerat. Constitutus verò apud Pisanos, duas adhuc leges condidit: quas cum suis rubricis inserendas Codici mandavit. Quarum altera fuit de his, qui rei sunt criminis læsæ Majestatis: altera verò, qui debeant reputari rebelles, & quâ sint pœnâ plectendi.

Henricus Imperator Florentiã obsedit.

Anno prænotato Henricus Imperator novus movens à Pisis exercitum in fine mensis Octobris, civitatem Florentinorum imperio tunc rebellium fortissimâ obsidione vallavit; habens secum omnes Gibellinos, de civitate per Guelphos, qui dominabantur in ea, expulsos violenter atque proscriptos: qui situm Urbis optimè noscentes, in qua parte muri essent infirmiores palàm ostendebant. Quorum si consilium Imperator fuisset secutus, Urbémque mox in principio nutantem fortiter aggressus, nec præstitisset hosti tempus vires augendi, procul dubio civitatem obtinuisset.

Eodem anno sexto Iduum Decembris, Florentinâ obsidione prænotatâ durante, Baldevvinus Archiepiscopus Trevirorum frater Imperatoris Henrici, qui magnum suorum Comitatum in propria persona pro ipso Imperatore adduxerat, metuens quod posteà contigit, ne si fortè Imperator qualibet occasione moreretur in Italia, impensas omnes, quas nomine Trevirensis Ecclesiæ fecit Imperio, nunquam deinceps recuperare posset, cupiens ergo de restitutione impensarum esse securus, Bopardiam & Wesaliam oppida Imperij cis-Rhenana, cum quibusdam alijs circa Mosellam oppidis, in pignus expensarum, quas cum exercitu fecerat ab

Bopardia & Wesalia dantur Ecclesiæ Trevirensi.

rat, ab Imperatore obtinuit, & Trevirorum Ecclesiæ sub redemptionis titulo adscripsit. Ab illo tempore memorata Imperij oppida cum omnibus appenditijs & proventibus eorum in possessionem Ecclesiæ Trevirensis devoluta sunt, & manent manebúntque, donec redimantur pecuniâ multâ usque in præsentem diem.

Anno prænotato mortuus est Otto Bavariæ Dux & Ungariæ Rex, fugatus à Regno in Bavariam: de quo supra diximus, anno Henrici undecimo, filium relinquens unicum quatuordecim dies habentem ætatis, quem unà cum fratris sui defuncti prius, duobus filijs, Henrico videlicet annorum octo, & Ottone sex annorum, nutriendum & educandum jam moriturus civibus in Lanshuta & Straubingen sub tutelari munimine commendavit.

Otto ex Bavarorum Duce Rex Ungariæ moritur.

Verùm Ottone mortuo Ludovicus Dux Bavariæ superioris posteà Imperator Romanorum cum nobilibus utriúsque Bavariæ tam inferioris, quàm superioris, huic se puerorum tutelæ civibus factæ potenter (ne dicam violenter) opposuit: & commissos à tutoribus donari suæ fidei importunè postulavit. At illi cùm ejus potentiæ non possent resistere, pueros illi Principes tradiderunt.

Hujus occasione tutelæ Dux Ludovicus penè totam suis nutibus Bavariam obtinuit, & potentior ad Imperij jura factus fuit. Item anno præscripto mortuus est Joannes Dux Brabantiæ, cui filius ejusdem nominis tertius in Ducatu Brabantinorum Joannes successit. Iste Joannes Dux tertius Margaretham filiam Ludovici Regis Gallorum habuit uxorem, de qua genuit tres filios, Joannem, Godfridum, & Henricum, qui omnes ante Patrem sine liberis obierunt. Filias etiam genuit totidem, quarum prima nomine Joanna nupsit Wilhelmo Hollandiæ Comiti; quo in bello Frisionico interempto, desponsatur Wenceslao Duci Luzenburgensium filio Joannis Regis Bohemorum. Secunda filia nomine Margaretha Ludovico nupsit Flandrensium Comiti; tertiam verò nomine Mariam, Meinhardus Geldriæ Comes duxit uxorem, quem Ludovicus posteà Imperator quartus creavit in Ducem.

Joannes Dux Brabantiæ secundus moritur.

MCCCXIII.

Anno Henrici Abbatis Hirsaugiensis quarto decimo, Henricus Imperator Romanorum solutâ obsidione Florentinorum ad Pisanos revertitur, & quomodo injurias & sibi & Imperio Romæ factas à Roberto Rege Apuliæ vindicaret, anxius meditatur. Inprimis igitur de Principum consilio sedens coronatus in throno Majestatis, Rupertum Apuliæ regulum læsæ Majestatis reum, citatum solemniter & non comparentem, neque procuratorem, sive litteras excusatorias mittentem, Imperij hostem ac proditorem per sententiam publicè denuntiat, ipsúmque regali dignitate & cunctis dominijs privat, capitísque supplicio damnat. Deinde fœdere contracto amicitiæ cum Friderico Rege Siciliæ novum & magnum pugnatorum adunavit exercitum, profecturus in Apuliam contra memoratum regem, quem deposuerat Rupertum. Jam enim præfatus Rex Siciliæ Fridericus per mare cum magno suorum exercitu pro Imperatore contra Rupertum ad Apuliæ regnum applicuit, jam regionem crebris incursionibus devastare cæpit. Unde Imperator exercitus partem non modicam cum classe navium septuaginta præmisit in Apuliam, ut

Imperator Henricus Regem Apuliæ privat regno.

cum Friderici copijs contra Regem Apuliæ jungerentur. Et reverà nisi morte immaturâ fuisset præventus, totam Apuliam simul & Etruriam cum universa Italia non minus prudentiâ quàm virtute armorum, ad Imperij subjectionem reduxisset, ipsúmque imperium gloriâ simul decorâsset & rebus.

Anno igitur Dominicæ Nativitatis prænotato in mense Augusto, Henricus Imperator movens à Pisanis exercitum, iter suum per terram in Apuliam contra Rupertum instituit, veniénsque ad oppidum Bonconventum, quod paucis à Senensi distat civitate milliaribus, in Vigilia festi Assumptionis Beatissimæ Virginis Mariæ, diem ibidem quiescens celebravit Solemnem. Laborabat autem dysenteriæ morbo graviter toto itineris sui tempore à Pisanis, & omnis in eo medicina defecit, tum propter mutationem aëris, tum quòd impatiens moræ fluxum agitatione corporis nimium resoluti per amplius provocabat. Unde cùm se graviter sentiret infirmum, animæ suæ salutem ante omnia procurare studuit, & quia ulterius progredi non fuit possibile, finem ægritudinis exspectare necessariò decrevit. Confessione igitur Sacramentali quàm humillimè secundum Ecclesiæ consuetudinem præmissâ, Corpus Domini nostri JESU Christi de manu Capellani sui, Fratris Bernardi Ordinis Prædicatorum, in ipsa solemnitate coram eo celebrantis, cum magna devotione mentis in Deum suscepit, & posteà ingravescente morbo, etiam sacri perunctione olei communitus fuit. Morbo dysenteriæ singulis diebus magis ac magis crescente, tandem optimus Imperator viribus corporis defecit, & post dies paucos, hoc est, in solemnitate sancti Bartholomæi Apostoli, in lecto ægritudinis suæ apud Bonconventum vocante Domino exspiravit. Cujus corpus magno suorum luctu Pisas relatum est, & in tumba (ut ferunt) argentea sepultum cum honore magno, sicut mos est Imperatores sepelire.

Imperator laborat morbo dysenteriæ.

Imperator in oppido Bonconvent moritur.

Fuerunt inter historiographos ejus temporis nonnulli, qui scriberent, Imperatorem ipsum Henricum, veneno Florentinorum, qui Roberti partes sequebantur, ut prius est dictum, interjisse, non dysenteriâ vel morte naturali. Dicunt enim hujus injuriosæ opinionis temerarij assertores, quòd Florentini (quos constat Imperatori fuisse rebelles) Fratrem Bernardum præfatum ejus Capellanum & Confessorem, pecuniâ & pollicitationibus magnis corruperint, venenum secretè ministraverint, modúmque docuerint, qualiter eum in administratione Dominici Corporis debuerit intoxicare. Deinde scribunt (memorati homines de incertis judicantes) quòd prædictus Frater Bernardus Imperatori Sacramentum Corporis Christi veneno porrexerit infectum, quando ipsum communicabat, sicut diximus, in solemnitate Assumptionis Beatæ Mariæ semper Virginis apud Bonconventum.

Opinio eorum, qui scribunt eum veneno interijsse Capellani sui.

Imperator verò (sicut memorati scribunt auctores) mox ut veneni sensit operationem, dixit ad Magistrum Bernardum: *O Domine quid fecistis? parcat vobis omnipotens Deus, quia malè mecum egistis. Recedite quantocius, quoniam si hoc scelus vestrum nostri perceperint fideles, malâ morte sine dubio peribitis.* Quibus dictis ferunt Imperatorem dissimulâsse factum, donec frater declinavit & fugit.

Alij

Alij verò quidam scriptores adjiciunt, quòd Imperatori mox ut sensit venenum, suaserint medici, quatenus per vomitum illud reijceret, priusquam se virus in membra diffunderet. Quibus illum ferunt hujuscemodi dedisse responsum: *Absit procul, ut Dominum & Salvatorem meum, quem hodie in Sacramento sumpsi altaris, per vomitum reijciam à me. Fiat voluntas ejus mecum in omnibus.* Unde hujus opinionis assertores, qui scribunt Imperatorem veneficio perijsse prius dicti Fratris Bernardi, consequenter nimis temere, & (ut nobis videtur) sine ratione confirmant, quòd Romanus Pontifex (nescio quis) pro expiatione tanti sceleris, Ordinem Fratrum Prædicatorum eâ multaverit notâ infamiæ, quòd omnes eorum Sacerdotes dum celebrant, perpetuò sese manu sinistrâ, Dominico debeant Sacramento communicare, sicut & communicant. Sed nos, qui perquirendis historijs pro cognitione veritatis exactam fecimus diligentiam, à quam pluribus historiarum graviſſimis scriptoribus memoriæ commendatum invenimus, sæpe dictum Fratrem Bernardum superimposito sibi ab æmulis crimine penitus fuisse innocentem, quippe qui fuerit vir bonus, Magister in Theologia doctissimus, & semper innocentis ac religiosissimæ conversationis. Et nos Deum solum, & veritatem habentes præ oculis, indubitanter credimus, tam ipsum Fratrem Bernardum, quàm totum Ordinem Prædicatorum objecti sceleris omnino & semper fuisse innocentes, & Henricum Imperatorem non veneno, sed morte naturali defunctum.

Quòd Imperator noluerit rejicere venenum.

Historia veneni contra Prædicatores fictitia.

Hujus assertionis nostræ prima ratio est, quoniam dysenteriæ morbo prius quam moveret à Pisanis, graviter laborabat, in tantum, quòd restringi fluxus eo in loco, sicut diximus, nullâ potuit medicinâ. Prius ergo quàm Dominici Corporis Sacramentum de manu Fratris Bernardi apud Bonconventum in die Assumptionis Mariæ susceperisset, infirmus extitit, quâ etiam ægritudine morbi & non veneno, paulò post, sicut diximus, mortuus fuit.

Prima excusationis ratio.

Verùm ne contrarium opinantibus ratio præmissa videatur infirma, altiore testimonio innocentia viri fuerit comprobanda. Imperator namque jam moriturus interrogatus utrum aliquam veneni suspicionem de memorato Fratre Bernardo haberet, clarâ voce respondit: *Se pro certissimo certum habere, quòd Frater Bernardus esset innocens, & nihil in eum Commisisset mali.* Jam enim suspicio quædam veneni de ipso Capellano inter Aulicos fuit suborta. Sed Imperator excusavit eum, in præsentia multorum principum, quibus nos convenit adhibere fidem.

Secunda excusationis ratio.

Et ne contradictor Innocentiæ viri contendat, quasi nos eam confinxerimus excusationem, testes qui personaliter interfuerunt, pro dictorum confirmatione citamus: Joannem videlicet Bohemiæ regem ipsius filium Imperatoris, Baldevvinum Trevirorum Archiepiscopum fratrem Imperatoris; si verò isti duo non sufficiunt, adijciemus & alios, qui morienti & excusanti astiterunt; Archiepiscopum Mediolanensem, Archiepiscopum Argentinensem, Episcopum Perusinum, Episcopum Pisanum, Episcopum Lucensem, Episcopum Tridentinum, & plures alios, quorum nomina brevitatis gratiâ omittimus. Cui testimonia tantorum virorum non sufficiunt, veritatem non requirit, sed calumniam astruit.

Tertia excusationis ratio.

Litteras illi Principes Innocentiæ dederunt.

Rursum si pergant accusatores innocentiæ testibus etiam contradicere introductis, quasi nostrâ inventione fallaciter allegatis, litteras excusationis munimine sigillorum eorundem Principum roboratas offerimus, quibus præfatum Fratrem Bernardum de objecto crimine innocentem & sufficienter excusatum non dubitamus. His causis informatum copiosè animum nostrum agnoscimus, & propterea frivolam accusationem viri refutamus. Et quamvis hæc ita se in veritate habuerint, nihilominus tamen mortuo Imperatore Henrico, gravem Ordo Prædicatorum à plerisque detractionem sustinuit, qui propter suspicionem ab æmulis Fratri Bernardo contumeliosè suscitatam in populo, ipsam religionem totam minus justè fuerunt persecuti. Cujus infamationis primordialem causam multâ sinceritate inquisitam, & cum veritate inventam breviter his decrevimus inserere.

Frater Bernardus Sacræ Theologiæ doctus Magister, sicut diximus, Imperatoris Capellanus fuit, atque Confessor propter eruditionem & vitæ meritum, charus multum atque dilectus, & ob id optimo loco habitus & magnæ reputationis. Videbant hoc Aulici venatores, & sicuti fieri solet in Curijs Principum, invidebant, quòd Frater apud Imperatorem videretur acceptus. Enimverò sicut nos experientia docuit, invidiam præ cæteris magnam in Principum Curijs patiuntur claustrales, quoties favorem aut gratiam Dominorum specialem fuerint assecuti. Unde quamvis sæpe dictus Frater Bernardus de objecto scelere tam per Cæsarem ipsum, quàm per Principes memoratos ut verè innocens sufficienter & superabundè fuisset excusatus, tamen quorundam invidorum turba quiescere à concepto livore non potuit, sed Ordinem Prædicatorum totum unacum Fratre Bernardo quantum valuit persecuta fuit.

Frater Bernardus ex invidia curialium diffamabatur.

Inter quos Henricus Flandriæ Comes cum certis curialibus principalis omnium persecutor & hostis Prædicatorum extitit: & Fratrem sæpe dictum Imperatoriæ mortis reum constanter affirmans, ipsum cum omni religione sua crudeliter ubique diffamavit. Mihi autem non est dubium de innocentia fratris: quem nisi Principes supradicti & maximè filius ac frater Imperatoris manifestè cognovissent innoxium, procul dubio non dimisissent impunitum. Qui sentit aliter, videat quo spiritu moveatur; cùm opinionis temerariæ certum non habeat firmamentum. Nos viam libenter assumimus tutiorem.

Prædicatores à Papa notatos frivolè nimis creditur.

Quod verò pleríque opinantur, Ordinem Prædicatorum ob sæpè memoratum veneficium esse eâ pœnâ notatum per Pontificem Romanum, quâ Corpus Dominicum sinistrâ celebrantes sumere omnes deinceps fuerint compulsi: frivolum est & humanâ levitate, ne dicam, temeritate excogitatum, quod multiplici ratione facilè possumus comprobare. Nec enim vel commodo ad hoc movemur aliquo temporali, nec amoris, aut privatæ necessitudinis vinculo sub debito colligamur, ut pro innocentia fratrum compugnemus: sed quia veritatem contra falsitatem tenemur defendere; oportebat nos opinionem invidorum falsam demonstrare. Dicant igitur nobis opinionis temerariæ defensores, quis Papa injunxerit Ordini Prædicatorum, ut sinistâ se manu presbyteri communicent celebrantes. Certè non Clemens Papa quintus, sub cujus Pontificatu sæpè dictus Imperator Henricus mortuus est: qui etsi per litteras suas ad Principes

cipes Germaniæ datas illum promoverit eligendum, non tamen in finem amavit electum ; mox etenim ut cum tanta multitudine armatorum intravit Italiam, constituens prœlia multa, ejus potentia cepit memorato Pontifici vehementer esse suspecta: & mutato consilio, quem dilexit absentem, præsentem nimium formidabat. Unde posteà quam coronandus Romam intravit Rex cum quinque Cardinalibus supradictis, Pontifex de Vienna, ubi tum celebrabat Concilium, per occultum Cardinales admonuit: ut coronationem ejus, si commodè possent, intermitterent, aut saltem longius differrent. Unde constat Papam tunc mortem Imperatoris libentius audivisse quàm vitam. Quemadmodum ergo illius mortem vindicare potuit, cujus vitam sibi metuendam semper cum fortuna suspectam habuit? Non igitur verisimile est, quòd memoratus Pontifex Romanus Ordini Prædicatorum hanc notam imposuerit sese communicandi. Sed neque aliorum succedentium Romanorum Pontificum quispiam hoc ordini præcepisse credendus est: cùm de nullo quidquam tale sive in historijs, sive in aliqua Extravagante constitutionum uspiam legatur .Vana igitur & frivola eorum cavillatio est: qui memoratum communicandi modum Ordini Prædicatorum pro pœna sæpe dicti veneficij à Romanis Pontificibus somniaverunt impositum. Nam si etiam frater Bernardus veneno Cæsarem interemisset, quod nullatenus factum credimus, quid unius crimen hominis ad Ordinem totum? ut hominum tot millia non solùm tunc præsentes in carne, verùm etiam perpetuis futuris temporibus propterea pœnaliter debuerint notam infamiæ subire innocentes? Nimis enim videtur & prorsus iniquum, totum condemnare Ordinem, & præsertim Ecclesiæ tam utilem propter delictum unius. Unde necessariò repetimus, quod amore veritatis sæpe est dictum; quoniam nec Ordinem Prædicatorum, nec fratrem Bernardum Cæsarianæ mortis causam præstitisse aliquam, nec ob id sive pœnam sive magnam contraxisse culpam, neque luere pœnam concedimus.

Vana & frivola est opinio Ordinem de veneno culpans.

Etiamsi unus peccâsset, quid ad Ordinẽ totum?

Quòd verò siniſtrâ se manu celebrantes communicant, nullius est pœna criminis; sed antiquâ consuetudine introducta devotio: quatenus eò decentius pectus dextrâ possint contundere, quo minus eam porrectione Sacramenti coguntur occupare. Multorum etenim consuetudo laudabilis est celebrantium, ut sumpturi vivificum Corpus Domini, tertiò pectus tundant dicentes: *Deus propitius esto mihi peccatori.* Et hæc tunsio pectoris, quoniam siniſtrâ fieri manu decenter non potuit, primos Institutores Prædicatorum Ordinis, quo dextram haberent exoccupatam, ut communicaturi Sacramentum siniſtrâ teneant induxit. Dicant mihi homines opinionem veritati contrariam temerè nimium asserentes, quid illi commiserint sceleris, qui manibus remotis Dominicum Corpus linguâ duntaxat attrahentes de patena suscipiunt? si propterea siniſtrâ se communicant Prædicatores, quòd veneficio unum hominem (sicut falsò accusantur) interfecerunt? Certè si propterea isti manu se communicare siniſtrâ compellerentur, quòd unus eorum frater veneno necâsset Cæsarem, illi & Papam & Cæsarem occidisse judicandi sunt, qui nullam manum, sed quasi canes lambentes solam linguam apponunt.

Vera causa quare siniſtrâ se communicent Prædicatores.

Sed utrúmque communicandi modum Sacramenti reverentia & devotio Patrum instituit; quam nec veneficium, nec sceleris cujusquam per-

Bonus Chriſtianus non est, qui facile judicat alios.

perpetratio causavit. Nostræ autem mortalitatis infirmitas est, quando tam citò malè de proximo loquentibus fidem apponimus, & causas innocentiæ minimè judicamus. Quisquis verò commissorum incertus Conchristianum suum ex sola famæ lubricitate, malum aut sceleris reum temere judicat, ipse quòd bonus Christianus non sit, suo judicio manifestat.

Henricus Imperator fuit optimus Princeps.

Fuit autem Henricus Imperator supra dictus vir prudens, pius & per omnia magnificus, cui vivere si licuisset diutiùs, & regnum Germaniæ ad pristinum reduxisset splendorem simul & imperium. Christianæ Religionis cultor integerrimus extitit, & judex in cunctis semper causis æquus atque justissimus fuit: Dominos Episcopos & omnem clerum in magna reverentia habuit, & omnes Monachos atque claustrales ut veros Dei famulos semper devotè colens ac venerans honoravit. Pauperum defensor fuit infatigabilis, & oppressores egenorum districtè judicavit. Superbiam in se nullam habuit, quam in cunctis semper hominibus maximè detestatus fuit. Quod ut verum demonstremus exemplo, unum illius factum memoriâ dignum in medium proferamus. Cùm anno regni sui primo mox post coronationem in Aquisgrani factam ad superiores Rheni partes ascenderet, atque fidelitatis juramentum (quod Huldam nostrates vocant) in singulis Civitatibus & oppidis Imperij de more susciperet, inter alias regni Germaniæ urbes ad Argentinam pervenit. Ubi fidelitatis Homagio à civibus ex more susceptо illico recessit. Argentinus autem senatus confirmationem suarum libertatum, sicut in promotione novi regis fieri consuevit, habere cupiens, misit ex se duos ad Regem, qui nomine totius consulatûs peterent Jurium confirmationem. Qui intromissi ad regem, ut parum curiales suâ simplicitate eatenus consuetâ dixerunt: *Domini nostri Argentinenses miserunt nos ad sacram Majestatem vestram, confirmationem Privilegiorum suorum postulantes.* Et non respondit eis verbum. Rege autem ab Argentina discedente ad Colmariam secuti sunt memorati Oratores, quoties poterant habere accessum, semper eadem postulabant, Dominos suos honorificè nominantes: & nec tunc quidem responsum vel unius verbi à Rege meruerunt. A Colmaria quoque Regem secuti ad Spiram, eadem quæ prius sedulò postulabant. Verùm cùm eis Rex nihil omnino responderet, vehementer admirati sunt, & causam nescientes consilium à quodam Aulico secretè tandem acceperunt, ne in sua petitione dominos nuncuparent Argentinenses, quoniam mos talis loquendi ad Regem de subditis imperio civibus quandam superbiam prætenderet. Reversi mox Oratores ad Regem dixerunt: *Serenissime Domine Rex, Senatus & populus civitatis Argentinensis humiles & devoti servitores, & subditi Majestatis vestræ, miserunt nos humiliter supplicantes, quatenus eadem Serenitas vestra eis eorum privilegia & libertates auctoritate regali confirmare piè dignetur.* Quibus Rex illico respondit: *Hactenus non poteramus intelligere, qui essent domini illi, de quibus loquebamini. Nunc autem primò intelligimus, vos nuntios esse civium nostrorum Argentinensium, quibus gratiam nostram & omne bonum favemus; libenter dabimus, quod petitis.* Et mox litteras dari mandavit postulatas.

Argentinenses dominos se nuncupantes despexit.

Non merentur responsum Regis.

Imperator exaudivit cives Argentinenses, dominos nescivit.

Vacat Imperium cum Regno quasi mensibus XIV.

Post mortem verò Imperatoris Henrici, quæ contigit anno prænotato Dominicæ Nativitatis tertiodecimo supra trecentesimum atque millesimum, in festo sancti Bartholomæi Apostoli, quæ fuit vigesima

quarta

quarta dies mensis Augusti, vacavit regnum Germanorum simul & Romanorum Imperium anno uno, mense quoque uno, diebus quinque & viginti, usque ad nonum decimum mensis Octobris anni sequentis, quando Ludovicus Dux fuit electus.

Pestilentia crudelissima occupavit Germanos.

Eodem anno quo mortuus est Imperator Henricus sextus, qui hujus nominis Rex erat Germanorum septimus, pestilentia per totam Germaniam crudelissima & nimium crudelis sæviens multa millia hominum in brevi tempore consumpsit. Vix etenim partem hominum tertiam superstitem clades illa miseranda reliquit, reliquos innumerabiles crudeliter absumpsit. Miserandum erat spectaculum homines subitò, cùm sani loquerentur, videre infirmari, & eosdem in tanta multitudine mori, ut sani vix sufficerent mortuos sepelire. Semel infectus peste illâ, die alterâ moriebatur. Nulla hominum æstimatio capit, quanta fuerit multitudo mortalium in illa calamitate miserabili absorpta. Nam sicut scribit Hugbertus Monachus S. Ferrucij, obierunt in illa tempestate horribili in civitate Colonienſi plusquam triginta millia hominum. In Treveri 12. millia. In Moguntia plusquam sedecim millia. In Wormatia sex millia. In Spira novem millia. In Argentina tredecim millia. In Basileâ quatuordecim millia. In Herbipoli quatuor millia, in alijs quoque civitatibus, oppidis, villis & castellis Germaniæ penè omnibus tantam multitudinem hominum pestis illa consumpsit, quæ litteris commendata posteris esset incredibilis. Hanc sævissimam mortalitatem hominum tanta fames & inopia victualium subsecuta fuit, ut his qui viventes relicti fuerant, in tanto defectu vivere omnino videretur gravius quàm illis, quos pestis absumpserat, mori. Tantam enim multitudinem hominum mortalitas illa consumpsit, quòd innumerabiles villæ habitatoribus defunctis remanserunt desertæ, terra cultoribus suis caruit, arator cum seminante pariter defecit. Tanta etiam aquarum inundatio per Germaniam eodem anno extitit, quòd sementem terræ commissam penitus suffocavit. Unde tam ex inundatione aquarum, quàm ex defectu cultorum terra multis annis sterilis facta permansit. Fames tam validâ & diuturna fuit, quòd mercatores lucri causâ frumentum de Sicilia in Germaniam per mare navigio laboriosè adduxerunt.

Fames diuturna pestē hanc secuta fuit.

Frumenta Germanis ex Sicilia navigio adducta.

Hugbertus Monachus in Blidenstadt Chronographus.

Claruit his temporibus Hugbertus Monachus Cœnobij S. Ferrucij Martyris, in villa Blidenstadt, quod duobus à Moguntia distat milliaribus, Ordinis Divi Patris nostri Benedicti. Vir tam in divinis scripturis eruditus, quàm in sæcularibus litteris suo tempore indubitanter doctissimus, nec minus vitæ merito, quàm eruditione insignis, qui gemino stylo multa lucubravit præclara opuscula, quibus memoriam sui posteris cõmendavit. Imprimis chronicon opus scripsit succinctum à tempore Fundationis Monasterij sui memorati, in quo multa per digressum in Germania & exteris nationibus facta cõmemorat usque ad annum Dominicæ Nativitatis millesimum trecentesimum vigesimum. Item de inclinatione Ordinis nostri quatuor libros gemino stylo composuit ad imitationem Marciani atque Boëthij: de Præeminentia Ecclesiæ Moguntinæ libros duos, ad Petrum Archiepiscopum ejusdem, Epistolarum ad diversos librum unum. Alia insuper nonnulla scripsisse dicitur, quæ ad notitiam nostræ lectionis minimè venerunt.

MCCCXIV.

MCCCXIV.

Anno Henrici Abbatis Hirſaugienſis quintodecimo, indictione Romanorum duodecimâ pridie Iduum Januarij, mortuus eſt Sigebotho de Lichtenberg Epiſcopus Spirenſis quadrageſimus nonus, anno Pontificatûs ſui duodecimo, ſepultus in choro Regum ad latus ſiniſtrum in memorata Eccleſia Spirenſi. Poſt quem Emicho ex Comitibus de Lyningen ordinatus antiſtes, præfuit annis quatuordecim, vir magnificus, & Jurium Eccleſiæ ſuæ, ac libertatum defenſor acerrimus.

Emicho fit Epiſcopus Spirenſis Eccleſiæ annis XIV.

Eodem anno mortuus eſt Clemens Papa V. qui Ordinem Templariorum ad nimis importunam Regis Gallorum inſtantiam, ut ſupra diximus, deſtruxerat, de cujus vita moribus & obitu ſi quis plura ſcire deſiderat, ultimam chronicæ Antonini partem legat. Poſt cujus mortem Sedes Apoſtolica vacavit annis duobus, menſibus tribus, diebus decem & ſeptem propter diſcordiam Cardinalium.

Clemens PP. V. obijt. Sedes Petri biennio vacavit.

Anno etiam prænotato Cometes in parte Aquilonari coruſcans per duos fermè menſes apparuit, ſimúlque tres lunæ in Cœlo tempore uno viſæ ſunt, quarum interpretationem unusquiſque ſibi uſurpabat.

Eodem anno mox poſteaquam Cometes diſparuit, mortuus eſt Rex Gallorum Philippus, homo ferox, cupidus nimium & avarus, qui lucri causâ multa perperam geſſit, in quibus nec Deum timuit, nec homines curavit: Judæos in toto regno ſuo avaritiâ ductus, cunctis bonis eorum ſpoliavit, ſub prætexu religionis: Flandriam contra juſtitiam miſerabiliter vaſtavit: Eccleſiam Romanam tyrannicè perſecutus fuit: decimas Eccleſiarum & Monaſteriorum ſuis uſibus temerè uſurpavit: quid cum Templarijs excogitaverit, dictum eſt. Poſt cuius mortem Ludovicus filius ejus regnavit annis duobus.

Rex Gallorum Philippus obijt. Ludovicus ſucceſſit.

Anno præſcripto decimâ die menſis Februarij, quæ feſto S. Scholaſticæ fuit ſolemnis, obijt Emericus de Cronenberg Epiſcopus Wormatienſis Anno Pontificatûs ſui decimo. Huic electione Canonicâ in Pontificatu Wangionum ſucceſſit Henricus filius Hermani Comitis Sylveſtris de Duna, caſtello tribus à Spanheim Cœnobio diſtante milliaribus, qui Comites vulgariter dicebantur Wildgraffen / quorum propago dudum defecit. Erat autem Henricus iſte præpoſitus majoris Eccleſiæ Wormatienſis, & præfuit in Pontificatu annis quinque.

Henricus Comes Sylveſtris fit Epiſcopus Wormatienſis.

Anno prænotato decimo nono die menſis Octobris, poſt longam Imperij ſimul & regni vacantiam, tandem Principes Imperij Electores apud Franckenfurt in unum convenerunt. Petrus videlicet Archiepiſcopus Moguntinus, Baldevvinus Archiepiſcopus Trevirorum, Henricus Archiepiſcopus Colonienſis, Rudolphus Comes Palatinus Rheni, Rudolphus Dux Saxoniæ, Volmarus Marchio Brandenburgenſis, & Joannes Rex Bohemiæ, animo & intentione conſtituendi ſuper ſe Regem & Imperij Rom. gubernatorem. Affuerunt etiam Fridericus, Albertus, & Lupoldus fratres Auſtriæ Duces, non vocati, ſpem ſibi regni magnam promittentes, & per hoc non parvæ diſſenſionis cauſam præſtiterunt. Unde quatuor memorati Principes: Petrus Archiepiſcopus Moguntinus, Baldevvinus Archiepiſcopus Trevirorum, Volmarus Marchio Brandenburgenſis, & Joannes Rex Bohemiæ, Ducum Auſtriæ ambitionem habentes exoſam, Ludovicum Bavariæ Ducem in Regem Getmanorum & Imperatorem

Conventus fit Principum pro electione Regis.

Ludovicus Bavariæ Dux ab una parte in Regem eligitur.

ratorem Romanorum unanimiter elegerunt, qui fuit Rudolphi Comitis Palatini senioris frater; quorum Pater Ludovicus Comes Palatinus Rheni Bavaríæque Dux magnus extitit, avus verò paternus Otto, qui primus ex Bavariæ Ducibus Comitatum Palatinum Rheni cum uxore obtinuit, sicuti anno Crafftonis Abbatis sexto, & superius anno Eberhardi Abbatis xvi. similiter diximus. Henricus verò Colonienſium Archiepiſcopus, Rudolphus Comes Palatinus Rheni, & Rudolphus Dux Saxoniæ Schiſma in electione facientes, Fridericum Auſtriæ Ducem contra Ludovicum ſibi ſuiſque ſequacibus regem elegerunt, & multiplicata ſunt mala ſuper terram; per annos etenim octo continuos, hi duo pro regno contendentes, & crebras inter ſe congreſſiones facientes, maximam regno induxêre cladem. Poſtremò tamen Ludovicus contra Fridericum obtinuit, & ſibi regnum per potentiam vendicavit, Fridericum cepit, & in deditionem coarctavit, ut ſuo inferius loco dicemus. Rudolphus autem Bavariæ & Comes Palatinus Rheni, qui morabatur in oppido Haidelberg prope Neccarum à Ludovico fratre jam dicto rege, propterea quòd Fridericum Auſtriæ Ducem illi prætulerat in electione ad regnum, de patria ſimul & Principatu expulſus eſt, & in Angliam, unde habuerat uxorem, fugere & exulare uſque ad diem mortis ſuæ in miſeria magna atque continua compulſus eſt. Quo de patria violenter expulſo, Ludovicus frater novus Rex omnem Principatum ejus ſuo mancipavit imperio, quem tamen filijs Germani poſteà reſtituit.

Fridericus Auſtriæ Dux ab alia parte in regem eligitur.

Rudolphus Comes Palatinus à fratre de patria expellitur.

Electione bifariam celebratâ in memorato Franckfortienſi oppido, Ludovicus Rex novus cum ſibi adunatis principibus in proximum oppidum Rheni Oppenheim ſeceſſit, cui oppidani ad perſuaſionem Petri Archiepiſcopi Moguntini ſubjectionem & obedientiam præſtiterunt. Cùm verò aliquandiu moraretur ibidem, Rudolphus frater ejus Palatinus, qui necdum fugerat, cum alijs Friderico adhærentibus in ejus mortem dolos & fraudes inſidiosè machinati ſunt. Unde miles quidam Henricus de Alzein nuncupatus, de Heidelberga in Oppenheim ſub forma ſervitoris mittitur, qui cum baliſta ſub pallio ſubtiliter abſcondita interfecturum ſe Regem pollicebatur. Rex autem præmonitus à quodam fideli, cepit Sicarium, à quo per torturam omne pravorum intellexit arcanum. Ex Oppenheim ergo diſcedens ad Moguntiam ſuper bigam latronem circumduxit ligatum, cunctis in terrorem, ne ſimilia quiſquam præſumeret, atque ſpectaculum. Qui tandem equo colligatus ad caudam per civitatem trahitur: poſteà rotatus eſt, & ultimò in quatuor partes ſecundum antiquam legem Francorum noſtrorum dividitur.

Henricus miles de Alzein Regem volebat occidere.

Huic verò conſpirationi Rudolphus Comes Palatinus Rheni aſſenſum & conſilium dederat; quod Ludovicus Rex cùm intellexiſſet ex confeſſatis capti latronis, nimium iratus eſt, & fratrem capere ad necem feſtinabat. Sed aviſatus ille, noctu pedibus aufugit, & ſicut diſpoſuerat animo, pauper in Angliam deſcendit; tanto etenim pavore fuit perterritus, ut publicè tranſire non præſumeret; Frater enim nimio furore repletus, omnes viarum exitus fecerat præmuniri cuſtodibus, ut fugere manifeſtus non poſſet, & neque familiam, neque vecturam ſecum ducere aliquam. Fugit igitur ſicut diximus noctu, uno duntaxat comitante

Cauſa propter quam Ludovicus Rex fratrem expulit de patria.

famulo, pedibus ambulare contentus in habitu peregrinorum, quem uxor poſteà relictis apud Heidelberg liberis ſuis etiam ſubſecuta fuit.

Ludovicus autem Rex quotidie magis magíſque convaluit, & feliciter pluries contra Fridericum triumphavit. Uxorem habuit Margaretham Wilhelmi Comitis de Henegau Hollandiæque filiam, de qua genuit ſex filios. Ludovicum videlicet Ducem Bavariæ: Stephanum quoque Bavariæ Ducem in Landtshutta commorantem: Albertum Ducem in Strubingen: Wilhelmum Ducem Hollandiæ, Selandiæ, Friſiæ & in Breda Henegaúque Comitem: Ludovicum Romanum, quia Romæ natum; poſt Volmarum Marchionem in Brandenburg & Ottonem.

Margaretha uxor Regis Ludovici peperit ei ſex filios.

MCCCXV.

Anno Henrici Abbatis XVI. magna per univerſam Germaniam ſimul & Italiam fames graviſſimè afflixit mortales, in qua multa hominum millia propter inopiam, in diverſis mundi regionibus perierunt. Duravit autem fermè biennio, quâ tandem ceſſante ſecuta eſt mortalitas maxima.

Fames Germaniam graviter afflixit ſimul & Italiam.

Anno Henrici Abbatis prænotato Ludovicus Rex in feſto Epiphaniæ Domini à Petro Moguntino & Baldevvino Trevirorum Archiepiſcopis, in Baſilica ſanctæ Mariæ Dei ſemper imaculatæ genitricis, in Aquiſgrani ſolemni pompâ in Germanorum Regem unctus & coronatus eſt, & uxor ejus ſimiliter in Reginam ſublimata. Coronatione ſolemni peractâ ad Coloniam redijt, & cives in deditionem accepit. Inde per Rheni fluenta conſcendens, Treviros, Moſellanos, Rhenanos, & reliquas Civitates cum oppidis fermè cunctis uſque ad Argentinam ſibi ſubjecit. Suevi etiam penè omnes præter Ulmenſes Ludovicum ut Regem ſuſceperunt.

Ludovicus apud Aquaſgrani cum uxore coronatur Rex.

Fridericus etiam per manus Henrici Archiepiſcopi Colonienſis, non apud Aquaſgrani, quò venire tutò non potuit, ſed alibi regni coronam & inſignia ſuſcepit, illius autem partes Alſatij cum Baſilienſibus & Conſtantienſibus ſequebantur.

Eodem anno prælium factum eſt magnum in agro Spirenſi, inter Ludovicum Regem quartum, & Fridericum Auſtriæ memoratum Ducem ejus adverſarium, in quo multi ex utraque parte ceciderunt.

Bellum inter Ludovicum & Fridericum comittitur.

Lupoldus verò Dux Auſtriæ Friderici Germanus, in odium tam Spirenſium, qui Ludovicum ſuſceperant, quàm Regis Ludovici, priuſquam bellum inciperetur, omnes penè in circuitu villas combuſſerat igni, & multa pauperibus intulit damna. Veruntamen campum & victoriam Rex Ludovicus obtinuit, & Fridericum cum ſuis fugere coëgit.

Erat autem fames magna, ſicut diximus, in omni terra, & Baldevvinus Trevirorum Archiepiſcopus vir prudens, qui tempore pacis & abundantiæ ſibi de neceſſarijs proviserat, victualia regijs exercitibus copioſiſſimè miniſtravit.

Anno item præſcripto Fridericus Auſtriæ Dux, poſteaquam victus & fugatus eſſet à Rege Ludovico, ſicut dictum eſt, in agro Nemetenſi, ſuorum recollecto exercitu movit in Sueviam, & imperiale oppidum Eſslingen gravi obſidione vallavit. Quod ubi Regi Ludovico innotuit, contractis undique copijs contra Fridericum in Sueviam pro liberandis civibus aſcendit. Bellum denuò comittitur, plures ab utraque parte trucidantur, ac multi capiuntur, & ob id neceſſariò cæpta obſidio ſolvitur.

Eſslingen obſidetur.

Interea

Intereà dum hæc geruntur in Suevia, Lupoldus Friderici frater Dux Austriæ contractis copijs vallem Suitensium confœderatorum intrare disposuit; quod cùm propter meatuum angustiam haud facilè posset efficere, suorum in arcano cæpit consilium habere. Complacuit autem postremò consultantibus, ut secretò ab una parte montium intrantes nocturno tempore super illos, qui nihil tale suspicabantur, irruerent, & nullo resistente omnia quæ reperissent, liberè devastarent. Lupoldus Dux contra Suitenses movet.

Erat in exercitu Lupoldi nobilis quidam de Henneberg, qui tot subitò perire Innocentes doluit; & ideò præmonere Suitenses de imminente periculo cogitavit. Sagittam ergo cavatam superius artificiosè operuit, litteras continentes præmonitionem inclusit, & jactu balistæ in vallem destinavit. Suitenses relectis litteris sibi projectis, sub introitu vallis occultè posuerunt insidias, & omnes quotquot ingredi præsumpsissent ex adversarijs vel occiderunt, vel converterunt in fugam. Unde Lupoldus suorum strage acceptâ non parvâ, confusus redit ad propria. Per sagittam avisantur Suitenses.

Eodem anno in oppido quodam Austriæ Cremensi Pataviensis Diœcesis, hæretici plures nefandissimi per Fratres Prædicatores inquisiti fuerunt atque detecti; quorum errores pernicioſissimi ex pravis Fratricellorum dogmatibus sumpserunt originem, quos dudum sancta Romana damnavit Ecclesia in Concilio Viennensi, de quo paulò jam ante diximus, anno Henrici Abbatis istius duodecimo. Detecti autem & comprehensi, quoniam omnes in erroribus suis fuère contumaces, ad ignem adjudicati sunt, & extra memoratum oppidum Cremense in cinerem combusti. Vesaniæ autem illorum principales articuli fuerunt. Sacerdotium & sacrificia Ecclesiæ cuncta, Missam & Sacramenta omnia deridebant, & nec reverentiam Sacramentis, nec obedientiam vel honorem voluntariè ullũ præstabant Sacerdotibus. Luciferum & reliquos Dæmones cœlo injuriâ pulsos affirmabant; ideóque & ipsos omnes regno felicitatis aliquando, ut injuriam passos, fore restituendos, Michaelem verò & cæteros Angelos bonos omnes, tanquam injuriatores, cum omnibus, extra eorum sectam, hominibus in æternum damnandos. Unde mutuò sese invicem salutantes in favorem Sathanæ dicebant: *Salutet te injuriam passus.* Quod Lucifero adscribunt. *Si Maria*, inquiunt, *Virgo permansit post partum, non hominem sed Angelum peperit: si autem verum hominem peperit, Virgo post partum non fuit.* Duodecim viros ex tota eorum multitudine segregatos habebant, quos & Apostolos nuncupabant, qui totam Germaniam quotannis perlustrantes, simpliciores quòsque in suis erroribus confirmabant. Ex illis duodecim rursum secernebant duos seniores, quos sectæ vocabant ministros, qui singulis annis Paradysum se intrare fingebant, ubi ab Enoch & Elia potestatem acciperent suos absolvendi ab omnibus delictis atque peccatis; quam auctoritatem pluribus in singulis civitatibus & oppidis communicabant. Sacramentum Baptismatis contemnebant dicentes, si Baptismus est Sacramentum, ergo quodlibet balneum est Sacramentum, & balneator omnis est Deus. Sacramentum etiam Pœnitentiæ vitiabant, confitentes non Sacerdotibus, sed Laicis peccata sua tantum in genere, & nihil penitus in specie, ac per hanc sperantes confessionem omnium se delictorum à pœna & à culpa remissionem susceperuros. Sacramentum quoque Salutiferum Dominici Corporis & Sanguinis non credebant, Multitudo hæreticorũ in Austria comburitur. Errorum pessimorũ principales articuli notantur. Duodecim sibi præferunt Apostolos. Omnia Ecclesiæ Sacramenta contemnebant.

conſecratam in Altari hoſtiam, Deum fictitium temerè nuncupantes. Sacramentum verò matrimonij, Juratum meretricium vulgariter appellabant; quia brutorum inter ſe more turpitudinem ſine matrimonij lege exercebant. Extremam unctionem irridebant; de qua interrogati quid ſentirent, publicè omnes reſpondebant: *Nos firmiter credimus, olera quanto plus fuerint oleo condita, tanto eſſe indubitanter meliora.* Conſecrationes Eccleſiarum, cœmeteriorúmque, ordinationes Epiſcoporum, Sacerdotum, & quarumlibet rerum benedictiones, pro nihilo reputabant. Deum nec ſcire nec punire peccata, quæ fiunt ſub terra, iniquâ loquacitate dicebant. Unde convenientes in ſpeluncis & cavernis ſubterraneis, nullâ conſanguinitatis obſervatâ conſideratione, pater cum filia, frater cum ſorore, filiúſque cum matre turpitudinem ſuam indifferenter exercebant. Romanam Eccleſiam non Chriſti, ſed infidelium eſſe dicebant: cenſuras Eccleſiæ, auctoritatem Prælatorum, & omnes Chriſtianorum ritus irridebant, jejunium nullum ſervabant; carnibus omni tempore, etiam in die Paraſceves utebantur. Nullum feſtum obſervabant, ſed etiam die Paſchatis laborabant. Perjurium dicebant non eſſe peccatum. Merita, preces vel Interceſſiones Sanctorum nihil poſſe mortalibus conferre, & ob id neque honorandos, neque invocandos dogmatizabant. Alios denique complures profitebantur errores, quorum multitudo lectoribus, & horrorem generaret, ſi ſcriberentur omnes, & mentis faſtidium. Magnus eorum fuit numerus, & multa inter ſe abominanda coñiſerunt. Nam ut unus eorum ex Apoſtolis Viennæ crematus ferebatur eo tempore in tortura confeſſus, plus quam octo millia hominum utriúſque ſexûs per Bohemiam, Auſtriam, Thuringiam eorúmque confinia, horum profeſſores extiterunt errorum: præter illos, qui Germaniam & Italiam ſimili pravitate infecerant. Plures eorum in prænominatis regionibus eodem tempore inquiſitione Fratrum Prædicatorum fuerunt detecti & judicati ad ignem: qui ſumma cum hilaritate omnes in ſua pertinacia perierunt, & ne unus quidem ex eis pænituit. Erat una inter eos puella nomine Gisla corpore ſpecioſiſſima, cujus pulchritudo Judicem traxit ad commiſerationem: & cupiens illam ſervare, multis nitebatur ei perſuadere ſermonibus, ut abrenuntiato errore ad Eccleſiæ reverteretur ſanctiſſimam unitatem. Quæ interrogata ſi adhuc eſſet Virgo? reſpondit: *Super terram Virgo ſum: ſub terra verò minimè.* Putabat enim fatua Virginitatem ſub terra non poſſe aufferri, etiamſi multis contigiſſet viris commiſceri. Cùm autem nullis poſſet inductionibus perſuaderi, ut renuntiaret erroribus, læta & gaudens in ignem ſe dedit præcipitem, animam mittens in gehennam. Horum fœcibus errorum tunc infecta Bohemia, uſque in præſentem polluta diem nunquam potuit in tota ſui coñunitate à talibus ſpurcitijs emundari. Sunt enim in ea hodie multa hominum millia præſcriptis erroribus vel in toto, vel in parte turpiter maculati, quemadmodum ſuo loco inferius dicemus.

Matrimonium Blaſphemabant.

Eccleſiam & Pontifices irridebant.

Hæreticorum ingens fuit numerus.

Puellæ pertinacis fatua & nimis erronea reſponſio.

Anno quoque prænotato diſcordia inter Henricum Abbatem Hirſaugienſem & Conventum ſuum ante plures quidem annos exorta, occaſione diviſionis Regni, & Regum Principúmque diſſenſione ſuccreſcens, nimium fuit ampliata. Abbas námque (ut in ejus promotione ſupra jam diximus) homo erat pro regimine & utilitate Monaſterij non ſatis

Inter Abbatem & Conventum Hirſaug. diſcordia.

satis idoneus. Corpori & otio plus deditus, quàm illius temporis necessitas requirebat. Per ejus negligentiam & culpam status rei familiaris enormiter perijt: Regularis observantia omnino contempta exulabat. Plura mobilia simul & immobilia bona sine voluntate Conventûs alienavit à Monasterio: & ære congregationem nimium gravavit alieno. Super his & alijs enormitatibus suis multis, sæpè admonitus per seniores, non solùm in nullo se corrigere vel emendare voluit: sed etiam Fratres suos & maximè seniores, quibus onerosa fuit ejus dilapidatio, in faciem maledixit atque contempsit, cujus indignatione facti tandem depositus fuit.

Duo super Ecclesiam Spirensem constituuntur Pontifices.

Eo tempore, sicut paulò ante diximus, Ludovicus Dux Bavariæ & Fridericus Dux Austriæ pro Regno contendentes, non modicam ejus depositionis causam præstiterunt; nam utérque non secundum Deum ubique Ecclesiarum Præsules & Monasteriorum Abbates instituere vel amovere, pro commodo & favore propriæ utilitatis gestiebat. Ludovicus etenim Sigibodone Spirensium Episcopo vitâ defuncto, Georgium filium Comitis de Veldentia Mosellanum in ejus locum substituit, cui mansionis residentiam in oppido Germersheim assignavit. Fridericus autem sibi faventem Arnoldum de Ochsenstein sublimavit in Episcopum Spirensis Ecclesiæ, & Landaugiam oppidum illi pro residentia sua deputavit. Verùm Georgio Veldentiano Comite brevi mortuo, Emicho Comes de Liningen, de quo præcedente anno diximus, per Ludovicum Regem Episcopus substituitur, & præfuit annis quatuordecim: Arnoldus etiam non diu supervixit.

Abbas Henricus malè sibi conscius.

His tribulationibus Ecclesiam Nemetensem per triennium ferme comprimentibus Hirsaugia quoque lugens sua deplorabat incomoda; quoniam in se gravissimè turbata, neque Pontificis ordinarij, neque alterius cujuspiam meruit auxilio consolari. Abbas tamen Henricus, qui post multorum alienationem bonorum sine Fratrum suorum consensu à Monasterio malè sibi conscius erat, amicorum se tuebatur auxilio: & quandiu potuit, subditorum animos irritavit. Cæpit hoc malum discordiæ, neque cessavit, donec Abbas tandem deponitur.

MCCCXVI.

Anno Henrici Abbatis Hirsaugiensis decimo septimo currente, Ludovicus Rex convocatis Principibus cunctísque sibi fideliter adhærentibus, pacem in omni regno Germanorum servandam constituit: Latrocinia prohibuit, & animos fidelium suorum contra Fridericum Austriæ Ducem confirmavit. Henricus autem Colonienſium Archiepiscopus, & qui partes Friderici sequebantur, multa contra Ludovici Regis consilia machinati, nihil aut parùm in his rebus fortunati, proficere quotidie in melius æmulum frustra doluerunt.

Wisbaden & Scharpfenstein obsidione cinguntur.

Eodem anno Rex Ludovicus & Baldevvinus Archiepiscopus Trevirorum ad instantiam Petri Archiepiscopi Moguntini oppidum Wisbaden, ubi sunt thermæ, & Castellum Scharpfenstein, quæ erant ex parte Friderici Ducis, obsidione circumdederunt. Verùm obsidione per aliquot dies firmatâ cùm se viderent propter locorum fortitudinem nihil posse proficere, ad alia se transtulerunt.

Joannes fit Papa XXII. annis XIX.

Anno prænotato posteaquam Sedes Apostolica mortuo Clemente Papa quinto jam ultra biennium vacâsset, convenientes tandem Cardi-

nales Lugduni in Cœnobio Fratrum Prædicatorum, quintâ die mensis Septembris Jacobum Portuensem Episcopum in Romanæ Ecclesiæ Pontificem elegerunt: quem solemni pompâ ordinantes, Joannem ejus nominis vicesimum secundum nuncupârunt, qui præfuit annis XVIII. mensibus quatuor. Vir utique doctus & singulari prudentiâ circumspectus, qui nonnulla scripsit opuscula, sermones maximè & varias in Theologia Scholastica quæstiones & conclusiones. Hic Thomam de Aquino Prædicatorum Ordinis Theologum catalogo Sanctorum inseruit, Tholosanam & Cæsaraugustanam Ecclesiam in Archiepiscopatum erexit.

Inter Ludovicum & Fridericum bellum committitur.

Eodem anno in Agro Argentinensi denuo bellum factum est pro regno, inter Ludovicum Bavariæ Ducem & Fridericum Ducem Austriæ, cujus ista fuit occasio. Argentinenses eatenus adhæserant Friderico, & ejus partes sequebantur: quem ubi Ludovico tandem rescissent infirmiorem, eo repudiato, istum ut fortiorem & à majore sanioréque parte Principum electum, ut verum & legitimum Germaniæ Regem susceperunt. Hinc animo concitatus in iram Fridericus, contractis copijs Argentinam obsedit, cives minis atque terroribus in suam revocare sententiam laboravit. Cujus rei nuntium ut accepisset Ludovicus, convocato suorum exercitu ad Argentinam properat, & commisso prælio Fridericum inde fugere coarctat. In quo certamine multi ex parte Friderici ceciderunt, & plures capti sunt.

Philippus Rex in Gallia constituitur.

Anno præscripto Ludovicus Rex Gallorum moritur, post quem Joannes filius ejus adhuc puer gubernacula regni suscipiens regnavit viginti duntaxat diebus. Quo mortuo Philippus Ludovici frater in regnum sublimatus est, & annis quinque supervivens in Gallia regnavit.

Eodem anno Lupoldus Dux Austriæ Friderici frater in odium Ludovici Regis cæpit devastare Bavariam: sed pulsus à præsidio Ludovici fortissimo, cùm se nihil posse proficere conspiceret, inde digressus iterum descendit ad partes Rhenanas, & Spirensem Agrum ut prius denuo vastavit.

Concursus populi ad sanctam Mariam in Villa Dymbach.

His fermè temporibus magnus concursus populi cæpit, & annis pluribus duravit ad imaginem quandam Beatæ Mariæ semper Virginis in villa quadam Dymbach nomine, quæ pertinet Monasterio sanctæ Felicitatis nostri Ordinis in Schvvartzach Franciæ Orientalis Peapolitanæ Diœcesis, ubi multa & stupenda miracula facta sunt, & plura sanitatum beneficia mortalibus ad invocationem Divini nominis exhibita. In cujus rei memoriam Ecclesia satis pulchra & pretiosa in eadem villa, sicut hodie cernitur ex fidelium oblatione constructa, & non sine magnis sumptibus perfecta est, miraculis usque in præsens coruscantibus.

MCCCXVII.

Pro Canonizatione Divæ Hildegardis inquisitio facta est.

Anno Henrici Abblatis ultimo, Joannes Papa vicesimus secundus ad instantiam Petri Archiepiscopi Moguntini Willichino Abbati Spanheimensi & quibusdam Canonicis Ecclesiæ Moguntinæ per Apostolica scripta mandavit, quatenus ad montem sancti Ruperti prope oppidum Bingen, ubi Nahus Rhenum influit, accedentes, de vita moribus, signis atque miraculis Divæ Hildegardis primæ fundatricis & Abbatissæ dicti Monasterij (quæ longè supra, anno Conradi Abbatis Hirsaugiensis quarto, vitam excessit humanam) inquisitionem facerent diligentem: & quidquid

inveniissent

invenissent veritate probatum, ad Apostolicæ Sedis examen fideli narratione transmitterent. Inquisitionis peracto scrutinio memorati commissarij vitam præfatæ Monialis religiosam atque sanctissimam, ac multis miraculis tam post mortem ejus, quàm prius sufficienter comprobatam invenerunt, eámque dignam Canonizatione censentes, necessaria pro effectu negotij, ad Romanum Pontificem memoratum destinârunt. Pontifex autem testimonijs sibi destinatis diligenter relectis, ad Canonizandam Virginem non fuit difficilis, quemadmodum Apostolico scripto factus sum certior; quamvis optatum à multis negotium non perduxit ad effectum. Ejus quoque prædecessor Clemens Papa quintus in eadem re commissarios ante dederat.

Sternberg Castrum Ecclesiæ Trevirorũ conceditur.

Eodem anno Baldevvinus Archiepiscopus Trevirorum Castellum Imperij Sternberg nuncupatum quibusdam nobilibus datum in pignus, consentiente Rege Ludovico, pecuniâ datâ redemit, & Trevirorum Ecclesiæ proprium fecit: Comitem quoque de Henneberg pro una & quadraginta Marcis argenti eodem anno, sicut in monumentis legi Authenticis, Ecclesiæ Trevirensi feudalem constituit. Alia insuper multa per industriam suam ab ipso Rege Ludovico precibus obtinuit, & dominia proventus ac redditus Ecclesiæ suæ mirabiliter auxit.

Fridericus fit Episcopus Trajectensis Ecclesiæ.

Anno prænotato vicesimâ nonâ die mensis Maij, obijt Guido Episcopus Trajectensis, vir per omnia magnificus, cui mox in Pontificatu successit Fridericus de Syrck, Patriâ Mosellanus, majoris Ecclesiæ præpositus, & annis quinque præfuit, qui multas à civibus suis persecutiones sustinuit, & sæpè triumphavit.

Arnoldus Monachus S. Albani vir doctissimus.

Claruit his temporibus apud Moguntiam in Cœnobio S. Martyris Albani, quod tunc Ordinis fuit Divi Patris nostri Benedicti, Arnoldus Presbyter & Monachus, vir suâ ætate magnæ opinionis atque doctrinæ, qui scriptis & moribus quasi rosa inter spinas deformatam conversationem Monachorum redarguit. Scripsit enim inter alia de calamitatibus suorum temporum non spernendum opusculum, in quo non solùm Regni Germanici, sed Ecclesiæ quoque universalis, & maximè sui Ordinis miserabilem deplorat inclinationem. Gesta Regis Ludovici quarti scribere cæpit, sed præventus morte non complevit; de cæteris lucubrationibus ejus nihil hac me vidisse tempestate amplius memini.

Henricus Abbas Hirsaugiensiũ xxx. deponitur.

Anno quoque memorato Henricus Abbas Hirsaugiensis, ut dilapidator substantiæ Monasterij apud Regem Ludovicum non immeritò accusatus, cùm reatum suum nullâ posset tergiversatione occultare, manifestum censuræ depositionis accepit judicium: & qui toties monentes audire seniores suos noluit, ab officio pastoralis curæ tanquam inutilis & pernicioſus Monasterio, Regali præcepto depositus fuit. Ad privatum itaque vivendi modum revocatus, in amaritudine cordis sui consenuit, & propter damna rerum temporalium irrecuperabilia, quæ Monasterio tempore sui regiminis intulerat, cunctis fratribus odiosus fuit. Et quia multa sine Fratrum suorum consensu aliena verat contra formam juris, & consuetudinem Ordinis, quod nec debuit, nec jure potuit, Rex Ludovicus posteà Imperator factus, litteras Hirsaugiensibus Imperiales tradidit, in quibus restitutionem omnium taliter alienatorum, sub pœna læsæ Majestatis detentoribus mandavit.

De

De Sigismundo hujus Monasterij Hirsaugiensis Abbate XXXI. qui præfuit annis xxiv. & de varijs gestis illius temporis in Germania.

Sigismundus Abbas Hirsaugianus in ordine xxxi.

POst depositionem Henrici ejus nominis secundi Abbatis, de novi Pastoris electione magna inter fratres difficultas subsecuta fuit; metuebant enim, nec sine causa, ne si aliquem præcipitato consilio minus idoneum Abbatem super se constituerent, gravioribus quàm eatenus periculis & incommoditatibus subjacerent; nam per malum Henrici Abbatis regimen, & multis & gravibus erant oneribus debitorum involuti, à quibus non aliter, quàm boni pastoris sollicitudine poterant liberari. Denique bona Monasterij quæque meliora in pignus creditoribus locata fuerant, & fratres jam unde vivere potuissent, vix habebant. Miseria fuit tunc videre Hirsaugiam, quando & spiritualis conversationis veneranda cunctis olim integritas, habitatores omnino deseruit, & rerum temporalium quondam opulentia copiosa penitus defecit. Horum omnium causa malorum ex triplici fundamento non bono sumit exordium; dum aut mali Cœnobitæ suis convenientem pravis moribus, & non secundum Deum pastorem eligunt, aut boni etiam non satis providè ad constitutionem Abbatis procedunt. Nonnunquam pastorem etiam non bonum merentur accipere, qui sine observantia viventes in Monasterio, Deum suis peccatis non metuunt irritare.

Causa institutionis Abbatum malorum triplex datur.

Itaque fratres maturâ, ut ipsis videbatur, consultatione præhabitâ, diem electionis quintum decimum Octobris constituunt, quo instante satis tumultuariè ad rem tam arduam procedunt. Bifariam quippe divisi, duos in dissensione Abbates eligunt, & nisi Omnipotens Deus mediante bonorum virorum consilio, suam interposuisset misericordiam, de Hirsaugia nulla spes relevaminis aut subsistentiæ penitus remansisset. Misericordiâ Domini plena est terra, qui propter servorum suorum Wilhelmi, Brunonis, Theogeri & aliorum complurium sanctitatis merita & reverentiam, hunc locum, in quo ei religiosissimè quondam servierunt, non voluit disperdere, sed in melius aliquando reformandum potius reservare, quod rei posteà probavit eventus. In dissensione igitur memorata seniores, & qui Zelo rectitudinis & numero personarum videbantur erántque cæteris potiores, Sigismundum Priorem Conventualem sibi præfecerunt Abbatem, contra quem alij fratres ætate juniores ac pauciores numero personarum, Gerardum Ecclesiæ custodem præficere contendebant. Erant ambo quidem viri admodum boni, & pro illius merito temporis, negotijs & rebus satis convenientes. Cessisset illico in electione tunc Sigismundo ut vocum numero majori Gerardus, nisi cognatorum suorum impulsu, & eligentium se intuitu, obniti & resistere aliquandiu fuisset coactus. Et primò quidem ambo electi cum amicis suis ad judicium Pontificis Neometensium fuerunt evocati, qui cùm eos concordare non posset, omne negotium ad Petrum Archiepiscopum Moguntinum, tanquam Provinciæ Metropolitanum, & Apostolicæ Sedis delegatum devolvit, qui & causam justitiâ mediante finivit.

Duo in dissensione eliguntur Abbates, Sigismundus & Gerhardus.

Anno

Anno igitur prænotato Dominicæ Nativitatis millesimo trecentesimo septimo, Indictione Romanorum quintâ decimâ, vicesimâ sextâ die mensis Novembris Petrus jam dictus Archiepiscopus in præsentia Ludovici Regis & multorum Principum apud Moguntiam inter dissentientes, audito prius electionis modo atque processu, de consilio peritorum sententiam dixit, abrogatóque Gerhardo, Sigismundum electum Canonicè pronuntiavit, eúmque auctoritate Apostolicâ simul & Metropolitanâ in Abbatem confirmavit, quem etiam in Cathedrali Ecclesia Moguntina, multis præsentibus in festivitate sancti Andreæ solemniter benedixit.

Sigismund ab Archiepiscopo Moguntino Abbas declaratus est.

Sigismundus ergo confirmatus & ordinatus Abbas, de Moguntia mox ad Hirsaugiam revertitur, & susceptus ab omnibus cum gaudio, ut verus pastor animarum honoratur. Prius enim quàm electi duo ad Moguntiam pergerent, unanimi fratres consensu juraverant in manus Spirensis Episcopi, quòd sine contradictione aliqua illum in Abbatem susciperent, pro quo sententiam Archiepiscopus dixisset. Ordinatus itaque Sigismundus Abbas, Monasterio præfuit annis quatuor & viginti, certísque mensibus & diebus, quorum numerum Antiquitas litteris minimè commendavit; quo fit ut etiam nos in tenebris palpemus. Patriâ fuit Suevus, ingenuis parentibus ortus, moribus honestus, vulgari eloquio satis promptus atque disertus. In scripturis verò Divinis parum sapuit, quoniam illud tempus apud Monachos sine studio litterarum fuit. In curandis autem & disponendis negotijs secularibus, satis fuit idoneus, & in consilio non parum circumspectus. Omni tempore sui regiminis, quoad temporalia utiliter præfuit, & res Monasterij admodum prudenter dispensavit. Plura etiam bona recuperavit, quæ prædecessor ejus nimis inconsultè distraxerat, & quidquid potuit eorum, quæ ille alienaverat, ad jus Monasterij possessorium Ludovico Rege favente revocavit.

Sigismund pro Abbate suscipitur.

MCCCXVIII.

Anno Sigismundi Abbatis primo, Andreas de Gundelfingen Episcopus Herbipolensis & Dux Franciæ Orientalis moritur. Vir per omnia Pontificio munere dignus; qui multas cum civibus suis Peapolitanis dissensiones habuit, quos tamen ad veram obedientiæ subjectionem potuit revocare; à multis siquidem annis cornua contra Pontificis & Ecclesiæ Wirzburgensis auctoritatem cives erexerant contumaces, qui cùm sint proprij ac dedititij sancto Kiliano, & memoratæ Ecclesiæ, semper tamen vestigijs paternis temerè inhærentes, Regno potius quàm Ecclesiæ subesse maluerunt.

Andreas Herbipolensis Episc. moritur.

Post Andream Godfridus de Hohenloe Præsul Ecclesiæ Wirtzburgensi præficitur, & annis fermè novem strenuè præfuit, qui & ipse rebellionem civium suorum sensit & habuit, quos tamen favore & auxilio Regis Ludovici ad obedientiam coegit; anno quippe Pontificatûs sui secundo ad obsequium sui apparatu bellico quoties esset opus, per Regis sententiam eos compulit, & suis militare stipendijs coarctavit.

Godfridus Episcopus fit Herbipolensis.

Anno quoque prænotato cives Colonienses vocatis in auxilium, Joanne Bohemorum Rege, Wilhelmo Comite Hollandiæ, Joanne fratre ejus Comite in Henegavv, Gerhardo Comite Juliacensi, Adolpho Comite Montano, Joanne Comite Seynensi, & quibusdam alijs, contra Henricum Archiepiscopum suum, Friderici partes sequentem, & pacis Ludovici Regis decreta violantem, processerunt ad prælium. Quem in castro

Inter Colonienses & eorum Archiepiscopum dissensio & bellū.

Brüel nuncupato per quatuor menses continuâ obsidione vallantes, ad pacis & subjectionis Ludovici Regis postulationem compulerunt. Quæ res Friderico nunciata mentem ejus haud parum deterruit, & in ultimam penè desperationem duxit.

Austriæ Duces Fridericus & Lupoldus devastant Bavariam.

Eodem quoque anno Fridericus & Lupoldus in odium Ludovici Regis iterum cœperunt hostili incursu devastare Bavariam, quod cùm innotuisset Ludovico, contractis copijs ascendit illis obviàm, à cujus adventu fugientes in Austriam confusi, nec sine detrimento redierunt. Crescebat enim quotidie Ludovicus, & contra Fridericum prævaluit, quem deserentes multi ipsi Ludovico adhæserunt.

Rudolphus Palatinus Comes Bavaríæque Dux frater Regis.

Rudolphus autem frater Regis Ludovici, qui non solùm partes sequebatur Ducis Friderici, ut supra dictum est, sed etiam in fratris conspiraverat mortem, fugatus de Heidelberg ad Australes declinaverat miser sibi fautores, ubi in annum jam tertium exulavit. Qui cùm anno memorato fratris in Bavariam cognovisset aduentum, ejus timens insidias propter viciniam locorum inde rursus abijt, & navigio per mare Saxonicum in Angliam pauper descendit. Mortuo tandem in exilio Rudolpho, uxor ejus cum parvulis suis ad Regem Ludovicum tunc apud Heidelberg commorantem redijt, misericordiam filijs petijt, & gratiam impetravit. Rex etenim Ludovicus quoniam adhuc parvuli erant nepotes, eorum se gessit tutorem, & patris delictum in filios non retorsit.

Rudolphi Uxor post mariti obitum ad patriam revertitur.

MCCCXIX.

Anno Sigismundi Abbatis Hirsaugiani secundo, mortuus est Henricus filius Comitis Silvestris ex Dona Wormatiensis Episcopus in majori Ecclesia sepultus. Vacavit Sedes Pontificatûs duobus mensibus & octo diebus, quibus evolutis in Episcopum fuit electus Cuno de Schönek filius fratris Emerici quondam ejusdem Ecclesiæ Pontificis, & præfuit annis decem in adversitatibus multis tam cum civibus suis in dissensione malè faventibus Ecclesiæ contendendo jugiter: quam propter eam, quæ inter Ludovicum & Fridericum tunc erat, controversiam.

Cuno de Schönek fit Episcopus Wormatiensis.

Anno prænotato in mense Julio mortuus est sine liberis Wolmarus, quem nonnulli Woldemarum nuncupabant, Marchio Brandenburgensis, cujus Principatus ad Regnum sine medio devolutus Germanorum, sine Principe rectore aliquandiu vacabat. Ludovicus igitur Rex de consensu procerum regni, filium suum primogenitum nomine Ludovicum Brandenburgij Marchionem instituit, ac Principem regni Germanici Electorem fecit. His quoque temporibus cives Moguntini, Argentinenses, Spirenses & Wormatienses cum cæteris oppidanis regni cis-Rhenanis, qui mercaturis erant ut plurimum intenti, de consensu regis Ludovici mutuam inter se fœderis & pacis constituêre societatem, pro tutandis vijs & itineribus publicis contra multitudinem latronum, qui propter discordiam regni abundabant ubique in nemoribus latitantes, in tantum, quòd nullus poterat securè transire viator. Quicúnque manus eorum incidisset sive Clericus, sive Monachus, sive Laicus, & rebus suis spoliabatur cunctis: & plerúmque etiam mactabatur verberibus: nulli parcebatur sexui: nulli deferebatur honori: nec ætas considerabatur, nec dignitas. Cives igitur prænominati conductis militibus stipendiarijs, omnes viarum introitus simul & exitus diligentissimè fecerunt observari: & brevi tempore

Wolmarus Marchio Brandenburgensis moritur.

Confœderatio civitatum Regni contra latrones raptoréſq;.

pore stratas regni à Moguntia usque Argentinam circumquáque fecêre tutiores. In ea civium solicitudine latrones multi successivè per memoratos stipendiarios fuerunt comprehensi, & ultimo supplicio regis Ludovici mandato generali capitis detruncatione puniti. Inter quos plures ex eorum genere, qui se nobiles & ingenuos esse parentelâ gloriabantur antiquâ, deprehensi, nec pretio nec precibus quorumcúnque redimi poterant: sed meritas dare pœnas mortis sine differentia personarum cogebantur. Hinc metu necis perculsi cæteri, à similibus temperabant. Rex námque Ludovicus in latrones erat severus, neminíque ducebat parcendum, qui vel occidisset hominem innoxium, vel quempiam suis spoliâsset rebus viatorem, ac per hoc omnium regni civium animos in suum provocavit amorem; qui ad ejus obsequium non rei familiaris substantiam modò, sed & semetipsos libenter exponebant.

Rapttores & latrones sine delectu personarũ necantur.

MCCCXX.

Anno Sigismundi Abbatis tertio, quarto die mensis Junij obijt Petrus de Achspalt ex medico quondam Comitis de Luzelburgo Moguntinensium Archiepiscopus, vir sempiternâ memoriâ dignus, quippe qui Ecclesiæ suæ laudabiliter præfuit, & in utróque statu magnificè dilatavit, duas Synodos magnas personaliter præsidens in Aschaffenburgo celebrans tenuit, in quibus ad reformationem Cleri simul ac populi Christiani multa satis fructuosè & utiliter ordinavit. Multa etiam pro Germaniæ regno simul & regum honore peregit ardua, & in cunctis operibus suis ita se gessit Principem, ut officium tamen Pontificis nunquam negligeret, talisque fuit præsul, qui publica regni negotia diligentissimè curaret. Cœnobium quoque Monachorum Carthusiensium prope Moguntiam in honorem S. Archangeli Michaëlis fundavit, & proventibus necessarijs copiosè dotavit, quemadmodum anno Henrici Abbatis nono supra jam diximus. Collegium quoque Canonicorum cum insigni Ecclesia sub honore S. Catharinæ Virg. & Mart. in Oppenheim regali oppido simili in Deum pietate fundavit.

Petrus Archiepisc. Moguntinus moritur vir optimus.

Post cujus mortem fratres de Domo, quibus jus competebat eligendi Pontificem, Baldevvinum Trevirorum Archiepiscopum in Ecclesiæ Moguntinæ antistitem postulârunt. Joannes autem Papa XXII. eorum postulationibus consentire noluit, sed Baldevvinum in sua Ecclesia manere Trevirensi, decreto Apostolico præcepit. Verùm ne Moguntina Ecclesia viduitatis suæ diutius deploraret incommoda, memoratus Pontifex Rom. de consilio Cardinalium Matthiam de Busseck Monachum Ord. S. Benedicti cum litteris Apostolicis destinavit ad Moguntiam, præcipiens tam Clero quàm populo, quatenus illum in Archiepiscopum susciperent. Denique Baldevvino Trevirorum Præsuli per Apostolica scripta mandavit, ut Matthiam ad Ecclesiam Moguntinam introduceret, solemnitérque in Archiepiscopum consecraret. Ordinatus autem per Baldevvinum in Archiepiscopum Moguntiæ, sicut Papa mandaverat, præfuit annis octo, & populum suum in bona pace omni tempore gubernavit.

Matthias Monachus nostri Ord. fit Archiepiscopus Ecclesiæ Moguntinæ.

Eodem mox anno præfatus Matthias Archiepiscopus Moguntinus contractis copijs & auxilium ferente prædicto Archiepiscopo Baldevvino quoddam Wetteraviæ oppidum Giessen nuncupatum obsidióne vallavit, expugnavítque tandem & cepit; erat enim in eo diverticulum latronum,

Giessen oppidum Wetteraviæ capitur.

rum, qui multa in circuitu mortalibus damna intulerant, nec obedire constitutionibus regijs de pace factis curabat.

Anno quoque prænotato Henricus Colonienſium Archiepiſcopus iterum Ludovici partibus infeſtus atque contrarius fœdera rupit, & pacem regni communem temerè violavit. Contra quem cives Ludovico Rege mandante, denuo cum exercitu procedentes quoddam illius caſtrum Urechem nuncupatum, in quo latronibus conſueverat præbere latibulum, obſidentes ceperunt funditúſque deſtruxerunt.

Hæreſis Fratricellorum iterum pullulat in Italia ut prius.

His etiam temporibus pernicioſiſſima illa Hæreſis Fratricellorum nuncupata, quam Bonifacius olim Papa VIII. damnaverat, rurſus nimium & uſque adeò pullulare cæpit, ut etiam ex Clericis & viris doctis haud paucos infeciſſe diceretur. Sed ego fidem illis, qui ſcribunt viros quoſdam Religioſos ſive doctiſſimos in fœtorem hujus hæreſeos prolapſos, adhibere nequeo, tum propter ſpurciſſimam ejus ſectæ turpitudinem, quam neminem eruditorum hominum æquanimiter poſſe audire crediderim, & multo minus profiteri vel agere; tum verò quòd ſuſpicio hæc de quibuſdam Religioſis magis invidioſa eſſe videatur quàm vera; non enim me latet diſcordiarum fomes, qui inter Johannem Papam XXII. & quoſdam ex Ordine minorum FF. multis non ſine ſcandalo, ne dicam, injuriâ plurimorum, malè occaſionem præbuit ſuſpicandi. Nam præter articulos memoratæ hæreſis, quos anno Henrici Abbatis XVI. breviter conſignavimus, in eam quæ ſequitur crudelitatem Religioſorum vel doctorum neminem unquam conſentire potuiſſe confidimus. Nam præter ſtupra, fornicationes, & adulteria, quibus prænominati ſeſe contaminabant hæretici, cum matre, ſorore, filia & indifferenter paſſim cum omnibus luxuriam exercentes hoc etiam non ultimum ſuis adijciebant ſceleribus, quòd in Religione clauſtrali aliquando inſtitutus aut divinarum ſcripturarum vel mediocriter doctus, ut puto, nullus admitteret: qualenam illud ſcelus, quámque horrendum piaculum, ſummum decerni Sacerdotium illi, cujus in manibus anni principio natus ex tam fœdo commercio primus infans per omnium tractus & retractus brachia mortuus extitiſſet? Reliquos verò natos vel qualibet tempeſtate infantes neque vivere permitti, neque, quod peſſimum eſt, in ſanctæ Trinitatis nomine baptizari, ſed necatos crudeliter potius manibus impiorum rogo comburi, & eorum pulvere poculo commixto ejuſdem ſectæ novitios quoslibet initiari? Quis Religioſorum ſive doctorum virorum quempiam his tam horrendis actionibus vel conſentire crederet?

Natos ſuos in ſpeluncis crudeliter necabant.

MCCCXXI.

Duces Auſtriæ rurſus vaſtant Bavariam.

Anno Sigiſmundi Abbatis quarto, Fridericus & Lupoldus Duces Auſtriæ congregato magno ſuorum exercitu rurſus cœperunt devaſtare Bavariam, quam ferro & igne crudeliter nimium deſtruxerunt. Ludovicus autem Rex ſe in munitione continebat recluſum, nec egredi quoquam in occurſum adverſariorum præſumebat, propterea quòd ſuum in promptu non habebat exercitum. Auſtrales autem per totam regionem hoſtili furore diſcurrentes omnia depopulati ſunt, & in villis præter munitiones nihil integrum reliquerunt; nam illo in tempore per continuos x. annos magna Bavariam calamitas oppreſſerat propter eam, quæ fuit inter Ludovicum & Fridericum pro regno, contentionem. Unde

cùm

cùm pluries in Bavariam Australes sibi conterminam fecissent incursum, nihil in agris & villulis tutum esse potuit, quin eorum esset depopulationi expositum, sed quidquid salvum pauperes habere voluissent, necessarium fuerat urbibus castellis seu oppidis munitissimis conservandũ importari.

In oppido Bingen exorta civiũ gravissima seditio.

Anno prænotato Sigismundi Abbatis IV. magna inter cives oppidi Bingionum cis-Rhenanos levissima ex occasione suborta fuit seditio, quæ multis & exilij, & miseriæ causa extitit. Macellarius quidam nomine Henricus concivis sui canem juxta macellum liberiùs esculenta quærentem posteaquam semel ac iterum probris & maledictis abegisset, sempérque revertentem tandem fuste percussit. Quod ubi Domino canis innotuisset, qui nauta fuit, homo ferox & impatientiâ plenus, Macellarium percussurus aggreditur, à quo superatus in eodem loco mox peremptus est. Homicida in carcerem ponitur, seditio in oppido nimis pernicioſa suscitatur, concurrentibúsque cœteris in unum Macellarijs & amicis captivi, carcer per violentiam frangitur, captivus liberatur. Concursus in oppido fit confusæ multitudinis: Consulatus quâsi qui Macellario fecisset injuriam, cùm aliter vitam non potuerit defendere suam, nisi occideret nautam, ad pœnam quæritur, & domus eorum publicantur. Unde senatus furentem populum metuens in prætorium se recipit, & januas claudit.

Quatuor è senatu Bingonum præcipitantur à populo ibidẽ.

Concurrens autem sævientium turba januas prætorij violenter securibus aperit, quatuor è senatoribus potiores viros ætate venerandâ per fenestras super pavimentum stratæ præcipites dedit, reliquos de oppido cum ignominia ejecit. In eo tumultu civium XXIV. perierunt, vulnerati sunt multi, & plurimi senatoribus consentientes de oppido expulsi. Facta sunt hæc anno prænotato in festivitate S. Confessoris Alexij, hoc est, XVII. die Julij. Eo tempore dum hæc agerentur apud Bingiones, Rex Ludovicus erat in Bavaria, qui posteà reversus ad Moguntiam, judicium ratione facti furoris proposuit, & tam oppidanos Bingionum potiores, quàm expulsum senatum ad se Moguntiam citavit. Sed principes factionum ad conspectum Regis venire timentes (quippe qui reos se noverant) auxilio suorum emissi noctu fugam inierunt. Verùm Rex non ignarus futuri, viros nocte misit complures armatos, qui viarum exitus omnes haberent in oculis, ne fugitivis ulla permitteretur abeundi facultas. Exeuntes igitur noctu de oppido, manus custodum non potuerunt evadere, sed capti penè omnes ad Moguntiam ducti sunt, & mortis tristem sententiam acceperunt. Plures sententiâ Regis & Principum extra regnum proscripti gravius morte vindictæ genus perpetuum subierunt exilium. Res planè miseranda, propter unum vilissimum nautæ canem plures quàm 140. homines aut mori crudeliter, aut in exilium perpetuò relegari.

Ludovicus Rex venit ad Moguntiam.

Principes Bingianæ seditionis puniuntur à Rege.

Eodem quoque anno, factum est miraculum, quod sumus dicturi. Homo fuit in oppido Bruchsall Spirensis Diœcesis nomine Godfridus, artificio tinctor, annorum 53. conversatione mundanus, verbis levis atque scurrilis, cujus gesticulationibus & rhythmis carnalibus homines in tabernis vini poculis ac ludis dediti quàm plurimum consueverant oblectari. Vanitatum hic cusor atque sectator nullam aut parvam habere salutis propriæ rationem videbatur. Contigit eum per Dei providentiam graviter infirmari, ita ut nulli circumstantium esset dubium, quin ægri-

In oppido Bruchsal homo de morte revixit mirabiliter.

tudine illâ brevi moreretur. Quod ille ut ex muſſitantium ſuſurris intellexit, ingemiſcens, & pectore tunſo pugno cum lacrymis & voce intelligibili cunctis audientibus dixit: *Væ mihi miſerrimo peccatori, qui tempus vitæ meæ totum in carnis jam morituræ voluptatibus turpiter expendens, nullam animæ meæ curam habui, ſed monita ſalutis omnia contempſi. Ecce nunc morior, & rapietur anima mea per dæmones ad æterna tormenta inferni, nunquam exitura inde uſque in ſempiternum.* Cúmque lacrymantem aſtantes conſolarentur, de magna Dei miſericordia, proteſtantes, non eſſe deſperandum, ille reſpondit: *De miſericordia Dei non deſpero, ſed indignum me Dei miſeratione pertimeſco. Veruntamen, oro, vocetur Sacerdos, ſecum afferat Dominici Sacramentum Corporis, audiat ſeriò pœnitentis ſcelera, divina communicet nimis indigno Sacramenta, ſi forte miſericordiam precanti Dei præſtet clementia, ut qui meritis meis inferno ſum proximus, per ignem purgatorij ſim ſalvus.* Sacerdos mox adfuit vocatus, confitentem audivit, pœnitentem adjuvit, moriturum Sacramentis Dominicis cum devotione maxima communicavit, deinde coram ipſo Sacerdote ſimul ac aſtantibus dixit: *Omnipotens Deus qui non vis mortem peccatorum, nec lætaris in perditione morientium, ſed miſericorditer pœnitentiam exſpectas animo contritorum; ſi miſertus mei tempus prorogaveris vivendi, talem agere pœnitentiam curabo, ut fruſtrà gratiam non præſtiteris peccatori.* His dictis ſiluit, & ingraveſcente morbo, poſt unius horæ ſpatium ut videbatur cunctis, qui aſtabant, ſpiritum emittens mortuus fuit. Erat autem hora ferme ſeptima poſt meridiem, dies menſis Maij quinta atque viceſima, & imminente jam nocte ſepulturam ejus, qui aderant, in craſtinum differre neceſſariò judicabant. Corpus ad feretrum in medio tabernaculi ponitur: vicini & proximi per totam noctem, ut fieri ſolet, juxta cadaver vigilantes, uxorem defuncti conſolabantur: ſermo inter eos de ſalute animæ illius varius in medium ducitur.

Infirmus pollicetur emendationem ſi Deus conceſſerit vitam.

Confeſſionem facit infirmus & veniam precatur.

Horâ poſt medium noctis ferme ſecundâ, dormientibus cunctis vivens ſurrexit, qui mortuus fuerat, qui complosis manibus, ſonorâ voce clamabat: *O DEUS quàm juſta & occulta ſunt judicia tua, benedictum ſit nomen tuum, qui miſericordiam tuam non ſubtrahis pœnitentiam agere cupientibus.* His dictis omnes, qui erant in domo, præ nimio terrore fugerunt, aliqui per feneſtram, aliqui per jànuam, unuſquiſque ut potuit: Godfridus autem aliunde mentem habens intentam, & quid agerent illi, parum attendens, ſanus & incolumis ſurrexit, & in vicinum hortulum ſecedens per noctis reliquum in orationibus perduravit.

Mortuus ſurgit & orat, viventes in fugã convertit.

Poſterâ die multitudo populi convenit, & novitate miraculi omnes perculſi, videre illum & alloqui ſummo deſiderio cupiebant. Ille autem in loco ſuo genibus flexis permanebat, orationibus, ut videbatur, intentus, neminem aſpiciens, ſed immobilis omnino perſeverans. Tandem adveniens Sacerdos, qui confeſſionem ejus audierat, interrogavit eum dicens: *Godfride quomodo habes, quid eſt, quid tecum agitur?* At ille digito ſignum crucis ori ſuo imprimens nihil aliud dicebat, niſi voce maternâ: O wehe/ o wehe/ eámque dolentis interjectionem ſæpè ingeminans ſurrexit, & intravit Eccleſiam. Quem Presbyter cum populi multitudine ſecutus, ut rei videret exitum, juxta majus altare ſtupidus reſidebat. Nam Godfridus mox ut intraverat Eccleſiam, ante ipſum altare ſe pronum dejecit in terram, expanſiſque in modum crucis manibus, per duas ferme horas

In Eccleſiã perrexit, populúmq; abire præcepit.

horas ita permansit. Deinde surgens à terra Sacerdotem interrogavit dicens: *Domine quid sibi vult populus iste?* Cui Sacerdos: *Audire cupiunt abs te, an fueris mortuus, ubi fueris, quid videris, & quæ tecum sint acta, vel quomodo revixeris?* Cui Godfridus: *Est tempus tacendi, & est tempus loquendi: vadant in domos suas, quoniam hodie nihil ex me audituri sunt; maturiore consilio opus est.* His dictis iterum projecit se in terram. Igitur Sacerdotum imperio populus exiens de templo in sua perrexit.

Remanserunt in Ecclesia cum tribus presbyteris cives de potioribus quatuor disponentes in animo secretius interrogare Godfridum, de his quæ illi acciderant. Posteà igitur quàm populi multitudo exierat, surrexit de pavimento Godfridus, & mandante per obedientiam presbytero ut loqueretur ita exorsus est.

Retulit visionem suam per obedientiam compulsus presbyteris.

O boni viri Domini mei, si fieri posset, quòd mihi darentur ora centum & linguæ totidem, millesimam partem eorum quæ vidi apud inferos, & audivi, non possem effari, deficiunt mihi verba, & præ horroris magnitudine, quid vel quomodo loquar nescio. Mortuus fui, & pro pœnitentia Dei miseratione ad corpus redire permissus; quod quomodo sit actum, quâ possum brevitate dicam. Posteaquam anima mea cum incredibili pressura & dolore cordis mei de corpore fuit egressa, mox divino judicio, nescio quo modo, aut quibus deducentibus, extitit præsentata tam tristis, & tanto mœrore dejectionis repleta, ut illam tristitiæ magnitudinem totus mundus capere vel intelligere non posit: omnia peccata mea etiam minutissimarum cogitationum, non solum mihi cunctis etiam præsentibus, quorum infinitus erat numerus, adeò manifesta fuerunt & patula, ut loqui & semetipsa quasi tumultariè in medium efferre viderentur. Bone Deus quanta confusio me tunc operuit? quanta tristitia & mœroris immensi calamitas miserum me circumdedit? nec dicere possum, nec sine immenso cordis mei horrore ullatenus cogitare. Quæ mihi dicta fuerunt tam à Judice, quàm à circumstantibus Angelis simul & dæmonibus, quoniam penitus ineffabilia sunt, nullâ possum verborum proprietate cuiquam facere manifesta. Divinâ mox dictante justitiâ in momento citius ad loca pœnarum fui perductus, tam inferni, quàm purgatorij, ubi tot animas in diversis locis ac varijs modis vidi torqueri, ut tantum in mundo numerum hominum neque hactenus extitisse putâssem, neque ullo unquam tempore futurum. Mira res, & quam ego ipse satis admirari non sufficio. Cùm nullus esset numerus, quorum multitudo ut mihi videbatur, omnem numerum procul excessit, ego tamen nullo revelante, omnium nationes, sectas, merita, & nomina simul & personas tam propriè novi & intellexi, ac si per omnem vitam meam cum singulis singulariter in hac mortalitate fuissem conversatus vel nutritus.

Anima dictante Dei justitiâ ad loca pœnarum ducitur.

Multorum animas in inferno vidi torqueri, de quorum salvatione in hac vita mortalium nullus dubitâsset, propter eam vitæ institutionem apparenter isthic bonam, cujus occultas in secreto defectiones solus Deus cognovit. Rursus in purgatorio vidi plures reservari ad salutem, quos propter eorum in aperto vitæ mores, temeraria mortalium judicia pœnis inferni deputandos existimâssent. Et cognovi, magnum esse peccatum, de mortuis in fide Christi quippiam temerè judicare; quoniam homo videt in facie, Deus autem in corde, cujus judicia cùm sint abyssus multa, minimè veniunt per hominem temeranda. Dispositio autem, qualitas, & modus pœnarum purgatorij & inferni, multo sunt aliter, quàm à nostris prædicatoribus æstimantur, qui non satis congruè spiritalia supra sensum nostrum omnem existentia, corporalium & visibilium comparatione discutiunt; nam ego, qui

Cæca sunt & frivola de mortuis humana judicia.

Quis animarum sit status homo mortalis non intelligit.

qui carne solutus secundum animam intellectualem pœnas ipsas vidi, & expertus sum, plenóque comprehendi spiritu, & intellectu cognitionis, ut mihi clarissimè tunc visum est, nunc ad corporis sensibilia revocatus nihil vobis propriè de ipsis, sicuti sunt & quales sunt, veraciter in semetipsis aut dicere possum, aut ullâ penitus ratione similitudinis persuadere, ut plenam & propriam earum existentiam capiatis. Quidquid enim dixero minus est, & aliter est, & ad futurarum rerum proprietatem, de quibus mihi sermo est, minimè accedit. Alia sunt illa, majora sunt, & multum aliter se habent, quàm ut intelligi queant ab homine, vel effari; quæ homo intelligit, ministerio sensuum necessariò sunt subjecta, qualia verò illa sunt, quæ sunt, & quemadmodum sunt, procul manent à sensibus remota. Somnium est, quidquid vulgus opinatur de futuris, quoniam pauciſsimi sunt in hac mortalitate viventes, quibus Dei spiritus illuminaverit interiores oculos mentis, ut vel parum capere queant, quomodo sit anima soluta carne dispositа. Per nota verba loqui de rebus incognitis, quàm sit æstimatio procul à proprietate rerum essentiæ remota, omnibus vobis credo constare manifestum.

Præsentis ad futurum nulla est comparatio.

Pauciſsimi mortalium futuræ vitæ qualitatem capiunt.

Interrumpens verba loquentis Sacerdos, interrogavit eum dicens: *Ex quo tam remoti & alieni sumus à cognitione status animarum separatarum, & vitæ futuræ, nihilque aut parum de illarum rerum proprietate intelligimus, cupio scire abs te, utrum rei veritas majora in se vel minora contineat, quàm nos communiter secundum doctorum nostrorum opinionem credimus & docemus?* Ad hæc Godfridus respondit: *Credite mihi Domine, quoniam veritatem loquar expertus, meliora sunt bona, quæ bonis promittuntur in cœlis, & graviora mala, quæ malis præparantur in tormentis incomparabiliter amplius, quàm aliquis in mundo capere, intelligere, vel credere possit, & omnia quæ prædicatis in Ecclesia de gaudijs regni cœlorum, vel etiam de pœnis inferni, comparata veritati, puerilia sunt, & ludo puerorum similia: quod ignis in pariete depictus esse ad verum ignem cernitur, tale est, imò minus, quod æstimatio humana de bonorum in cœlo beatitudine, & malorum in tormentis afflictione cogitare potest, si veritati comparetur. Nonne & scriptura hæc tanta expressit, oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus his, qui diligunt illum.* Præcepit deinde Presbyter, ut historiam continuaret inchoatam.

Omnia quæ nos de futuro statu opinamur, aliter se habent.

Nisi me compelleret obediendi necessitas, simul & divini metus judicij, perpetuo sepelirem silentio reliqua mihi divinitus ostensa. In tormentis vidi apud inferos tantam multitudinem Christianorum, non solum Laicorum, sed etiam Sacerdotum, Monachorum, Monialium, Virginum, Viduarum, mulierum, quarum tunc omnium personas, nomina, conditiones, status & merita novi, inter quos ex cognatis & concivibus nostris plures denotavi, unde mihi flendum potius fuerit, quàm loquendum. Horum omnium pœnæ, sed & dispositiones tormentorum secundum differentiam meritorum multum erant dissimiles: sed tamen perturbata conscientiæ reatu, & obstinatione in malitia voluntaria cuncti fuerunt æquales.

Damnatorum in profundis inferni multitudo maxima.

O miseria omnium miseriarum longè miserrima? quàm horrenda & ineffabiliter metuenda sunt infelicitatis perpetuæ cruciamenta! omnia hujus mundi tormenta, quæ sunt, & quæ fuerunt, & quæ vel æstimari vel excogitari possunt, si reducerentur in unam pœnam quomodocunque summariam, minimo inferni cruciatui nullâ possent similitudine comparari; manet enim sine fine perturbata in perpetuum anima inferni tormentis ignium deputata, semper ineffabili quodam furore agitata, semper in semetipsa terribili mœrore desolata, semper tristissima,

Nullus mortalium damnatorum capere incomoda potest.

semper

semper dæmonibus inquietissimis socia, sine spe, sine consolatione, sine ulla requie in æternum mœstissima. O miseria super omnia miserrima! Varia sunt loca purgatorij, & purgandorum pœnæ multum diversæ, de quibus alij citius & tardius liberantur secundum duritiam peractæ in vita pœnitentiæ ac sceleris commissi qualitatem. Innumeram ibi multitudinem affligi & purgari animarum conspexi: quarum nonnullas per multa sæcula ibi extitisse cognovi. Quotidie liberantur purgatæ, & quotidie adveniunt aliæ purgandæ, liberationis suæ spem certam in purgatorio habent omnes, quamvis terminum pœnarum omnes non æquè intelligant. O gravis animarum purgandarum afflictio, & omne tempus quantumlibet breve longissimum! in quo & pro demeritis anima ipsa propriis incendio ignis uritur, & pro dilatione fruitionis summi & incommutabilis boni ex desiderio cruciatur. Multum prosunt defunctis in charitate Dei facta suffragia: maximè de juste acquisitis bonis Eleemosynæ, & pura in Christi amore jejunia. Super omnia tamen purgandis animabus ad liberationem immolatio Dominici Corporis & Sanguinis per Sacerdotem in altari facta proficit, & longam pœnam frequentius iterata brevi compendio absolvit. Ut autem noveritis, quid animabus defunctorum amplius ad melioris statûs sui proficiat, factum dico arcanum, quod in visione aspexi spiritualis intellegentiæ mirabili. In ipso quidem momento terribilis præsentationis meæ ad Dei judicium, tanta multitudo animarum de mundo expulsa per mortem carnis advolavit sententialiter judicanda, ut uno eodémque momento cuncti totius orbis homines mortem subivisse à nescientibus æstimari potuissent: qui omnes præter duodecim tristem æternæ damnationis accepêre sententiam. Inter illos duodecim duo duntaxat sinè dilatione purgatorij cœlestes mansiones acceperunt, quorum alter in hac mortalitate Monachus fuit continentissimæ vitæ de Regula S. Francisci: alter autem leprosus quidam pauper mendicus, sed in amore Dei ferventissimus. Reliqui autem decem ad purgatorium pro suis negligentijs deputati fuerunt, inter quos erat unus in hac vita quondam Carpentarius, qui pro suis demeritis centum annorum fuerat puniendus purgatione. Et ecce presbyter quidam claustralis in civitate Moguntina, ubi ille vitam morte commutaverat, mox ut illum defunctum audivit, de superioris sui licentia non ex debito, neque ex necessitate, neque pro re aliqua temporali; sed compassione & intuitu fraternæ charitatis Vigilias pro eo mortuorum, & missam piâ devotione legit. Mira Dei Clementia! confestim anima de purgatorio eripitur, & lumine cœlestis gloriæ decoratur. Et respondens Godfrido Sacerdos dixit: *Quâ die & quâ horâ Carpentarius ille obierat?* Cui ille: *Heri*, inquit, *mane circa quartam.* Diem notavit Sacerdos & horam; & in ea Carpentarium defunctum postea inquisitione factâ reperit: pro cujus anima missam se celebrâsse etiam Monachus dixit. Interrogante consequenter Sacerdote, utrum gaudijs interfuerit Sanctorum, ille respondit: *Domine multa vidi; sed omnia sunt mihi ineffabilia: quoniam sicuti non vidi ea carnalibus oculis, sed mirabili & incomprehensibili cognitionis modo internæ, ideò nequeo convenientibus illa explicare sermonibus.* Et narrationem continuans plura dixit de gaudijs beatorum, & non pauca de tormentis impiorum, quæ nos prolixitatem timentes lectoribus onerosam, consultò prætervimus. Interrogatus iterum à Sacerdote, si defunctorum animæ apud inferos vel etiam in purgatorio eo punirentur modo, ut nonnulli passi similia referunt, quemadmodum Tandalus, & plerique alij, qui alias equuleo suspensas, alias super incudes malleo contritas, alias lanceis ac palis humo infixas,

Variæ sunt in purgatorio animarum pœnæ & latibula.

Missarum celebratio multum animabus prodest purgandis.

Res metuenda.

Multi sunt vocati pauci verò electi.

Aliter sunt pœnæ animarum quàm nos opinamur.

infixas, alias autem super elixatoria positas, atque aliàs diversis modis humano more punitas, laceratas, & extenuatas se vidisse constanter dixerunt. Ad hæc respondit Godfridus: *Bone Domine, vos novistis me hominem rudem & indoctum, & à juventute mea nihil spiritualis intelligentiæ consecutum. Unde suspicari non poteritis, neque debebitis, quasi ex me sint, quæ dico vobis de futuris rebus occultis, & verè arcanis. Deus qui solâ misericordiâ suâ mihi videre dedit, quæ nesciebam, simul etiam contulit intelligentiam. Modum tamen visionis & intelligentiæ spiritualis, nec ipse jam capio, nec vobis dicere possum. Simile contigisse Tandalo & cæteris, qui visiones suas reversi post excessum ad corpus aut litteris commendárunt, aut alijs comendandas retulerunt, nulli sit dubium, quoniam sicut prius est dictum, loqui per verba nota sensibus de futuræ rebus vitæ cognitis procul à veritate sit oratio remota; nam & ego vobis loquor de horribili Dei judicio per similitudines, ut possum, ministerio sensuum notas & verba consueta: cùm tamen nihil eorum viderem oculis istis carnalibus, nec vocem, aut clamorem, vel tumultum auribus ibi audierim aliquem carnis: sed remotis sensibus omnia sine voce, sine strepitu, & sine aliqua similitudine in momento spiritualiter & vidi, & audivi: & si vultis dicam melius quo possum: quia neque vidi, neque audivi, sed intellexi. Spiritualia spiritualibus comparanda sunt, & carnalia carnalibus. Nihil est ibi carnale, nihil imaginarium, nihil sensui humano cognoscibile vel subjectum.* Cúmque Sacerdos eum de multis vellet interrogare, respondit: *Domine jam officium meum loquendi implevi: parcite & mihi & vobis: quoniam hâc vice nec vobis, nec alicui alteri de ista materia dicturus sum; vos autem populum Dei vobis commissum ad pœnitentiam, quantum potestis, inducite, & quod utile fore creditis horum, quæ audivistis ex me, cum sobrietate prædicate. Non enim omnibus omnia sunt dicenda.*

Anima revocata ad corpus quæ viderit, non potest exprimere.

Sine voce sine strepitu aliquo sunt animarum judicia.

Ad omnia respondere Godfridus Sacerdoti non voluit.

Ex eo tempore Godfridus ille in tanta vitæ austeritate supervixit annis ferme duodecim, ut nemo dubitare potuerit, illum vidisse majora quàm dixerat, & expertum malorum, quæ impijs reposita fore prædicabat. Nemo illum posteà unquam vidit ridentem, nemo lætum, nemo jucundum, nemo dormientem, nemo otiosum: verbum de ore illius nullum inutile vel otiosum processit unquam: nec aliquis illum audivit quippiam loqui mundanum, scurrile, carnale vel impertinens ad rationem. Iratum nemo vidit, neque impatientem aut de aliquo homine murmurantem, vel malè loquentem, cùm tamen sæpe injuriatus fuerit à multis. Nudis hyeme simul & æstate pedibus incessit: unicâ veste griseâ semper indutus, nec barbam rasit unquam, nec balneum intravit, imò nec pedibus aquam indulsit. Præter Dominicam quotidie jejunavit: & nec piscem manducavit, nec carnem: & vinum extra calicem sacræ communionis deinceps nunquam potavit, neminem offendit, neminem læsit, neminem contristavit: injuriatus aut derisus, illusus vel contemptus semper tacuit, & ad omnes contumelias semper patientissimus fuit, & nec vultum mutavit: laboribus manuum suarum uxorem nutrivit & filios: & nec ad momentum otio torpuit unquam. In orationibus fuit continuus, in vigilijs & jejunijs multus, & quasi assiduus: & verò dormivit ad horas noctis quatuor. Singulis diebus ante imaginem Salvatoris nostri crucifixi septies genua flexit, disciplinam ipse sibi dedit: Dominicam orationem septies dixit, septiésq; in modum crucis terram osculatus. Salvatoris passioni & morti cùm lacrymis humiliter gratias egit. Sæpè confite-

In magna pœnitentia vitam suâ complevit.

confitebatur peccata sua Sacerdoti, & divinis officijs quotidie à principio interfuit orans in pavimento usque ad finem. Diebus festis aut solus orabat clauso cubiculo: aut in proximum nemus secedens solus vacabat soli Deo. Super nudam terram dormiebat: saxo utens repleto straminibus pro pulvinari sub capite: & lectum ab illa die nunquam ascendit: neque uxoris commercium aliquod carnale deinceps usque ad mortem habuit. Cunctis vitæ suæ diebus pœnitentiam egit durissimam, & mortuus tandem non sine opinione sanctitatis, in Ecclesia Parochiali ante altare sancti Georgij sepultus est.

Non sine opinione sanctitatis mortuus in Parochiali Ecclesia sepelitur.

MCCCXXII.

Anno Sigismundi Abbatis V. Indictione Romanorum similiter quintâ, Joannes Papa secundus & vicesimus Fridericum Austriæ Ducem, qui se contra Ludovicum Regem erexerat Germanorum, adversum Lombardos & quosdam alios Ecclesiæ rebelles in auxilium evocavit: pollicitatione mercedis hâc promissâ, ut si contractis copijs in subsidium Ecclesiæ concurreret, mox ipsum sublimaret ad imperium, & fratrem ejus Henricum in Moguntinum promoveret Archiepiscopum.

Papa Ducē Austriæ contra Lō-bardos in Italiam vocat.

His Dux Fridericus pollicitationibus intellectis, contractis undique militibus exercitum trium millium quingentorum cruce signatorum, misit in Lombardiam: quibus Henricum fratrem suum Clericum præfecit Ducem. Audiens ista Maffeus Mediolanensium Vice-Comes, duodecim oratores misit ad Fridericum, qui animum ejus à proposito revocarent, propter manifestum imperij dispendium, quod tunc fuisset secutum, si Lombardia in Pontificis devenisset potestatem. Unde persuasus Dux Fridericus, fratrem cum exercitu revocat, qui Brixiâ movens Veronam redijt, inde salvus in Patriam reversus fuit, quæ res quantum Pontifici displicuit, tantum Romano Imperio necessaria extitit.

Anno Sigismundi Abbatis prænotato, hæreticus quidam Walterus nomine Fratricellorum Princeps & hæresiarcha pessimus, qui multis latuerat annis, & plures suis erroribus pessimis innodaverat simpliciores, apud Coloniam deprehensus est, & per sententiam justitiæ ignibus traditus atque consumptus. Vir diabolo plenus, & omnium versutissimus, in errore pertinacissimus, in responsione callidus, in doctrina perversus, qui nec promissis, nec minis, imò nec sævissimis potuit induci tormentis, ut errorum suorum complices, qui tamen erant plures, indicaret. Capita hæreseos Fratricellorum anno Godfridi Abbatis septimo scripsimus, quos occasione acceptâ etiam anno Henrici Abbatis secundi sexto decimo replicavimus. Lohareus autem iste Walterus natione Hollandinus latini sermonis parvam habebat notitiam, & quia Romano non potuit, sermone sibi Theutonico plures sui erroris libellos conscripsit, quos deceptis per se occultissimè communicavit: & cùm errores suos emendare & revocare contemneret, sed constantissimè, quin potius pertinacissimè dico, defenderet, in ignem projectus favillam sui reliquit.

Walterus hæreticus Fratricellus apud Coloniam comburitur.

Eodem anno Isabella uxor Eduardi Regis Anglorum, filia quondam Philippi regis IV. Gallorum, quem Templarios suâ petitione deleviſſe supra jam diximus, ipsum regem maritum suum conjecit in vincula, & cunctis vitæ suæ diebus tenuit captivum; ut in aperto dicebatur, quòd pravorum sequens consilium, magnam in regno feciſſet desolationem:

Rex Austriæ Eduardus à propria uxore detinetur.

quamvis causa veri alia fuit. Hinc autem mali processit origo, quòd Angli provocati ad Bellum à Scotis, elati superbiâ Scotiam temerè ingressi, eorum plures quàm viginti millia perierunt, Rege cum cæteris vix per fugam evadentibus. Post hæc Scoti Angliam ingressi, denuo regis copias superârunt, cujus indignatione facti mota Regina virum detinuit. *MCCCXXIII.*

Bellum inter Ludovicum & Fridericum propè Oetingen geritur.

Anno Sigismundi Abbatis sexto, Fridericus & Henricus Fratres uterini, Duces Austriæ, comparato iterum exercitu duorum millium & ducentorum equitum, peditum verò plusquam quatuor millium ex Austria, Ungaria, & gentilitate Rhutenorum, contra Ludovicum pugnaturi venerunt in Bavariam. Lupoldus autem Dux Frater eorum, Sueviam pro exercitu conducendo intraverat, ubi dum contrahendis copijs intentus moraretur diutius, Fridericus & Henricus fratres ejus morarum impatientes, bellum contra Ludovicum moverunt, (non expectato Lupoldo) in loco campestri latissimo Bavariæ inter Oetingen videlicet & Müldorff. Habebat autem Ludovicus in sua parte cum exercitu magno præsentes in auxilium, Baldevvinum Archiepiscopum Trevirorum, Matthiam Moguntinum, Joannem Bohemiæ Regem, Ludovicum filium suum Marchionem Brandenburgensem Burggravium de Nürenberg, Comitem de Oetingen, aliósque Comites, Barones & de militari ordine complures, quorum omnium summa expeditorum ad pugnam virorum æstimata fuit equitum mille quingentorum, peditum verò non minus quàm triginta millium.

Fridericus & Henricus Duces Austriæ à Ludovico capti fuerunt.

Congressione igitur factâ in loco memorato, ab ortu solis usque ad occasum diu ancipiti fuit marte pugnatum, multi ab utrâque parte ceciderunt vulnerati; postremò tamen victoria cessit Ludovico, Fridericus & Henricus Austriæ Duces cum multis proceribus capti sunt, exercitus eorum fusus, & quatuor equitum ac peditum millia ex eorum parte in die illa ceciderunt in ore gladij sævientis; quod minimè forsitan contigisset, si Lupoldum cum suis copijs expectâssent.

Rex autem Ludovicus obtentâ victoriâ gratias egit Deo, captivos inter socios fortunæ distribuens, Henricum Ducem Regi assignavit Bohemiæ pecuniâ taxandum, Fridericum verò suo reservans puniendum arbitrio, in castro Trinsnek haud procul à Nopurg in Bavaria per triennium custodiæ mancipavit.

Lupoldus audiens, quæ Fratribus accidissent contraria, dolens divertit in Austriam, & quidquid potuit in Ludovicum excogitare mali, summo elaborabat studio pro fratris efficere libertate. Verùm cùm nil proficeret, accepto consilio suorum in Galliam proficiscitur, & accedens Romanum Pontificem, qui tunc in Avenione residebat, per se & per Gallorum Regem ejus solicitabat animum, ut Ludovicum excommunicationis fulmine percuteret, quod post factum est.

Thomas de Aquino Ord. Prædicator. à Johanne Papa Canonizatur.

Eodem anno mense Julio Joannes Papa vicesimus secundus præmissâ inquisitione de vita, moribus & miraculis Thomæ de Aquino Fratris quondam Ordinis Prædicatorum, in Theologia doctissimi, qui obijt anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo quarto, ætatis suæ quinquagesimo inchoato, qui fuit annus Joannis Abbatis Hirsaugiani nonus, de consilio Fratrum suorum Cardinalium, in publico multorum consistorio

storio Avenione Sanctorum Confessorum Christi catalogo dignanter adscripsit, cujus festum septimâ die Martij celebrari permisit.

Anno ittem prænotato memoratus Pontifex in mense Octobri ad instantiam Lupoldi Ducis Austriæ, & Caroli Regis Gallorum, Ludovicum Bavarum Germaniæ Regem in Consistorio publico excommunicavit, & nisi personaliter compareat coram se Avenione infra trium mensium spatium ab insinuatione, noverit se omni jure ad imperium, & dignitate Regiâ deponendum, pro causa talia commemorans. Rex Ludovicus à Papa Joanne XXII. absens excommunicatur.

Principio contra Ludovicum Regem Joannes Papa istum articulum proponebat, quòd cùm nullus Romanorum debeat censeri vel dici Patritius Imperator, quam diu per Pontificem Romanum non fuerit confirmatus & coronatus, liquidò constat neminem se de administrando Romanorum Imperio debere aut posse intromittere, nisi prius Romani Pontificis obtinuisset consensum. Verùm cùm Ludovicus in dissensione ad Imperium non legitimè vocatus sine Pontificis consensu, & nomen & administrationem illius temerè usurpâsset, meritò ab omni jure, si quod ei competisset ad imperium simul & regnum, esset repellendus. Articulus Papæ contra Ludovicum Regē primus.

Ad hujus objectionem articuli Rex Ludovicus ita per Oratores duxit respondendum: *Ego*, inquit, *secundum antiquam consuetudinem Francorum Theutonum à majore & saniore parte principum Electorum, Rex Germaniæ apud Franckenfurt fui electus, & more veterum apud Aquasgrani unctus & coronatus, undè jure mihi competit disponere regnum, ad quod Romani Pontificis confirmatione nullâ penitus indigeo; nam regnum Germanorum neque Romani Pontificis est, neque Romanorum imperio subjectum, sed liberum usque in hunc diem à Faramundo primo in Germania instituto rege Francorum, qui una cum suis in regno successoribus, Italos, Gallos, Burgundiones, Alsatios, Rhenanos, Suevos, Bavaros, Bohemos, Australes, Thuringos, Saxones, Danos, Frisios, Batavos, Colonienses, Treverenses, Moguntinos, Brabantinos, Hollandinos, & totam ferme Europam Francis subjecit, permansit.* Confutatio hujus primæ objectionis per Oratores Regis.

Post annos verò plurimos Carolo Rege Francorum magno, atque Romanorum Imperatore Patritio vitâ defuncto, facta est inter filios ejus Regni Francorum divisio, in qua Ludovicus primogenitus Caroli Germaniæ Regnum cum imperio suscepit, Galliam verò cum Aquitania inter fratres suos reges distribuit. Mortuo autem Ludovico tres filij ejus Lotharius, Carolus & Ludovicus post prælia multa inter se habita, sic tandem diviserunt Regnum. Lotharius Romanum obtinuit Imperium, Carolus verò Galliam, Ludovicus Germaniam. Ex uno itaque Francorum regno facta sunt duo, alterum in Gallia, & alterum in Germania, & avitum nomen utrúmque per plures annos retinuit, ut illud Francorum occidentalium, istud verò regnum Orientalium Francorum diceretur, & alterum ab altero maneret perpetuò seperatum suis terminis contentum. Nihil ergo ad Romanum Pontificem, quisquis regnet apud Germanos, quibus Roma nec dedit regnum, nec jure aufferre potest, sed Regni Principes regem habent instituere. Verùm, quia in Carolo Rege Germanorum magno, nomen imperiale cum dignitate Patritia Romanorum Germanis Regibus auctoritate Apostolicâ dignoscitur perpetuâ collatione donatum, ideò coronam Imperij & nomen ab Ecclesia Romanâ non contemno suscipere, quàm primum oportunè Romam potero venire. Regnum Francorum bipartitum sub Lothario primo describitur. Regnum Germaniæ nec Papæ, nec Romanis est subjectum.

Quod verò mihi objicitur de Imperio, me non debuisse intromittere administrando sine Romani Pontificis consensu, responsione censeo penitus indignum,

attento, quòd Henricus primus, & multi postea Germanorum ante me Reges gubernârunt Imperium, quos tamen nullus Romanorum Pontificum coronavit. Sed hanc Ludovici excusationem de facili Papa confutavit.

Articulus Papæ contra Ludovicum secundus.

Secundus in Ludovicum Papæ articulus fuit, quòd fautor & defensor esset hæreticorum, quoniam Vice-Comites Mediolani, contra quos Papa crucem fecerat prædicari, consilio & auxilio in rebellionem Ecclesiæ defensabât, Michaëlem quoque de Cæsena Fratrum minorum septimum decimum Ministrum Generalem, quem Papa Joannes à suo magistratu propter inobedientiam & rebellionem suam deposuerat, simul & Wilhelmum de Ockam Anglicum, eorúmque sequaces à Pontifice excommunicatos, Rex Ludovicus ad se fugientes susceptt, & contra Papam temere defensavit. Auxit hæc Fratrum minorum defensio contra Ludovicum suspicionem hæreseos in eo maximè, quòd cum excommunicatis scienter & temere communicabat, dans eis contra unitatem Ecclesiæ favorem, consilium pariter & auxilium; nam Papa Joannes Maffeum & Galeatium Vice-Comites Mediolani propter invasionem terræ & civitatum Ecclesiæ ut rebelles judicans excommunicaverat, & crucem in eos fecerat prædicari, quibus Rex Ludovicus copias misit contra Papam, Ecclesiam Romanam, & cruce signatos, suâ interesse haud parum existimans, si camera Imperij Mediolanum per Papæ fuisset exercitum aut capta aut destructa. Commonitus igitur Ludovicus à Papa cùm in pertinacia sua persisteret, de consilio & assensu omnium Cardinalium in Avenione tunc præsentium fuit excommunicatus. Causa verò dissensionis inter Papam & Michaëlem Ordinis minorum Generalem ministrum ista fuit. Damnaverat Pontifex, ut paulo ante diximus, hæresin Fratricellorum, quæ fuit Pauperum de Lugduno, in qua unus notabatur articulus: *Quòd Christus cum suis Apostolis extremâ paupertate vivens, nihil omnino substantiæ mundanæ habuerit proprium, vel commune, mobile, vel immobile, in privato vel genere.* Hunc articulum Pontifex Evangelio manifestè contrarium de consilio complurium in scripturis divinis & Ecclesiastico jure doctissimorum virorum ut falsum & erroneum & hæreticum damnaverat.

Michaël Cæsenas cum sibi adhærentibus damnatur à Papa.

Erant autem in ordine Fratrum minorum viri quidam doctissimi, quos paupertatis amor vehemens possederat, inter quos Michael Cæsenas minister Generalis & Wilhelmus de Okam reperiuntur adscripti, dogmatizantes publicè, Christum nihil penitus in hoc mundo possedisse cum discipulis suis, neque in privato, neque communi, cùm tamen Evangelium manifestè dicat contrarium; ubi Domino ad puteum cum Samaritana loquente, discipuli escas empturi proximam in urbem secesserant: qui emere unde potuissent, si pecunias non habuissent? & Judas loculos habebat, S. Aug. testante, portans ea, quæ mittebantur. Papa igitur omnes cum illis sentientes ut hæreticos excommunicavit: à Generalatu Michaelem deposuit, & ad Ludovicum fugere compulit in Bavariam: Wilhelmus autem de Okam vir doctus & subtilis ingenio, Michaëli socius & comes itineris apud Monachium Bavariæ oppidum usque ad mortem exulavit, & contra Joannem Papam multa scripsit, & eum hæreticum esse proclamavit. Hæc malè cum eo sentientium temeritas magnum in Ecclesia scandalum peperit, & pernicioſum schisma in plurium animarum periculum susciravit. Verùm quia posterius ista sunt gesta, Ludovici regis historiam, ut cœpimus, prosequamur.

Rex

Rex itaque Ludovicus habito suorum consilio ad malè informatum Pontificem melius informandũ, & ad generale concilium, quando Romæ celebraretur, appellavit, missísq; ad Papam in Avenione residentem oratoribus suis in jure peritis, causam suam ut potuit excusavit. Sed Pontifex non revocavit sententiam, nec aliquam satisfactionem admisit; imò Ludovicum excommunicatum denuntiari publicè coram ipsis oratoribus denuo mandavit. Vix tandem oratores precibus obtinuerunt alios tres menses post insinuationem, infra quos Ludovicus Rex se coram Summo Pontifice personaliter haberet præsentare, dicturus ipse causam suam in consistorio Cardinalium publico, ut melius potuisset. Reversi Oratores in Bavariam, cùm litteras & gesta Romani Pontificis Ludovico regi exposuissent, respondit: *In Avenionem mihi transitum nemo persuadebit unquam; sedes etenim Petri non in Avenione, sed Romæ est, ubi coronanda est dignitas imperialis.* Denuò igitur nuntios misit ad Papam, cui sic inter cætera scripsit: *Romam venire opportuno tempore parati sumus juxta consuetudinem antecessorum nostrorum, regni & imperij coronam de manu Romani Pontificis suscipere, & falsis accusationibus æmulorum nostrorum veris defensionibus obviare. Nam Petri Sedes non Avenione, sed Romæ est: & ideò extra Romam nullum Petri successorem agnoscit Imperium.* His Papa litteris susceptis iratus est, & in Ludovicum excommunicationis confirmavit sententiam, deponens eum ab omni dignitate regali simul & imperiali, & processus contra eum in universum regnum destinavit.

Ludovicus à Papa denuntiatur excommunicatus, & à regno depositus.

Rex Ludovicus ad Papam in Avenionẽ venire contempsit.

Rex autem Ludovicus convocatis ad se multis in Theologia & utróque jure peritis, omnes Papæ processus contra se fulminatos eorum proposuit examini, scire cupiens, metuendi essent, an contemnendi. Multa tunc in medium producta fuerunt contra Pontificem testimonia, & plures in denigrationem famæ illius temerè consentientes, hæreticum esse ore impio blasphemârunt. Unde & processus ejus omnes in Ludovicum nulli & invalidi fuerunt judicati. Quæ virorum adulatio & regi pertinaciam præstitit, & materiam futuro schismati dedit.

Intereà dum ista fierent, Dux Fridericus ut prius est dictum, à Ludovico Rege sub arcta custodia tenebatur captivus. Unde multi, qui partes illius antea sequebantur, ad Ludovicum defecerunt, non obstante, quòd in eum censuras Papæ fulminatas, & ob id plures Clericorum & procerum, ab ejus se communione cernerent subtraxisse. Friderico autem sic in turri quadam memorati castelli Trinsneck captivo, res facta narratur miranda, quam ego fabellam potius existimem, quàm historiam, Fratris tamen Nicolai Basilij ex Turckeim Monachi Hirsaugiensis impulsu litteris commendare consensi. Venit ad Lupoldum Austriæ Ducem homo quidam pravis dæmonum artibus imbutus, qui principi jam dicto pollicebatur, si juberetur, quòd ministerio spiritûs Ducem Fridericum ejus fratrem posset non solum de custodia eripere, sed incolumem & salvum in Austriam reportare. Placuit pollicitatio Duci, & mercede promissâ Necromantico dies constituitur, in qua spiritus ad circulum vocetur. Instante horâ, quam artista præfixerat, Dux cum eo circulum in secreto factum loco solus ingreditur, dæmon carminibus & susurris à Mago invocatur. Qui ubi coram visibilis apparuit, ab artista mandatum accepit, ut castrum Trinsneck in Bavaria quantocius accederet, & Fridericum

Magus pollicetur Lupoldo, quòd Fridericum liberare possit & velit.

Germaniæ

Germaniæ Regem inde liberatum sine aliqua sui læsione salvum & incolumem ante circulum præsentaret. Cui Dæmon respondit: *Et si meis noluerit acquiescere consilijs, aut si contra me signum crucis vibraverit?* Artista respondit: *Quod tuum est facito, & si tecum venire ille contempserit, tibi nemo imputabit.* Erat autem mox dum ista fierent hora post meridiem undecima. Mox avolat spiritus, & humano circumamictus schemate quiescenti Friderico Regi in sua captivitate astitit, quo suscitato dixit: *Surge princeps velociter, & me sine hæsitatione timoris sequere, quoniam missus sum à fratre tuo Duce Lupoldo, te liberare, & ad eum incolumem perducere. Ecce ante portam paratus expectat caballus, & nihil timeas, sed consurgens me sequere, & salvum te ducam ad fratrem tuum in Austriam.* Dux autem insolitâ phantasmatis apparitione perterritus resistit dicens: *Quis es tu, & quomodo hâc horâ intrâsti ad me?* Respondit spiritus: *Tuam non occupet mentem, quis ego sim, sed velociter somnolentiam excutiens me sequere, & ducam te ad fratrem tuum salvum & incolumem.* Territus phantasmate princeps crucis Christi salutiferum signum astanti opposuit, & mox dæmonium recessit. Interea Dux Lupoldus cum artista sedebat in circulo finem rei expectans, sed frustra. Reversus ad circulum spiritus, quid contigerit suo mittenti aperuit, quod Fridericus Dux posteà liberatus verum suo testimonio confirmavit.

Magus Dæmonem ad circum vocatum misit ad Fridericum Ducem.

Dux territus Dæmonem cruce fugavit.

MCCCXXIV.

Anno Sigismundi Abbatis Hirsaugiensium septimo, Baldevvinus Archiepiscopus Trevirorum, Joannes Bohemiæ Rex, qui tum Lutzenburgi morabatur, Dux quoque Lotharingiæ & Comes Barensis confœderatione inter se factâ, magnum contraxerunt exercitum, & Mediomatricum, urbem videlicet Metensem obsidione cinxerunt, omnia quæ ad jus civitatis pertinebant in circuitu devastantes. Cives autem considerantes se tantæ multitudini pugnatorum in finem non posse resistere, tandem consilio inter se habito pacem postulantes humiliter consecuti sunt.

Metis ab Archiepisc. Trevirorũ obsidetur.

De Rege Ludovico improba narratur historia, quam his contigisse temporibus accepimus. Erat homo potens, ac dives, qui uxorem habuit pulchram & nobilem, filiam scilicet unicam Comitis Carinthiæ & Tyrolis, cum qua memoratos duos comitatus in possessionem acceperat. Rex autem Ludovicus eosdem comitatus suo cupiens adijcere dominio, cùm aliter non posset, se dolis ac fraudibus armavit. Uxorem viri rapuit, & eam Ottoni filio suo matrimonio solemni copulavit, asserens, inter eam & priorem virum, cum quo annis undecim in conjugio legitimè vixerat, consanguinitatis gradum omnem matrimonij cassare & impedire contractum. Sed ut litteris mandatum accepimus, impedimentum inter eos matrimonij nullum extitit, quoniam sola cupiditas habendi comitatum Tyrolis & Carinthiæ sicut diximus, in causa fuit. Hâc injuriâ vir ille bonus non immeritò provocatus, cum lachrymis Romano Pontifici eo tempore in Avenione residenti exposuit, & ejus auxilium contra Ludovici tyrannidem imploravit. Cujus indignitate facti commotus Pontifex multis Ludovico vicibus scripsit monendo, rogando, præcipiendo simul & communicando, ut quantociùs uxorem viro suo restitueret, & pro satisfactione commissorum in Avenionem ad Apostolicam audientiam quantocius veniret. Ludovicus autem suo more despexit monentem, per quod maculam gloriæ suæ imposuit sempiternam.

Ludovici Regis factũ nefarium pro Comitatu Tyrolis.

MCCCXXV

MCCCXXV.

Anno Sigismundi Abbatis VIII. cives Colonienses cum Rege Ludovico sentientes contractis undique copijs magnum pugnatorum congregaverunt exercitum, cum quo in Westphaliam contra Henricum Archiepiscopũ Colonienſem, qui adversabatur Ludovico, processerunt ad prœlium. Devastatâ crudeliter Patriâ, Ducatu videlicet Angariæ, qui antiquo jure Colonienſi pertinet Ecclesiæ, castellum ipsius Archiepiscopi fortissimum Volmerstein nuncupatum, longâ obsidione expugnantes tandem ceperunt, & igne submisso destruentes solo æquârunt.

Colonienses contra Archiepisc. devastant Westphaliam.

Eodem tempore Baldevvinus Trevirorum Archiepiscopus Fürstenberg ob firmitatem ut putabatur, inexpugnabile castrum suorum copijs obsidione durissimâ vallavit, quod tandem appositis machinis suo dominio potenter subegit. Idem Archiepiscopus castrum Stierberg pro pecunia Ecclesiæ Trevirensi comparatum Provinciali Comiti de monte Rutilo, hoc est, dem Landgrafen von Rothenberg/ qui morabatur in orientali Francia quatuor Herbipoli milliaribus, in feudum tradidit.

Castrum etiam Richenberg à fundamentis novum construxit, quod simili munificentiâ Comiti de Catzenelenbogen in beneficium feudale perpetuum contulit. His quoque temporibus memoratus Trevirorum Archiepiscopus in loco, qui dicitur Birckenfeld, in sua Diœcesi, sed in fundo Comitis Mosellani de Starckenberg, novum cœpit ædificare castellum, in non parvum prædicti Comitis præjudicium, qui eo tempore ad Sanctum Domini sepulchrum mare transiens profectus, domi non fuerat. Cúmque uxor ejus animo immutata virili conductis militibus Archiepiscopi conatibus varijs modis obsisteret, iratus præsul congregavit exercitum, & devastare Comitatum de Starckenberg, qui videlicet est Spanheimensi conjunctus, animo disposuit. Quod ubi comitissæ innotuit, considerans vires suas Archiepiscopi exercitibus impares, cœpit æstuare consilio, quemadmodum illius conatum destrueret. Misit Oratores suos ad Archiepiscopum, Henricum videlicet ex comitibus de Spanheim, Aquensis Ecclesiæ Præpositum, & Emericum de Lapide superiore, ambos Colonienſis Ecclesiæ Canonicos, quorum industriâ treugæ acceptæ sunt, & suspensum in aliud tempus negotium. Contigit eodem anno, quòd Archiepiscopus cum paucis navigio transcenderet per Mosellæ rivulum versus Confluentiam in mense Septembri, sacros ex consuetudine daturus Ordinandis Characteres, quod minimè latuit Comitissam. Quæ memor injuriarum, custodiam circa Mosellæ littus sub castello Starckenberg, ubi morabatur, disposuit, & nihil tale suspicantem Archiepiscopum Baldevvinum cepit, quem sub honesta securitate aliquandiu captivum in ipso castro suo Starckenberg custodivit. Mira femellæ audacia! Nullis verò precibus vel minis induci potuit, ut Pontificem captivum dimitteret, nisi & pecuniâ se more captivorum redimeret, & castrum Birckenfeld abjuraret. Consensit necessitati præsul captivus, & postulatam feminæ pecuniam tradidit, & quòd de castro Birckenfeld se amplius non intromitteret, litteras & cautiones necessarias dedit, sicque reformatâ pace inter se, liber discessit. Mulier acceptam pecuniam à suo captivo in perpetuam sui nominis laudem atque memoriam cupiens exponere, castellum, quod in nemore sano pervetustum & penè collapsum antiquitus erat

Castellum Birckenfeld ab Archiepiscopo Trevirorum fundatur.

Archiepisc. Trevirorũ à femina capitur in navigio.

Captivus Archiepisc. datâ pecuniâ & abjurato Birckenfeld liberatur.

 construc-

Frauenburg castrum per comitissam de illa pecunia construitur.

constructum, in melius mutato nomine statuit ædificare. Quod ubi magnifico perfecit apparatu, Frauenburg / id est, feminæ castrum illi nomen indidit, propterea, quòd ex feminæ fuit constructum triumpho. Est autem his temporibus Starckenberg & Spanheim unus comitatus, quem Joannes Dux in oppido Symeren apud Cynonothos habitans possidet, qui ex comitibus Palatinis Bavariæque ducibus antiquâ propagine, ut infra dicemus, trahit originem. Archiepiscopus verò dimissus pacta servavit, & Comitissam, quòd à principe Imperij tunc quidem ditissimo, non plus extorsisset pecuniarum, jocosè derisit.

Festum Corporis Christi primum in Wormatiensi Diœcesi admittitur.

Anno etiam prænotato Wormatiensium Episcopus Cuno de Schöneck per civitatem & Diœcesin suam festum Corporis Christi, quod Urbanus Papa IV. sicut diximus in prima hujus operis parte, anno Volpoldi Abbatis XIX. instituit, celebrari solemniter tam in foro quàm in choro mandavit. Nam etsi Papa memoratus ipsum festum multis indulgentijs cumulatum celebrari præcepit, per annos tamen plus LX. usque in hoc tempus, quantum ad forum pertinet, à pluribus neglectum à plerisque etiam contempum fuit, quemadmodum & nunc fieri cognovimus tam de festo Transfigurationis Domini, quàm de festo præsentationis ejus Castissimæ Genitricis; quare solemnitates alijs sunt celebres, ab alijs verò negliguntur. Nulla sine tempore multo roboratur consuetudo.

Eodem anno Lupoldus Dux Austriæ mediante & cooperante Carolo Rege Gallorum magnis apud Romanum Pontificem Joannem XXII. viribus instabat, ut fratrem in manibus Ludovici Regis, ut supra diximus, captivum liberare potuisset, sed Papa nil efficere potuit, cujus monita Rex Ludovicus omnia ut hostis & adversarij publici contempsit. Unde Lupoldus cernens, quòd cum Rom. Pontifice non proficeret, amicorum non minus impulsu, quàm consilio alium modum excogitavit. Habebat penes se Dux Lupoldus insignia Regis, lanceam, orbem atque coronam, quibus olim usus memoratus Carolus Magnus, & nunc in oppido Nürenberg reposita servantur. Videbatur consultum amicis, & quotidianis Ducem clamoribus impellebant, ut datis Ludovico insignijs Regni, fratrem liberaret captivum. Quibus ille respondit: *Etiam insignia regni Ludovico si resignavero, scio quòd fratrem non dimittet, ne tamen videar consilijs reluctari vestris, qui nihil magis cupio, quàm fratrem mihi charissimum de captivitate liberare, si possum, ecce libens adversario insignia Regni transmittam.* Misit itaque Dux Lupoldus insignia Ludovico, & multis pollicitationibus ac promissis pro fratris liberatione interceßit. Rex autem Ludovicus insignijs Regni acceptis Fridericum Ducem ut dimitteret, nullâ potuit ratione persuaderi.

Lupoldus insignia Regni misit Ludovico.

Ad Imperium Romanum Gallus aspirat superbus.

His temporibus Carolus Rex Gallorum desiderio magno ad Romanum aspirans Imperium, summis conatibus Papam ad Ludovici persecutionem, & à regno depositionem invitabat: cum Lupoldo etiam Duce memorato, plura in secreto tractabat consilia, & multa promisit, si ejus cooperatione potuisset assequi, quod voluit. Sperabat enim Rex arrogantissimus, quia si ad Gallos esset translatum Imperium, quòd de facili etiam Lotharingiam, Treverim, Metim, Leodium, Attrebatum, Trajectum, Coloniam, Moguntiam, Wormatiam, Neometim, & Argentinam, quæ ab alia Rheni parte civitates Regni sunt Germanici & non Gallici,

Gallici, neque Romani Imperij, suæ possit ditioni subijcere, à multis enim retrò annis Galli quidquid ab illa parte est Rheni, ad suum traducere Dominium contra jus & æquitatem sunt machinati. Nam in divisione Regni Francorum, quod sub Faramundo Rege primùm in Germania cis Mogonum apud Wirtzburg sumpsit initium, clarissimè patet, quòd prænominatæ civitates omnes simul, & Lotharingia tota, quondam magna, nunc autem parva, Burgundia, cum regno Arebatensi, Brabantia, Hollandia, Frisia, Flandria cum Mosellanis, Alsatia, Vosagus & Sabaudia, Germanico regno fuerunt in distributione terminorum sub Lothario & Fratribus adscriptæ una cum Romanorum imperio, quod in gestis Ottonum & complurium Germaniæ Regum similiter invenimus. Unde si hodie quâlibet occasione Romanum Imperium à Germanis Regibus in Galliam posset transferri, non cessaret propterea neque interiret regnum Germanorum: neque civitates memoratæ, neque Provinciæ ipsum sequerentur Imperium, cùm non pertineant ad jus Imperij, neque Gallorum, sed ad Sceptrum duntaxat Germaniæ. Propterea si qui civitates ipsas vocant imperiales, malè & impropriè loquuntur, cùm regales dicendæ sint potius, quoniam ad Regnum pertinent Germanorum.

Civitates Germanici Regni non Imperij sunt, nec Gallorum.

Regnum Germaniæ maneret etiam Imperio translato Romanorum.

MCCCXXVI.

Anno Sigismundi Abbatis IX. Lupoldus Dux Austriæ multis & varijs modis tum per se, cum per quosdam Principes Regni usque adeò Ludovicum Regem molestavit, quòd tandem consensit Fridericum ex captivitate liberum dimittere, sub certis tamen & necessarijs conditionibus, litteris & juramento confirmandis.

Fridericus Dux à Ludovico sub conditione dimittitur.

Prima conditio, quam Dux Fridericus juramento, ac litteris confirmare jubebatur, ista fuit: Quòd omni actioni & juri tam ad Regnum quàm ad Imperium, si quod haberet, simpliciter, totaliter, & spontaneâ voluntate renuntiaret, & se de illo amplius non intromitteret, etiam si à principibus vocatus, vel à Romano Pontifice jussus fuerit.

1. Conditio.

Secunda conditio: Quòd tam ipse quàm fratres ejus, Prælati, Comites, Barones nobiles & subditi eorum omnes Regi Ludovico, ejus successoribus, Regno & Imperio debeant perpetuò esse fideles, subjecti & obedientes sine dolo & sine fraude in omnibus.

2. Conditio.

Tertia: Quòd jurent & promittant, se omnia in eos quomodolibet facta non vindicaturos, nec deinceps quidquam mali vel incommodi acturos contra personam ipsius regis Ludovici, aut aliquem suorum fidelium verbo, facto, nutu vel consilio.

3. Conditio.

Quarta fuit pecuniaria, sub qua Ludovicus Fridericum in summa notabili taxavit & compulit ad solvendum. Promisit omnia Fridericus una cum Fratribus suis, & quidquid jubebatur, servaturum se fideliter juravit ac litteris confirmavit. Similiter & Fratres ejus Ludovico jurantes fidelitatem promiserunt.

4. Conditio.

His & multis alijs cautionibus datis & acceptis Fridericus à Ludovico dimittitur, qui reversus in Austriam, & citò eorum, quæ juraverat oblitus, Ludovicum ut anteà persequi cæpit, & usque ad mortem suam illi semper adversarius fuit, licet non semper in persona propria, tamen per fratrem quidquid malè potuit, contra Ludovicum fecit; nam Lupoldus Friderici frater immemor juramentorum dissimulante germano, Regem

Lupoldus Dux Regem Ludovicū persequitur in malum proprium.

Ludovicum summis conatibus persequitur, quod nec ipsi quidem, nec Austriæ Domui in bonum cessit: Spirenses Ludovico in Italia existente ferro & igne devastat, Wormatienses varijs molestat incursionibus, Moguntinos simili væsaniâ inquietat, postremò in Argentinenses raptorum movens exercitum finem accepit vivendi.

Comes Geldriæ Reinhardus in Ducem creatur à Ludovico.

His temporibus Comes Geldriæ Reinhardus senior, propterea, quòd cum Henrico Archiepiscopo Ecclesiæ Colonienſis contra Ludovicum sentiret pro Friderico, à proprio filio detinebatur captivus per annos octo continuos impositò sibi morbo dementiæ. Quo anno prænotato in carcere mortuo Rex Ludovicus filium ejus Reinhardum Juniorem volens pro sua fidelitate remunerare, in Ducem creavit apud Coloniam in publico principum consessu. Ab illo tempore Geldriæ Comites Duces esse cœperunt, adjuncto eis titulo Comitatus Zutphaniæ usque in præsentem diem. Obijt autem in carcere Comes senior Reinhardus nono die mensis Octobris anno prænotato.

Romani Papam ut rediret in urbem quantocius rogant.

Anno etiam præscripto senatus populúsque Romanus Oratores ad Avenionem cum litteris misêre solemnes, Joannem Papam XXII. rogantes, ut exemplo sanctissimorum Pontificum antecessorum suorum quantocius ab Avenione cum cætu Cardinalium discederet, & Romam veniens Curiam Apostolicam ibidem, ubi primùm instituta fuerat à Principe Apostolorum Petro teneret: quod facere si aut differret, aut contemneret, sciret, quòd sibi ipsi pro viribus de alio Pontifice providerent. Pontifex iratus respondit: *Se Romanum esse Pontificem, & in Ecclesiæ proprietate, sicut antecessorum suorum nonnulli, apud Avenionem & posse, & velle pro suo arbitrio residere, nec eorum esse juris vel potestatis, Christi coarctare Vicarium, ubi ipsi velint, capere mansionem.* Et adiecit: *Ubi Papa, ibi Roma.* Quod dictum ejus postea in proverbium vulgatissimum versum est. Romani autem, posteaquam Pontificis intellexêre verba, graviter nimis acceperunt, dicentes: *Si ubi Papa, Roma; dabimus operam, ut ubi Roma, sit etiam Papa.* Consilio igitur habito, ad Regem Ludovicum Oratores miserunt in Germaniam rogantes, & multa promittentes, ut Romam venire quantocius dignaretur. Quibus auditis Ludovicus gavisus est, dedítque certum Romanis sui adventûs responsum, & oratores eorum remuneratos cum honore dimisit; Romanos litteris commonefaciens, ut cæpto perstarent in proposito, nec Pontificis fulmina timerent.

Ecclesia Trajectensis pastore viduata in tribulationem venit.

Mortuo his temporibus Friderico Trajectensium Episcopo, duo in dissensione fuerunt electi, Jacobus videlicet principalis Ecclesiæ Decanus, à majore & saniore Congregationis parte in Pontificem electus est: contra quem minor fratrum numerus Jacobum quendam Sudensem Episcopum ad instantiam Wilhelmi Comitis Hollandiæ postulavit. Prævaluit jure potior Decanus, & in Episcopum Trajectensem Canonicè susceptus est. Quo in brevi mortuo in Pontificem unanimi voto Canonicorum fuit electus Joannes de Bruchhorst præpositus S. Salvatoris vir optimus, cui omnes voluntariè obedientiam præstitêre subjecti, non solum Clerici, sed etiam Laici omnes.

Duobus vix mensibus evolutis postquam idem electus omnem Ecclesiæ suæ terram suscepisset in possessionem quietam, nihilque suspicaretur adversi, supervenit ex Avenione Joannes ex Dyest præpositus Cameracen-

sis

sis in Episcopum Trajectensem à Joanne Papa xxii. provisus, & ordinatus ad petitiones Joannis Ducis Brabantiæ, Reinhardi novi Ducis Geldriæ, & Wilhelmi Comitis Hollandiæ, qui Trajectum armatâ manu ingressus, Joannem ex Bruchhorst verum & legitimum Pontificem violenter expulit, & per annos ferme quatuordecim Episcopatum occupavit.

Judæus baptizatus nequam pessimus quid fecerit.

Anno quoque prænotato fuit Judæus quidam in Hannonia, qui animo ficto se petijt fieri Christianum, quem Wilhelmus præfatus Comes Hollandiæ & Hannoniæ de sacro baptismate levavit. Verum posteaquam baptizatus fuit, inter Christianos aliquandiu conversatus in hypocrisi & simulatione multos decepit, quoniam corde fuit Judæus, & nunquam in veritate Christianus. Contigit itaque anno Sigismundi Abbatis prænotato die quâdam, ut per Ecclesiam transitum faceret solus, in qua imago stabat B. Mariæ semper Virginis pulcherrima, quam intuitus homo diabolo plenus, extracto pugione, vesano similior, in eam irruit, & in verba prorumpens blasphemiæ, contra Sanctissimam Dei Genitricem, nitidam imaginis faciem multis ictibus pungendo vulneravit, quod eo facere liberius potuit, quo nullum esse præsentem scivit. Mira Dei patientia, quæ perfidum & blasphemum hominem non solum perdere subitò non voluit, sed etiam miraculo ad pœnitentiam invitavit. Nam confestim Sanguis de vulnerata imagine fluere cœpit, & pavimentum altaris copiosè replevit. Quod cernens ille perfidissimus latro, pavore nimio concutitur, & fugiens occultissimè de Ecclesia, pristinis moribus latens in hypocrisi & simulatione veteri conversatur. Intrantes posteà Ecclesiam fideles, & videntes imaginem sanguine madentem, pro tanta injuria semper castissimæ Dei Genitricis, non mediocriter gementes, ipsum cruorem, ut poterant, collegerunt; & reservantes illum, inter Sanctorum reliquias pro honore Dei venerati sunt; qui deinceps multis ægritudinibus medelam præstitit salutarem. Postea verò quàm tanti auctor sceleris cunctos aliquandiu latuisset mortales, nec aliqua de perdito illo haberetur suspicio, nec ipse criminis peteret à Deo veniam, neque pæniteret, justo tandem judicio Dei & miraculosè deprehensus, pœnam mortis, quam meruit, solvit.

Imaginem B. V. Mariæ vulnerat.

Sanguis de vulnerata imagine copiosus fluere visus est.

Multas sanitates hic sanguis miraculosus pluribus contulit.

Erat faber quidam in villa, ubi res contigerat, ferrarius, homo simplex & rectus, atque pro modulo suo Beatissimæ Dei genitrici valde sinceriter devotus. Huic Beatissima Virgo Maria quâdam nocte apparens in somnis dormienti, quasi vulneribus in facie multis confossa & Sanguine circumfusa, patratorem sceleris ostendit dicens: *Has mihi plagas sceleratissimus ille Judæus animo nuper falso baptizatus intulit, qui meam in Ecclesia imaginem suo pugione sæviens & blasphemans tam crudeliter vulneravit.* Cui faber: *Vis*, inquit, *Domina mea, ut his manibus meis interficiam perfidissimum blasphemum? Non*, inquit, *sed confidenter defer illum Judici, qui fidem tibi cùm denegare cæperit, duellum cum Hebreo postula, & consentiet tam Judex, quàm perfidus ipse. Nihil timeas, neque formides, ego tibi fautrix adstabo, & sine dubitatione impetrabo victoriam.* Venit ad judicium faber, sceleris commissi falsum accusat Christianum; sed cùm testimonia criminis objecti deessent sufficientia, duellum postulat, quod decernente judice, perfidus canis acceptat, spem habens in suis viribus, quia fortior illo fuit; congressione igitur factâ vicit perfidum fidelis, Judæum Christianus, impium

Domina nostra in somnis fabro revelavit impiũ.

pium justus, & prostratum in terram, ut confiteretur publicè reatum coram omnibus instabat. At ille videns se Dei virtute convictum, & magnum à parvo superatum, urgente eum intus conscientiâ palam & coram omnibus confitetur reatum suum, & quòd corde nunquam fuerit Christianus, publicè dixit. Alia quoque multa in Christianam pietatem comisit scelera, pro quibus dictante Judice & Comite jubente, suspensus est.

Judæus à fabro victus fatetur factum & laqueo suspenditur.

MCCCXXVII.

Anno Sigismundi Abbatis decimo in principio mensis Martij Conventus Principum Rege Ludovico mandante in Civitate Spirensi habitus est, in quo pax regni per ipsum Regem statuta & confirmata fuit, Principibus, Prælatis & Oratoribus Civitatum, & oppidorum Germanici Regni spontaneâ voluntate consentientibus. Principum dissoluto Conventu, Rex Ludovicus cum uxore & filijs in manu valida cum magno exercitu Germanorum intravit Longobardiam, animo & intentione proficiscendi Romam, pro Corona Imperij suscipienda, quod tamen fieri illo anno non potuit, propter multas in Longobardia Imperij causas, & arduas occupationes. Veniens autem Mediolanum, à Vice-Comitibus Galeazio & Maffeo, & omni populo simul & Clero summo cum honore susceptus est, & in die sancto Pentecostes ab Archiepiscopo Mediolani cum Margaretha uxore sua coronâ ferreâ juxta morem antiquum solemniter coronatus.

Rex Mediolani coronâ ferreâ coronatur.

Multa post hæc bella cum vicinis atque rebellibus habuit, quos Imperio suo potenter subjecit. Erant in ejus exercitu Wilhelmus Hollandiæ Hannoniæque Comes Pater Reginæ, Reinardus Dux Geldriæ, Theodoricus Comes de Cleven, Wilhelmus Comes de Juliaco, Theodoricus Comes Montanus, & plures alij viri fortes & bellicosi, qui magnam copiam adduxerunt armatorum, quibus auxilia ferentibus multa in Longobardia brevi tempore patravit magnificè.

Anno quoque prænotato mortuus est Gotfridus Episcopus Herbipolensis & Franciæ Dux orientalis: cui successit Wolframus de Grumbach, & præfuit annis ferme sex, vir magnanimus, in pauperes humanus, & durus in adversarios. Contra hunc Pontificem cives Wirzburgenses exemplo progenitorum suorum erexerunt cornua, & servitutem, quam ad apparatum bellicum prædecessoribus illius exhibuerant, subtrahere protervè laborabant. Vicit jure tamen Episcopus, & eos imperio suo potenter subijciens, in omnibus obedire & servire coëgit.

Wolframus fit Episcopus Herbipolensis annis vi præsidens.

Eodem anno Matthias Archiepiscopus Moguntinus Generalem Synodum Abbatum, Prælatorum, & Sacerdotum suorum celebravit, in qua plura pro reformatione statûs Clericalis satis providè constituit. Sed nullus aut modicus profectus secutus est, propterea quòd & ipse brevi posteà obijt, & Clerum per totam Diœcesim gravissima tribulatio propter à Papâ datum successorem præoccupavit.

Hoc ipso quoque anno mortuus est Carolus Rex Gallorum, & qui summis conatibus ad Romanum aspirabat Imperium, & vitam & Regnum proprium amisit. Post quem regnavit annis tribus & viginti Philippus trium præcedentium Regum frater patruelis, qui Viennensem principatum mediante pecuniâ comparavit, & alterâ vice pugnans cum Anglis, multis suorum interemptis, superatus fuit.

Philippus Rex fit Gallorum annis XXIII.

MCCCXXVIII.

MCCCXXVIII.

Anno Sigismundi Abbatis undecimo, Ludovicus Rex in principio mensis Januarij Romam cum suorum magno exercitu intravit, qui à Romanis cunctis tam Laicis, quàm Clericis magno cum honore susceptus est, & singulari pompâ solemniter introductus. Scripserat antea Papæ Joanni XXII. in Avenione commoranti, rogans, quatenus aut ipse Romam veniret personaliter, aut mitteret ex cætu Cardinalium duos, qui coronationis ejus juxta morem implerent officium. Sed Papa nec Romam venire personaliter voluit, nec aliquem ex Cardinalibus misit. Rex Ludovicus Romam ingreditur.

Rex igitur Ludovicus jussu Cleri & petitione totius populi septimâ decimâ die mensis Januarij Romæ apud S. Joannem Lateranensem, ministerio Stephani de Columna Episcopi sine voluntate Papæ, unà cum uxore Imperator coronatus fuit, anno videlicet Regni sui Germanici tertiodecimo, & facta est lætitia magna in populo. Rex Ludovicus ab uno Episc. coronam Imperij suscepit.

Coronatus Imperator concilium Romanum solemne habuit, cum quibus de abrogando Joanne Pontifice tractavit. *Si Roma est*, inquit, *ubi Papa, nostri jam erit officij providere, ut ubi est Roma, sit & Papa.* Consensu itaque omnium Romanorum tam Cleri quàm populi coadunato in unam pernicioſi schismatis sententiam, Joannem Papam XXII. hæreticum, atque schismaticum pronuntiantes, temeritate propriâ ab omni Pontificatûs honore dejecerunt.

Deinde Ordinis minorum fratrem quendam nomine Petrum de Corbaria cætus ille malignantium in Antipapam constituit, quem Nicolaum V. appellavit, hominem satis doctum, & ad gerendas res arduas multùm idoneum, & forsan Ecclesiæ non inutilem, si per ostium intrare potuisset, qui vix unius anni spatio Summi Pontificis nomine inaniter gloriatus, à Pisanis Joanni Papæ traditur, & abjuratâ hæresi perpetuis carceribus ab eodem deputatur. Creatus autem in Antipapam Petrus, à Ludovico Rege cunctisque Romanis ut verus Christi Vicarius, & S. Petri successor cum summo honore suscipitur, & fidelis obedientium subjectio ab omnibus juratur. Rex autem Ludovicus, qui prius inunctus & coronatus ad Imperium fuit ab Episcopo, rursus coronatur ab idolo, & qui à legitimo Christi Vicario in Avenione sublimari noluit, Antipapæ, quem in scandalum Ecclesiæ pernicioſum creaverat, Romæ se submittit. Rege Ludovico diutius Romæ existente, uxor ejus filium peperit, quem genitor propterea quòd Romæ natus esset, Ludovicum Romanum appellavit. Rex Ludovicus contra verum Pontificem Antipapam erexit. Regi Ludovico filius Romæ nascitur Ludovicus.

Anno prænotato Collegium Clericorum, quod eatenus fuit in Bütelspach, per Eberardum Comitem de Wirtenberg ad Stutgardiam translatum Joanne Papa XXII. annuente & consentiente, cujus translationis causa fuit; Anno námque Henrici Abbatis decimo, Nativitatis verò Dominicæ MCCCIX. ut supra diximus, Rege mandante Henrico nobiles & cives regni per universam Sueviam in unum coacti magnum pugnatorum exercitum contra memoratum Comitem Eberardum Regno & Imperio à multis annis rebellem, produxerunt, & multis eum incommodis afflixerunt, qui cùm tantæ multitudini finaliter non posset resistere, ad Marchionem de Baden, qui tunc morabatur in Besekeim, fugam coactus est inire. Eo autem latente post fugam, regni exercitus omnem terram ejus pervagando Eberardi Comitis de Wirtenberg memorantur bella.

pervagando vastavit, & multa ejus oppida, castella & villas funditus destruens in magna crudelitate furoris solo coæquavit. Venientes autem ad Büttelspach, ubi tunc erat Sacerdotale Collegium, & insignis Ecclesia, in qua Comitum de Wirtenberg antiquâ consuetudine fuit sepultura, Dei reverentiæ & honoris immemores castrum cum oppido & templo profanantes destruxerunt; & in contemptum memorati Comitis Eberardi sepulchra mortuorum effringentes Comitum ossa foris projecerunt, lapides omnes confringentes: ab illo tempore per annos ferme decem & octo mansit Ecclesia in desolatione illa.

Collegium Sacerdotale à Büttelspach ad Stutgardiã transfertur anno 1328.

Anno autem Sigismundi prænotato supradictus Comes Eberardus jam pacem consecutus, Joannem Papam XXII. in Avenione commorantem personaliter accessit, & transferendi collegium à Büttelspach in Stutgardiam ab eo consensum impetravit; consensu verò Apostolico impetrato Collegium Sacerdotale ad Stutgardiam anno præscripto transtulit cum omnibus bonis, privilegijs, & Juribus suis in Ecclesiam novam, quam anteà magnis sumptibus ibidem præparavit.

Eberhardus Comes de Wirtenberg obijt Udalricus filius successit.

Eodem anno supradictus Comes Eberardus, posteaquam Collegium de Büttelspach transtulerat in Stutgardiam, Domino vocante in die S. Bonifacij Archiepiscopi & sociorum ejus Martyrum, vitâ defunctus est, & in Ecclesia quam construxerat sepultus, filium relinquens nomine Udalricum, qui Patri statim succedens in Principatu annis decem Comitatum suum gubernavit, vel ut alij scribunt, annis sedecim.

Anno Sigismundi prænotato decimâ die mensis Septembris, obijt Matthias ex Monacho Ordinis S. Benedicti Archiepiscopus Moguntinus, in majore Ecclesia sepultus. Quo mortuo Baldevvinus Archiepiscopus Trevirorum ad instantiam Canonicorum Ecclesiam Moguntinam, administratorio nomine per triennium gubernavit de voluntate & consensu Joannis Papæ XXII. eo tempore in Avenione residentis.

Magna fuit his temporibus inter Clerum & cives Moguntinos pro libertate dissensio, illis jura & privilegia sua defendentibus, istis autem cuncta violare volentibus. Quæ quidem dissensio Canonicorum animos movit, ut Baldevvinum Administratorem assumerent, quem cùm virum prudentem, magnanimum, & amicum Regum ac Principum scirent, per industriam ejus civium posse humiliari superbiam non frustra sperabant. Qui mox administratione susceptâ, contra Moguntinos plura tentavit, & valde in brevi eorum humiliavit superbiam. Eo tempore Clerus per civium tyrannidem de Moguntia pulsus, in Rhenaugia & alibi exulabat. Baldevvinus ergo ad reprimendum incursum Moguntinorum, ne se diffunderent in Rhenaugiam Ecclesiæ ab antiquo semper fidelem, ubi Clerus, sicut dictum est, in suis possessionibus degebat, villam, quæ nuncupatur alta, vulgariter Altuill, juxta Rheni littus à superiore ad Rhenaugiam introitum, muro in circuitu præmunivit, & castellum in ea pulchrum cum fortissima turri ad Rheni fluenta construere cæpit, quæ omnia Henricus ex Comitibus de Virneburg Archiepiscopus Moguntinus posteà consummavit, cujus insignia lapidi insculpta in memoratæ turris pariete vidimus expressa, sed ante annos fermè undecim, si bene memini, Bertholdus Archiepiscopus cùm eandem faceret dealbari turrim, insignia Henrici fundatoris memorati deposuit, & sua reposuit in locum, quod

Castrum Altævillæ juxta Rhenum à Baldevvino construitur.

factum

factum sicut jure multis displicuit, ita non satis pij animi in mortuum indicium fuit. Nec multò posteà cives Moguntini obsidionem urbis à Baldevvino metuentes, consilio inter se malè habito, armati civitatem egressi, primò Cœnobium S. Albani, tunc Ordinis S. Benedicti, cum insigni Ecclesia funditus destruxerunt, paucis domibus duntaxat pro Monachorum habitatione dimissis: Ecclesiam deinde Cœnobij S. Jacobi Apostoli in monte speciosò juxta Pyramidem Drusi præ civitate, simili furore destruxerunt, cum omnibus pene domibus paucis exceptis: postea Collegiatam S. Victoris Ecclesiam, unà cum domibus Canonicorum fortissimis funditus everterunt: castellum quoque in suburbanis Wisenach à fundamentis subverterunt in odium Cleri, & custodiam sui, timentes, quòd Baldevvinus, qui pro Clero stabat Ecclesiæ, præsidia sua in eisdem Monasterijs locaret. Pro qua temeritate pessima dictorum Monasteriorum Abbates atque Prælati cives Moguntinos posteà citari fecerunt ad Judicium cameræ Imperialis, quæ tunc servabatur apud Franckenfurt oppidum regalis electionis, in qua dictante justitiâ cives, ut impij temeratores Jurium, libertatum, & privilegiorum Ecclesiæ læsis ad satisfactionem in magnâ pecuniarum summa fuerunt condemnati.

Moguntini cives quasdam Ecclesias destruunt.

Ab illo tempore usque ad excidium urbis Moguntinæ, quod anno nativitatis meæ primo accidit, ut suo dicetur loco, suas divinâ Justitiâ vindicante injurias, bona semper fortuna Moguntinis civibus extitit contraria, qui quotidie in deterius proficientes, tandem usque adeò æris alieni gravaminibus sunt oppressi, & in nihilum redacti, quòd omnium in circuitu civitatum & subsidium & amicitiam perdiderunt, & seditione subortâ postremò civitatem, Dominium & Magistratum amittentes aut mori, aut exulare coacti sunt.

Deo Sanctorum vindicante injuriam Moguntini exterminati sunt.

Cujus rei hodie simile videmus in Erpfordianis, qui nostris diebus ex Monasterio Monialium S. Cyriaci Martyris extra muros oppidi Erpfordiani in monte positi castrum de consensu Rom. Pontificis fecerunt, & novo in suburbanis Monasterio constructo Moniales in ipsum cum omnibus censibus, privilegijs ac libertatibus, quas priùs habuerant, sine earum damnis etiam ipsis consentientibus transtulerunt, & nihilominus quantum displicuerit Deo locum sibi dedicatum semel in usum transferre humanum, pœna ultionis, quam ab illo tempore usque in diem præsentem experiuntur, ostendit; nam in ultimam desolationem acti, simile Moguntinis quotidie timent excidium, de quibus suo loco dicemus reliqua.

Erpfordianos pro minore culpa similis opprimit calamitas.

Anno prænotato mortuus est Emicho Spirensis Episcopus, cui promotione Joannis Papæ XXII. in Pontificatu successit Bertholdus de Buchek. Ordinis Hospitalis B. Mariæ semper Virginis Teutonicorum, qui uno duntaxat præfuit anno: posteà per eundem Papam transfertur ad Argentinam.

Berchtold fit Episcopus Spirensis contra Berengerũ.

Et notandum pro declaratione dictorum simul & dicendorum ratione Ecclesiæ Moguntinæ, quòd Matthiâ Archiepiscopo mortuo Clerus elegerat sibi Pontificem quendam Canonicum nomine Gerlacum, contra quem Joannes Papa XXII. Henrico de Virneburg æquè Canonico de Archiepiscopatu Moguntino providit, qui veniens ad Moguntiam à Clero refutatus est, & ad Sedem Apostolicam appellatum. Continuum itaque per triennium contentio Cleri coram Papa fuit contra Henricum, Clericis

Contentio duorum pro Archiepiscopatu Mogunt.

falsa hic narrantur.

multis in eum scelera jaculantibus. Verùm ne interim Ecclesia Moguntina pastoris destituta solatio, dentibus patesceret impiorum, Papa memoratus ad instantiam Canonicorum Baldevvinum Trevirorum administratorem Archiepiscopatûs Moguntini constituit, quousque finem contentio susciperet, quod anno Sigismundi XIV. contigit.

Bellum sedecim Comitum contra Ducem Brabantiæ.

Anno item Domini præscripto, sedecim Comites cum nobilibus suis contra Joannem Brabantiæ Ducem in unum conspirantes exercitum inter duo villagia Vexhe videlicet, ac Landen ad prælium convenerunt. Inito certamine diu pugnatum est ambiguo marte, & plures ab utraque parte ceciderunt. Postremò tamen Rex Gallorum Philippus vices suas interposuit, & pacem reformavit: fuerunt in eo bello ex nostris terris superioribus præsentes, Joannes Comes de Spanheim cum ducentis equitibus, Comes de Kazenelenbogen cum totidem equitibus, Comes de Falckenburg cum centum equitibus, Comes quoque de Hoenfels cum centum viginti equitibus, & Henricus de Bolandia cum sexaginta equitibus, aliorum nomina Comitum scribere causam non habemus.

MCCCXXIX.

Anno Sigismundi Abbatis XII. Ludovicus Rex ab urbe Roma discessurus, juramento mediante Romanis promisit, quòd in anno sequente denuò velit in Italiam cum exercitu redire, ad cujus rei sollicitandum effectum, Romani duos ex senatoribus venerabiles viros lateri Regis adjunxerunt, qui cum eo in Germaniam venientes à suo proposito abierunt.

Antipapa Nicolaus à Ludovico Cæsare Pisanis commendatur.

Ludovicus Imperator novus à Roma digressus Nicolaum Antipapam suum Romanis non audebat confidere, sed veniens cum eo Pisas ibidem jussit manere, donec ipse rediret in Italiam. Pisani ad instantiam Cæsaris obedientiam & fidelitatem Nicolao contra Joannem promiserunt, & quòd eum fideliter tuerentur ab omni molestatione adversariorum juramento confirmârunt. Ludovico autem in Germaniam reverso Pisani commendatum sibi Nicolaum ad Joannem Papam in Avenionem miserunt, qui suum compulsus fateri reatum, veniam petijt, & ad perpetuum carcerem positus vix triennio supervixit.

Galeazius Vice-Comes Mediolani à Ludovico instituitur.

A Pisis Imperator Mediolanum veniens, rebus salubriter ordinandis per Longobardiam animum intendit, obierat enim paulò ante Maffæus Vice-Comes Mediolanensis, in cujus locum Rex Ludovicus Galeazium ejus filium Joanni Papæ inimicissimum Vice-Comitem constituit. Quod factum Pontifici memorato ultra modum displicuit, & propterea novos in Ludovicum processus fulminavit: priùs illum ut diximus tanquam fautorem & defensorem hæreticorum & schismaticorum excommunicaverat, quoniam & Fratres quosdam Ordinis Minorum damnatos à Papa susceperat, & Vice-Comitibus ab illo excommunicatis auxilium impendit.

Iterum Johañes XXII. censuras in Ludovicũ fulminat.

Nunc autem graviores in eum censuras fulminat, quem excessisse tripliciter constat. Primò quia coronam Imperij, contempto Romano Pontifice, à simplici susceperat Episcopo, quod non licuit. Secundò quia verum Christi Vicarium totis viribus persecutus, Idolum pernicioſi Schismatis erexit. Tertiò quòd Jura & Administrationem Romani Imperij sine Consensu Pontificis sibi usurpavit.

Censuras igitur Papa in Regem Ludovicum de novo multiplices aggravat, & eas publicari per totam Germaniam sub pœnis terribilibus mandat,

mandat. Sed cùm severitatem Ludovici omnes metuerent, & nemo Papæ censuras contra illum denuntiare præsumeret, soli Fratres quidam Ordinis S. Dominici Spirenses maximè & Francofurtenses fortiter se murum pro domo domini statuerunt, & processus Papæ omnes contra Ludovicum Regem intrepidâ constantiâ in diversis locis iterum atque iterum publicârunt, non sine periculo & multis contumelijs.

Fratres S. Dominici fortiter steterunt pro domo Domini.

Anno prænotato mortuus est Cuno de Schőneck Ecclesiæ Wormatiensis Episcopus in Cathedrali Basilica sepultus. Post cujus obitum fuit in electione dissensio gravis subsecuta, propter quam duo in Avenione coram Papa de Pontificatu contendebant, Gerlacus videlicet Schenk de Erpach, & quidam, cujus nomen non occurrit. Unde Papa Joannes contentione istâ durante Baldevvinum Archiepiscopum Trevirorum Administratorem Ecclesiæ Wormatiensis constituit, & omnem ei totius Diœcesis curam & dispositionem tam in spiritualibus, quàm in temporalibus commisit. Eodem anno Berchtoldus de Buchek ex ordine Teutonicorum Spirensis Episcopus mandato Joannis Papæ XXII. ad Ecclesiæ Argentinæ tunc vacantis Pontificatum translatus est, vacante Spirâ in annum sequentem.

Interea Baldevvinus Trevirorum Archiepiscopus duarum jam anteà Ecclesiarum Episcopalium Moguntinæ ac Wormatiensis Administrator, etiam hujus Ecclesiæ Spirensis administrationem Fratrum postulatione, & mandato Papæ suscepit. Res admodum stupenda, ut unus homo simul & semel apud Germanos quatuor Episcopatus gubernare aut deberet, aut posset. Sed erat iste homo singularis, qui non minus arte, quàm naturâ ad magna fuit dispositus.

Baldewinus quatuor Episcopatuum gubernator.

Anno etiam prænotato Joannes Papa XXII. in Avenione consistens, Petrum de Murrone Cœlestinum quondam Papam V. quem Bonifacius Papa VIII. post resignationem Pontificatûs custodiæ mancipaverat usque ad mortem, propter crebra ejus miracula Sanctorum Catalogo inscripsit.

Petrus de Murrone qui & Cœlestinus Papa V. canonizatur.

Eodem anno Pisani cives, qui post mortem Castrutij in subjectionem Imperatoris Ludovici juraverant, veteri more gentis Italiæ, Germanis nescientes servare fidem, ipso Cæsare in Germaniam reverso, mox Bonifacium quendam in Capitaneum erexerunt, & libertatem sibi rebellione vendicant, qui ut Papæ Joannis XXII. consequerentur gratiam & favorem, Antipapam Nicolaum suæ fidei commissum in Avenione Pontifici memorato destinârunt, ut paulò antè diximus.

MCCCXXX.

Anno Sigismundi Abbatis XIII. Walramus filius comitis Mosellani de Veldenz, promotione Baldevvini Archiepiscopi Trevirorum factus est Episcopus Spirensis Ecclesiæ, & præfuit in ea fermè sex annis, vir bonus & honestus.

Walramus filius Comitis de Veldenz fit Episcopus Spirensis.

Eodem anno Baldevvino administrationem Ecclesiæ Wormatiensis resignante, Gerlacus Schenk de Erpach Pontificatum obtinuit, & duobus annis præsedit. Fuerunt qui scriberent, illum neque per electionem vocatum, neque à Papa provisum, neque confirmatum præfatam biennio occupâsse Ecclesiam, & inutiliter præfuisse. Sed de his firmam dare sententiam sicuti certè non possumus, ita temere non debemus; ab eo siquidem tempore, quo scribere gesta & successiones Pontificum Germaniæ Monachi & claustrales desierunt, mancam necessariò canonici pene

omnium Ecclesiarum Cathedralium suarum rerum, aut nullam legunt historiam.

Henricus Busman de Virneburg fit Archiepiscopus Moguntinus.

Anno prænotato post longam contentionem inter Henricum de Virneburg cognomento Busman, & Clerum Moguntinum coram Papa Joanne prænominato apud Avenionem ut supra diximus habitam, Henricus tandem per sententiam obtinuit, & mandato ipsius Papæ in Archiepiscopum consecratus fuit. Deinde comitantibus duobus Legatis Apostolicis, venit ad Moguntiam, & ut verus ac legitimus Ecclesiæ Moguntinæ Præsul postulat intromitti; scripserat enim Papa Baldevvino Trevirorum Archiepiscopo, mandans, ut administrationi cederet, & omnia Episcopalia Henrico resignaret: Clero etiam & populo præcipit, quatenus destinatum sibi Archiepiscopum reverenter & cum honore susciperent, & in cunctis illi fideliter obedirent. Qui ubi mandatis Apostolicis non possent resistere, coacti sunt obedire. Veruntamen civitatem Henricus sub conditione citius exeundi propter discordiam intrare permissus, aliquandiu in Rhenigauia commoratus est.

Henricus verò in Archiepiscopum sublimatus præfuit annis sedecim, & postea per Rom. Pontificem Clementem sextum deponitur, quoniam & Apostolicæ Sedi rebellis extitit; & Ludovico Imperatori excõmunicato, pertinaciter adhæsit. Iste Henricus castrum in Alta villa juxta Rhenum, quod Baldevvinus inchoaverat, ad plenum consummavit, & cum civibus Moguntinis tandem concors extitit.

Comitatus Palatinus Rheni inter filios Rudolphi dividitur.

His temporibus Ludovicus Imperator vocans ad se filios fratris sui Rudolphi, quem cum Friderico Duce Austriæ sentientem de Patria in Angliam fugere, ut supra diximus, compulerat, in præsentia quorundam principum Regni paternam inter eos distribuit hæreditatem; fuerunt autem eorum tres. Rudolphus primogenitus homo parum astutus, uxorem habuit sororem Regis Ungariæ Ludovici, de qua genuit unicam filiam nomine Margaretam, quæ nupsit Carolo Regi Bohemiæ postea Imperatori. Huic Rudolpho Ducatus Patris sui cessit in Bavaria, cum omnibus ad eum pertinentibus, quæ genitor ibi habuit. Rupertus secundo-genitus quædam paterni principatus in partibus Rheni accepit, oppidum videlicet Neapolitanum, vulgariter Neustatt appellamus in Diœcesi Spirensi, cum pertinentibus ad illud. Iste Rupertus Ecclesiam in eodem oppido pulchram rubro tabulato lapideo, novámque à fundamentis construxit, & duodecim in ea præbendas erigens magnificè dotavit, & multa bona fecit. Gymnasium quoque Universale in oppido Heidelberg Wormatiensis Diœcesis auctoritate Apostolicâ instituit; quod multis privilegijs & proventibus cumulavit. Qui tandem sine liberis moriens ante chorum in Ecclesia Neapolitana, quam ipse, ut diximus, fundaverat, cum honore sepultus est, quemadmodum suo inferius loco plenius dicetur. Omnis autem possessio ejus ad juniorem fratrem comitem Palatinum Rheni, de quo jam sine medio dicemus, reversa est.

Universitas Heidelbergensis fundatur.

Adolphus ultimò genitus Rudolphi Comitis supradicti, oppidum Heidelberg & Palatij Rheni Comitatum cum Electorali dignitate in possessionem accepit, Ludovico patruo sic disponente, propterea, quòd in agendis rebus, atque negotijs Principatûs cæteris fratribus magis esset idoneus. Uxorem habuit filiam Comitis de Oettingen Bavari, de qua genuit

genuit Rupertum comitem Palatinum, per quem continuatur genealogia eorundem Principum, ut in sequentibus per Ordinem dicemus.

MCCCXXXI.

Anno Sigismundi Abbatis XIV. Baldevvinus Archiepiscopus Trevirorum, vir sempiternâ memoriâ dignus, divino Spiritu inspiratus, Capellam Divi Martyris Albani cum horto pulcherrimo adjacente extra muros Trevirorum urbis, precibus & pretio ab Abbate & Monasterio S. Apostoli Matthiæ comparavit, & Carthusianæ Religionis Cœnobium in eo construere cæpit; quod in novem annis perficiens magnificè dotavit: & anno Sigismundi Abbatis Hirsaugiensis ultimò Ecclesiam ejusdem Monasterij consecravit. His etiam temporibus sæpe memoratus Pontifex Baldevvinus, apud Confluentiam pontem lapideum satis fortem & pretiosum super Mosellam fluvium à fundamentis novum construxit, multis & gravibus impensis, ut hodie videtur. Consummato tandem opere sanctione perpetuâ constituit, omnes Trevirensis Diœceseos indigenas, transitum habere debere per pontem liberum; alienigena verò quilibet per eum transiturus, Religiosis, Clericis, & mendicantibus duntaxat exceptis, unius oboli, quorum duodecim faciunt nummum, donatione transirent.

Carthusia apud Trevirim fundatur per Baldewinum Archiepisc.

Pons lapideus apud Confluentiam ab Archiepisc. construitur.

Anno prænotato Joannes ex Duce Luzenburgensi Bohemiæ Rex magno suorum adunato exercitu, jussione Imperatoris Ludovici Longobardiam ingreditur, Galeatio Vice-Comiti laturus auxilium, contra rebellionem quarundam civitatum, quæ post Imperatoris ad Germaniam regressum sese in libertatem vendicare meditabantur, occiso vel expulso præsidio Imperiali. Rex autem Bohemiæ pro Imperatore bellum acturus, in brevi rebelles graviter afflixit, Brixiam, Bergomum, Lucam, Parmam, Regium, Mutinam, & plures alias civitates, oppida & castella capiens rebellium, suæ ditioni nomine Cæsaris potenter subjugavit, auctores verò & capita rebellionis quotquot invenire potuit, laqueo suspendit.

Joannes Bohemiæ Rex Longobardos rebelles domuit.

Eodem quoque anno facta est dissensio gravis inter Henricum, Bavariæ Ducem cognomentp Probum, & Ottonem ejus fratrem, cum Henrico juniore filio Ottonis quondam Ungariæ Regis, de quo dictum est anno Henrici Abbatis II. pro quibusdam terminis & oppidis Ducatûs Bavariæ inferioris. Ludovicus verò Imperator pro Ducibus Ottone & Henrico juniore pugnaturus, contra Henricum Probum, vocatis in auxilium Ungaris magnum parabat exercitum, delevissétque illum penitus, nisi bono fuisset consilio præventus. Joannes námque Rex Bohemiæ cùm audisset Imperatorem expeditionem præparare in Henricum Bavariæ Ducem, cujus ipse socer erat, vices suas interposuit, & concordiam inter dissidentes reformari ut sequitur impetravit.

Ludovicus ergo Imperator ad instantiam Joannis Bohemiæ Regis memoratos Duces Bavariæ circa festum S. Bartholomæi ad Ratisbonam convocavit, ubi in præsentia quorundam Principum regni talem inter eos divisionem fecit. Henricus Dux senior cognomento Probus, in ea divisione sequentia oppida & castella cum suis pertinentijs in portionem hæreditatis legitimam accepit, videlicet, Landshutam, Straubingen, Scherdingen, cum alijs ad ea pertinentibus. Ejus fratri Duci Ottoni

Divisio fit Ducatus Bavariæ inter Duces.

distributio contulit Burghausen, Oettingen, Draunstein, Halle cum reliquis usque ad Salzburgensium alpes ad ea jure spectantibus.

Henricus autem junior in suam portionem accepit, Dingelfingen, Landavve, Vilshofen, Dekendorff, Cambur, Kelheim, cum alijs sibi deputatis. Verum hæc divisio non satis placuit seniori Henrico, unde non diu postea terminos memoratæ divisionis temerè transgrediens, cùm Imperatoris monita contemneret, ejus in se animum graviter ostendit iratum; contractis igitur copijs Ducatum Henrici Ludovicus ut hostis ingreditur, & per duos menses Straubingen durâ satis obsidione vallatur; iterum Bohemiæ Rex Joannes vices suas interposuit, & Ducem ad obedientiam Cæsaris revocavit.

Petrus de Lutra inter scriptores unus.

Claruit his temporibus inter Germaniæ Doctores non ultimus Petrus de Lautra Præmonstratensis Ordinis, qui scripsit inter cætera ingenij sui opuscula super sententias libb. IV. In Evangelium Joannis lib. I. Ad Baldevvinum Archiepiscopum de prærogativa Trevirensis Ecclesiæ lib. I. De Romani Pontificis eminentia insigne opus, quòd Candelabrum septenarium prænotavit libb. III. Contra Michaelem de Cæsena & ejus sequaces, Romanum Pontificem contemnentes lib. I. De forma & modo nuptiarum lib. I. De Columnis mysticis ad Cardinalem de Columna lib. I. De Sacramento Altaris lib. I. Epistolas quoque plures ad diversos, sermonésque & varia synthemata lucubravit. Lupoldus de Babenberg Bambergensis Ecclesiæ Canonicus, Joannis Andreæ in utróque Jure quondam auditor his etiam temporibus magno in pretio fuit. Qui scripsit inter alia commendabile opus de Zelo & fervore Christianæ fidei, antiquorum Germaniæ Principum lib. I. De juribus & translatione Romani Imperij ad Baldevvinum Trevirorum Archiepiscopum lib. I. De cæteris ejus lucubrationibus nihil vidimus. Claruerunt & alij complures viri doctissimi his temporibus in Germania nostra excellentes ingenio & doctrinâ, qui multa & varia synthemata scripserunt. Petrus videlicet de Saxonia Ordinis minorum. Conradus Saxo ejusdem Ordinis. Alanus de Insulis Flandriæ, Joannes Danck Saxo astronomus, Sibertus de Beka Carmelitanus Joannes de Blumendall, Simon de Spira ejusdem Ordinis, Ludolphus in Argentina Carthusiensis. Joannes de Gandersleben Francus astronomus & mathematicus subtilis valde, & alij multi de quibus alibi scripsimus.

Lupoldus de Babenberg Jurista scriptor, & alij.

MCCCXXXII.

Anno Sigismundi Abbatis quintodecimo in civitate Argentinensi gravissima inter Senatores & plebeios seditio magnam regiminis alterationem intulit, & reipublicæ mutationem. Ab annis námque multis Domini & rectores civitatis memoratæ soli admittebantur nobiles, humilium verò nullus quicquam auctoritatis habebat. Infirmiores autem nobilium potestate nimiâ oppressi tandem in rebellionem conspirant, & collectis indignatione viribus, tota se communitas Urbanorum contra rectorum tyrannidem opposuit. Magnus in civitate furentium atque sævientium populorum tumultus oritur, ad pœnam nobiles confusis vocibus postulantur. Senatores urbis ad pacis tranquillitatem cupientes revocare furentes, cùm non possent, dimissâ civitate consilio in proxima sese castella receperunt. Existimaverant enim, quòd potestatis ab urbe absentia,

Argentinæ inter Senatum & cives magna seditio.

absentia, tumultuantis populi animos facilius & citius sedare debuisset; sed aliter quàm speraverant res progressum accepit, ut enim de urbe nobiles recesserunt, cives audaci consilio usi, portas civitatis omnes clauserunt, publico statuentes edicto, quòd illorum nulli de cætero, qui temere urbem exierant, in æternum pateret regressus: itaque factum est, ut senatus nobilium, qui humiles urbanos propriâ temeritate deseruit, redire in civitatem amplius non permissus, justâ ratione perpetuum cogeretur portare exilium, & qui noluit humilibus in parvo condescendere propriâ se nescius privaret potestate. Cives in libertatem conspirantes, novum ex se consulatum instituerunt, vetere penitus abrogato, & prosus in exilium acto, lege decernentes firmissimâ, quòd supremus Rector urbis, quem vocant Magistrum, quotannis perpetuò creandus nullâ ingenuitate sanguinis, aut genere notabilis, sed plebeius ignobilis instituatur. Quæ constitutio in consuetudinem versa continuatur apud eos usque in præsentem diem.

Plebs Argentina contra senatum prævaluit.

Anno Sigismundi Abbatis prænotato octavâ decimâ die mensis Decembris obijt Gerlacus Schenck de Erpach Wormatiensis Ecclesiæ Præsul, cui Salmannus de Moguntia oriundus provisione Joannis Papæ XXII. succedens præfuit annis ferme tribus & viginti, qui à Benedicto Papa XII. in Episcopum consecratus fuit. Verum Clerus cum civibus se fortiter oposuerunt, & eum pro Pontifice noluerunt admittere: propter quod Papa commotus civitatem Interdicto suppossuit, & plures ex Canonicis maximè de Neuhausen Salamanno rebelles præ cæteris excomunicavit. Salamannus tamen Papâ sibi assistente prævaluit, & in Episcopum à Clero & populo susceptus fuit.

Salamañus fit wormatiensis Episcopus contra voluntatem Cleri.

His temporibus Regnum Turcorum in Asia minore sumpsit exordium, quod interea per annos centum octoginta maximum sui accepit incrementum. Est autem Turcia in Asia minore parvum ab origine Regnum, habens ab oriente Armeniam, à meridie Pamphiliam, ab Aquilone Bythiniam, ab occidente mare Ægeum, & Græciam, illam videlicet Provinciam, ubi magna quondam Troja constituta fuerat. Cujus quidem Regni Turcorum tale memoratur principium. Fuit his temporibus in Turcia homo quidam parvi censûs, & non magnæ reputationis, nomine Ottomannus, religione Saracenus, vir astutus & factiosus, qui duobus de Principatu Turciæ contendentibus, accitis undique viris raptoribus, prædonibus, quibus illa terra multùm abundat, sibi totius Turciæ principatum usurpavit, & expulsis vel occisis principibus terræ cunctis, brevi tempore & nomen magnum, & auctoritatem obtinuit regalem. Itaque primus Turcorum iste Rex Ottomannus in Asia minore Principum discordiâ factus regni terminos usurpati multùm dilatavit. Post Ottomannum regnavit filius ejus Orchanes super Turcas, qui constituit prælia multa cum finitimis gentibus, & regnum suo tempore multum ampliavit. Quo mortuo Amurates filius ejus regnum Turcorum suscipiens multa sibi violenter attraxit, erat enim vir callidus & infidus. Qui, cùm duo Christiani fratres de Imperio contenderent, ab altero, qui superari timebat, in auxilium vocatus, ex Asia venit in Græciam, vidénsque ambos viribus fractos, atque defatigatos, arma in eos convertit, & magnam Græciæ partem suo dominio per tyrannidem subjecit. Hic moriens duos filios reliquit

Regni Turcarum in Asia principium.

Ottomannus Rex Turcarum primus.

Orchanes Rex II.

Amurates Rex III.

reliquit Solomannum & Pactietem, Solomanno brevi extincto, Regnum Turcorum univerſum ad Pactietem pervenit. Qui priuſquam à Tamerlano caperetur, in Græcia res geſſit magnas, poſteà nihil memoriâ dignum: qui mortuus plures filios reliquit, quorum primus Calapinus regnum obtinuit, & poſteaquam aliquandiu regnâſſet, à Moyſe Patruo ſuo extinctus fuit. Moyſes autem Calapino nequiter perempto regnum Turcarum ſibi uſurpavit, & multo tempore cum tyrannide regnans etiam ipſe ſine liberis mortuus eſt, poſt mortem verò Moyſi Mahumetes tertius ex Pactiete filius regnum obtinuit, qui Conſtantinopolim & univerſam penè Græciam, cum Thracia, & regno Boſniæ extinctis multis Chriſtianorum millibus, ſuo imperio violenter ſubjecit. Ante hunc fuerunt & alij duo reges Mahumetes & Amurates, de quibus feruntur multa mala Chriſtianis facta tam in Aſia, quàm in Græcia penè tota. Amuratis filius fuit ultimus Mahumetes, cujus filius Pactietes tertius, qui hodie regna ſuper Turcas, Modonam urbem in Morea noſtris temporibus cepit.

Pactietes Rex IV.

Calapinus Rex V.

Moyſes Rex VI.

Mahumetes Rex 7.

MCCCXXXIII.

Anno Sigiſmundi Abbatis XVI. Joannes Papa XXII. Ludovico Rege Portugalliæ roganteLegatum miſit ad regnum ejus quendam Cardinalem pro ſedandis certis diſſenſionibus inter ipſum regem & quoſdam Principes regni, qui veniens in regnum pacem & concordiam reformavit, & ex varijs diſpenſationibus & gratijs pecuniam non modicam acquiſivit; quod cognoſcentes quidam latrones, in unum coadunati, ejus tranſitum in quodam latiſſimo nemore obſervârunt, venientem cum gladijs & fuſtibus invaſerunt, & tam ipſum, quàm omnes, qui cum eo erant, crudeliter peremerunt, diripientes omnia, ita ut veſtibus ablatis nuda relinquerent cadavera.

Cardinalis Legatus cum tota familia ſua à latronibus occiditur.

Eodem anno ultimâ die menſis Junij obijt Wolframus de Grumbach Epiſcopus Herbipolenſis & Dux Franciæ Orientalis, & in majori Eccleſia ſepelitur, quo mortuo gravis inter Canonicos in electione diſcordia ſubſecuta eſt; nam una pars cum Ludovico Imperatore ſentiens, ejus Cancellarium Hermannum de Liechtenberg, Spirenſis Eccleſiæ canonicum ſibi Pontificem elegit, alia verò pars & major & conſilio ſanior, quæ Papæ Joannis tuebatur ſententiam, Ottonem Wolfskele memoratæ Herbipolenſis Eccleſiæ Canonicum, & Archidiaconum ſibi delegit Epiſcopum. Cauſa mox ad examen Joannis Papæ XXII. devolvitur, qui tunc ut ſupra dictum eſt, in Avenione oppido Galliæ Curiam Papalem tenebat. Papa itaque modo & formâ electionis ſimul & Zelo eligentium, atque meritis electorum diligenter examinatis, Hermanno de Liechtenberg abrogato per ſententiam Ottonem legitimum Herbipolenſis Eccleſiæ Pontificem pronuntiat, & auctoritate Apoſtolicâ confirmat, anno videlicet prænotato die menſis Decembris ſecundâ, qui tamen anno ſequenti viceſimâ die menſis Julij apud Leodium urbem Lotharingiæ vetuſtiſſimam ſolemni pompâ fuit conſecratus, ſed anno electionis ſuæ tertio ad poſſeſſionem Epiſcopatus primùm pervenit, Hermano de Liechtenberg cum Imperatore Ludovico promotioni ejus obnitentibus.

Diſſenſio duorum ad Herbipolenſem Epiſcopatum electorum.

Claruit his diebus Udalricus de Auguſta Imperatoris Ludovici ſcriba ſecretus, homo in utróque jure peritus, ſed plus æquo Pontifici Romano injurioſus, qui diſcordiarum inter Eccleſiam & Imperium non ultimum

Udalricus de Auguſta Imperialis Aulæ ſcriba doctiſſimus.

mum fomentum extitisse ferebatur; in litteris námque Imperialibus ad Papam scriptis modestiæ normam gràviter excedens, bestiam illum de mare ascendentem sæpiùs nuncupavit, & varijs Christi Vicarium injuriosis nominibus nomine Imperatoris appellavit, quanquam hoc ipsum latere Imperatorem plures fuerint, qui dicerent. Hoc autem constat manifestè, quòd Papam injuriosus scriba plurimum irritavit.

Vini multa copia.

Maxima hoc anno in partibus Mosellanis cis-Rhenanis & Franciæ orientalis vini abundantia crevit, ita quòd tempore vindemiarum multis defecerint vasa. Vas alterum vino plenum cum magnis precibus dabatur pro altero vacuo etiam minoris quantitatis, duæ quoque vini mensuræ pro uno vendebantur obulo, quorum duodecim solidum faciunt unum Herbipolensem.

Anno prænotato mortuus est Henricus Dux Bavariæ junior filius Ottonis quondam Regis Ungariæ sine liberis, anno ætatis suæ primo atque vicesimo, cujus Principatus Henrico Duci probo, & Ottoni fratri ejus in portionem cessit.

Conventus Principum in Spira factus est cum Imperatore.

Anno item præscripto Ludovicus Imperator Conventum Principum regni apud Spiram ad festum S. Bartholomæi magnum indixit, quibus ad diem præfixum convenientibus multa ibi pro cõmuni hominum pace tractata sunt, & in raptores atque latrones, qui viatoribus insidiabantur, acies ordinatæ. Plura etiam pro sui justificatione contra Joannem Papam Cæsar produxit in medium, quibus auditis & examinatis multi viri doctissimi consenserunt, Papæ sententiam minus justam arbitrantes, propterea quòd Papa Petri Sedem mutavit.

Wormatiensium civium seditio gravis.

Inter Senatum & cives Wormatienses hoc anno gravis fuit suborta seditio, propter Episcopalia jura & privilegia Canonicorum; Senatum enim contra Clerum multa temere dicebatur præsumpsisse, quæ non debuerat, unde gravati Sacerdotes atque Canonici communitatis præsidium invocârunt. Cives autem pauperes de manuum suarum labore viventes haud parum enitebantur pro Clero, maximè propterea, quòd ab illo pro suis artificijs quotidiana suscepêre stipendia, unde si urbe Clerus pelleretur, manifestum erat pauperum augeri penuriam, & reverà parum abfuit, senatum Argentinensibus similem subire pœnam, nisi quidam maturius negotium pensiculantes interpositione amicorum pacem reformâssent.

MCCCXXXIV.

Anno Sigismundi Abbatis XVII. mortuus est Henricus Archiepiscopus Colonienſis, non sine multorum gratulatione, quippe qui toto fere Pontificatûs sui tempore civibus suis graviter fuit infensus, & Imperatori Ludovico à principio & pluribus annis contrarius, ut in præcedentibus patet. Huic in Archiepiscopatu successit Walramus filius Gerhardi Comitis Juliacensis, memoratæ Colonienſis Ecclesiæ Canonicus & Thesaurarius, Leodiensisque Præpositus, vir in utróque jure suo tempore doctissimus, & præfuit annis sedecim, mensibus sex, diebus decem & novem, qui ut bonus pastor utiliter rexit Ecclesiam sibi commissam, in utroque statu, & pacem terræ diligentissimè custodivit.

Walramus fit Archiepiscopus Colonienſ. annis XVI.

Carthusia in Colonia fundatur per Walramum.

Inter alia pietatis studia Monasterium Ordinis Carthusiensium Monachorum in Colonia construxit, in quo Fratribus Deo servituris perpetua

stipendia providit, cujus loci fundum à Monasterio S. Pantaleonis nostri Ordinis ibidem pecuniâ comparavit, alijs similiter Ecclesijs multa bona contribuit.

Adolphus Palatinus cum sibi adhærentibus contra Baldevvinum.

Anno Sigismundi Abbatis prænotato, Adolphus Comes Palatinus Bavariæque Dux, qui morabatur in Heidelberg, Joannes, Simon & Junior Simon Comites de Spanheim, Comes item de Nassavv, Comes Silvestris de Duna, Comes Rheni cum quibusdam alijs Comitibus atque nobilibus se mutuò confœderantes contra Baldevvinum Archiepiscopum Trevirorum & Comitem de Veldenz bellum parabant. Quod mox ut Baldevvino innotuit, contractis copijs terram Comitis de Spanheim sibi viciniorem ingreditur, & omnia devastans, nemine resistente, magnâ populum clade percussit, castrum Sprendlingen obsedit, cepit, & destruxit, villas incendit, spolia diripuit, populum non peremit, sed fugere compulit, castrum Spanheim postremò fortissimâ obsidione vallavit, in quo tunc erat filia comitis de Falckenburg uxor Simonis Comitis de Spanheim senioris, neptis ipsius Archiepiscopi Baldevvini. Hæc videns imminere periculum, foras cum suis puellis egreditur, & provoluta pedibus Archiepiscopi pacem & misericordiam precatur: ad preces ejus pacem dedit Archiepiscopus Comitibus de Spanheim, & datis cum securitate litteris concordia facta est, & reconciliati ad invicem abierunt. Comes autem Silvestris de Duna, Comitibus de Spanheim conterminus se in quodam castello Velsperg nuncupato continebat, non enim poterat exercitui Pontificis congredi, & socij ad succurendum ei necdum fuerant præparati. Postea enim quàm audierant, ad Comitatum Spanheimensem tantam Trevirorum convenisse multitudinem, animis dejecti sunt, & omnes retrò abierunt. Baldevvinus audiens Silvestrem comitem, hoc est, den Wildgrafen in petræ monte latere, castellum obsedit, cepit, ac funditus destruxit, Comitem suis obedire mandatis coëgit, Velsperg autem usque in hanc diem jacet destructum.

Comes Silvestris ab Archiepisc. capitur castrum dissipatur.

Joannes Papa xxii. obijt.

Anno etiam præscripto in die S. Barbaræ Virginis & Martyris obijt Joannes Papa xxii. in Avenione sepultus. Sunt qui scribant, eum post mortem in thesauris suis tantam reliquisse pecuniam, quantam nullus ante illum inter Romanos Pontifices habuerit unquam. Ut enim totam auri & argenti congeriem unâ comprehendam summâ, quinquies & vicies centum millia Ducatorum in prompta pecunia post se reliquisse scribitur, quæ summa usitatâ supputatione calculata facit aureorum Rhenensium vasa, sive thonnas xxxiii. centum millia florenorum auri pro uno vase computando.

Benedictus fit Papa xii. ex Monacho.

Joanni huic Papæ xxii. in Pontificatu successit Benedictus ejus nominis xii. patriâ Tholosanus Professione Monachus Cistertiensis Ordinis sub Regula sanctissimi P. N. Benedicti, cujus in memoriam se Benedictum voluit nuncupari, qui Jacobus antea dicebatur, & præfuit annis septem, mensibus tribus, diebus xvii. vir doctus & rectus in cunctis operibus suis.

Eodem quoque anno xxi. die mensis Julij, Otto Wolfskele anno præterito confirmatus à Joanne Papa xxii. ut supra diximus, Leodij in Ecclesia S. Bartholomæi consecratus fuit in Episcopum Herbipolensem; illo tamen anno ad possessionem impediente Cæsare non pervenit.

MCCCXXXV.

MCCCXXXV.

Anno Sigismundi Abbatis XVIII. mortuus est Otto Bavariæ Dux, filius quondam Stephani Ducis, & frater Henrici senioris cognomento Probi sine liberis, de quo supra fecimus mentionem, cujus Ducatus ad fratrem devolutus unam Bavariæ Monarchiam constituit.

Ludovicus Imperator Oratores pacis misit ad Benedictum Papam.

Eodem anno Ludovicus Imperator solemnes nuntios misit in Avenionem ad Benedictum Papam XII. postulans restitui Ecclesiæ unitati, contra quam si quidpiam deliquisset, ejus pollicebatur judicio satisfacere & emendare. Papa nuntios Cæsaris honorificè suscepit, benignè audivit, & libenter eum absolvisset à censuris, nisi Regem Gallorum & quosdam Cardinalium timuisset; Gallus enim faventibus sibi quibusdam Cardinalibus ad Imperium Romanorum aspirabat, & ideò Ludovico Cæsari quantum potuit, adversabatur.

Otto Episc. Herbipol. à Capitulo suscipitur & præfuit annis decem.

Anno prænotato novus Ecclesiæ Herbipolensis Præsul Otto Wolfskel apud Leodium, ut jam supra dictum est, ordinatus, cùm propter metum Ludovici Cæsaris & insidias Hermanni de Liechtenberg iter tutum ad Herbipolim non haberet, per Coloniam ad Metam, & inde per Westrasiam venit cum paucis in Franciam Orientalem, in castro Rosberg Herbipoli proximo cum suis ad breve tempus recipiens mansionem, deinde trigesimâ die mensis Augusti Herbipolim ingressus à Civibus, ut est consuetudo, suscipitur, & à Capitulo similiter admissus omnia jura & possessiones totius Episcopatus eidem consignantur; qui ab illo die præfuit Ecclesiæ Herbipolensi annis decem, minus septem diebus.

Ventus horribilis.

Anno præscripto in die Apostolorum Simonis & Judæ ventus magnus & horrendus in partibus Cis-Rhenanis cum turbine subitò insonuit, qui domos plures & arbores sine numero subvertit, & infinita mortalibus damna intulit.

Luporum rabies horrenda multos homines devoravit.

Eodem quoque anno per multas Sueviæ villas prope Weil oppidum & circumcirca lupi, quos rabidos seu rabiosos vulgariter Wehrwölff appellant, gravissima damna pauperibus intulerunt, non enim pecora solùm, sed etiam homines devorabant, & neque capi quolibet ingenio poterant humano, neque canum vel latratu, vel immissione terreri. Aliquando unus gradiebatur solus, aliquando duo simul, rarò tres, nunquam quatuor aut plures. Tantæ verò agilitatis ferebantur, ut vento incursando putarentur velociores. Erat res omnium judicio monstro aut præstigio simillima, quoniam & visibiles erant, & subitò quasi spiritus aut phantasmata à conspectibus hominum evanuerunt. Vulgi sententia est, eos lupos de quibus loquimur, transmutatione metamorphoseos ex hominibus fieri Wehrwölff: & sunt qui dicant, se observatione curiosâ expertos, quòd homini jam propè transformando in lupum, caro priùs à spina dorsi excrescens in modum caudæ, futuræ metamorphoseos certum præstet indicium: quæ quidem opinio veritatis in se continet nihil aut parum, nisi fiat deceptio sensuum præstigio dæmonum, quorum operatione hæc fieri, quoties fiunt, nulli sit dubium; quemadmodum & in his maleficiatis experientia nos fecit certiores, ubi sensus decepti præsentia judicant ablata. Et ego pauperem vidi mendicum quondam in terra Mosellana, cujus spina dorsi caudam in extremitate circa posteriora habebat in longitudinem unius fermè digiti excrescentem, cujus

Opinio vulgi de rabidis lupis quos appellant Wehrwölff.

novitatis spectaculum & multi mirabantur, & nemo tunc fortassis intellexit. Metuebat homo se tum futurum lupum, sicut ex ejus ore audivi, opinione vulgari, ut credo, perterritus. Post menses autem quatuor vel quinque ejusdem inquisitionem cùm facerem apud notos, dicebant illum nusquam comparere, & se nescire penitus, quid de illo sit actum.

Opinio Wilhelmi Parisiensis de lupis rabiosis Wehrwölff.

Memini me legisse in libro Wilhelmi Parisiensis de dæmonibus prænotato, quòd maligni spiritus nonnunquam lupos ingressi possideant, quemadmodum in hominibus id fieri sæpius videmus, quorum furore agitati vertuntur in rabiem, & cooperantis instinctu dæmonis mirabilia faciunt, non suæ naturæ potentiâ, sed illius, ut dictum est, agilitate malitiæ, à cujus occupatione detinentur. Si qui verò intereà homines in lupos se putaverint esse mutatos, non veritate contigit metamorphoseos, sed imaginatione patientis; neque enim difficile est dæmonibus, materiâ dispositâ, inducere falsam imaginationem homini malè qualificato, ut vel lupum se putet esse; vel opera dæmonis per lupum facta sibi ascribat. Frequenter etiam nostris scimus compertum temporibus, versos in rabiem lupos & pueros devorâsse, & talia patrâsse, quæ sine cooperatione dæmonis fieri posse nemo vir doctus facilè crediderit. Magna est agilitas dæmonum, & plurima possunt.

MCCCXXXVI.

Fratres S. Dominici per Imperatorem tertio de Spira sunt expulsi.

Anno Sigismundi Abbatis Hirsaugiensis XIX. Fratres de Ordine S. Dominici, magnâ & singulari constantiâ contra Ludovicum Imperatorem animati processus Romani Pontificis in eum publicè ac privatim denuntiare & proclamare non cessabant, dicentes, eum non solum à Romano Pontifice excommunicatum esse, sed hæreticum quoque, schismaticum, & ab omni Dignitate tam regali, quam Imperiali depositum. Unde Ludovico Imperatore irato præcipiente, tertiò ex civitate Spirensi fuerunt expulsi, & de Franckenfurt oppido semel. Illi autem nihil territi, quantò plus tribulabantur ab Imperatore, tantò contra eum fortius & amplius prædicabant.

Benedictina constitutio ad reformationem nostri Ordinis editur.

Anno prænotato Benedictus Papa XII. Ordinis nostri compassus ruinæ ac desolationi, novam pro ejus reformatione constitutionem edidit, quam ex ejus nomine Benedictinam appellamus, & incipit: *Summi Magistri dignatio, &c.* In qua quidem constitutione Provincialis Capituli celebrationem inprimis ordinat: deinde Provincias totius Christianitatis distinguit, pro ejusdem Capituli continuatione notanter confirmanda: postea de visitationibus Monasteriorum suam introduxit sententiam, & postremò multa per varias rubricas loquitur ad ipsus ordinis decorem & reformationem.

Mechlinia Brabantiæ nobile oppidum igne cælesti comburitur.

Eodem anno ignis de cœlo ut ferebatur decidens in Mechliniam Brabantiæ oppidum, ipsum pene totum cum Ecclesijs & locis sacris absumpsit, paucis valde domibus exceptis: multa hinc damna fuerunt illata mortalibus, & magno homines numero in ultimam sunt perducti paupertatem & inopiam.

Hoc ipso quoque anno in die festo S. Augustini Episcopi mortuus est Walramus ex comitibus de Veldenzia Spirensis Episcopus, vir bonus, & optimæ conversationis, in Ecclesia Fratrum S. Dominici cum honore sepultus. Post cujus mortem Sedes Episcopalis vacavit mensibus ferme tribus,

tribus, propter mandatum Imperatoris Ludovici, qui tempus Electionis faciendæ prolongavit.

Duobus post obitum Walrami Episcopi mensibus & xxvii. diebus evolutis, in festo S. Catharinæ Virginis & Martyris electus fuit Episcopus in Ecclesia Spirensi Gerardus de Ehrenberg, vir prudens in agendis, & in utróque jure non mediocriter doctus atque peritus, qui præfuit annis septem atque viginti, mense uno, diebus sex, & in utroque statu laudabiliter rexit Ecclesiam.

Rezbach Ordinis nostri Præpositura in Diœcesi Herbipol. erigitur.

Anno præscripto fundata & erecta est nova Præpositura nostri Ordinis in villa Rezbach Herbipolensis Diœcesis de consensu Ottonis Episcopi in honore B. Mariæ semper Virginis, & manet sub ditione Abbatis de Neustat cum Ecclesia ejusdem villæ parochiali; à pluribus siquidem annis fidelium concursus ad memoriam Intemeratæ Virginis Mariæ in eodem loco factus est, de quorum eleemosynis & Ecclesia fuit constructa, & necessarijs cum tempore provisa reditibus.

MCCCXXXVII.

Anno Sigismundi Abbatis xx. magna per totam Europam tam pecorum quàm hominum mortalitas fuit; quam fames ingens per Germaniam præcipuè & Galliam subsecuta est, & multa millia hominum in ea calamitate miserabiliter perierunt, quorum alios pestilentia devoravit, alios fames & inopia consumpsit; erat enim frumentorum magna ubique caristia

Henricus fit Abbas in Spanheim Ordine duodenus.

Eodem anno decimoseptimo die mensis Martij, obijt Wilhelmus Abbas quondam Monasterij mei Spanheimensis, & in choro Fratrum, ante gradus presbyterij sepelitur: post quem Henricus ex Stauronesо, id est, Creüzenach oppido natus fratrum electione succedens præfuit annis duobus mense uno & sex quoque diebus.

Cometes uno anno visi sunt duo.

Anno etiam prænotato Cometes miræ magnitudinis apparuit, & per menses quatuor duravit, cujus apparitio multos terruit, quibus timor de futuris malis atque periculis in animo fuit, & mira res accidit, quoniam priùs quàm iste Cometes esset extinctus, alius in alia cœli parte apparuit, & duobus mensibus duravit, secutæ sunt in Italia factiones & bella, pluréfque dominiorum mutationes.

Herbipolenses persecutores Clericorũ.

His temporibus cives Herbipolenses more suo inquieti contra Clerum multa iniquè per tyrannidem egerunt, & primò quidem instante undecimâ circa festum videlicet S. Matthæi Apostoli, omnibus Clericis & Religiosis interdixerunt sub maximis comminationibus prohibentes, ne vinum, quod eis creverat vel ex cultura propria, vel ex præbenda Ecclesiæ, ad civitatem introducerent. Hujus rei causâ inter Clerum & cives magnæ contentiones subsecutæ sunt, & pluribus annis duraverunt, donec tandem permittente Deo meritas pœnas sumpserunt rebelles; nam sicut hodie videmus, in populum Clerus & jure & merito dominatur civibus, à quibus olim per tyrannidem multas susceperit injurias.

Cujusdam militaris decapitati mirabilis historia

Anno præscripto Ludovicus Imperator apud Monachium in Bavaria consistens, Edictum pacis quendam ex militari genere violantem cum famulis quatuor capitum truncatione damnavit. Nomen erat viri Theodoricus Schvvinburg, qui pœnam accepturus jam positis in terram genibus Judicem rogavit, quatenus famuli per ordinem ante faciem ejus statuerentur,

tuerentur, & ipse post omnes fieret in ordine ultimus, esséque inter singulos una distantia pedum octo: deinde ei caput in ultimo consistenti ordine amputaretur, & quotquot sine capite currens sibi ordine servorum faceret posteriores, Imperiali clementiâ vitâ donarentur. Risit hominem Judex & respondit: *Etsi meæ non sit potestatis damnato concedere vitam, promitto tamen apud Cæsarem impetrare quod petis, quos capite amputato tuo currens vel ambulans prætergressus fueris.* Quibus auditis Theodoricus lætus efficitur & dixit: *Ita fiat precor, ô Judex, sicuti locutus es, & spero quòd nullus hodie servorum meorum morietur.* Dixit, & constans animo spiritum fortificans in semetipso mucronis ictum susscepit, amputato mox capite, in terram non cecidit tremens, sed in instanti surgens cum impetu præter singulos cucurrit sevorum, & ante novissimum cecidit. Res ad Cæsarem delata & ipsum & plures vertit in stuporem, servis truncati latronis vita conceditur, fides amórque Domini pro suis commendatur.

Germaniæ Regnum Interdicto supponitur à Papa.

His etiam temporibus Benedictus Papa XII. ad instantiam Regis Gallorum & quorundam Cardinalium, nec non & aliorum complurium æmulorum Imperatoris censuras in eum pristinas aggravavit, & Germanici regni terras, maximè per quas ille transitum faciebat, & in quibus moram faciebat, Interdicto Ecclesiastico supposuit, & hoc publicari per universum regnum præcepit. Miseriarum tempus & dies tribulationis, in quibus nec boni pacem habere poterant optatam, nec mali correctionem.

Imperator Papæ obedientes persequitur.

Quicunque Romano Pontifici obedientes Interdictum servare voluissent, ab Imperatore Ludovico ejúsque fautoribus persecutionem gravissimam patiebantur. Nullibi erant securi, nullibi tuti, sed in omni loco periculis tam vitæ, quàm rerum expositi: de urbibus & oppidis regni cogebantur exire: domos & possessiones laici dimittere: Presbyteri verò Ecclesias resignare: in solis Monasterijs quibusdam procul ab hominum habitatione remotis, vel in nemore constitutis pax erat interdum, sed pacis fiducia nunquam: unde multi tam ex Clero, quàm ex populo viri Deum timentes, & Ecclesiæ fideles, relictis urbibus & oppidis ad Cœnobia secretiora cum rebus se contulerunt, quorum alij ad tempus, alij verò usque ad mortem in ordine permanserunt; nam quicunque partes Imperatoris Ludovici sequentes, Pontificis Rom. contemnpsissent censuras, quorum & major & maximus erat numerus, horrendis à Papa fulminibus maledicebantur, & publicè denuntiabantur Hæretici, schismatici, excommunicati, à Deo maledicti, & cum dæmonibus damnati, ne dicam post mortem cruciandi, & erat miseria tantis non posse obviare malis.

MCCCXXXVIII.

Quingentesimus Hirsaugiensium annus hic est.

Iste primus atque vicesimus annus Sigismundi Abbatis, ab introitu fratrum primo de Fulda in Hirsaugiam quingentesimus fuit, sacro perfectionis numero completus, ut clarè patet seriem temporum calculanti; in his quidem temporibus quingentorum annorum transactis, multa per Abbates, & plura per FF. Hirsaugienses digna memoratu facta credimus, quorum in hoc opere chronicorum nullam fecimus mentionem, propterea quòd litteris commendata non fuerant, & apud nos penitus manent sepulta.

Eodē anno Reinhardus primus ex Comite Dux Geldriæ contractis copijs magnum pugnatorū exercitū produxit contra Leodienses, habens secum

Adolphum

Adolphum Episcopum Leodiensis Ecclesiæ, quem cives ignominiosè dudum expulerant. Confugerat autem Pontifex memoratus ad ipsum Ducem cognatum suum, ipsius & consilium imploraturus & auxilium. Interea Duce cum Ludovico Imperatore pro causa Pontificis existente, Leodienses comparato suorum exercitu terram ejus hostili devastant incursu, villas incendunt, pecora abigunt, & omnia deprædantur.

Bellum inter Ducem Geldriæ & Leodienses prope Mastricht agitur.

Reversus in propria Dux, bellum Leodiensibus intentat, ad congrediendum eos provocat, & vindicare susceptam contumeliam summis conatibus affectat. At Leodienses exercitum & numero majorem & fortiorem, ut putabatur, viribus contrahentes Duci venerunt obviàm in campum: sed congressione factâ, plures à paucioribus victi sunt, & qui erant ex parte Ducis Reinhardi, suos adversarios superârunt, de quorum præda Geldrenses locupletati sunt, & magnum de captivorum redemptione commodum acceperunt. Ex illo tempore Geldria crevit, & Dux ejus in omni terra nominatissimus esse cæpit, suúmque Ducatum castellis pluribus constructis haud parum ampliavit. In eo prælio plusquam novem millia ex parte Leodiensium cecidisse memorantur non longè à Trajecto super Mosam.

Anno etiam prænotato Ludovicus Imperator conventum principum celebravit apud Confluentiam oppidum Archiepiscopi Trevirorum. Ad quem venit propria in persona Eduardus Rex Angliæ multam pecuniam offerens, & majorem ut fieri solet, illi promittens, si venire aut mittere exercitum Anglis in auxilium contra Regem Gallorum dignaretur. Imperator acceptavit pecuniam sibi oblatam, & promisit Anglis optatum subsidium, quod tamen non impendit. Rex igitur Eduardus, & pecuniam perdidit, & promissum subsidium non accepit.

Ochsenfurt oppidum Ecclesiæ Herbipol. insidiosè captum est.

Eodem anno gravissima fuit dissensio veteri odio confirmata inter Episcopum Herbipolensem cum suo Clero ex una parte, & cives Peapolitanos ex alia. Contigit autem die quâdam circa meridiem Treugis confirmatis atque durantibus, quod dicturus sum. Capitaneus civium Lupoldus Kuchenmeister de Nortenberga associatis sibi pro stipendio quibusdam Suevis & Bavaris, sed & Francis nonnullis, oppidum Ecclesiæ memoratæ Oxenfurt nuncupatum, quod tribus ferme ab Herbipoli distat milliaribus, primò intravit cum paucis, nemine quicquam mali suspicante, posteà sequentibus multis obtinuit, & præter arcem violenter occupavit. Præerat arci ex parte Ecclesiæ miles quidam Erkengerus de Savvensheim vir audax, & suo Domino fidelis, qui castrum in manu valida defensavit; die igitur mensis Julij 5. anno prænotato præfatus miles cum paucis Ecclesiæ stipendiarijs arcem egressus, oppidanis auxilia ferentibus, hostes de oppido violenter expulit, & ad campestre bellum provocavit, convenerunt & alij ministeriales Ecclesiæ sub vexillo S. Kiliani militantes, & simul cum adversarijs inierunt conflictum. Superati sunt hostes, Ecclesia vicit, & multi ex Suevis Bavarisque abducuntur captivi, & in servitium Herbipolensis Ecclesiæ perpetuum jurare conpulsi, & se & sua eidem subjecerunt.

Bellum inter Ecclesiam Herbipolensem, & soldatos civium.

Edictum Ludovici Cæsaris impium contra obedientiam Ecclesiæ.

Anno etiam præscripto Ludovicus Imperator edictum statuit, & per totum Germaniæ regnum publicari mandavit in cunctis urbibus, oppidis, castellis & villis, ut omnes & singuli cujuscunque status vel conditionis, qui

qui pro reverentia & honore Rom. Pontificis interdictum servarent, de locis & beneficijs suis expellerentur, confiscatisque eorum bonis in Galliam ire cogerentur. Hoc autem crudele Christianæque fidei penitus contrarium edictum, in multis locis publicè fuit denuntiatum, non sine injuria Dei, & animarum periculo gravissimo. Udalricus etiam Comes de Wirtenberg hoc ipsum Cæsaris impium decretum anno prænotato in oppido Reutlingen & quibusdam alijs suæ ditioni subjectis, Imperatore præcipiente, voce præconis publicè fecit denuntiari.

Dantes Poëta, Philosophus de Monarchia scripsit contra Ecclesiam.

Claruit his temporibus in Italia Dantes Florentinus Poëta & Philosophus magnus, qui multa conscripsit opuscula, inter quæ est opus laboriosâ inquisitione compositum, & de Monarchia mundi prænotatum. In quo totius mundi & orbis Monarchiam ad Rom. duntaxat refert imperium, asserens illam à Rom. Pontifice nullam penitus habere dependentiam, sed à solo Deo, sine medio Papæ, vel cujusquam alterius. Hanc ejus opinionem Wilhelmus de Okam Anglicus multis argumentationibus prosecutus Papæ auctoritatem in temporalibus quasi ad nihilum deducens, solam ei potestatem spiritualium permisit. Et multi hanc opinionem sequentes Imperium dicunt Ecclesiæ nullatenus esse subjectum; nec Papam Rom. in eo quidquam habere potestatis. Ego autem, qui historiarum sum scriptor, non judex opinionum, his prætermissis, ad ea quæ scribenda restant, potius festinare decrevi; quid in hac re sit, verius illius est judicare, qui potestatem accepit à Deo, non quicúnque voluntate movetur.

His quoque temporibus mandato Benedicti XII. constitutio illa Papæ Clementis V. de usuris, quæ incipit: *Ex gravi*, per totum penè Christianum orbem in scholis & Gymnasijs fuit publicata; quæ magnam Judæis persecutionem in diversis mundi partibus susciravit. Conveniebantur in judicio super restitutione usurarum, & maximis pœnis afficiebantur, quicunque illas restituere noluissent. Inter Magnates quoque non parva fuit suborta dissensio, alijs Judæos defendentibus, alijs verò usuram repetentibus, & multa per tyrannidem fiebant.

MCCCXXXIX.

Corona Regis Angliæ pro pecunia Trevirorum Archiepisc. impignoratur.

Anno Sigismundi secundo atque vicesimo, Baldevvinus Archiepiscopus Trevirorum magnam pecuniam dedit mutuò Regi Anglorum Eduardo, pro pignore coronam recipiens ipsius Regalem, quam incomparabilis pretij ferebant excedere & superare æstimationem; pugnaturus enim contra Gallum Eduardus contrahebat undique stipendio milites, & præter eam, quam dederat frustra Cæsari summam, plura quotidie necessariò expendebat. Deinde contractis ex Germania tam superiore quàm inferiore copijs, Galliam in manu valida ingreditur, & omnia circa Normandiam igne & ferro demolitur. Erat autem contentionis in eo causa Normandiæ Comitatus, quem utérque sui esse juris contendebat. Itaque Rex Galliæ suorum clade non parum consternatus animo, quantum potuit armatorum contraxit exercitum, & veniens contra Regem Angliæ bellum inchoavit. Ancipiti marte diutius pugnatum est: postremò tamen victoriam obtinuerunt Anglici, & ex Gallis, ut dicebatur, decem millia in ore gladij ceciderunt. Nobilores quoque Gallorum in eodem bello aut mortui fuerunt, aut in captivitatem abducti. Rex verò

Bellum inter Angliæ Regem, & Gallorum geritur atrocissimum.

Eduardus

Eduardus ex pretio redemptionis captivorum dives effectus, & stipendia militibus promissa distribuit, & soluto mutuo, coronam Regni de manibus Archiepiscopi redemit. Fuerunt in eo prælio multi ex Suevia & Francia Comites cum Anglis, ac plurimi nobiles.

Anno prænotato Ludovicus Imperator Conventum Principum solemnem circa medium quadragesimæ apud Franckenfurt oppidum Regale Moguntinæ Diœcesis celebravit, in quo multa contra Rom. querulabatur Pontificem, & omnes in sui partem, adhæsionem, & defensionem obnixè rogabat. In eodem conventu Principum Reinardus Comes Geldriæ undecimus, & Dux primus cum magna pompa comparuit; & multorum amicitiam acquisivit. Wilhelmus Comes Juliacensis per Ludovicum Imperatorem de consensu principum in eodem conventu præsentium in Marchionem sublimatus fuit, propter merita & fidem, quibus & Imperatori gratus, & cunctis Principibus habebatur honore dignus; erat enim vir prudens justus & pius, domi consilio circumspectus, & in rebus bellicis longo exercitio expertus.

Comes Juliacensis in Marchionem sublimatur per Ludovicū.

Eodem anno mense Junio, & per duos menses integros sequentes tanta locustarum multitudo per totam Franciam Orientalem, Sueviam quóque & circumjacentes regiones apparuit, quantam nullius memoria hominis comprehendit; maximo enim numero instar densissimæ nubis circumvolantes, totam penè superficiem terræ quasi nix operuerunt, rostra habentes contra morem durissima, quibus segetes, gramina, vites, botros & omnia terræ nascentia simul & arborum fructus consumentes miserabiliter destruxerunt: & quamquam homines multis modis & varijs medijs eas delere satagerent, nihil tamen profecerunt, quoniam ex earum stercoribus aliæ nascebantur, elapsis tandem mensibus aliquot turmatim avolantes nusquam comparuerunt.

Anno item præscripto, die mensis Julij octavâ, quæ fuit S. Kiliani Martyris festivitate solemnis, circa meridiem solis defectio fuit, quam Græci Eclypsin vocant, & duravit ad spacium ferme duarum horarum; & eodem anno in autumno Svvitenses in oppido Bern plures civium peremerunt.

Anno etiam prænotato, Comites, Barones, & Nobiles terræ Lotharienſis conventum ad civitatem Metensem solatij causâ indixerunt, & vocaverunt multos; aderat ibi Comes Wirtenbergensis Udalricus, non absque singulari magnificentia honorificè ab omnibus susceptus & habitus: qui hastiludio cum triumpho sæpe petitus, cùm jam ad sua redire disponeret, à quodam milite de Vinstingen prope oppidum Benfeld in itinere positus insidiosè capitur, cùm nihil talium suspicaretur, captus in custodiam abducitur, & pro magna pecuniarum summa taxatur; sunt enim, qui scribant, eum pro liberatione sui detentoribus exposuisse centies mille marcas argenti.

Udalricus Comes de Wirtenberg capitur ab uno de Vinstingen.

Fuit eodem anno inter Christianos Hispaniæ, & Saracenos Mauritaniæ, & illos, qui Granatæ regnum occupabant, bellum atrox & maximum, in quo Dei filio pro suis pugnante fidelibus, plusquam 100000. Saracenorum fuerunt occisi, & totidem à Christianis in captivitatem ire compulsi. Nec tamen poterant Christiani Saracenos eijcere de Hispania propter eorum multitudinem, & auxilia Maurorum, qui ultra mare habitabant,

bitabant, usque ad nostram ætatem, in qua Deo miserante Ferdinandus Rex Hispaniæ post septennem urbis & regni Granatæ obsidionem, victor tandem existens, & urbem cepit cum universo regno, & Saracenos omnes de Hispania quos non interfecerat in bello fugavit, & de Hispania ejecit, quemadmodum suo loco clarius dicemus.

Ferdinand⁹ Hispaniæ Rex Saracenos pettit.

MCCCXL.

Anno Sigismundi Abbatis vicesimo tertio per totam Germaniam pestilentia fuit, & multa millia hominum prostravit, quam opinione plurimorum monstruosa illa multitudo locustarum anno proximo præsignavit. Fames denique magna fuit in omni terra & penuria omnium rerum multa, quòd, sicut diximus, locustæ omnia terræ nascentia priore anno corruperant: erátque vivere in diebus illis miseria, & mori timor, ac propter Papæ censuras periculum.

Eodem anno circa Nativitatem S. Joann. Baptistæ Rex Anglorum Eduardus audiens Philippum Gallorum Regem magnam contra se parare expeditionem, recensuit socios, & mare transiens denuo, conductísque ex Germania copijs processit in Galliam; & omnia igne ac ferro devastans maximâ Gallos clade affecit; factáque rursus congressione multi ex utráque parte perempti sunt.

Anno prænotato Baldevvinus Trevirorum Archiepiscopus contracto milite, castrum quoddam Comitis Silvestris, quod appellatur Duna, & vix à Spanheim distat duobus milliaribus, durâ obsidione vallavit, cepit, & Comitem obedire coëgit. Qui quidem Episcopus ad domandam memorati Comitis insolentiam novum castellum haud procul à Duna construxit, quod montem S. Joannis appellavit. Walramus etiam Comes de Spanheim non satis tenax juramenti, quod dudum Archiepiscopo fecerat, suâ inquietudine illius animum irritavit. Qui rursum contractis copijs, contra eum pugnatorum misit exercitum, & non audentem congredi graviter in subditis afflixit; venerunt usque ad oppidum Crüzenach, & omnia in circuitu demoliti sunt. Ludovicus Imperator cùm audisset hanc inter eos dissensionem, vices suas ut mediator interposuit, & ad pacis concordiam revocavit.

Archiepisc. Trevirorũ Comitem de Spanheim persequitur.

Anno etiam præfato vicesimâ sextâ die mensis Aprilis moritur Henricus Abbas Spanheimensis, in corpore Ecclesiæ ante altare S. Crucis sepultus; cui in Abbatia fratrum electione successit Willicho ejus nominis secundus, & præfuit anno duntaxat uno, mensibus 3. & 4. diebus, filius Joannis militis de Spanheim cognomento Bruder, qui propter vitæ brevitatem, nihil in Abbatia memoriâ dignum egit.

Eodem quoque anno contigit, quod scribimus. Est oppidum in Orientali Francia sub ditione Herbipolensis Ecclesiæ, Meiningen dictum; cujus incolæ dum in Dominica die Palmarum extra oppidum processionaliter irent ad proximam S. Martini Capellam, & nihil suspicarentur adversi, Henricus quidam miles de Schlize, qui Marscalcus erat Abbatis Monasterij Fuldensis, suo nomine & propriâ temeritate cum suis armatus latitans in insidijs erumpit: valvas oppidi clausas machinis & ferramentis aggreditur: capere oppidum summis viribus conatur; verùm quia portæ, sicut diximus, erant clausæ, & in turribus custodiæ, non potuerunt habere introitum, sed abire sine effectu compulsi sunt, Domino

Conflictus Francorum Orientaliũ prope Meiningen oppidum.

per

per S. Kilianum custodiente locum. Et ecce dum sine fructu abirent, occurrerunt ei Ebervvinus & Carolus milites de Buches cum socijs armati sub Ducatu Thezzelonis de Thungen Ottoni Episcopo, & Wirzburgensi Ecclesiæ militantes, qui facto in adversarios impetu, alios cecideruntalios duxerunt captivos; cæteris per fugam salutem sibi quærentibus. Henricus itaque miles de Schlize & reliqui captivi pecuniâ se redimere compulsi sunt, & submissis castellis in fidem Ecclesiæ, perpetuam Episcopo servitutem pro hæredibus juraverunt.

Anno etiam prænotato, memoratus Wirzburgensium Episcopus Otto cupiens iter in suo ducatu viantibus parare tutum, contractis copijs in manu valida obsedit castellum raptoribus apertum Godfridi militis de Ekesdorff, nomine Welkershausen, quod situm fuerat prope Meiningen sub castro Landisvver, obsedit inquam, cepit, funditúsque destruxit. Ad cujus destructionis intentionem perfidia militis præfati animum Pontificis incitavit, qui latronibus & raptoribus in eo præstiterat hospitium, & admonitus pluries, ut à malo desisteret, noluit, sed Episcopum contempsit.

Anno Sigismundi Abbatis prænotato moritur Coloniæ in Conventu Fratrum B. Mariæ semper Virginis de monte Carmelo Simon de Spira, ejusdem Ordinis Prior, Provincialis per inferiorem Germaniam, Divinarum scripturarum Doctor Parisiensis, qui sacras litteras in Colonienſi Gymnasio multo tempore docuit, & magnam eruditionis suæ laudem acquisivit. Scripsit inter alia super sententias libb. IV. Contra Judæos quoque librum unum. In diversos Bibliæ libros Postillas edidit sive Lecturas, sermones quoque varios dixit, & alia nonnulla, quæ non vidimus, lucubravit.

Simon de Spira in Colonia mortuus est.

Claruit his etiam temporibus Conradus de monte Puellarum Canonicus Ecclesiæ Ratisbonensis in Bavaria, vir suo tempore magnæ doctrinæ & eruditionis, qui scripsit apud Parisios docens super sententias, libb. IV. opus Oeconomicon. libb. III. Ad Ducem Austriæ aliud, quod prænotavit Monasticon. lib. I. & alia quæ non vidi.

Conradus de monte Puellarum Ratisbonensis.

Henricus quoque de Firmaria Ord. FF. Eremitarum S. Augustini vir doctus & sanctus, eruditione suâ his temporibus Germaniam non parum illustravit, qui scripsit super sententias libb. IV. super Cantica canticor. lib. I. De X. præceptis lib. I. Epitomen seu breviarium operis collationum SS. Patrum, Jo. Cassiani libb. XXIV. De Incarnatione verbi lib. I. De perfectione hominis lib. I. Super Oratione Dominica & Ang. salutatione libb. II. De IV. modis intelligendi sacram Scripturam lib. I. De quadruplici instinctu lib. I. De VII. vitijs principalibus lib. I. Sermones de tempore & sanctis libb. II. Et quædam alia, quæ necdum vidimus.

Eisdem quóque temporibus vixit in humanis vir multæ sapientiæ & eruditionis Hermannus de Schildis memorati ordinis, qui multis annis fuit Generalis & supremus Pœnitentiarius Ecclesiæ Wirzburgensis in Francia nostra Orientali, & jacet in conventu sui Ord. ibidem sepultus, de cujus lucubrationibus ista feruntur. Ad Michaelem de Leone Canonicum novi Monasterij Herbipolis. De subjecto & divisione Philosophiæ naturalis metricum opus prosâ commendatum, quod incipit: *A Domino cæli tibi mittitur hoc Michaëli.* De vera & falsa religione lib. I. De horis Canonicis.

Hermannus de Schildis Augustinienſis apud Herbipolim sepultus.

lib. 1. De v. sensibus lib. 1. De sanctis, insigne opus. De confessione peccatoris Sacramentali lib. 1. Super Genesin Commentarium lib. 1. Contra hæresin & errores Flagellatorum. lib. 1. De mansionibus lib. 1. Sermones quoque tam de sanctis, quàm de tempore multos composuit, & alia plura, quæ ad me non pervenerunt. Joannes de Beka Clericus Ecclesiæ Trajectensis, vir studiosus & eruditus, Patriam suam his temporibus doctrinâ simul & scriptis illustravit, scripsit enim ad Joannem Episcopum Trajectensem & Wilhelmum Comitem Hollandiæ à tempore S. Willebrordi primi Episcopi memoratæ urbis usque ad annum Dominicæ Nativitatis 1346. sed quid aliud scripserit, nescio.

Anno quoque Sigismundi Abbatis prænotato iterum Cometes, præcedentibus tamen multum dissimilis apparuit, quem per Italiam præcipuè & Germaniam similiter grandis pestilentia, ut paulò antè diximus, subsecuta fuit; nam in sola civitate Florentina sedecim millia hominum urbanæ multitudinis sæva illa pestis absumpsit, demptis his, qui extra Civitatem per agros & castella ex civibus similiter perierunt.

Constitutionis Benedictinæ fit declaratio.

Eodem anno quintâ die mensis Decembris, Benedictus Papa XII. in Avenione residens ad instantiam Præsidentium & Abbatum quorundam Capitulorum Provincialium Ordinis nostri, Constitutionem suam de reformatione Monachorum, factam ante quatuor annos, ut supra dictum est, in plerisque locis ambiguam, & quibusdam perplexitatibus involutam, novâ editione declaravit.

Eodem quidem tempore mandato Rom. Pontificis capitula in ordine nostro Provincialia seu Generalia per totam Europam studiosè celebrabantur, quæ tamen successu temporis intermissa, usque ad Constantiense Concilium in multis defecerunt.

MCCCXLI.

Rupertus Comes Palatinus moritur.

Anno Sigismundi Abbatis vicesimo quarto indictione Romanorum nonâ, die verò mensis Februarij XII. moritur Rupertus Comes Palatinus Rheni Bavariæque Dux, filius fratris Ludovici Imperatoris Rudolphi, & in Ecclesia novæ Civitatis, quam ipse fundaverat, ante chorum sepelitur; liberos non habuit: Principatûs ejus portio ad fratrem Adolphum devoluta est.

Magna per Sueviam tribulatio propter Excomunicationem Imperatoris.

Eodem tempore per Ducatum Wirtenbergensem grandis fuit suborta turbatio, propter Ludovicum Imperatorem quartum à Rom. Pontifice, ut sæpe diximus, excommunicatum, quem Udalricus Comes cum Suevia tota sequebatur. Unde Papa commotus, omnes Ludovico consentientes vel participantes censuris gravissimis notabat. Clericos tamen & Claustrales, qui divina contra prohibitionem ejus, in locis interdicto suppositis, celebrabant, omnibus beneficijs privatos denuntiavit, irregularitatis quóque maculam perpetuam contraxisse illos prædicavit. Erat sanè tribulatio hæc pessima, & nimis periculosa, quoniam & saluti animarum maximum intulit dispendium, & Ordinem Sacerdotalem contemptui exposuit Laicorum.

Coloniæ miles à Comite de Isenburg in hastæ ludo perimitur.

Anno prænotato circa principium mensis Octobris in Civitate Colonienſi res contigit, quam dicturus sum. Convenerant ad diem festum sancti Remigij Nobiles terræ plures, curiam vanitatis suo more hastarum ludo & equorum cursibus exercentes, inter quos duo quâdam hostili con-

concertatione ludentes, Comes videlicet de Isenburg, & Stephanus de Oerbeck miles oculos in se spectantis populi converterunt. Postremò congredientes, memoratus Comes dictum militem Stephanum impulsu hastæ fortissimo feriens in equo sedentem occidit, qui fractâ cervice subitò expiravit: tam verò tenax equo insederat suo, ut etiam mortuus non solum non caderet, sed etiam penitus sederet erectus, quoúsque tandem familiarium suorum manibus fuit depositus, & in feretrũ ex more locatus.

Wilhelmus fit Abbas in Spanheim XIV. præfuit annis IX.

Eodem quóque anno sextâ die mensis Augusti, quæ fuit memoriæ S. Papæ & Martyris Sixti solemnis, obijt Wilicho ejus nominis secundus Abbas in Spanheim tertius decimus, cui mox in Abbatia successit Wilhelmus de Bischelnheim, & præfuit annis novem: vir bonus & honestæ conversationis, de Prosapia illa natus, de qua S. Hildegardis olim fundatrix & magistra Bingensis procreata fuit. Bernardus Cassinensis in Italia Monasterij nostri Ordinis Abbas, vir in scripturis tam divinis, quàm humanis studiosus & eruditus, his ferme dicitur claruisse temporibus, & plura ad utilitatem scripsisse Monachorum. E quibus extat Cõmentariorum in regulam sanctissimi Patris nostri Benedicti liber unus. De præceptis regularibus liber unus, scripsit etiam sermones varios ad fratres, & multas Epistolas ad diversos, & alia quæ ad notitiam nostræ lectionis minimè venerunt. Collapsum suo tempore Ordinem nostrum, pro suo virili quantum potuit, in sibi subjectis Monasterijs reformare studuit, & plures Monachorum à devio ad semitam justitiæ revocavit.

Otto Episc. Herbipolensis Dux Franciæ, utilis Eccle. siæ suæ.

His quóque temporibus Otto Wolfskel Episcopus Wirzburgensis, pace aliquantulum cum suis civibus reformatâ, in ampliationem proventuum Ecclesiæ animum haud mediocriter inclinavit; multa enim pro pecunia comparavit, & suum Pontificatum in utróque statu gloriosum reddere summopere studuit. Castellum cum oppido & Dominio in Rotenfels juxta fluenta Mogani haud procul à Monasterio nostri Ordinis Neustatt/ Gamundiam quóque oppidum similiter ad ripas Mogani situm, Vphoffen villam, Meyenbernheim oppidum, partem oppidi Kintzingen/ ac residuam partem Comitum de Hohenloe in Heidingsfeld/ tunc villa, nunc oppido, cum alijs multis dato emptionis pretio comparavit.

Ab Ecclesia Herbipolensi dudum alienata redemit plura, inter quæ nobis tantum occurrunt posteris commendanda: castrum Waltenburg pro octingentis Hallensium denariorum libris impignoratum redemit, Burgbernheim quóque cum tredecim villis olim Burggravijs de Nürnberg/ per Bertholdum de Sternberg/ Episcopum impignoratum, pro sexcentis Hallensium denariorum millibus simili providentiâ redemit, & ad Jus Ecclesiæ revocavit.

Anno etiam prænotato XXIV. die mensis Octobris mortuus est Georgius senior Comes Mosellanus de Veldentia, vir bonæ vitæ & honestæ conversationis, filium relinquens sui nominis Georgium, qui uxorem habuit Margaretham filiam Comitis de Rünkeli, de qua genuit Georgium in Comitatu successorem, Henricum Colonienſem Decanum, Walramum Trevirensem Præpositum, & duas filias Ottiliam & Catharinam.

Sigismund⁹ Abbas Hirsaugiensiũ XXXI. moritur.

Eodem quóque anno Sigismundus Hirsaugiensium XXXI. Abbas, senio gravatus, & morbo quartanarum febrium diu correptus, posteaquam Monasterio suo præfuisset utiliter annis XIV. & diebus totidem, Sacramen-

tis præmunitus Eccleſiaſticis, quintâ die menſis Novembris in Domino quievit, poſteris benefaciendi relinquens exemplum; erat enim vir ſuo tempore convenienter diſpoſitus ad omnia, quanquam non potuerit ſicut voluit recuperare & diſponere dudum ablata.

Multas tempore ſui regiminis adverſitates & tribulationes ſuſtinuit, & propterea quòd per anteceſſores ſuos quædam bona minus juſtè alienata recuperare ſtuduit, plurimorum in ſe contumaciam provocavit; quorum invidiâ non obſtante fecit, quod potuit, & per bonos amicos impetrato favore & auxilio Imperatoris Ludovici, pecunijs redemit.

De Wichardo hujus Monaſterij Hirſaugienſis XXXII. Abbate, qui præfuit annis XII. & varijs actis illius temporis.

Wichardus Abbas Hirſaugienſis XXXII.

ANno igitur prænotato Dominicæ Nativitatis MCCCXLI. regnante Ludovico Imperatore quarto, reſidente in cathedra Petri apud Avenionem Benedicto Papa XII. Spirenſem verò gubernante Pontificatum Gerardo de Erenberg Epiſcopo, Indictione Rom. nonâ in menſe Novembri duodecimâ die vacante Abbatiâ hujus inſignis Monaſterij Hirſaugienſis convenientes in locum capitularem fratres ſolatio Paſtoris deſtituti, præmiſſis orationibus ex more conſuetis, in Abbatem unanimi conſenſu elegerunt unum ex ſe Monachum nomine Wichardum, virum probatæ ætatis, & in Sacerdotio conſtitutum, qui ſub Sigiſmundo Abbate majoris Cellerarij aliquandiu cum profectu Cœnobij geſſit officium.

Electus autem per fratres Canonicè poſt dies paucos ad Gerardum Epiſcopum Spirenſem proficiſcitur; à quo confirmatus auctoritate ordinariâ, deinde Abbas in feſtivitate S. Andreæ Apoſtoli ab eodem ordinatur Spiræ in Eccleſia cathedrali, cum ſolemnitate conſueta, in frequentia multorum hominum. Ordinatus autem cum ſuis ad Monaſterium revertitur, & à die computando electionis ſuæ úſque ad diem mortis præfuit annis XIV. & menſibus IV. in ſolicitudine magna, & laboribus continuis. Erat autem Wichardus iſte patriâ Suevus (vel ut alibi comperimus) Alſatus, honeſtis parentibus ortus, qui Monachus factus ſub Henrico Abbate, ſecundum mores clauſtralium illius temporis inter alios ſine querela converſabatur, & primò quidem in Eccleſia Cuſtodis geſſit officium, poſtea verò ſub Sigiſmundo Abbate Cellerarius major factus, miniſterium ſuum fideliter implevit, & Coadjutor Abbati ſtudioſus in omnibus extitit.

Alienata Wichardus Abbas bona plura pecuniâ redemit.

Factus deinde Abbas, prædeceſſoris ſui quantum potuit inhæſit veſtigijs, & per ſuam induſtriam bona quædam alienata dudum à Monaſterio ad ejus poſſeſſionem, datâ pecuniâ revocavit. Fuit enim homo laborioſus, & ſingulari prudentiâ circumſpectus, maximè quantum ad rerum temporalium pertinet adminiſtrationem. Verùm Prædeceſſorum ſuorum negligentiâ factum eſt, quòd nimium gravatus ære alieno bonæ voluntatis ſuæ non potuit conſequi effectum, quo Monaſterium ad priſtinum reduceret ſtatum; fecit autem, quod potuit, & regiminis ſui tempus utiliter expendit.

Quan-

Quantum verò ad integritatem ſpiritualis vitæ & monaſticæ inſtitutionis pertinet, omnis penè Monachus noſtri Ordinis à puritate regularis converſationis eo tempore per totam Germaniam nimium claudicabat, & vix erat Cœnobium, in quo monaſticæ leges vel mediocriter ſervarentur. Peculium enim, quod Monachis omnibus non minus Canonicum Jus, quàm regula monaſtica interdicit, paſſim ſingulis permittebatur; in multis quóque periclitabatur Caſtitatis vera ſynceritas, & obedientiæ humilitas in Monachis rara fuit. Sic omnia quantumlibet bona cujuslibet vitæ ſtudia, ſemper cum tempore ut ita dicamus ſeneſcunt atque deficiunt, & cuncta vanitati eſſe obnoxia oſtendunt.

Abbas igitur Wichardus, eum vivendi modum, quem in Monaſterio reperit, cùm emendare non poſſe videretur, inconvulſum ſuis Monachis permiſit. Gaudebant ex antiqua corruptione peculio: carnibus etiam quadrupedum omnes per totam Germaniam ſine aliquo conſcientiæ ſcrupulo veſcebantur, & de interna converſatione ſpiritûs ac puritate mentis cura paucis ineſſe videbatur.

Pontifices nonnulli Eccleſiarum cupientes Monaſteria Ordinis in ſuis conſtituta Diœceſibus meliora pro viribus revocare, cùm nec perſonas haberent pro reformatione idoneas, nec modum & formam reformandi, ut magnum aliquid putarentur feciſſe, proventuum & bonorum inter Abbates & Monachos diviſionem contra monaſticam puritatem introduxerunt, quaſi per hoc deſolatis Monaſterijs maximoperè videretur conſultum. Quorum imitatione Herbipolenſium Antiſtes Otto inter Hermannum de Chuname Abbatem & Conventum Monaſterij S. Protomartyris Stephani proventuum diviſionem admiſit; & idem fieri per ſuam Diœceſin & in alijs Cœnobijs præcepit. Sed non fuit iſte verus reformandi modus, qui multa Ordinis noſtri Monaſteria in ultimam ſicut hodie cernimus, paupertatis inopiam præcipitavit.

Diviſiones redduuum inter Abbates & Conventus fiebant.

MCCCXLII.

Anno Wichardi Abbatis primo currente, XXIII. die menſis Januarij primâ horâ noctis, nubium horrendâ tempeſtate ſubortâ, maxima & terribilia in aëre tonitrua fuerunt audita: coruſcationes quóque apparuerunt & fulgura, quibus in æſtatis medio ſimilia non fuerunt, cum grandine ac pluvia tanta, quòd homines territi nimium, diem putabant adeſſe noviſſimum, propterea, quòd in his terris hyeme non conſueverunt audiri tonitrua, néque fieri coruſcationes, ſicut in Italia & æquinoctiali vicinantibus.

Clemens fit Papa VI. ex Monacho noſtri Ordinis,

Eodem anno Benedictus ex Monacho Ciſtertienſis Ordinis Papa XII. moritur, & in Avenione ſepelitur, cui mox in Pontificatu ſucceſſit Petrus Rogerius Archiepiſcopus Rotomagenſis Cardinalis Ordinis S. P. N. Benedicti, Clemens Papa VI. nuncupatus, ſedit annis decem, menſibus ſex & diebus octo: vir tam in divinis ſcripturis, quàm in Jure doctiſſimus, & ſermonum Declamator egregius. Patriâ fuit Lemovicenſis, & primo ex Monacho Abbas Fiſcanenſis, poſtea Epiſcopus Atrebatenſis, deinde Rotomagenſis in Normandia Archiepiſcopus & Cardinalis, ac poſtremò Papa. Qui cùm eſſet omnifariam eruditiſſimus, ſcripſit adhuc in Abbatia conſtitutus nonnulla ingenij ſui præclara opuſcula, è quibus nominantur ſubjecta. Sermones ad fratres & alios plures lib. I. In laudem Caroli

Regis

Regis Gallorum. In Canonizationem S. Ivonis, tract. 1. Epistolarum ad diversos lib. 1. Orationes quoque & Collationes plures, & alia quæ hactenus videre non potui.

Wilhelmus Abbas Massilienſis nostri Ord.

Claruit his temporibus Wilhelmus Abbas Monasterij S. Victoris prope Massiliam Ordinis D.P.N. Benedicti, patriâ Lemovicensis, Doctor Canonum insignis, quem propter magnam ingenij sui vivacitatem, & in agendis prudentiam, Clemens Papa sextus, cum alijs novem viris æquè doctissimis in Cardinalem S. Rom. Ecclesiæ ordinavit. Cujus viri tantæ fuere in Domino virtutes, ut post mortem Innocentij Papæ VI. Romanus fieri Pontifex, ut inferius dicemus, loco suo mereretur.

Dronek Castellum Comitis Silvestris.

Anno prænotato Comes Silvestris de Duna, qui pluribus annis contra Baldevvinum Archiepiscopum Trevirorum inimicitias gesserat, pecunijs simul & viribus jam omnino exhaustus, accepto suorum consilio ad ipsum Pontificem in Palatio non coactus, sed propriâ sponte venit, indulgentiam petijt, & gratiam impetravit, ac deinceps usque ad mortem pacificus permansit, nec amplius contra Ecclesiam quicquam præsumpsit. Castellum suum Droneken nuncupatum, quod duobus à Mosella distat milliaribus, cum villa Dalfangen, & cæteris ad illud pertinentibus Feudum esse Trevirensis Ecclesiæ, quod prius negaverat, recognovit. Et sic inter eos pace denuo reformatâ Comes Archiepiscopo fidelis permansit.

Maxima inundatio aquarum, quæ multa subvertit ædificia.

Eodem anno XXI. die mensis Julij, mane inter solis ortum & meridiem aquarum inundatio maxima fuit apud Francos orientales. Moganus námque fluvius, qui Herbipolim civitatem Francorum præterfluit, subitò in tantam excrevit magnitudinem, prius & eatentus inauditam, quòd eodem die usque ad gradus majoris Ecclesiæ memoratæ urbis ascendens primas ex lapide columnas, quæ sunt ante porticum templi, suâ inundatione apprehendit. Multa fecit in circuitu mortalibus damna; pontem námque pretiosum lapideum inter civitatem & suburbanum Ducale antiquitus super Moganum, satis ut putabatur firmiter constitutum, hæc ipsa inundatio aquarum cum muris, & turribus cunctis destruxit, muros quóque urbis ab occidente subvertit, & plures in civitate domos, non sine gravissimo damno atque periculo funditus evertit. In agris quóque, pratis, hortis atque vinetis hæc inundatio aquarum ab utraque parte Mogani, supra, circa, & infra Herbipolim infinita mortalibus damna fecit, multas pauperum casas in villis cum omnibus Mogani pontibus evertit.

Præcesserat hanc cladem pluvia dierum multorum, donec tandem stagnis ruptis, atq; piscinis, quarum in orientali Francia copiosus est numerus, aquæ nimium adauctæ sunt usque adeò, ut iminere alterum Noe diluvium crederetur. Nec fuit in sola Francia Orientali hæc nimis periculosa inundatio aquarum, sed in Allemannia quóque similiter, quam nunc Sueviam nuncupamus, apud Alsatas & Rhenanos maxima hominibus intulit damna, domos & villas plurimas subvertit.

In die festo S. Mariæ Magdalenæ pontem super Moganum juxta oppidum Frankfurt hæc ipsa inundatio subvertens confregit, muros oppidi à parte fluminis dejecit, vicinásque muro domos funditus evertit. Hinc nimium territi Cives ad Ecclesiam S. Mariæ semper virginis confluunt, votis & orationibus divinum invocavêre præsidium, meritum ejus Castissimæ

ſtiſſimæ Virginis, nec deſtiterunt à precibus, donec aquæ DEO miſerante fuerunt imminutæ. In cujus beneficij memoriam Franckofurtenſes, quotannis in feſto B. Mariæ Magdalenæ cum pompa & ſolemnitate Clero præeunte per oppidum feſtivè incedunt.

MCCCXLIII.

Reinhardus Dux Geldriæ primus obijt.

Anno Wichardi Abbatis ſecundo, moritur Reinhardus primus ex Comite Dux Geldriæ, magnanimus & bellicoſus, duos relinquens filios, Reinhardum ſui nominis primogenitum, & Eduardum ſecundogenitum, quorum primus Patri ſucceſſit in Ducatu, uxorem habens Joannis Brabantiæ Ducis filiam, de qua liberos non ſuſcepit. Poſt annos x. quibus præfuit Reinhardus, frater ejus Eduardus principandi cupidine ductus illum carceri mancipavit, & per decennium in arcta cuſtodia captivum detinuit, ſibíque Ducatum Fratris per tyrannidem uſurpavit, quod mali occaſionem tribuit.

Imperator bellum minatur Gallorum Regi propter cenſuras.

Eodem anno Clemens Papa VI. iterum confirmavit & publicari mandavit, ad inſtantiam Regis Gallorum cenſuras & proceſſus Joannis quondam Papæ XXII. contra Ludovicum Imperatorem quartum. Unde commotus Imperator ſcripſit & mandavit Gallo dicens: *Tu Rector es Papæ, & omnia tuo facit arbitrio; quocirca tibi præcipimus, & mandamus, ut cures quantocius, quo per eum ab injuſtis ſolvamur cenſuris, in quas tuâ machinatione iniquâ ab initio ſumus detruſi; alioquin regibus, & principibus, & amicis in auxilium vocatis bellum tibi atrociſſimum inferemus, humiliaturi cum Deo ſtultam ſuperbiam tuam.*

Territus his Ludovici mandatis Gallorum Rex, quem Anglorum fortitudo non parum eo tempore debellando contriverat, ac metuens exterminium Gallici regni, Pontificem apud Avenionem cum ſua Curia reſidentem acceſſit, & plura cum eo pro Ludovico Imperatore invitus tractavit. Poſtremò conſultationibus multis Papa cum Gallo præhabitis, formam quandam, indecentes & fœdas Imperio ſimul & Regno continentem articulos per Notarium concepit, quam per nuntios Imperatori deſtinavit, ſcribens illi: *Quòd eum à cenſuris non abſolveret, niſi articulos omnes ſibi propoſitos ſe obſervaturum firmiter ac perpetuò juraret.*

Imperator autem Papæ per Ambaſiatores ſuos reſcripſit: *Se quidem & amare & bello præferre pacem, nihilque optare amplius, quàm in unitate S. Matris Eccleſiæ Catholicæ ſemper & vivere & mori, propterea áque promptum atque paratum omnem conditionem ſuſcipere honeſtam: articulos verò nunc ſibi propoſitos ab eo, nec ſuæ perſonæ honeſtos eſſe, nec decentes Imperio: & ob id nullatenus fore admittendos, velle ſe tamen quamprimùm poſſet, illos exhibere in publica convocatione regni Germanici Principibus: & quidquid illorum fuerit ſtatuto decretum, ſine mutatione aliqua firmiter obſervare.* Cum his nuntios dimiſit, & Principes in ſequentem annum, ut dicemus, convocavit.

Comes de Wirtenberg contrà Duces Auſtriæ bellũ agit.

Anno quóque Wichardi Abbatis prænotato facta eſt diſſenſio magna inter Auſtriæ Duces, & Comitem de Wirtenberg propter quædam oppida & dominia, quæ Comes quidam de Schelklingen Auſtralibus pro pecunia vendiderat, in quibus memoratus Comes de Wirtenberg ſe non nihil juris habere contendebat. Contractis itaque copijs idem Comes oppidum Mengen obſidione cinxit, & devaſtavit inprimis, deinde verò ſuum præcedens exercitum, etiam aliud oppidum Etslingen graviſſimâ

& diuturnâ obsidione vallavit. Famis deinde ingens calamitas graviter intus afflixit obsessos: quibus nisi tandem Australes venissent in auxilium, propè fuit, ut oppidum tradere adversario cogerentur.

MCCCXLIV.

Anno Wichardi Abbatis tertio Reinherus Comes quidam de Westerburg homo sævus & contemptor bonorum, in odium Baldevvini Archiepiscopi Trevirorum, conjunctis sibi latronibus multis, rapinas, & incendia per terras Ecclesiæ publicâ incursione patravit: quibus motus Archiepiscopus contraxit exercitum, & Castella ejus Schadeck & Creüzenavv cum pertinentijs eorum obsedit, cepit, & ditioni Ecclesiæ suæ Trevirensis in manu valida potenter subjecit.

Eodem anno II. die mensis Julij mortuus est Udalricus Comes de Wirtenberg, duos relinquens filios Udalricum & Eberhardum, quorum primus post annos XXVI. ut suo loco dicemus, absque liberis mortuus est. Eberhardus verò per plures annos supervivens, cum civitatibus regni constituit prælia multa; de quo similiter, quod nobis innotuit, suo loco dicemus.

Conventus Principum apud Frankenfurt factus est.

Anno etiam prænotato XVII. die mensis Septembris, convenerunt apud Frankenfurt oppidum Regni Principes, Ludovico Imperatore mandante; ubi lectis, & examinatis Papæ articulis, quos priori anno sicut diximus, jurandos Cæsari proposuerat, unanimiter omnes concluserunt, nullum eorum penitus ab eo suscipiendum, vel jurandum, propterea quòd penè omnes in periculum regni, & in dedecus atque ruinam totius Imperij excogitati viderentur. Unde consilio inter se habito nuntios cum litteris miserunt in Avenionem ad Papam, rogantes, quatenus ab intentione hujusmodi desisteret, & Imperatorem ad suæ personæ turpia, & regno simul atque Imperio nociva minimè obligaret, quorum potentiam Papa reveritus, malè decretum revocavit.

Crux atque Passagium contra Turcas prædicantur ubíque.

His temporibus Papa Clemens VI. missis in Germaniam Legatis & oratoribus suis Crucem contra impijssimos Turcas ubique prædicari mandavit, qui Christianis magnam in Asia concertationem & pugnam suscitaverant. In omnibus itaque Germaniæ civitatibus, in oppidis quóque & villis multis signa crucis eriguntur; generale contra hostes Christianorum passagium prædicatur: indulgentiæ multæ, & multa vel mare transeuntibus proprijs in personis, vel juxta Commissariorum institutionem sua conferentibus promittuntur. In templis publicè trunci locantur seris obfirmati multis, in quos pecunia reponeretur pro subsidio fidelium conferenda, & multa ubique colligitur.

Inter multas donationes spiritualium stipendiorum, quæ promittebantur sua in truncum piâ devotione offerentibus, etiam hoc, eatenus apud Germanos non auditum, in litteris continebatur Apostolicis, & publicè in Cancellis fuit promulgatum: *Quòd omnes & singuli, qui certam pecuniarum taxam juxta determinationem Commissariorum trunco sive cistulæ imposuissent, eo perpetuo gauderent privilegio, quo liceret eis, exceptâ quadragesimâ, ovis & lacticinijs uti sextis feriis, in vigilijs quoque Apostolorum, Festis B. Mariæ semper Virginis, Nativitatis Domini, omnium Sanctorum: diebus etiam quatuor temporum, & alijs jejuniorum diebus quibuscúnque per totius anni circulum, in quibus talium esus vel ab Ecclesia de Jure, vel consuetudine prohibetur.*

hibetur. Baldevvinus Trevirorum & Walramus Colonienſium Archiepiſcopi conſilio ſuorum ſuffraneorum præhabito, pecuniam non modicam ex ſubditis ſibi fidelibus colligentes veterem obſervantiam jejuniorum novo commutantes privilegio, & tam pro ſe, ſuíſque, quàm pro omnibus per ipſas duas Provincias Trevirenſem & Colonienſem cum præſentibus & futuris in perpetuum hoc memoratum privilegium impetrantes, amici Sedis Apoſtolicæ reputati ſunt. Unde úſque in præſentem diem omnes Chriſti fideles per Diœceſes dictarum Provinciarum omnes lacticinijs & ovis veſcuntur licitè in omnibus jejuniorum Eccleſiæ diebus, ſolâ quadrageſimâ, ut paulò jam ante diximus, exceptâ. Henricus autem de Virneburg Moguntinenſium Archiepiſcopus Imperatori Ludovico excommunicato pertinaciter adhærens, nec gratiam Apoſtolicæ Sedis habuit, nec Papæ indulgentias curavit; & propterea néque in Diœceſi Moguntina, neque in alijs Diœceſibus illi ut Metropoli ſubjectis lacticiniorum eſus alicui permittitur ſano & fideli Chriſtiano, niſi de ſpeciali gratia, uſque in præſentem diem.

Trevirenſes & Colonienſes in diebus Jejuniorum Eccleſiæ, quare veſcantur lacticinijs.

Quare Moguntinenſes non veſcantur lacticinijs in diebus jejuniorum Eccleſiæ.

Magna per totam Europam multitudo fidelium ad piam Rom. Pontificis admonitionem cruce ſignatur, & convenientes undique populi, cum maxima devotione pro fide Chriſti mare tranſeunt, bellum contra infideles ſpurciſſimos alacriter aſſumunt. Inprimis Smirnam oppidum Aſiæ minoris capiunt, in quo ſua locantes præſidia, plura deinceps cum infidelibus bella geſſerunt; nunc victores, nunc victi, quia non cuſtodierunt veri mandata Dei.

Anno præſcripto facta eſt diſſenſio magna inter Ottonem Epiſcopum & Cives Herbipolenſes, ob eam, quæ inter Papam & Imperatorem tunc vertebatur, diſcordiam; Epiſcopus námque benè ſenſit cum Rom. Pontifice, cives autem Imperatorem Ludovicum ſequebantur. In tantum hæc mox crevit diſſenſio, quòd ſe ambæ partes parabant ad bellum. Erat autem Paſchale tempus, quando hæc diſcordia maximè efferbuit. In parte verò Epiſcopi Ottonis fuerunt Henricus Archiepiſcopus Moguntinus, Henricus quoque junior Comes de Hennenberg vir dives & potens, Joannes Burggravius de Nürnberg, cum alijs terræ nobilibus multis, qui omnes in ſubſidium venire Herbipolenſi Eccleſiæ proprijs ſub ſtipendijs erant voluntarij. Cum civibus autem rebellibus Eccleſiæ contra memoratum Antiſtitem conſpiraverant Nürenbergenſes, Rotenburgenſes, Windeshemenſes, Wiſſenburgenſes, & quidam alij, qui partes Imperatoris Ludovici ſequebantur. Circa tempus autem meſſis, cùm ab utraque parte jam omnia pararentur ad bellum, quorundam interventu Principum regni, negotium fuit interceptum, ut non veniretur ad prælium.

Inter Ottonem Epiſc. & cives Herbipolenſes gravis diſſenſio.

Eodem anno circa feſtum S. Martini bellum inter Henricum Archiepiſcopum Moguntinum, & Rupertum Comitem Palatinum Rheni Bavariæq; Ducem pro quibuſdam controverſijs indicitur, dies congrediendi & locus apud Frankenfurt oppidum Mogani determinatur. Adveniente autem termino memoratus Otto Herbipolenſis Epiſcopus in auxilium ab Archiepiſcopo ſuo vocatus cum equitibus quadringentis & octingentis peditibus ad bellum electiſſimis deſcendit ad Franckenfurt, locatíſque haud procul ab oppido caſtris turmas hoſtiũ imperterritus exſpectavit; aderant & reliqui Moguntinorum auxiliarij, nihil aliud quàm adverſariorum cupientes pro

Inter Henricum Archiepiſcopum Moguntinum & Rupertum Comitem Palatinum diſſenſio.

Ecclesiæ defensione congressum. Sed Palatinus audiens tantam pugnatorum convenisse multitudinem, contremuit; nec procedere in occursum exspectantium ausus fuit; in suis enim continens se munitionibus, néque nuntios misit, qui voluntatem ejus præstolantibus indicarent, néque ipse accedere præsumpsit; quamvis in diem sextum fuerit exspectatus. Unde posteaquam domi remanere potius, quàm ad certamen venire velle notatus est, qui convenerant singuli ad propria redierunt.

Anno etiam prænotato feriâ sextâ post diem S. Galli Abbatis, facta est concordia & reconciliatio inter Ottonem Episcopum Herbipolensem, & cives super omnibus & singulis differentijs causis átque negotijs, ratione quorum eatenus fuerant discordes, per Burkhardum de Sekendorff militem, & Conradum oppidi Nürnberg supremum Scultetum, in quos per partes fuerat concorditer arbitratum, cujus reconciliationis litteræ sigillis eorundem duorum tunc fuerunt confirmatæ.

MCCCXLV.

Otto Wirzburgensis Episcopus moritur.

Anno Wichardi Abbatis quarto, Indictione Rom. tertiâ decimâ, die mensis Augusti XXIII. circa horam vesperarum mortuus est in castro montis sanctæ Mariæ Otto Wolfskel Episcopus Wirzburgensis, & in Cathedrali Ecclesia juxta morem sepultus: vir certè magnificus & æternâ memoriâ dignus, qui se in rebus Ecclesiasticis verum semper habuit Pontificem, & non minus in temporalibus Francorum strenuum ducem & Principem. Leges perutiles ac necessarias civibus suis condidit: majus consilium senatûs instituit, & multa bona tempore sui Pontificatûs Herbipolensi Ecclesiæ comparavit.

Albertus de Hohenloe à Canonicis in Pontificem eligitur, sed à Papa Albertus de Hohenberg.

Eodem igitur anno post mortem Ottonis Episcopi, tertiâ die mensis Septembris, Canonici majoris Ecclesiæ Wirzburgensis convenientes in unum, pro novi electione Pontificis, Albertum ex comitibus de Hohenloe majoris Ecclesiæ præpositum, ac Friderici Bambergensis Episcopi Germanum, virum prudentissimum unanimi consensu in suum Pontificem elegerunt. Qui auctoritate mox confirmatus Archiepiscopali omnes Ecclesiæ munitiones simul atque Ducatum Francorum in suam ditionem accepit, cui & cives Herbipolenses, & cæteri omnes fidelitatem, ut moris est, jurârunt. Contra hunc Albertum legitimè & canonicè electum Clemens Papa sextus in Avenione residens, alteri cuidam Alberto ex Comitibus de Hohenberg Alsatiæ Canonico Ecclesiæ Constantiensis Doctori Decretorum, Russmum nuncupato, de Pontificatu Ecclesiæ memoratæ Wirzburgensis malè informatus providit: cujus facti postea illum pœnituit, sicut rei probavit eventus, dum emendavit errorem. Veniens itaque Herbipolim Albertus de Hohenbreg in Episcopum Peapolitanum per Papam, sicut dictum est, provisus & ordinatus, canonicè institutum alterum cedere compulit Albertum; & in ejus locum succedens Pontificatum gessit in Ecclesia Herbipolensi annis ferme quatuor: quibus evolutis ad Frisingensem in Bavaria Episcopatum translatus est, Romani jussione Pontificis, & prior electus de Hohenloe Albertus ejusdem Papæ mandato suæ Ecclesiæ restitutus, quemadmodum anno Wichardi Abbatis octavo latius infra dicemus.

Wilhelmus Hollandiæ cum Frisijs bellū gessit infeliciter.

Anno item prænotato circa Nativitatem B. Mariæ semper Virginis Wilhelmus Comes, Hannoniæ Hollandiæ, Selandiæ, Frisiæque Dominus contracto

contracto magno pugnatorum exercitu, contra Frisios sibi rebelles processit ad prælium, in auxilio habens Comitem de Horn, aliósque multos Comites, Barones & Nobiles. Contra quem Frisij ad bellum processuri clausas aquarum continuerunt ad tempus, quò liber pateret hostibus introitus, ut quia viribus hostem vincere non poterant, ingenio saltem (ne dicam insidijs) superarent. Postea verò quàm Frisiam totus intravit exercitus Hannoniæ Comitis, Frisij dato custodibus signo clausas aquarum subitò omnes aperuerunt, & paucas intra horas fossata & exitus viarum omnes impleti sunt aquis, quòd nulli hostium pateret locus fugiendi. Tunc Frisij ex latibulis suis, quæ satis opportunè in arundineto locaverant, erumpentes, fortiter aggressi sunt hostes, & quos impetus aquarum non suffocavit, gladio peremerunt. Sed multò plures absorbuerunt aquæ, inter quos etiam Comes Hannoniæ Wilhelmus principalis auctor belli submersus occubuit, nec filium relinquens, nec filiam. Maximam in ea concertatione cladem à Frisijs tunc acceperunt Hollandij, quæ odiorum inter eos immortalium præstitit occasionem; nam ex maximo illo Hollandiorum exercitu pauciſſimi evaserunt, sed penè omnes aut Frisiorum periêre sagittis, aut præfocati aquis mori coacti sunt. Wilhelmo Comite sine liberis mortuo, Dux Brabantiæ Joannes Comitatum illius ad jus suum trahere, licet frustra, contendebat. Erat autem soror memorati Comitis Margaretha uxor Ludovici Imperatoris quarti, ut in præcedentibus, anno Henrici Abbatis quinto decimo dictum est, quæ pepererat ei sex filios. Hæc proximior hæres terrarum fratris, ab Imperatore Principum decreto judicata, cum magno exercitu descendit in Hollandiam, & omnia quæ Germani fuerant, suæ ditioni potenter subjugavit, Ducémque Brabantiæ cum omnibus inquietantibus populum terræ in sua redire compulit. Post hæc Imperatrix Margaretha peractis omnibus, & ritè pacatis, terras prædictorum comitatuum filio suo Wilhelmo commitens, in Bavariam reversa est; qui tunc titulum epistolis suis præposuit: *VVilhelmus Dei gratiâ, Comes Palatinus Rheni, Dux Bavariæ, Comes Hannoniæ, Hollandiæ, Selandiæ, & Dominus Frisiæ.* Rexit planè memoratos Comitatus deinceps annis quatuordecim.

Imperatrix soror occisi Comitis potenter intravit Hollandiã.

Wilhelmus filius Imperatoris fit Comes in Hollandia annis XIV.

Fuit autem Wilhelmus iste homo temerarius, superbus, Cleri persecutor, & devastator Ecclesiarum, qui multa mala intulit Episcopo Trajectensi, ut suo tempore & loco plenius dicemus. Matrem quóque propriam post obitum Patris, à qua & per quam omnem principatum suum fuerat assecutus, in multis sæpe contristavit, eam ad se venientem recipere noluit, sed persecutus miserabiliter fuit: unde post annos quatuordecim in principatu exactos, Deo vindicante Sanctorum injurias, ut dicetur inferius, morbum incidit, & vesanus delirúsque factus, sine liberis gaudentibus cunctis miserabiliter decessit. Post quem frater ejus Albertus, sicut infra dicemus, terram obtinuit.

Ab isto tempore Palatini Comites Bavariæque Duces per annos octoginta, Hollandiæ, Hannoniæ, & Selandiæ Comitatus cum parte Frisiæ, successione hæreditariâ obtinuerunt, úsque ad annum Dominicæ Nativitatis MCCCXXV. Tunc enim Joannes Dux Burgundiæ, cujus mater filia fuit domus Bavariæ, Comitatus jam dictos sibi armis potenter usurpavit.

Henricus Archiepiſc. Moguntinus à Papa citatus excommunicatur.

Anno Wichardi Abbatis memorato, Clemens Papa ſextus in Avenione reſidens, Henricum de Virneburg Archiepiſcopum Moguntinum adſe in propria perſona citavit, ad inſtantiam quorundam delatorum, propterea, quòd Ludovico Imperatori excommunicato jam diu nimis adhærere pertinaciter, & de auctoritate Rom. Pontificis minus Catholicè ſentire videretur; citatus autem contempſit: unde Papa commotus, eum in publico multorum conſiſtorio excommunicavit, & denuntiari per ejus Provinciam præcepit.

MCCCXLVI.

Anno Wichardi Abbatis quinto, die verò menſis Aprilis ſeptimo, Clemens Papa ſextus apud Avenionem in Conſiſtorio publico de conſilio & aſſenſu Cardinalium Henricum ex Comitibus de Virneburg Archiepiſcopum Moguntinum citatum, & non comparentem, ut jam diximus, per ſententiam ab omni dignitate Pontificali depoſuit, & privatum omni jure, quod habuerat ad Moguntinam Eccleſiam, in perpetuum pronuntiavit. Verùm ne poſt Henrici depoſitionem Moguntina videretur diutius vacare inſignis Eccleſia, idem Papa Clemens Archiepiſcopatum contulit Decano ejuſdem Eccleſiæ majoris Gerlaco, filio Gerlaci Comitis de Naſſavv viri divitis átque potentis, per cujus aſſiſtentiam partes Henrici ſperabat infirmandas, ac penitus conterendas. Gerlacus itaque aſſumpto Pontificatu, Henricum quâ potuit perſequitur, & Eccleſia Moguntina illis inter ſe per annos ferme octo pro Archiepiſcopatu decertantibus, penè tota deſolatur; Henricus enim Papæ contempſit ſententiam, & ſe ut prius Archiepiſcopum geſſit in omnibus, Cunonem quóque de Falkenſtein Canonicum Eccleſiæ memoratæ, virum doctum atque prudentem, qui poſt Baldevvinum factus eſt Archiepiſcopus Trevirorum, in coadjutorem ſibi conſtituit, per cujus induſtriam ſimul & ſuffragia cognatorum partes ſuas non parum contra Gerlacum tuebatur. Per annos tamen octo continuos, quibus Henricus poſt ſui depoſitionem ſupervixit, ad quietam poſſeſſionem Gerlacus non pervenit, utérque tamen ſe geſſit Archiepiſcopum, & tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus Pontificis utérque in locis ſibi commodis exercebat officium. Durante hoc Schiſmate, per annos ſicuti diximus octo, miſerabili deſolatione in utróque ſtatu Moguntina premebatur Eccleſia, tantáque damna per illud tempus in re familiari ſuſtinuit, quanta in centum annis poſteà non potuit recuperare. Ambo námque contendentes pro lana, nullus ſe verum aut voluit, aut potuit exhibere paſtorem, ſed ut ſuam quiſque partem rebus & viribus meliorem redderet, proventus Eccleſiæ annuos & cenſus ambo miſerabiliter alienando diſtraxerunt. Pauperum Ruſticorum in tota poſſeſſione Principatûs incendia, ſpolia, & ultimam deſolationem conſultò pertranſeo, Monaſteriorum & Eccleſiarum calamitatem non adverto, unum fuit malorum omnium maximum, tot periculum (ne dicam damnatio) animarum, dum cujúſque partis caput in alteram excommunicationis fulminaret ſententiam, & præſumptam quiſque ſuam defenderet exiſtimationem.

Gerlacus à Naſaw Archiepiſc. Moguntinus à Papa inſtituitur.

Anno etiam prænorato inter Reinhardum Geldriæ Ducem, & Eduardum fratrem ejus gravſſima fuit ſuborta diſſenſio, quæ in magnum totius Principatûs detrimentum ſuccreſcens, infinitam pauperibus terræ intulit deſola-

desolationem; sæpius námque inter se pugnantibus multi ceciderunt in ore gladij perempti: villæ manserunt absque habitationibus desertæ: destructa igne castella, & terra Colonis aut interfectis aut fugâ lapsis, suam inculta sterilitatem deplorabat.

Eodem anno Clemens Papa sextus in Avenione scripsit Principibus Regni Germanici, serioſius mandans, ut infra certum terminum, quem eis in litteris tunc præfixerat, alium eligerent Regem, in Romanum posteà Imperatorem à se coronandum in Ludovici dudum abrogati locum; quod nisi quantocius facere curaverint, se de Imperio dispositurum, quod sibi & Ecclesiæ utilius videretur. Clemens Papa mandat Principibus, ut Regem contra Ludovicum eligant.

Anno igitur memorato Principes Regni litteris Papæ susceptis, ad oppidum juxta Rheni fluenta constitutum, quod Rense nuncupatur, haud procul à Confluentia convenerunt, Ludovici abrogationem & Papæ sententiam collaudantes; nam ad oppidum Frankenfurt, ubi locus ab antiquo est regis eligendi, tantum non poterant habere accessum propter insidias Henrici abrogati quondam Archiepiscopi Moguntini, & oppidanos Frankenfurtenses, qui partes Ludovici pertinacissimè sequentes viribus tuebantur. Erant autem nomina Principum, qui convenerant ista: Baldevvinus Archiepiscopus Trevirorum, Gerlacus Archiepiscopus Colonienſis, Joannes Rex Bohemiæ, & Saxonum Dux Rudolphus.

Igitur anno prænotato undecimâ die mensis Julij, memorati principes consilio inter se cum multa, ut ferebatur, maturitate habito, in eo loco extra prædictum oppidum, ubi inter nucum arbores Regia sedes hodie constructa lapidibus cernitur, considentes, Carolum Marchionem Moraviæ, Joannis Bohemiæ Regis primogenitum, in Regem Germaniæ, & Rom. Imperatorem concorditer elegerunt, virum doctum & Imperio dignum, qui uxorem habuit Philippi regis Gallorum sororem, quæ peperit ei inter alios liberos Wenceslaum Bohemiæ Regem, qui Patri successit in Imperio. Carolus quartus in Regem Germanorum eligitur.

Electione autem celebratâ supradicti Principes Carolum electum suum cum genitore præsentem, ad oppidum Colonienſis Ecclesiæ Bunnam festivè duxerunt, quem Walramus Colonienſium Archiepiscopus in Regem Germaniæ solemniter consecravit; non enim tutò poterant Aquasgrani, ubi Capella est Regni, cum electo procedere, propter metum Aquensium, qui partes Ludovici sequebantur: & ab eo tempore Carolus iste quartus regnavit annis duobus & triginta, quamquam Ludovico vivente ad regni plenam possessionem non pervenit, licet Papa electionem in eum factam mox collaudaverit. Adolphus námque sive ut alij volunt, Rupertus Comes Palatinus Rheni, Ludovicus Brandenburgensium Marchio filius Imperatoris Ludovici, Duces Bavariæ, cum omnibus penè civitatibus & oppidis regni partes Imperatoris Ludovici senioris, in cujus verba semel juraverant, fidelissimè sequebantur. Henricus etiam Moguntinus quondam Archiepiscopus cum Ludovico sentiebat, qui tamen Ludovicus non diu supervixit, ut sequenti anno dicemus. Carolus in Regem Bunnæ consecratur die 26. Novemb.

Anno Wichardi Abbatis præscripto, die mensis Augusti vigesimâ sextâ, quæ fuit sabbatum post festum S. Bartholomæi proxima, factum est bellum atrox inter Eduardum Regem Angliæ, & Philippum Regem Gallorum, pro Ducatu Normaniæ in Picardia, tribus à Monasterio sancti Judoci Bellum inter Reges Gallorum Philippum, & Angliæ Eduardum.

Judoci milliaribus, inter duo villagia Crecy videlicet & Albam. Erat autem circa tempus vesperarum, & ingravatum est bellum, acitérque diu ab utráque parte pugnatum. Ceciderunt illâ die de exercitu Regis Gallorum non minus viginti millia hominum: inter quos sagittâ percussus cujusdam Anglici mortuus cecidit Joannes nobilissimus ille Rex Bohemiæ, Dux Luzenburgi, filius quondam Henrici Imperatoris septimi, Pater Caroli memorati jam Imperatoris quarti. Similiter cum eo tunc perierunt in parte Regis Gallorum, Dux Lotharingiæ, Comes Flandriæ, Comes de Salm, Comes unus de Mansfeld Saxo, & multi ex Teutonicis Comites, Barones, Nobiles & milites. Rex igitur Angliæ iterum de Gallis gloriosè triumphavit.

Carolus Germanorum Rex quartus in Regem Bohemiæ Pragæ coronatur.

Joanne autem rege memorato in bello sicut diximus occiso filius ejus Carolus Germanorum Rex quartus in regno Bohemorum succeſſit, & anno prænotato tertiâ die mensis Septembris, quæ festivitate sancti Emerici Ungariæ quondam Regis fuit solemnis, Pragæ in Ecclesia Cathedrali per Archiepiscopum in Regem Bohemiæ solemniter fuit denuo coronatus, in præsentia multorum Principum.

Anno quoque prænotato quintadecimâ die mensis Septembris, & diebus quinque immediatè præcedentibus magna subitò tempestas aëris cum gelu & glacie contra temporis consuetudinem irruit, quantum eâ tempestate viventium nullus ante vidit, neque audivit. Ex qua mortalibus damna infinita provenerunt & incommoda, pauperibus nullo tempore unquam deteriora; nam omnia penè vineta per Franciam Orientalem, Sueviam, Austriam, Belgium, & circa Rhenum, atque per totam Germaniam graviter læsa, fructum quem matureſcentem jam portabant, ad vindemiam non poterant producere, & in sequentem similiter annum sterilitatem continuârunt: unde maxima vini penuria subsecuta fuit, & inopia grandis vinetorum.

MCCCXLVII.

Conventus Principum ad Carolū fit in Confluentia.

Anno Wichardi Abbatis quinto Carolus Rex Germanorum quartus Conventum Principum sibi adhærentium apud Confluentiam circa festum Purificationis B. Mariæ semper Virginis celebravit, in quo comparuerunt personaliter Baldevvinus Archiepiscopus Trevirorum, Walramus Archiepiscopus Colonienſis, Gerlacus Archiepiscopus Moguntinus, Rudolphus Dux Saxoniæ, & Episcopus quoque Metenſis, Episcopus Verdunenſis, Episcopus Monasterienſis, Episcopus Leodienſis, & plures alij, quos omnes Regalibus, ut moris est, Rex Carolus infeudavit; finito Concilio Rex Carolus in Bohemiam reversus est, validum congregaturus exercitum, ad pugnandum contra Ludovicum.

Henricus Moguntin. Imperatoris quærit auxilium.

Interea Ludovicus Imperator jam abrogatus, apud Monachium in Bavaria se continebat, ad quem veniens Henricus quondam Archiepiscopus Moguntinus, suas deplorabat miserias, & auxilium ejus cum gratia invocavit. Qui desolato compassus amico, solemnes Nuntios cum eo destinavit ad oppidum Frankenfurt; ubi & Canonicos Moguntinos præcepit adesse cum suis amicis, ad tractandum pro aliquali concordia inter dissidentes. Qui convenientes ad Frankenfurt dies multos inutiliter tractando consumunt, alijs pro Henrico, alijs verò pro Gerlaco inter se concertantibus. Tandem verò administratio Ecclesiæ Moguntinæ tribus

fuit

fuit assignata Canonicis sub tali conditione; quòd Henrico singulis annis ministrarentur de proventibus Ecclesiæ certa millia marcarum argenti pro sustentatione suorum. Pars Judicum Gerlaci Moguntiæ, pars autem Henrici ad littus Rheni apd Altam villam in castello, quod ipse construxerat, mansionem suam habebat. Postremò tamen administratio totius Ecclesiæ Moguntinæ uni commissa est, Cunoni videlicet de Falkenstein Canonico viro prudentissimo, quem Henricus sibi ante in Coadjutorem assumpserat, ut paulò ante jam diximus. Hunc omnes Ecclesiæ Moguntinæ subjecti tanquam verum & legitimum administratorem unanimiter suscipentes, in ejus fidem, ut est consuetudo, juraverunt: qui terram circuiens in manu valida, omnes Ecclesiæ munitiones in suam accepit potestatem, sicque administrator annis septem, potens in opere, & sermone usque ad mortem Henrici, quemadmodum suo loco plenius dicemus, permansit.

Cunoni de Falckenstein administratio Ecclesiæ soli committitur.

Verum quandiu vixit Henricus, iste Cuno magis pro eo fuit, quàm pro adversario ejus Gerlaco, quod ex eo fuit manifestum; quoniam redditus, proventus, & decimas Prælatorum Henrico non obedientium in omnibus penè locis suæ administrationi subjectis præoccupavit, & violenter detinuit. Fuerunt enim dies illi tribulationis & dies miseriæ, in quibus illa nobilis Ecclesia Moguntina in desolatione posita, & duos Pontifices habere videbatur, & nullum.

Eo tempore Joannes de Columna S. R. E. Cardinalis præposituram majoris Ecclesiæ Moguntinæ Apostolicâ provisione commendatam habuit, cujus fructus omnes per procuratores, ut fieri solet, in usum proprium convertit. Cuno itaque de Falkenstein præfatus, posteaquam in administratorem Ecclesiæ Moguntinæ constitutus fuerat, avaritiam Romanorum detestatus, simul & Dominum suum Henricum de Virneburg per Papam ægrè ferens depositum, contra dictum Cardinalem se potenter opposuit: Procuratores illius omnes de Moguntia similiter expulit: proventus, & redditus præposituræ sibi usurpavit: in toto administrationis suæ tempore in omnibus prudenter se habuit, & per industriam suam à multis periculis & damnis Moguntinam Ecclesiam relevavit.

Cunonis de Falckenstein audax facinus.

Anno Wichardi Abbatis præsignato, x. die mensis Octobris, quæ fuit solemnitate B. Gereonis & sociorum ejus Martyrum festiva, Ludovicus Bavarus ejus nominis IV. Germanorum Rex, & Imperator Romanorum, per Joannem XXII. Benedictum XII. & Clementem VI. Pontifices Romanos dudum abrogatus, in venatione haud procul à Monasterio Fürstenfeld in Bavaria, de equo concidit, & fractâ cervice inter famulorum accurrentium manus expiravit. Cujus corpus ad oppidum residentiæ suæ Monachium relatum in Ecclesia B. Mariæ semper Virginis juxta Beatricis uxoris suæ prioris tumulum debito cum honore sepultum est.

Ludovicus Imperator IV. cadens de equo suo moritur.

Fuerunt, qui constanter & dicerent, & scriberent, illum veneno perijsse cujusdam Austriæ Ducissæ, quam ob fœdam tetrámque oris dispositionem omnes vulgò Maultasch, id est, oris peram nuncupaverunt; manè námque in venatione constitutus, circa prandij horam ad domum reversus est: & sumpto cum ea cibo in eadem mensa, ut ipsa paraverat, mox in interioribus malè sentire cæpit, quod nauseâ stomachi factum existimans, rursus equum conscendens ad venationem regreditur, sperans

quòd agitatione corporis melius esset habiturus. Verùm secus accidit. Incalescente námque agitato corpore nimium debilitatus est, dissimulánsque internum cordis defectum, postremò de equo cecidit, & inter famulorum manus, sicut diximus, expiravit. Vir alioquin humanissimus, pius, & pacificus, qui contumelias & injurias sibi multipliciter irrogatas æquo semper animo toleravit, & magis benignitate atque clementiâ, quàm severitate vincere quoscunque adversarios studuit.

Quæ fuerit causa depositionis Ludovici ab Imperio, notantur articuli.

Contra hunc Ludovicum Imperatorem Clemens Papa VI. anno priore in Cœna Domini apud Avenionem, sermonem in publico Consistorio habuit mordacissimum, omnésque censuras & processus Joannis Papæ XXII. in eum fulminatos dudum, innovans, sequentes illi articulos imposuit.

Articulus I.

Primus articulus, quem Papa Ludovico Imperatori objecit, iste fuit. Dicebat, illum esse hæreticum, atque Schismaticum, & non solum de Romana Ecclesia, sed etiam de fide Catholica malè sentientem, quod multis per eum gestis, dictis, & factis probare conabatur, quæ nos brevitatis causâ scienter omittimus.

Articulus II.

Secundus articulus, quòd Romanæ determinationes Ecclesiæ pertinaciter contemneret, & suas opiniones falsas & temerarias veritati semper prætulisset. Determinationem námque Joannis XXII. de paupertate Christi, quam contra Fratricellos ediderat hæreticos, ut anno Sigismundi Abbatis sexto est dictum, Ludovicus Imperator contempsit; eámque persuasione quorundam ex Ordine minorum, qui Michaëlem de Cesena, & Wilhelmum de Okam sequebantur, deceptus dixit fore hæreticam; & in positionem se credere contrariam juramento firmavit.

Articulus III.

Tertius articulus, qui depositionis ejus causam dedit non ultimam, fuit: quòd sensit, credidit, dixit, scripsit & pertinaciter etiam defendit; Imperatorem Romanorum Jus habere plenum instituendi simul & deponendi Papam. Cujus erroris documentum extitit, quòd Petrum de Corbaria in Antipapam exaltavit.

Articulus IV.

Quartus articulus depositionis ab Imperio fuit, quòd citatus super hæresi responsurus non comparuit: & excomunicatus pro contumacia non advertit, sed per decennium in excommunicatione contumaciter perseveravit.

Articulus V.

Quintus articulus, quòd Joannem de Landavv hæresiarcham, Michaëlem quoque de Cesena quondam Ordinis Minorum Generalem cum sibi adhærentibus, qui Joannem Papam XXII. blasphemaverunt esse hæreticum, sicut patet in quodam libello Wilhelmi de Okam, quem de erroribus memorati Pontificis prænotavit, secum tenuit, fovit, & contra Ecclesiam pertinaciter defensavit.

Articulus VI.

Sextus articulus: quòd Episcopatus & Abbatias, quibus voluit, non canonicè, neque electis, sed pro muneribus irrumpentibus contulit: interdictum Apostolicum contempsit; servantibus illud civitates interdixit: Presbyteros Papæ obedientes, beneficijs & præbendis suis privavit, & multis contumelijs affecit.

Articulus VII.

Septimus articulus, quòd matrimonia in facie Ecclesiæ ritè solemnizata diremit, similiter & in gradu prohibito conjunxit: quod manifestum ex eo constat: quia filium Regis Bohemiæ de Comitatu Carinthiæ, quem

ei cum

ei cum filia ultimi Comitis hærede legitimâ contulerat, violenter ejecit: raptámque uxorem ejus, cum qua undecim annis in matrimonio legali habitaverat, eam filio suo absque Judicio Ecclesiæ temerariè copulavit in scandalum plurimorum.

Pro his memoratis articulis, sive ut verius dicatur, transgressionibus Ludovici Imperatoris IV. motus Clemens Papa VI. eum ab Imperio Auctoritate Apostolicâ deposuit, & Principibus, ut alium eligerent, mandavit.

Eodem anno post mortem Imperatoris Ludovici convenerunt in unum Rupertus Comes Palatinus Rheni, Ludovicus Marchio Brandenburgensis filius mortui Cæsaris, Henricus quondam Archiepiscopus Moguntinus, qui se Pontificem etiam abrogatus gessit in omnibus, cum Bavariæ Ducibus, in oppido ipsius Palatini Oppenheim, animo & intentione novum eligendi Germaniæ Regem; dicebant enim, Caroli electionem non fuisse Canonicam: & propterea Baldevvinum Archiepiscopum Trevirorum, Walramum Archiepiscopum Colonienſem, & Rudolphum Saxoniæ Ducem ad terminum electionis per litteras vocaverunt. Henricus autem de Virneburg Archiepiscopum se gerens Moguntinum, ne vocaretur Gerlacus, effecit. Regem quoque adesse Bohemiæ, cùm esset electus, ratio non permisit.

Die verò electionis instante citatorum nullus comparuit, utpote qui se Regẽ elegisse canonicè non dubitarent. Unde cæteri, qnos convenisse jam diximus, comitio inter se habito, Eduardum Regem Anglorum, de cujus victoria in Gallijs plura diximus, in Germanorum Regem, & consequenter in Romanorum Imperatorem coronandum unanimi consensu elegerunt; ordinatísque ad eum nuntijs magnæ auctoritatis, ut venire quantocius non tardaret, instantissimè rogabant, pollicentes arma, viros, impensas, & quicquid pro Imperio consequendo contra Carolum videretur necessarium.

Eduardus Rex Angliæ ad Imperiũ contra Carolum eligitur.

Venientes in Angliam oratores jam dictorum Principum, ab Eduardo Rege summo cum honore fuerunt excepti: quibus summam legationis suæ coram eo dicentibus, Rex tale fertur dedisse responsum: *Benevolentiæ Principum vestrorum, & in me charitati gratias ago, & quòd me Romano dignum censuerunt Imperio, non mediocriter exulto. Verumtamen tanta mihi cura est & sollicitudo continua in gubernandis regnis meis paternis Angliæ videlicet, Franciæ, atque Hiberniæ, quòd Romano Imperio non possum intendere. Unde jus meum omne, si quod mihi competit ad Imperium, in manus Electorum meorum, cum gratiarum actione, liberâ & spontaneâ voluntate resigno.* His Oratortes auditis, ac bene remunerati, ad suos in Germaniam redierunt.

Marchio Misnenſis contra Carolum Rex eligitur.

Postea verò quàm Principes memorati Regis Angliæ audivissent responsium, quòd Regnum Germaniæ cum Imperio Romanorum non vellet assumere, sed electioni de se factæ renuntiâsset, iterum apud Frankfurt conveniunt, & Misnensium Marchionem Ludovici quondam Imperatoris generum in Regem Germaniæ, & Imperatorem eligunt Romanorum. Qui per oratores prædictorum Principum rogatus, ut regnum susciperet, libenter consensit, & se venturum quantocius cum exercitu armatorum ad partes Rheni promisit. Carolus autem Rex, ubi contra se Marchionem intellexit electum, suos ad eum oratores destinavit solemnes, & multis ei rationibus persuadere conatus est, ut invalidæ

renuntiaret electioni: post multos tandem variósque tractatus, Marchio considerans potentiam Caroli, eò quòd ex æquo non posset cum eo certare; maximè verò, quòd ejus electio jam esset à Sede Apostolica confirmata, prudenti suorum usus consilio, x. argenti marcarum millia, quæ offerebantur à Carolo, accepit, & omne jus suum ad regnum illi resignavit.

Guntherus Comes de Schwarzenburg in Regem electus est.

Quod postquam Principibus memoratis innotuit, irati sunt, & pro electione Regis jam tertij, tertiò apud Franckenfurt oppidum convenerunt, habitísque inter se consilijs multis Guntherum tandem Comitem de Schvvarzenburg Thuringum in Regem concorditer elegerunt, qui & ipse consensit electioni, & exercitum pugnatorum contra Carolum statim congregavit. Verùm cùm ista non statim post mortem Ludovici, sed successivè posterius facta sint, singulis annis gesta sua reservantes scribenda, omissa repetamus.

Anno igitur prænotato, cùm adhuc mors Ludovici lateret Carolum Regem in Bohemia constitutum, quid ageret, aut quomodo vinceret illum, quem viventem æstimavit, sedulò cogitavit; magno igitur Bohemorum, Sclavorum & Moravianorum congregato exercitu contra Ludovicum pugnaturus versus Bavariam proficiscitur: quem ubi mortuum cognovisset in itinere constitutus, ne sæviret in pauperes terræ, ad pacem animo mitigatur. Die itaque mensis Octobris XXII. venit ad Ratisbonam, & à civibus ut Rex Germaniæ verus cum honore suscipitur, consuetis juramentis veneratur.

Carolus Rex Norinbergenses pecuniâ in deditionẽ accepit.

Inde profectus cum exercitu ad Norinberg oppidum Regni, ultimâ die mensis Octobris à civibus intromittitur, susceptóque fidelitatis juramento, ut moris est, Rex ab omnibus salutatur. Sunt tamen qui scribunt, eam Norinbergensium fidem seu obedientiam non parvis muneribus à Carolo fuisse comparatam; Burggravium quoque Norinbergensium magnis pecunijs, & pollicitationibus sibi fecit obnoxium. Horum exemplo provocati & alij plures Regni cives, tam in Francia Orientali, quàm alibi Regem Carolum placidè susceperunt.

Exinde Rex Carolus per Alsatiam ducens exercitum, suæ illam ditioni sine pugna subjecit. Veniens autem Basileam petivit ingressum, sed cives illum nolebant intromittere; nisi prius à censuris absolverentur omnibus, quas propter Ludovici adhæsionem incurrissent. Habebat secum Apostolicæ Sedis Legatum quendam Rex Carolus, qui Basileenses ad ejus instantiam absolvit. Quo facto civitatem ingredi permissus est; cui omnes juramentum fidelitatis solitum præstiterunt.

Rex Evangelium Basileæ legit ad missam.

In nocte quoque Dominicæ Nativitatis Rex Carolus in principali Ecclesia Basileensi, sacris indutus ornamentis Diaconi, gladium tenens aureum in dextra manu, & coronam portans in capite regalem, Evangelium legit ad missam: *Exijt edictum à Cæsare Augusto:* Et Sacramentum Dominici Corporis accepit.

Anno etiam præsignato vindemia perexigua fuit, & parvum emolumentum ex vinetis mortalibus provenit; nam vix pars vini decima crevit, ex eo, quòd vineta sicut anno præcedente simul & isto dictum est, perierunt.

Eodem quoque anno ingens vapor magnitudine horribili à Boreali motus regione magno aspicientium terrore per aërem medium in terram dilabitur,

dilabitur. Fuerunt etiam, qui scripserunt, hoc ipso quoque anno quasdam minutas bestiolas multiplicato numero, imò innumerabiles penitus in Oriente decidisse de cœlo in terram, quarum corruptio mortalibus induxit pestem anno sequente maximam.

Astronomus multa his temporibus prædixit esse futura.

Prædixerat hanc mortalium cladem ante triennium Astronomus quidam, in sua arte peritus; cujus verba, quoniam brevia sunt, ex ordine ponamus. *Unus erit mundi Dominus solus. Imperium Romanum exaltabitur. Contentiones multæ & magnæ erunt in terra. Tyrannus Gallorum Rex cadet cum Baronibus suis. Tonitru fiet insolitum & horribile. Magnæ sanguinis erunt effusiones. Papa cum Cardinalibus suis dissipabitur. Erit fames magna in terris. Pestilentia quoque & mortalitas hominum per universum orbem horrenda & inæstimabilis. Calor erit magnus in æstate: & frigus nimium in hyeme. Semina corrumpentur in terra. Vindicabitur injuria Regis: & regina veneris fuga transmigrabit ad exteros. Pulices, locustæ, & animalia venenosa multa erunt super terram: & plura in aëre signa apparebunt atque mirabilia.* Ex his quæ futura prædixerat, in anno Dominicæ Nativitatis millesimo trecentesimo quadragesimo octavo plura contigerunt, non omnia; quæ utrum reverà præviderit ex astris, an ex conjectura præsumperit aliqua eorum, quæ præcesserunt, mihi non satis apparet hâc vice manifestum.

MCCCXLVIII.

Ribaldus quidam Volmarum finxit se Marchionẽ in Brangenburg.

Anno Wichardi Abbatis septimo fuit quidam homo Ribaldus, qui lucri causâ Volmarum se Marchionem Brandenburgensem finxit, simulavit, & publicè dixit, quem ante annos fermè triginta mortuum diximus superius anno videlicet Sigismundi Abbatis secundo. Videbatur autem Marchionem Volmarum Ribaldus iste facie repræsentare per omnia, his, qui verum prius noverant tunc mortuum; & signa multa dedit, per quæ plures etiam potentes decepit, in scandalum Regni & periculum; dixit enim, se reverà Marchionem esse Volmarum, & numquam mortuum fuisse vel sepultum: sed corpus cujusdam histrionis tunc mortui, secretissimè sublatum, & suo nomine cum honore tumulatum; propterea ut cunctis lateret, quod mente gerebat propositum pœnitendi, se autem, histrione sepulto, cum uno famulo dicebat in habitu peregrino secretè mediâ nocte recessisse de Patria, & per continuos novem & viginti annos hinc inde pro Dei amore limina visitâsse Sanctorum, & intereà à nullo fuisse recognitum. Nunc autem pœnitentiâ peractâ revelatione Divinâ prænonitum redire in Patriam, ut Regno Romanorum succurrat labenti atque confuso multiplici machinatione pravorum. Causam verò tam arduæ pœnitentiæ assumendæ finxit talem: quòd Patrui sui quondam Marchionis Brandenburgensis filiam contra Ecclesiasticas leges duxisset uxorem, cum qua pluribus annis in matrimonio ficto atque prohibito ab Ecclesia habitâsset. Unde postremò sibi asseruit revelatum divinitus, quòd animam salvare suam aliter non posset, nisi dimissis omnibus pauper & peregrinus amore pœnitentiæ usque ad revocationem Angeli Domini exularet. Qui cùm animæ suæ maximè, ut asseruit, salutem amaret, se mortuum finxit, ac tali commento jam securus noctu fugiens tanto tempore exularet.

Multos viros nobiles atque potentes in terra Saxonum & Marchianorum hâc simulatione decepit, pluréque in suam partem etiam Princi-

pes attraxit. Nam & Carolus Germaniæ Rex ejus machinatione deceptus Volmarum Brandenburgensium esse Marchionem credidit, & multa pro eo contra Ludovicum Imperatoris filium, qui tunc Marchiam tenebat, consilia & auxilia impendit. Erant & alij plures viri potentes in Marchia & Saxonia Episcopi, Abbates, Comites, & nobiles, qui eum Volmarum esse revera credebant, quorum auxilio non parvam Marchiæ partem obtinuit, & juratos Ludovico Marchioni complures in perjurium traxit. Verùm non diu latuit falsi Marchionis simulatio, sed manifestata per unum ex familiaribus quondam Volmari per quædam secretiora corporis signa. Cùm se comprehendi timeret & occidi, secretè aufugit.

Anno prænotato in mense Januario, Carolus Rex secum habens Bambergensem Episcopum, cui Papa vices suas per Regnum commiserat absolvendi pœnitentes, qui propter Ludovicum fuerant excommunicati, vel interdicti, & quendam alium Apostolicæ Sedis Nuntium, à Basilea descendit ad Wormatiam, ubi reperit populum seditiosè tumultuantem, unde necessitate compulsus fecit eos sine juramenti interpositione absolvi.

Pestilentia fuit maxima, quæ mediam hominum partem consumpsit.

Anno prænotato Wichardi Abbatis septimo, lugubris & miseranda pestis per universum penè orbem desæviens, infinita millia hominum prostravit; nam in Asia apud Indos, ubi anno proximè præterito vaporem decidisse horribilem diximus, incipiens, passímque per omnes Asiæ, & Europæ regiones irrepens, trium annorum spatio usque ad Insulas Britanniæ in omnes gentes desævijt. Tanta hujus miserandæ cladis immanitas fuit, quòd penè mediam humani generis partem suâ crudelitate consumpsit. In nulla tamen natione crudelius desævijt, quàm in Italia, quando in sola Florentia hoc anno plusquàm sexaginta hominum millia peremit, & plura oppida, villas & castella sine habitatoribus desolavit. Multi quoque in hac miseranda clade peste percussi sine Sacramentis Ecclesiasticis decesserunt propter morientium multitudinem, & Sacerdotum paucitatem; quippe cùm arva & urbes mortuorum replerentur cadaveribus, & præ nimia cadentium multitudine nec patrem filius, nec matrem filia, nec socius socium, nec amicus amicum, nec Dominum servus curare potuerit, vel sepelire. Nam sicut diximus, hæc pestis multas civitates, castra, villas, domos, & agros hominibus penitus evacuavit, ita quòd nec unus in eis remanserit. In Germania tamen non usque adeò crudeliter sæviebat, sicut in cæteris nationibus, quamvis nihilominus quartam hominum partem ad minus indubitanter absumpserit.

Eduardus Angliæ Rex hoc anno vocatur ad Imperium.

Hoc ipso anno Henricus Moguntinensium abrogatus Archiepiscopus, Ludovicus Brandenburgensium Marchio, Rupertus, & Adolphus Comites Palatini Rhenenses, quod præcedente anno per necessariam anticipationem, ut continuaretur historia diximus, primò Eduardum Regem Angliæ vocaverunt ad Imperium, post Marchionis cessionem: quo contemnente illud accipere, à desiderio suo fraudati sunt, & sequente anno ad Guntherum Comitem vota direxerunt. His temporibus Judæi magnam per totam Europam in omnibus locis persecutionem sustinuerunt; infamabantur etenim, quòd omnes totius penè orbis fontes & puteos veneno infecissent, in odium & pernitiem Christianorum, & ex illa fontium intoxicatione tot millia hominum peste ubique morerentur. Pascua etiam jumentorum eorum veneficio dicebantur infecta, quoniam

non

non minus pecora moriebantur peste, quàm homines. Alia quoque multa vulgabantur in eos nefanda, quæ Christianis Principibus minimè dissimulanda viderentur. Quâ occasione moti Principes & judices Christianorum, per totam penè Europam à mari Mediterraneo usque ad mare Germanicum, per Italiam, Hispaniam, Galliam, Ungariam, Poloniam & cæteras nationes, in quibus erant Judæi, penè omnes miserandum illud ac perfidum genus hominum capientes, torturis horribilibus submiserunt, & multa eorum millia flammis, aquis, præcipitio, ferro, & diversis tormentorum generibus occiderunt. Solus Papa Clemens sextus Judæos in Avenione habitantes ab hac internecione contra multorum sententiam potenter servavit, non sine suspicione pecuniarum. Jure, vel injuriâ sustinuerint hanc persecutionem Judæi, non dixero, sed miror, quo inventore talis in eos fuerit orta suspicio, cùm & ipsi ijsdem quibus Christiani aquis uterentur, & multi eodem tempore à peste fuerint consumpti. Judæi autem qui habitabant in civitate Francorum Orientalium Wirtzburg, videntes in malo se positos, & quòd furentium populorum sævitiam non possent effugere, quin foret necessarium interire, subfossis in terram, atque projectis in cloacas thesauris suis, januísque firmiter obfirmatis domorum, habitationes suas omnes igne suppositio incenderunt, & semetipsos cum uxoribus, liberis & cunctis rebus manè quodam ante solis ortum combusserunt. His enim pressi malis Judæi, hâc ipsâ tempestate valdè humiliati sunt, & in parvum numerum redacti, quod eorum perfidia meruit, quæ Dominum & salvatorem nostrum Unigenitum Dei Filium usque in præsentem diem blasphemavit.

Judæorum persecutio.

Judæi Herbipolenses semetipsos cum suis domibus incenderunt.

Circa hæc tempora surrexit nova quædam secta Flagellatorum, nuncupata, cujus auctores de Ungaria venientes in Germaniam & Italiam multos novitate suâ infecerunt, incedebant medio corpore undi, caput operientes caputio, pileóque, à lumbis autem deorsum lineâ camisiâ pudibundis operimentum præstabant. Cùm incederent alio tempore, quo se flagellare non solebant, nigro utebantur habitu, crucem antè & retrò portantes albi coloris assutam. In sinistra manu crucem gestabant ligneam, & in dextera flagellum, quod nodos in extremitate ternos habebat, quibus aculei de ferro erant infixi. His sese flagellis publicè in Ecclesijs & extra cunctis inspectantibus usque ad effusionem sanguinis sub prætextu pœnitentiæ sæpius flagellabant, deinde in modum crucis prostrati super terram orationem Dominicam orabant, & maximam coram omni populo devotionem mentis in Deum ostendebant. Multa & magna devotionis exercitia falsa sub specie faciebant pœnitentiæ, quam ipsi non ex judicio Sacerdotum, sed propriâ sibi assumptione imponebant, carmina in lingua materna canentes, quæ puritati Ecclesiasticæ traditionis ut plurimum erant contraria. Circumierunt per civitates, oppida, & villas, Principem unum cum vexillo crucis, & duos præceptores sequentes, quorum jussis obtemperabant in omnibus. Neminem in suum recipiebant consortium, nisi prius jurâsset, omnia se statuta eorum sectæ firmiter observaturum, haberétque tantundem substantiæ temporalis, quòd quatuor denarios Wirtenbergenses pro suis expensis quotidie potuisset exponere, quia non mendicabant publicè vel ostiatim. Divites tamen pauperibus hilariter subvenire curabant. Erant in ea secta multi claustrales Ordinum

Flagellatorum secta his temporibus sumpsit exordium.

dinum mendicantium, sacerdotes quoque sæculares, nobiles, cives, viri, & mulieres, qui omnes simul turmatim incedentes, mundum in stuporem verterunt, & brevi tempore valdè multiplicati creverunt, multos paulatim secum in errorem pravum ducentes. In Suevia cumprimis hanc sectam acceptârunt quidam claustrales mendicantes, Sacerdotes, Laici, viri & mulieres numero ducenti, unum inter se Principem, & duos habentes magistros, quorum præceptis obtemperabant.

Flagellatores ex Suevis ducenti fuerunt inventi.

Venerunt de Suevia processionaliter ad Spiram, & majus templum ingressi, cæremonias, & flagellationes cum orationibus cunctis mirantibus suo more perfecerunt. Spirenses autem cum novitate rei, tum religionis intuitu, eò quòd plures etiam nobiles ex eis novissent, misericordiam in eos exercere volentes in domos suas hospitalitatis gratiâ invitârunt, & tam subitò à civibus omnes rapti fuerunt de plateis, ut extemplo qui invitare pergeret, nullum inveniret, essentque receptores quàm qui reciperentur multò plures. Spiram exeuntibus supra centum è civibus se illis conjungunt, quos tamen in societatem eorum noluerunt recipere, nisi præstitio prius de articulis, & cæremonijs eorum firmiter servandis juramento, haberétque de propria substantia sua quilibet singulis diebus in sumptus communes quatuor denarios exponere.

Ad Spiram venerunt.

Cùm venissent ad Argentinam, ubi tunc erat Carolus Germanorum Rex, tantus eorum fuit numerus, ut certò minimè posset æstimari. Carolus autem Rex videns quemadmodum omnes sicut pecora transirent in unum, religiosos mendicantes & Sacerdotes ex eis separavit, interdicens illis, ne promiscuis turbis immiscerentur, sciens fortassis, sectam non bonis principijs subnixam.

Ad Argentinam.

Anno etiam Wichardi Abbatis prænotato, secundâ die mensis Maij magna flagellatorum multitudo ex Polonia, Misnia, & Thuringia, cum crucibus & vexillis processionaliter intravit Herbipolim, & ibidem triduò permanserunt. Verùm quia nimium quotidiè multiplicabantur, nec poterant eos capere urbes, ut simul incederent, in plures se turmas divisserunt, quorum alij Saxoniam, alij Marchiam, alij Bohemiam, alij Austriam, atque alij Ungariam, nonnulli ad partes Rheni Moguntiam, Coloniam, Treverim & partes Galliæ cum ducibus singulis atque magistris intraverunt.

Ad Herbipolim.

Anno etiam præscripto venerunt in Avenionem, ubi Clemens tunc Papa sextus cum Cardinalibus suis morabatur. Flagellatores studiosè immissi ad explorandum, quid de illa secta, Apostolica sentiret Ecclesia. Intrantes autem turmatim Ecclesias, suo se more flagellabant publicè, orabant in modum crucis prostrati super terram, & magna pœnitentiæ signa multipliciter ostendebant, in tantum, quòd non solùm cives, sed etiam Cardinales in stuporem verterunt. Et multis quidem notabilibus viris placuit eorum conversatio. Papa verò cùm esset vir undecunque doctissimus, rem altius considerare cæpit, & maturâ deliberatione in secretario cordis sui præhabitâ, sub excommunicationis sententia prohibuit, ne deinceps sese publicè flagellarent. Non placuit Cardinalibus ista prohibitio, qui sectam illam putabant sanctissimam, & ideò se Pontifici fortiter nonnulli ex eis opposuerunt. Verùm Papa in sua perstans sententia, sectam illam sub anathematis vinculo damnavit. Quod videntes Prin-

Flagellatores in Avenione coram Papa fuisse memorantur.

Principes sectæ, magno timore perculsi sunt, & in paucis diebus penitus evanuerunt. Tandem Papa in suam sententiam revocatis Cardinalibus, omnibus Archiepiscopis, & Episcopis scribens per Apostolica scripta mandavit, quatenus sæpe dictam Flagellatorum sectam in suis Diœcesibus extinguerent, Sacerdotes, & Claustrales, qui hâc hæresi fuissent infecti, carceribus manciparent, teneréntque captivos, donec aliud ab eo reciperent in mandatis, sicut patet in ipsis litteris, quas misit ad Gerlacum Archiepiscopum Moguntinum, & ad alios Archiepiscopos Germaniæ, quarum tenorem his inserere utile judicamus.

Exemplar literarum Papæ ad omnes Episcopos contra Flagellatores.

Clemens Episcopus servus Servorum Dei. Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis eorúmque suffraganeis salutem & Apostolicam benedictionem. Inter sollicitudines innumeras, & immensas, quibus ultra vires Apostolicæ servitutis debito perurgemur, illud cordi nostro potissimum insidet, & ad hoc attentius studia nostra convertimus & conatus, ut apud omnes Christiani nominis professores fides orthodoxa fulgeat, sanctorum Patrum doctrina splendeat, & sic Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ Romanæ Religio sine cujusquam simulationis, fictionis seu velaminis pallio, purè & inviolabiliter observetur, quòd à vinea Domini Sabaoth, cujus cura & custodia nobis licet immeritis est commissa, vepres & urticæ tam periculosè quàm damnabiliter succrescentes evellantur; & vulpeculæ quæ ipsam demoliri nituntur, per Apostolicæ Sedis curam & providentiam abigantur.

Falsa revelatio à Flagellatoribus ficta.

Sanè molesta nobis, licet fide digna magnorum relatio & multorum assertio, nostrum & Fratrum nostrorum non mediocriter turbavit auditum; quòd in partibus Regni Germaniæ & ei convicinis quædam sub prætextu devotionis, & agendæ pœnitentiæ vana religio & superstitiosa adinventio procurante satore malorum operum surrexerit; per quam prophana multitudo simplicium hominum, qui se flagellantes appellant, decepta verbis fictis atq; mendacibus malignorum, asserentium, Salvatorem nostrum Hierosolymis Patriarchæ Hierosolymitano apparuisse; (cùm tamen à longis citra temporibus nullus ibidem præsentialiter fuerit Patriarcha) & sibi aliqua dixisse, quæ colorem veritatis non habentia nec saporem, quibusdam sacræ scripturæ auctoritatibus obviare noscuntur, in illam cordis vesaniam est deducta, & in animæ præcipitationem acta; atque de die in diem suggestionibus hostis antiquissimi, ut dominicum gregem devoret, transferentis in angelum lucis, nimium succrescendo deduci (cortinâ trahente cortinam) periculosius formidatur, quòd se per societates, & conventicula (licet caudas invicem colligatas habeant) dividentes, diversas circumeunt Patrias; cæterorum hominum vitam & statum condemnando se justificant.

Flagellatorum errores multi, & vitia.

Claves Ecclesiæ vilipendunt, ac in contemptum disciplinæ Ecclesiasticæ, habitum certum, nigrum videlicet, antè & retrò ipsius vivificæ crucis impressum habentes signaculum, sine superioris licentia deferentes sub nomine pœnitentiæ gerunt; & aliàs in causa insolita Congregationes, conventicula, & coadunationes, quæ à jure sunt prohibitæ, faciunt, & ad alios actus prosiliunt, à vita & moribus observantiáque fidelium Christianorum penitus alienos. Ordinationes etiam & statuta, quibus utuntur (imò verius abutuntur) propriâ temeritate fecerunt, erroris suspicione non vacua, & judicio rationis carentia. Sed ex eo tam pro Deo quàm hominibus odiosè per amplius turbamur, acerbiúsque & durius anxiamur, quòd quidam religiosi præsertim de Ordinibus mendicantium, qui alios revocare debuerant, & ad viam reducere veritatis, & ab utero matris Ecclesiæ veluti maledictionis filij nequiter aberrantes, linguas suas, ut alios pertrahant in errorem, acuunt, quibus corda debilia vulnerant, & ignorantes

rantes Dei Justitiam suæ propriæ innitentes prudentiæ, dum legi Domini nolunt esse subjecti, alijs in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis prædicando & dogmatizando contra Ecclesiæ libertatem & fidei Catholicæ puritatem, ab ipsa veritate subducere moliuntur. Quod eò faciunt efficacius, quo conceptum virus latenter effundunt: blandis prius sermonibus auditores, quasi bonum vinum prius ponendo, satagunt irretire, & cùm inebriati fuerint, illud quod est deterius, cum ipsis in perditionis laqueum incidunt; & in profundum malorum pariter demerguntur.

Error Flagellatorum multa intulit Reipublicæ scandala.

Nos igitur tam pernicioso & periculoso principio, per quod ultra divinæ majestatis offensam, magnum etiam Reipub. periculum, & apud fideles scandalum generatur, ne deteriores processus pariat & successus, obstare volentes, & considerantes, quòd cùm plerique ex ipsis, seu adhærentes eisdem, sub pietatis colore ad impietatis opera laxantes crudeliter manus suas, Judæorum, quos pietas Christiana retinet & sustinet, offendi eos aliquatenus non permittens; & frequenter etiam Christianorum sanguinem effundere, & oportunitate captatâ bona Clericorum & Laicorum diripere, & suis usibus applicare, ac superiorum Jurisdictionem usurpare, & ad multa alia illicita erumpere minimè vereantur.

Timendum est, quòd tam præsumptuosa temeritas, & temeraria præsumptio, nisi ei per salubri antidoto occurratur, paritura sit non levem perniciem, nec sine aliquorum morborum lethali contagio properans in plurimos, serò recipiat medicinam. Attendentes insuper, quòd error, cui non resistitur, quodammodo approbari videtur, & quòd ex officio nobis injuncto compellimur, ut quos per iter devium errando currere, & plures in præcipitationem secum trahere percipimus, ac in dispersionem multarum gentium ambulare, revocando à devio, ut in viam veritatis & justitiæ dirigant gressus suos, eísque providere per oportuna remedia studeamus. Fraternitati vestræ, de Fratrum nostrorum consilio per Apostolica scripta committimus, & districtè præcipiendo mandamus, quatenus vos & singuli vestrum in singulis civitatibus vestris & Diœcesibus, per vos, seu alium vel alios, adinventiones hujusmodi seu ritus prophanos (quos una cum societatibus, congregationibus, statutis, & ordinationibus supradictis, qui se ut præmittitur Flagellatores appellant, temerariè attentatos, de eorundem Fratrum nostrorum consilio perpetuæ prohibitioni subjecimus, & tanquam illicitos reprobavimus) auctoritate nostrâ reprobetis, in vestris civitatibus, & Diœcesibus, reprobos & illicitos publicè denuntietis: ac omnes tam Clericos, seculares, quàm Regulares, & Laicos de prædicta superstitiosa secta, vel societate quocumque appelletur nomine existentes, vel eam sectantes, auctoritate prædictâ monere & inducere studeatis, ut ab hujusmodi observantia, secta & nova religione totaliter desistere, & resilire procurent. Quódque nullus deinceps prædictam sectam seu conventiculum præsumat intrare, aut ritus & statuta societatum hujusmodi observare; contrarium facientes per Censuram Ecclesiasticam coërcendo: nec non eos, in quos temporalem jurisdictionem habetis, per pœnas temporales, de quibus expedire videritis, appellatione postpositâ, compellatis.

Sanè ut Religiosi & alij errorum Magistri, qui prædicando & dogmatizando simplices decipiunt, & cæci ducatum cæcis præbentes, ipsos secum in foveam trahunt, & si non divino amore, saltem humanâ confusione à tam iniquo proposito revocentur: omnes & singulos cujuscunque sint Ordinis, Religionis, præeminentiæ vel statûs, quos in præmissis vobis constiterit deliquisse, capi faciatis; non obstante quocunque privilegio vel indulto (quod eis in nullo suffragari volumus) tam diu

captivos

captivos detineatis, donec aliud à nobis acceperitis in mandatis : invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

Per prædicta tamen nequaquam intendimus prohibere, quin Christi fideles impositam sibi pœnitentiam, vel etiam non impositam, dummodò rectâ intentione, & purâ devotione ad illam peragendam procedant, in suis hospitijs, vel aliàs, absque superstitiosis congregationibus, societatibus & conventiculis supra dictis, possint facere, & se in bonis exercendo virtutum actibus Domino, prout ipse inspiraverit, in humilitatis spiritu deservire.

Cæterùm quia præsentes litteræ nequeunt singulis vestrûm propter locorum discrimina commodè præsentari, volumus, quòd per te Frater Archiepiscope, earum transsumptum publicâ manu scriptum, & tuo communitum sigillo vestris Suffraganeis transmittatur : cui adhiberi volumus plenam fidem. Datum Avenione XIII. Calend. Novembris Pontificatûs nostri anno octavo.

His litteris Romani Pontificis, Archiepiscopi & præsules Germaniæ susceptis memoratam Flagellatorum sectam in suis Diœcesibus damnatam, superstitiosam, impiam, & reprobatam à Romana Ecclesia publicè denuntiari fecerunt, & sub censuris prohibuerunt gravissimis: spontaneâ voluntate pœnitentes de commisso errore cum pietate receperunt ad gratiam, contemnentes verò mandatum Ecclesiæ, & in sua temeritate perdurantes, varijs cruciatibus addictos, aut mori compulerunt, aut ad S. Matris Ecclesiæ Catholicæ redire unitatem. Plures eâ tempestate Clerici, Sacerdotes, atque Claustrales de mendicantium Ordinibus, qui Flagellatorum aut socij fuerunt, aut magistri, juxta mandatum Papæ carceribus mancipati sunt, è quibus etiam nonnulli in vinculis obierunt. Duravit tamen Flagellatorum discursus in annum sequentem, & omnes deinceps evanuerunt.

Flagellatores omnes brevi tempore evanuerunt.

Anno Wichardi Abbatis prænotato Comes Palatinus Rheni, Bavariæque Dux & Comes Hannoniæ, Hollandiæ, Seelandiæque ac Frisiæ Dominus, Ludovici quondam Imperatoris filius, homo quietis impatiens, magno pugnatorum coadunato exercitu Trajectensis Ecclesiæ terram furibundus intravit; spoliavit Ecclesias, nec Monasterijs pepercit, villas incendit, pauperes interfecit, & plura memoratæ damna Ecclesiæ intulit, non habens rationabilem causam.

Eodem quoque anno Bernenses in Confœderatione Suitensium contractis copijs castellum Comitis de Kyburg, Hutvvil nuncupatum, obsidione fortissimâ cingentes gravissimè impugnaverunt; immissóque tandem igne oppidum simul & castrum in cinerem redegerunt. Oppidani, paucis exceptis, penè omnes aut igne perierunt, aut gladio Bernensium fuerunt occisi.

Huttvvil oppidum Comitis de Kyburg à Bernensibus destruitur.

Anno item prænotato Conradus Dux in Teck Ludovici quondam Imperatoris IV. magnus consiliarius, cùm illo mortuo adhuc resideret in oppido Monacensi, & pro filijs Domini sui consuleret, mirabili morte fuit occisus. Nam die quâdam Svvikerus de Gundelfingen ad eum intravit, claro meridie in æstuario sedentem solum, quasi ad salutandum illum, extractóque latenter gladio crudeliter interfecit, & confestim exiens auffugit.

MCCCXLIX.

Anno Wichardi Abbatis octavo Indict. Romanorum II. Guntherus

Guntheri cum Carolo Bohemo certamen pro Imperio.

Comes de Schvvarzenburg, quem Principum pars adversa Carolo, quemadmodum supra dictum est, in Germaniæ Regem constituerat, cum magno exercitu venit ad oppidum Frankenfurt, juxta Moganum, & in campis extra oppidum fixit tentoria secundùm antiquam consuetudinem Germanorum; diebus scilicet tribus, & sex hebdomadibus, ibidem congressum expectans Caroli, quo aut victor aut victus abire cupiebat. Erat autem Guntherus vir jam grandævus, fortis & bellicosus, qui plura non minus fortiter quàm feliciter cum hostibus diversis gesserat bella. Hunc oppidani Frankenfurtenses in Gelinshusen & Fridberg cum vicis, urbibus, oppidis & populis, ut verum Germaniæ Regem jurati susceperunt.

Audiens Rex Carolus Guntherum venisse ad Frankenfurt, & suum expectare congressum, paravit exercitum, & statuit cum eo inire certamen. Verùm ubi venit ad stationes, consideravit se Gunthero inferiorem, & deficientibus pugnatorum viribus, industriâ superavit fortiorem. Consilio námque Baldevvini Archiepiscopi Trevirorum, Bavariæ Ducem cum multis militibus in exercitu Guntheri suam traxit in partem: cui pro confirmatione fœderis, filiam suam dedit uxorem, licet sanguine proximam. Non enim præsumpsit Carolus approximare Gunthero, quamvis illum tribus hebdomadibus expectâsset in agro Frankenfurtiano; sed profectus ad Spiram, ibi cum Principibus suis Baldevvino Trevirorum, & Gerlaco Moguntinensium Archiepiscopis, Comite quoque de Wirtenberg, qui tum potens erat, & dives, alijsque nonnullis, quid agere conveniret, sedulò tractaverunt.

Guntherus igitur advertens, se frustra expectare illum, qui non erat venturus, exercitum duxit in Alsatiam, ac oppidum Friburg obsedit & expugnavit. Intereà Carolus descendit ad Moguntiam, quem cives in odium Henrici abrogati Archiepiscopi, cum favore maximo susceperunt jurantes. Quòd cùm innotuisset Gunthero, dimissâ in pace Alsatiâ, cum exercitu ad Franckenfurt confestim revertitur: quo priusquam perveniret, in itinere graviter cæpit infirmari, & tamen nihil plus, quàm congressum Caroli optabat.

Verùm ubi morbus quotidiè plus invalescceret, dimisso apud Francofurt exercitu, ipse quietis gratiâ consilio Principum ad castellum Archiepiscopi Moguntini Altavilla, quod Henricus tum obtinuit abrogatus, perducitur, & ibidem jacens diutius infirmatur, Carolus autem consistebat in Moguntia. Quem sic infirmantem Ludovicus Marchio Brandenburgensium accedens de concordia ineunda cum Carolo multis cæpit rationibus adhortari: Guntherus autem videns, se à suis Principibus deceptum, & corpore graviter infirmatum, tandem persuadenti consensit, & propositas sibi conditiones pacis & concordiæ acceptavit. Duo in Thuringia oppida Regni, quoad viveret, à Carolo petijt, & obtinuit, acceptísque ab eo in promptu duabus millibus atque ducentis argenti puri marcis, jus omne, quod ei competere videbatur ad Regnum, illi spontaneâ voluntate resignavit, & sic pax tandem fit Regno.

Concordia fit inter Carolum & Guntherũ Comitem.

His autem peractis, Guntherus in dies magis ac magis cæpit infirmari, & in tantum brevi morbus prævaluit, quòd vitam cum morte commutavit. Cujus corpus præsente Carolo Rege in Ecclesia parochiali D. Bar-

Guntherus in Altavilla moritur.

D. Bartholomæi Apostoli apud Franckenfurt regale oppidum cum pompa magna fuit sepultum. Fuerunt qui dicerent, eum interijsse veneno sui Medici, qui potionem medicam cùm porrexissẽt ægroto, illum dixisse ferunt: *Magister, ut potionem comprobem bonam, mihi convenientem, te primùm ex illa, me posterius bibere oportet.* Medicus autem necessitate compulsus & confidens in arte prior bibit, deinde nihil cunctatus poculum infirmanti porrexit. Biberunt ambo, & mortui sunt ambo; Medicus post triduum, & Comes ægrotus intra unicum mensis spacium. Hæc litteris commendata priorum accepimus, quæ vera sint, an falsa, nequaquam possumus discernere, qui scriptoris officium non Judicis nos recognoscimus obtinere. Et iste finis Guntheri Comitis.

Jubilæum de centesimo in quinquagesimũ revocatur.

Anno præscripto Clemens Papa VI. attendens vitæ humanæ brevitatem, & quòd pauciſſimis contingere posset annum vivere aut videre Jubilæum, si de centesimo in centesimum servaretur annum, quemadmodum à Bonifacio Papa VIII. fuerat institutum, sicuti anno Godfridi Abbatis octavo in superioribus hujus voluminis dictum est, habito desuper Cardinalium consilio, infirmitati atque saluti mortalium consuluit, & Jubilæum de anno centesimo in quinquagesimum revocavit, missisque per universam Europam litteris Jubilæum cunctis fidelibus proximo sequente anno Romæ intimavit fore celebrandum; cujus initium diem Nativitatis Domini & Salvatoris nostri JESU Christi in fine præsentis, & reliquum per sequentem annum continuaret.

Annus calamitosus.

Fuit hic annus multis calamitatibus plenus, de quibus partim jam ante scripsimus, partim scribendum, quod restat, mente ordinamus. Merentur hominum peccata vindictam, ut qui Deum timere, vitámque corrigere pravam in tempore pacis negligunt, attriti varijs calamitatibus justitiam providentis omnia discant agnoscere, & metu pœnarum compulsi vitam in melius emendare. Fuerunt inquam hæc tempora nimium calamitosa, & plagâ triplici divinitus miserabiliter afflicta.

Prima calamitas fuit maxima illa tabes pestilentiæ, quæ ut anno præterito diximus, triennio durans per totam Europam tot millia hominum absumpsit; quòd nemo in historijs veterum aut scripsit unquam, aut legit. Diximus in civitate Italiæ Florentia plusquàm sexaginta millia hominum eâ peste consumpta. In oppido Stauronesso, quod parvum est, & Spanheimensi Monasterio proximum, eadem pestis plusquam mille sexcentos homines utriúsque sexûs interemit. Eâdem clade fuerunt consumpti in Moguntia prima Metropoli Germaniæ plusquàm sex millia hominum. In Erfordia similiter multa millia eâdem peste obierunt: tantáque fuit immanitas pestis, ut in multis civitatibus aliquando uno die & nocte ducenti vel trecenti homines mortui una in fovea sepelirentur. Fuit miserabile tempus, nam ubique metus & timor, ubique lamentum & sævæ mortis imago: cùm transirent homines tanquam dementes pavore simul & mærore graviter percussi, quibus & vivere tædium & mori periculum. Quemcunque pestis illa invasit, non erat ei remedium, non tempus, non mora condendi testamentum, sed mox tabes prævaluit, & infectum quasi subitò ad inferos traxit: quoniam ut dicit Poëta: *Lanificas nulli tres exorare puellas contigit: observant quem statuêre diem, sùntque inexorabilia fata.*

Secunda clades, quâ genus hoc tempore afflictabatur humanum, hæmorrhois, id eſt, ſanguinis profluvium extitit; quod æſtivo tempore multa per Germaniam hominum millia conſumpſit. Erucæ námque & aliæ venenoſæ beſtiolæ, quarum inaudita multitudo his temporibus oppleverat terram, fructus arborum infecerat omnes, quorum eſu ſine certo numero multi perièrе mortales. Eâdem peſte infecta gramina & paſcua, jumentorum interitum cauſabant.

Tertia verò clades fuit ignis, quem ſacrum vocant, aduſtio: cujus morbi tanta fuit immanitas, ut corpora hominum, non ſolùm viventium, ſed quòd mirabile eſt, etiam mortuorum, uſque ad oſſa rodendo conſumeret. Horrenda nimis & prius inaudita calamitas; ut ex una parva ſive minuta puſtula, crus, vel brachium ſucceſſivè intra paucos dies totum incenderetur, carnibus quoque fruſtatim quaſi aſſatis cum fœtore decidentibus oſſa nudarentur: & niſi à principio membrum amputaretur infectum, brevi totum corpus conſumeret.

Duravit anno præterito inchoata etiam iſto in Judæos perſecutio nimium crudelis, & per totam Europam (præter illos, qui erant ſub ditione Romani Pontificis) mactabantur ut pecudes. Nam ſicut prius diximus, poſteaquam per univerſum orbem fuiſſent diffamati, quòd fontes & paſcua ſimul, & ipſum aërem intoxicâſſent: & inde peſtilentia ſuſcepiſſet exordium, ſævientibus in eos Chriſtianis, alij fuerunt ignibus cremati, alij ſubmerſi & ſuffocati in aquis, alij gladijs cæſi, aut ex alto præcipitati, atque alij diverſis ſupplicijs interempti: plures etiam illorum cernentes ſe in malo poſitos, & quòd ſævientium manus nequaquam poſſent evadere, necatis primum liberis & uxoribus, ne Chriſtianorum manibus traderentur occidendi, domibus ſuis igne ſuppoſito incenſis, & ſe & omnia ſua voluntariè concremârunt. Duravit autem hæc perſecutio Judæorum biennio; quæ jure an injuriâ ſit facta, non eſt meum diſcernere: quamvis noverim eam Romano Pontifici viro Chriſtianiſſimo haud mediocriter diſplicuiſſe; multis etenim eo tempore videbatur impoſſibile, quòd Judæorum paucitas, etiamſi voluiſſet, omnes mundi puteos, ſicuti feciſſe accuſabantur, potuerit inficere, aut veneni tantam copiam invenire. Arbitrabantur itaque multi, Chriſtianos, qui hanc perſecutionem Judæis moverunt, avaritiâ motos potius, quàm pietate religionis, vel zelo Juſtitiæ. Verùm nos illius græci proverbij memores: Δρυὸς πεσούσης πᾶς ἀνὴρ ξυλεύεται, ſententiam Domino Deo ferendam cum timore concedimus: quem omnia ſcire etiam ſecretiſſima non dubitamus.

Judæorum plures metu Chriſtianorum ſe ipſos concremârunt.

Anno quoque prænotato in Vigilia S. Bartholomæi Apoſtoli potiores & ditiores Judæorum, qui habitabant in Colonia, cùm audiſſent, quàm crudeliter Judæi in Frankenfurt, Moguntia, Wormatia, Spira, Treviris, & multis locis alijs, à Chriſtianis fuiſſent occiſi: conſilio inter ſe habito, ignem domibus ſuis impoſuerunt; & ſe unà cum uxoribus & liberis concremârunt. Reliqui verò Judæi, qui remanſerant in Colonia, omnes decreto ſenatûs cum rebus fuerunt expulſi.

Carolus IV. Germanorum Rex regnavit annis XXXII.

Anno item præſcripto poſt ſepulturam Guntheri Comitis de Schvvarzenburg apud Frankenfurt in Eccleſia S. Bartholomæi Apoſtoli, quemadmodum paulò antè dictum eſt, Carolus Bohemiæ Rex in Regem Germa-

Germanorum confirmatus, ſolus jam & ſine contradictore cæpit regnare pacificè, regnavítque in toto annis duobus & triginta, vir bonus, magnificus, prudens, & doctus, quinque linguarum peritiſſimus, latinæ videlicet, Germanicæ, Bohemicæ, Ungaricæ, & Italicæ.

Uxores quatuor & liberi Caroli Regis Germaniæ IV.

Quatuor legitimas habuit ſucceſſivè uxores exemplo Caroli Cæſaris magni. Prima fuit Rudolphi Comitis Palatini Rhenenſis Bavaríæque Ducis filia, quæ ſine liberis deceſſit. Secunda fuit ſoror Philippi Regis Gallorum, quæ & ipſa obijt ſine liberis. Tertia filia fuit Principis Suedorum, de qua genuit filiam unam, quam dedit Ludovico Marchioni Brandenburgenſium uxorem, mediante Archiepiſcopo Trevirorum, ſicuti paulò ante jam diximus, ut Guntherum deſereret. Poſt cujus mortem ſine liberis in veſaniam verſa eſt. Filium quoque genuit ex eadem uxore tertia nomine Wenceslaum Bohemiæ Regem, qui poſt patrem obtinuit Imperium. Quarta & ultima uxor ejus fuit Eliſabetha filia Ducis Pomeranorum, & Stetinenſium, de qua genuit Sigiſmundum Ungariæ Regem, & Joannem Ducem: de quibus ſuo tempore & loco plenius dicemus.

Eodem anno Carolus Rex celebratis Guntheri funeralibus, nundinas & privilegia Frankenfurtenſium confirmavit, acceptis à ſenatu viginti millibus florenorum, quos ex Judæorum theſauris anno præterito peremptorum hauſerant; eatenus enim nundinæ Frankenfurtenſium noviter præſumptæ non ſatis confirmatæ videbantur: quæ bis celebrantur in anno, ad dies quatuor & viginti, videlicet in quadrageſima primò, & in menſe Septembri ſecundò, cum privilegijs conſuetis.

Albertus de Hohenloe fit Epiſcopus Herbipolenſis.

Item anno Wichardi Abbatis prænotato Pontificatu Friſingenſis Eccleſiæ in Bavaria per mortem ultimi Præſulis vacante, Clemens Papa VI. Albertum de Hochberg, quem ante quadriennium contra Albertum de Hohenloe canonicè tunc electum Eccleſiæ Wirzburgenſi deſtinaverat Epiſcopum, cognitâ veritate negotij ad Friſingenſem Eccleſiam tranſtulit: & ipſum Albertum de Hohenloe ad ſuam Eccleſiam revocatum in Antiſtitem confirmavit. Pœnituit eum námque erroris, propter canonicam fratrum electionem, quæ in perſonam ipſius Alberti ſatis idonei, & utilis viri præceſſerat.

Eodem anno in die Converſionis S. Pauli Apoſtoli circa horam Veſperarum, magnus & quaſi generalis terræ motus factus eſt per univerſam Germaniam, & Italiam, præcipuè tamen in Ducatu Saxoniæ, Carinthiæ, & Sclavoniæ, terríſque maritimis, cujus impulſu multa ædificia in diverſis locis fortiſſima corruerunt.

Walramus Archiepiſc. Colonienſis moritur, ſuccedit Wilhelmus.

Anno item præſcripto in vigilia Aſſumptionis Beatæ Mariæ ſemper Virginis obijt Walramus Epiſcopus Colonienſis, qui propter bella cum adverſarijs & multa & fermè continua, rebus penè omnibus exhauſtis, atque conſumptis, Eccleſiam ſuam ære multipliciter gravatam alieno, pauperrimam dereliquit. Huic in Archiepiſcopatu ſucceſſit Wilhelmus de Genep, Canonicus Colonienſis, & Suſati Præpoſitus, & præfuit annis duodecim menſibúſque novem, vir ſagax, induſtrius & prudens in diſponendis rebus atque negotijs, qui per ſuam providentiam in brevi tempore commiſſam ſibi Eccleſiam omnibus debitis exoneravit. Inde non caruit ſuſpicione cupiditatis, & avaritiæ, propterea, quòd religioſos, & Clerum inconſuetis ſubventionibus præſtandis nimium gravavit.

Anno

Bavariæ Ducatus inter filios Ludovici Imperatoris dividitur.

Anno etiam præscripto facta est divisio Ducatus Bavariæ inter filios Ludovici quondam Imperatoris quarti, ut sequitur. Ludovicus primogenitus inter fratres suos hæreditatem non accepit: propterea, quòd Marchio esset Brandenburgensis, Dominúsque Lusatiæ, & Romani Elector Imperij: Otto & junior Ludovicus, qui dicebatur Romanus, quia Romæ natus, Bavariam superiorem sorte in possessionem acceperunt; Stephanus & Albertus Inferiorem Bavariam inter se partiti sunt. Wilhelmus autem jam prius ut supra diximus Hollandiam, Hannoniam, Seelandiam, & partem Frisiæ à matre susceperat.

MCCCL.

Anno Wichardi Abbatis nono Jubilæus Romæ celebratus est, Papâ Clemente sexto cum sua Curia in Avenione permanente. Verùm cùm sæva pestis Italiam plusquàm cæteras nationes gravissimè opprimeret, parvus fuit ad Apostolorum limina populorum concursus: Italis more suo urbes & oppida claudentibus, ne pertransirent ituri Romam peregrini, metuentes peste ab exteris infici: qui jam prius, ut supradiximus, erant infectissimi.

Philippus fit Abbas Spanheimensis.

Eodem anno in mense Augusto Wilhelmus Abbas Spanheimensis jam senio gravatus, & amans quietis Abbatiam in manus sui Conventus spontaneâ voluntate resignavit, & annis quatuor postea duntaxat supervixit. Post cujus resignationem Philippus cognomento Meijsvvein prior Monasterij in Abbatem quintum decimum à Fratribus eligitur: qui confirmatus & ordinatus à Gerlaco Archiepiscopo Moguntino præfuit annis quatuor & viginti.

Philippus Gallorum Rex moritur.

Anno etiam prænotato moritur Philippus Rex Gallorum hostis & persecutor Ludovici quondam Imperatoris quarti maximus: qui plura cum Eduardo Anglorum Rege prælia gessit, sed nunquam victor, semper autem victus retrò cessit. Hic Principatum Viennensium anno priusquàm moreretur, pecuniâ comparavit, & regno Gallorum adjunxit: post quem Joannes filius ejus successit.

Henricus Dolendorf Carmelitanus.

Claruit his temporibus Henricus de Dolendorff Ordinis Fratrum B. Mariæ semper Virginis de monte Carmeli: prior sive Magister Provincialis per Germaniam inferiorem: vir in divinis litteris & scripturis haud mediocriter eruditus, qui scripsit inter plura ingenij sui exercitia super sententiarum opus Petri Lombardi Parisiensis quondam Episcopi libros quatuor, sermones etiam de tempore & de sanctis multos scripsit & dixit ad populum. Alia quoque nonnulla scripsisse dicitur, quæ ad notitiam nostræ lectionis minimè pervenerunt.

Michael de Leone Patriâ Herbipolensis, Presbyter & Canonicus novi Monasterij, ac protonotarius Ecclesiæ memoratæ Wirzburgensis, vir studiosus, & tam in sæcularibus quàm in divinis scripturis magnæ suo tempore doctrinæ simul & æstimationis, Franciam Orientalem (quæ paucos ab olim viros habuit doctos) suâ eruditione his temporibus fecit clariorem. Metro námque excellens & prosâ quædam præclara scripsit opuscula, de quibus legimus subjecta: Gesta Ottonis de Wolfskel Episcopi Wirzburgensis librum unum. Chronicon eorum, quæ suo tempore notatu digna contigerunt in Germania librum unum. Commentarium quoque super metricum opus Hermanni Eremitæ de divisione Philoso-

phiæ

phiæ librum unum. Carmina ejus plura vidimus diverſo metrorum genere compoſita. Cætera ingenij hujus viri opuſcula in manus noſtras non venerunt.

Henricus de Erfurdia Doctor, qui varia lucubravit.

Eodem tempore claruit apud Thuringos Henricus de Erfurdia, vir magnæ eruditionis tam in divinis ſcripturis, quàm in litteris ſæcularibus, Philoſophus, Juriſta, Theologus & hiſtoricus inſignis, qui ſcripſit non contemnendæ utilitatis opuſcula, quorum editione ſui memoriam poſteris commendavit: è quibus feruntur ſubjecta. Opus inſigne hiſtoriarum, quod prænotavit, de factis memorabilibus. Summa quoque de caſibus prænotata, volumen tunc utile. In libros ſententiarum lectiones compoſuit libris IV. Sermones etiam varios ad populum & orationes.

Joannes de Erfurdia Doctor Ord. Fratrum minorum.

Joannes quoque de Erfurdia oppido Thuringiæ oriundus Ordinis Fratrum minorum Doctor magnæ eruditionis & facundiæ ſuo tempore habitus, multa his temporibus lucubravit opuſcula, quibus ſui vivacitatem ingenij poſteritati commendavit. E quibus tamen pauca hactenus ad noſtræ lectionis notitiam pervenerunt. Vidimus ſub ejus nomine Repertorium quoddam juris, quod ipſe tabulam prænotavit, opus non abijciendum. Sumam quoque caſuum conſcientiæ auditoribus confeſſionum non inutilem. libb. II. Sermonum popularium libb. II. De cæteris, quæ ſcripſiſſe fertur, nihil hactenus noſtram lectionem meminimus incidiſſe.

Jacobus de Alta villa, Abbas in Eberbach.

Floruit etiam his temporibus Jacobus de Alta villa, Patria Rinkaugienſis, Abbas Monaſterij Eberbach quintus decimus Ordinis Ciſtercienſis (quod in deſcenſu Rheni duobus ferme à Moguntia diſtat milliaribus) vir in divinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, & ſæcularium litterarum non ignarus: qui adhuc Monachus cùm eſſet, ad Pariſienſium Gymnaſium mittitur, & brevi tempore multum proficiens tandem in ſacræ Theologiæ Doctorem meruit ſublimari; ſcripſit ſuper ſententias notabile opus libb. IV. Quæſtiones in Theologia varias. Sermones quoque ad Fratres: & plures non inelegantes ad diverſos epiſtolas.

Bellum inter Epiſcopum Herbipolenſem & Comites de Henneberg.

Anno etiam Wichardi Abbatis prænotato, ſextâ die menſis Junij Albertus de Hohenloe Herbipolenſis Epiſcopus & Dux Francorum contractis copijs proceſſit ad prælium contra Bertholdum Comitem de Henneberg, qui ſub Ludovico Imperatore quarto in tribulatione Eccleſiæ, abuſus licentiâ caſtellum quoddam novum in fundo Epiſcopij memorato conſtruxit in præjudicium dictæ Eccleſiæ non modicum, quod Utenhauſen fuerat nuncupatum, in Diœceſi videlicet ejuſdem Eccleſiæ Wirzburgenſis, & Ducatu Francorum prope Romholt. Congreſſione igitur factâ ſub vexillio ſanctiſſimi Martyris Kiliani, Domino Deo, qui omnia providet atque diſponit, largiente, victoriam exercitus Eccleſiæ felicem obtinuit: & contra ſatis fortem Comitis militiam triumphavit. Deinde milites Eccleſiæ fortiſſimi non in multitudine pugnatorum, ſed in auxilio Dei altiſſimi & Divi meritis Kiliani ſpem collocantes omnem, caſtellum ipſum Utenhauſen novellum, pro quo fuit contentio, aggreſſi fortiter impugnant, & poſtremò ſancti meritis Patroni ſuffragantibus expugnant, capiunt, atque igne ſubmiſſo funditus ſubvertunt ad Dei gloriam, & Eccleſiæ ſanctæ utilitatem.

MCCCLI.

Anno Wichardi Abbatis decimo, Indictione Romanorum quartâ,

Carolus Germaniæ Rex, ac futurus Romanorum destinatus Imperator, circa initium quadragesimæ Principibus Regni Conventum apud Frankenfurt solemnem indixit. Inter plures comparuerunt proprijs in personis Baldevvinus Trevirorum Archiepiscopus, Gerlacus Moguntinensium Archiepiscopus, Wilhelmus Colonienſum Archiepiscopus, Rupertus Comes Palatinus Rheni Bavariæque Dux, Rudolphus Dux Saxoniæ, Ludovicus Marchio Brandenburgensium, Duces quoque Bavariæ quatuor Ludovicus, Otto, Stephanus, & Albertus.

Conventus Principum in Frankfurt.

Carolus autem Rex hilarior factus, & gaudens, quòd solus pacificè Germanorum obtineret regnum, volénsque suis gratum se exhibere promotoribus, multis diversa contulit beneficia gratiarum. Nulli Principum Electorum, præsertim postulanti, quidquam negavit, quod honore salvo concedere potuisset. Unde Principes animati, unusquisque suis commodum utilitatibus aliquid petere ab eo properabat. Multa tunc postulantibus fuêre concessa, quæ etsi honori non derogabant Regio; communem tamen regni utilitatem non auxerunt. Principibus autem cisrhenanis multa circa Rhenum nova telonia contulit, per quæ mercatores, imò & regni cives nimium gravavit. Factum est ergo, ut mercatores rebus suis utiliter consulentes, Rheni commeatum devitarent; & quæ prius navigio civitatibus adducere vel abducere per alveum Rheni consueverant, jam tunc teloniorum gravamina declinantes, in curribus per terras deducebant. Contigit itaque avaritiæ pœnam fieri avaritiam, ut principes, qui nova impetraverant telonia, justè amitterent veterum fructum simul & utilitatem. Justè amittit sua, qui perperam rapit aliena. Argentinenses, qui eo tempore inter omnes Regni mercatores tenebant principatum, posteaquam Legationibus multis & precibus apud Regem non poterant obtinere, ut revocaret malè concessa Principibus, Rhenum circa Argentinam catenis & trabibus ligneis fortiter occluserunt, ut nullus pateret navibus descensus vel ascensus. Quæ mercatorum aversio in triennio (tanto enim duravit tempore ista tribulatio) quatuor cis Rhenanis Principibus Electoribus dispendium & damnum intulit multorum millium florenorum. Postremò videntes memorati Principes, quòd prævalere civitatibus non possent, spoliarentúrq; tam veterum teloniorum proventibus, quàm novorum, serò pœnituit eos præsumptionis: & consilio tandem accepto cum civitatibus fecêre concordiam, contentíque veteribus, novis telonijs renuntiârunt. Simile quoque nostris factum est temporibus, quòd Principes Rhenum clauseruut annis ferme tribus, quoúsque Colonienses telonium, quod à Friderico Imperatore tertio sine consensu eorum impetraverant novum, deponerent.

Rex Carolus nova Principibus indulsit telonia Rheni.

Argentinenses catenis & trabibus Rhenum clauserunt.

Principes novis renuntiare telonijs compulsi fuerunt.

Anno prænotato cùm lucris memorati Principes teloniorum non possent gaudere optatis, monetam auri & argenti veterem mutaverunt statuentes, ut nummus aureus, qui eatenus viginti solidis argenti, quos albos vocant, commutari solebat, deinceps per quatuor & viginti redimeretur: aureus denique florenus, qui ad gradus puri habebat viginti, ad decem & novem descendit: factum est in paucis annis, quòd omnes penè veteris monetæ nummi aurei floreníve consumpti sunt & in deterius commutati.

Eodem

Eodem anno posteaquam Wilhelmus Hannoniæ, Hollandiæ, Seelandiæque Comes filius Imperatoris quondam Ludovici quarti, populum sibi subjectum diu multúmque per tyrannidem afflixisset, & graviora veteribus quotidie subjungeret onera, pluréſque crudeliter interemisset sine causa, nulli parcens ætati, sexui, vel conditioni, tandem necessitate compulsi pauperes & incolæ terrarum, secretè mittunt Legatos ad ejus Matrem Dominam Margaretham, tunc in Monachio Bavariæ oppido existentem, suas calamitates, quas patiebantur à filio, exponunt, consilium pariter & auxilium ejus contra illius tyrannidem implorantes. Compassa Mater pauperibus, sæpius scripsit ad filium, monendo, increpando, & rogando, quatenus se principem & Dominum subjectis exhiberet clementem atque benignum, & non, ut accusabatur, tyrannum. Ille autem datus in reprobum sensum genitricis monita sprevit, convitia matri remandavit, & tyrañidem semel inceptam usque ad insaniam continuavit, omnia sibi promittens prospera, & nulla metuens adversa. Videns itaque Mater se contemni à filio, & nihil monendo proficere, magnum ex Bavaris Franciſque & Suevis pugnatorum contraxit exercitum, & descendens in Hollandiam bellum instituit contra filium. At ille præmonitus anteà sibi de auxilio multorum providerat, & ideò matris congressum non timebat. Itaque in die Translationis S. Martini, quæ est quarta mensis Julij, hi duo exercitus juxta Mosam anno præscripto convenientes, acriter pugnaverunt, multi sque ab utráque parte cadentibus, Mater à filio tandem vincitur, & fugiens cum paucis in Angliam à furore persequentis aliquandiu ibidem exulat.

Wilhelmus Hollandiæ Comes in suos exercet tyrannidem,

Bellum fit inter Matrem & filium in Comitatu Hannoniæ.

Eodem anno Cometes in parte cœli septentrionali apparuit in mense Decembri, post cujus extinctionem graves ventorum æstus secuti sunt: nec multò post visa est per medium aërem volâsse trabs, unâ parte anteriore vehementer ardente.

Anno prænotato Ludovicus Marchio Brandenburgensis Ludovici quondam Imperatoris quarti filius sororem suam nomine Elisabeth Virginem speciosissimam Cani Mastini Scaligeri Veronæ Principis Filio in Italia copulavit in uxorem, quæ multis cum illo vivens annis plures peperit liberos, & Principatum suum valde decoravit. Ludovicus autem frater ejus Marchio Brandeburgensis jam dictus uxorem habuit sterilem, de qua liberos non suscepit. Cujus rei indignitate motus Marchiam Brandenburgensem omnem, novam videlicet, antiquam, & mediam, cum universis & singulis earum proventibus Carolo Regi Germanorum pro pecunia vendidit. Carolus eam posteà Sigismundo filio dedit; Sigismundus autem post Wenceslai fratris sui depositionem Imperator factus, Marchiam ipsam dedit Friderico Nürenbergensium Burggravio, uti suo dicemus loco largiente Domino.

Marchia Brandeburgensis venditur Regi Carolo quarto.

MCCC LII.

Anno Wichardi Abbatis undecimo Reinhardus ex comitibus de Spanheim, & Ernestus de Molenarck Canonici majoris Ecclesiæ Colonienſis feriâ sextâ ante Dominicam Palmarum Coloniæ in domo Officialis pro vili causa jussione senatûs & furore civium crudeliter fuerunt occisi; cujus ratione sceleris Walramus Comes de Spanheim, Henricus Molenarck & plures alij Comites, Barones, milites, & nobiles contra cives Colonienses

Duo Canonici Colonienses à civibus peremti crudeliter.

arma sumpserunt, & tam per se, quàm per alios multa illis per triennium damna intulerunt. Eodem anno die quâdem post solis occasum flamma cœlestis inter Zephyrum & Austrum latissimè excrescens, & terribiliter ostentans incendium, magno cum murmure, & non sine terrore inspectantium per aërem delapsa evanuit.

Innocentius fit Papa VI. post Clementem.

Anno prænotato in fine mensis Octobris mortuus est Clemens Papa sextus, Avenione sepultus, adhibitâ à Cardinalibus, qui tum aderant, honestâ funeris pompâ. Eodem anno sextâ decimâ die mensis Novembris Cardinalibus in Avenione convenientibus, in Romanum Pontificem fuit electus Stephanus, Lemovicensis natione, procurator cansarum primò, deinde Episcopus Claromontensis, posteà Cardinalis & Papa factus Innocentius ejus nominis sextus, præfuit annis decem minus quatuor mensibus: vir integerrimæ vitæ, magnæ constantiæ ac severitatis; quippe qui beneficia Ecclesiastica non nisi probatissimis vitâ & doctrinâ Sacerdotibus dedit.

Anno item præscripto Carolus Rex Germanorum futurus Imperator circa festum S. Michaelis Archangeli Conventum Principum Regni celebravit in Wormatia, ubi nuntius aderat solemnis Archiepiscopus quidam Imperatoris Græcorum, qui Carolo munera pretiosa ex parte Domini sui obtulit, & pacem optavit.

Suitensium jurata Confœderatio incipit hoc tempore.

His quoque temporibus confœderatio Suitensium tali occasione sumpsit initium. Ex oppido, Turegum dicto, fuerant quidam cives Ordinis primarij pro suis demeritis in Rempublicam proscripti perpetuò, qui contumeliam hanc in eos qui remanserant cives referre cupientes, in unum conveniunt, & consilio inter se habito, Joannem Comitem de Habspurg, Turegiensibus haud mediocriter infensum, accedentes, ipsum in Capitaneum sibi constituunt, contractisque socijs conspirationis suæ plurimis, oppidum capere, cives interficere, & eorum substantiam inter se dividere, unanimi sententiâ secretè concluserunt. Erant duo in oppido cives proscriptorum amici, quibus arcanum conspirationis, & conclusæ traditionis fuit commissum. Consilio igitur usi mystico exules Comitis memorati, quoniam oppidum neque manifestè neque cum multitudine armatorum intrare poterant, paulatim & successivè jam duo, nunc tres in habitu peregrinantium, de subtus armati, à festo Nativitatis Dominicæ usque ad carnis privium intraverunt, non pauciores octingentis. Postremò intravit & ipse Comes habitu peregrino trausformatus & omnino incognitus: qui omnes in domibus illorum civium fuerunt susceptí, & secretissimè tenti usque ad tempus præfinitum, quo erumpere statuerant, & oppidum sibi armis vendicare. Itaque in nocte S. Matthiæ Apostoli posteaquam omnes jam convenissent in oppidum, videretúrque illis jam tempus adesse optatum, potiores inter se seorsim habuere colloquium, & quòd omnes à maximo usque ad minimum interficerentur cives, ab eis fuit concluſum. Latuit in æstuario post fornacem adolescens dormienti persimilis famulus pistoris, qui panes intulerat pro malis hospitibus traditoris. Is cùm conspiratorum audivisset consilium, & aliter non posset, domum per cloacam exivit, ædésque Domini sui pulsans intravit, quæ & qualia viderit audierítque, præceptori suo retulit, & quòd illâ nocte circa galli cantum omnes essent morituri gladio,

Joannes Comes in Habspurg volebat capere oppidum Zürich.

intima-

intimavit. Quibus auditis pistor contremuit, & currens ad habitationem Burgimagistri omnia per ordinem dixit. Oppidi verò Magister loricam mox induit, & currens quò potuit, cives ad arma convocavit. Quibus cognitis qui latebant conspirati eruperunt in medium oppidi, & clamore facto cum civibus iniere conflictum. Qui cœlo præsidet alto, victoriam innocentibus dedit, & hostes terga dare compulsi pro majore parte à civibus fuerunt occisi, reliqui autem ad latebras fessi cedentes, extractique rotarum pœnas sumpserunt.

Joannes autem Comes de Habspurg evadere cupiens, de muro se misit in urbis fossatum, inde non valens ascendere captus est, & per triennium à Turegiensibus, quos perdere venerat, in carcere detentus. Comite autem, ut diximus per triennium capto, ejus cognati & amici non minus animo vindicandi eum, quàm liberandi, multa Turegiensibus damna intulerunt. Quâ necessitate compulsi, quia soli resistere potentiæ Comitum non potuerunt, confœderationem injerunt perpetuam cum civibus IV. oppidorum, quæ sunt, Lucerna, Uri, Schvviz, Undervvalden Germanicè dicta. Nec multo post præscriptis accesserunt & alia oppida duo, Zug, videlicet & Glaris, factáque est Suitensium colligatio fortis, & magnis etiam principibus metuenda simul atque terribilis, crescens cum tempore usque in præsentem diem.

Septem urbium jurata confœderatio, ex quâ causâ?

Anno igitur Wichardi Abbatis Hirsaugiensis decimo, venit Albertus Dux Austriæ cum magno exercitu in auxilium Comitibus de Habspurg, in auxilium captivi & condemnati simul, & Zürich oppidum in mense Septembri obsidione fortissimâ circumdedit, duarum ratione causarum motus, quæ fuerunt istæ. Prima obsidionis causa Ducem movebat Albertum, quòd Turegienses Comitem de Habspurg habebant captivum, & eum dimittere recusabant. Secunda verò, quòd confœderatis objiciebat, erat, quoniam subditos tam ipsius Austriæ Ducis, quàm Comitum de Habspurg meliores rusticos, & cives ad oppida memorata confœderatorum in suam partem traxerunt, eósque in rebellionem contra Dominos suos temere concitantes armis tuebantur. Tertia, quæ Ducem commoverat ad urbis obsidionem causa fuit crudelis & nimia rapacitas, utpote qui jam pridem & Comitem unum de Habspurg occiderant, & tam ex ipso Comitatu, quàm ex Ducatus Austriæ Dominio villagia plura, atque castella non jure, sed temere usurpârunt. Verùm posteaquam oppidum Turegum paucis obsedisset diebus, necessitate compulsi cives, quoniam supervenerat imparatis, postulavêre concordiam, quâ concessâ per Ducem, & sub certis firmatâ conditionibus, obsidio solvitur, & singulis ad sua cum festinatione revertentibus exercitus dissipatur. Turegienses metu Ducis atque periculo liberati, citò promissorum fuerunt obliti, & eorum, quæ Duci fuerant polliciti, nullum penitus observârunt, sed auxilio sociorum confirmatis & auctis viribus magis ac magis rebellârunt. Unde commotus Dux Albertus denuò contractis copijs Zürich oppidum obsedit, volens omnino compellere cives, ut Comitem dimitterent captivum. Intereà Carolus Rex Germanorum vices suas interposuit, & Ducem ab obsidione urbis iterum revocavit, & diem partibus coram se concordandi Moguntiæ constituit.

Albertus Dux Austriæ obsidet oppidũ Turegum.

Oppidum Zürich iterum obsidetur ab Austriæ Duce Alberto.

Comparuit itaque Dux Albertus coram Rege in Argentina, & multa confœderatis objecit, quorum oratores missi ad singula respondentes inutilibus diem sermonibus consumpserunt. Tantâ enim pertinaciâ & præsumptione hæc Suitensis jurata confœderatio cæpit, quòd nec precibus nec minis, imò nec bellis Principum aut Cæsaris potuit revocari, sed ab illo tempore usque in præsentem diem per annos jam centum & sexaginta semper & numero & viribus incrementa sumpsit, non sine injuria Germanorum.

MCCCLIII.

Henricus de Virneburg Archiepiscopus olim Moguntinus obijt.

Anno Wichardi Abbatis XII. Indictione Rom. sextâ, mortuus est Henricus de Virneburg quondam Archiepiscopus Moguntinus, quem Clemens Papa VI. ut supra diximus, propterea quòd Ludovico Imperatori IV. excommunicato pertinaciter adhæsit, deposuerat. Quo mortuo Gerlacus de Nassavv dudum ab eodem Papa Clemente substitutus & ordinatus Archiepiscopus, quietam obtinuit possessionem, & præfuit annis XVII.

Bavariæ Ducatus inter fratres Ratisbonæ iterũ fit divisio.

Eodem anno quintâ die mensis Augusti, quæ fuit solemnitate S. Regis Osvvaldi festiva, facta est in civitate Ratisbonensi secunda Ducatûs Bavariæ divisio, inter Stephanum, Wilhelmum & Albertum fratres. & filios quondam Ludovici Imperatoris IV. præsentibus Ludovico Marchione Brandenburgensium, Adolpho Comite Palatino Rheni, & Joanne Burggravio Norinbergensium: quibus mediantibus & divisio facta est inter fratres, & concordia pacis reformata.

Anno prænotato iterum apparuit in cœlo aëreo trabs miræ simul & horrendæ magnitudinis, ab una parte flammam emittens terribilem, ab alia post se limitem trahens extinctum magnæ longitudinis, inter Septentrionem & solis occasum.

Inter Ducem Austriæ Albertum & Suitenses bellum geritur.

Eodem quoque anno iterum Dux Austriæ Albertus magnum suorum congregavit exercitum contra Suitenses conjuratos; cui militem quendam de Ellerspach capitaneum præfecit. Is itaque multorum auxilio fretus contra Suitenses audacter processit, & inito certamine diu fortiter pugnavit, quousque nox tandem prælium diremit. Plures ab utráque parte ceciderunt, sed victoria in dubio fuit.

Oppidum Zürich tertiò fuit obsessum.

Posthæc eodem anno in mense Augusto, Dux Austriæ memoratus oppidum Rappenschvvil olim à confœderatis desolatum, restituere cæpit, & cæpto fortiter perseverans in opere, fortissimum reddidit, & suorum in illo præsidium collocavit. Deinde in mensis Octobris principio Carolus Rex Germanorum, idémque Dux Austriæ Albertus, Comes de Wirtenberg, Comes de Hohenburg, Episcopus Argentinensis, Episcopus Basileensis, & cives regni Germanici convenientes in unum magna cum potentia Zürich oppidum supradictum jam tertiâ vice obsidione cinxerunt, & per dies ferme XIV. acriter oppugnârunt. Erant in oppido ex confœderatis aliarum urbium quam plures viri fortes & bellicosi, Turegiensibus in auxilium missi, qui oppugnantibus viriliter restiterunt. Postremò tamen cùm viderent se tantæ multitudini nullatenus posse resistere, pacem sunt coacti postulare. Rex autem Carolus sub certis conditionibus pacem orantibus concessit, & captivum Comitem de Haspurg Joannem invitis omnibus confœderatis potenter ex carcere liberavit.

Anno

Anno etiam prænotato circa principium Februarij, priusquam oppidum Zürich obsideretur à Rege, miles quidam nomine Walterus de Stadion dictus cum paucis armatis intravit confœderationis oppidum, quod Glaris nuncupatur, ex parte Ducis Austriæ, cujus Vicarius erat, volens illud secretius capere, & suo Principi Alberto subjugare; sed prænoniti cives arma corripiunt, & militem ipsum Waltherum cùm pluribus perimunt, & reliquos retrocedere & fugere compellunt.

Waltherus de Stadion miles à confœderatis occiditur.

Eodem anno confœderati Suitenses, quo viribus & numero evaderent fortiores, oppidum Lucern cum habitatoribus ejus in suam conjurationem traxerunt, & hæc ipsa confœderatio in ipso Lucernensium oppido jurata ac litteris confirmata fuit VI. die mensis Martij, annò Christianorum jam præscripto, durátque hodie.

Lucerna oppidum confœderatis jungitur.

MCCCLIV.

Anno Wichardi Abbatis XIII. in principio mensis Januarij Rex Carolus conventum Principum solemnem habuit in Moguntia, ad quem confluentibus Principibus multis Rex pacem omnes jurare compulit firmiter servandam per universum Germaniæ Regnum, maximè in Francia Orientali, in Bavaria, in Austria, in Suevia, in Alsatia, in Thuringia, in Saxonia, in Marchia, in Polonia & circa Rhenum: in Weteraugia quoque, in Hassia, & in omnibus provincijs alijs regno subjectis. Omnes námque Principes, Episcopi, Duces, Marchiones, Comites, Burggravij, Landgravij & Barones totius Regni pacem firmam in manus Regis Caroli juraverunt, promittentes sub jurejurando, quòd subditos sibi, omnes & singulos, milites, nobiles, & ministeriales, ad pacis observantiam velint compellere, & contemptores mandatorum juxta meritum punire. Hâc providâ Regis constitutione pax confirmata per totum regnum optimè viguit, & unusquisque, quò, & quando sibi placuit, securus ambulavit, non fiebant in stratis, ut prius, raptorum latrocinia, non rapinæ, non deprædationes, neque domorum incendia, in tuto fuêre omnia, & tempora sine discretione aliquandiu tranquilla. In Bohemia quoque similem pacis custodiam fecerat.

Rex pacem statuit juratam Principibus per totum Regnum.

In eodem Conventu Principum Rex Carolus arcanum sui cordis aperuit, & quòd in sequentem annum petere Italiam pro corona suscipienda Imperij ad reformandas Italiæ res simul, & pro defensione Rom. Ecclesiæ (quæ multipliciter impugnabatur à tyrannis) omnibus indicavit: mandans Principibus regni, quatenus ad diem profectionis futuræ, singuli curarent esse parati ad commeatum, alij proprijs in personis, alij verò pecunijs, atque alij ministerialibus.

Rex profectionem indicit Italicam.

Eodem anno duodecimâ die mensis Mart. circa mediam noctem, maxima subitò ventorum tempestas per Franciam Orientalem, Bavariam, Sueviam, & in partibus cis Rhenanis fuit suborta, quantam eo tempore viventium præcessisse nullus habuit in memoria; nam tantâ vi tantóque impetu simul atque fragore illa tempestas commovit aërem, quòd non solum ligneas domos, sed etiam lapidea atque fortissima ædificia nutare videbantur, & complura penitus corruerunt: arbores quoque magnæ atque fortissimæ nucum in agris, & quercus annosæ in nemoribus, sine numero radicitus eâdem tempestate fuerunt evulsæ; diutius durante hâc ipsâ tempestate ventorum, fuerunt, qui etiam terræmotum tunc factum,

factum dixerunt. Nocte autem primâ sequente paulò post medium, iterum supervenit ventorum grandis commotio, quæ etsi præcedenti par non fuerit, tamen sine damno mortalium non quievit, arbores námque plures cum radicibus ex terra dejecit, & multa ædificia ex priore tempestate nutantia, novâ commotione subvertit.

Baldewin⁹ Archiepisc. Trevirensis hoc anno moritur.

Anno prænotato primâ die mensis Februarij mortuus est Baldevvinus Trevirorum Archiepiscopus anno Pontificatûs sui XLVII. cujus corpus in Occidentali parte majoris Ecclesiæ cum honore fuit sepultum. Multa bona fecit in vita sua principe digna, quorum patratione meritò apud Treviros memoriam obtinet sempiternam; quippe qui non solum Ecclesiam suam redditibus, proventibus, castris, dominijs, privilegijs atque honoribus magnificè ac multipliciter fecit insignem, sed etiam Clerum & populum sibi commissum in moribus & disciplina Christiana laudabiliter statutorum editione reformavit. Orandi modum, & formam crucis præscripsit, quem Sacerdotes per totam Diœcesim observant usque in præsentem diem. Huic Baldevvino in Archiepiscopatum Trevirorum immediatè successit Boëmundus de Edersdorff majoris Ecclesiæ Decanus electione fratrum canonicâ, & præfuit annis XIII. Vir quidem & ipse prudens, bonus atque modestus, qui tali honore dignus haberetur; sed ad mensuram Baldevvini nec ipse, nec post eum alius pervenit.

Boëmund⁹ de Edersdorff fit Archiepisc. Trevirorū.

Anno etiam prænotato moritur Salomannus Wormatiensis Episcopus anno Pontificatûs sui secundo atque vicesimo, cujus promotionem, per Joannem Papam XXII. factam contra voluntatem Cleri diximus anno Sigismundi Abbatis XV. Huic mox in Pontif. successit Theodoricus Beyer de Boppardia, & præfuit annis IX.

Theodoricus Bayer fit Episcopus Wormatiensis.

Eodem anno subortâ inter Albertum de Hohenloe Episcopum Herbipolensem & cives ejusdem urbis dissensione gravissimâ res paulatim vires ab utraque parte in deterius accepit; unde cùm Episcopus rebellium proterviam aliter comprimere non posset, contractis undique copijs auxiliarijs in die S. Kiliani Mart. Ecclesiæ memoratæ civitatem Wirzburg obsedit, habens Exercitum magnum pugnatorum tam ex suis ministerialibus & subditis, quàm stipendiarijs & auxiliarijs amicorum, videlicet Gerlaci Moguntini Archiepiscopi, Ruperti Comitis Palatini Rheni Bavariæque Ducis, Gerardi Episcopi Spirensis, Henrici Abbatis Fuldensis, & aliorum Comitum Baronum atque Nobilium. Castra locavit Episcopus in eo loco ad Orientem civitatis, quo itur ad Rinzingen circa molendinum, quod vulgò nuncupatur Schlupferlins Mühle / reliqua verò pars exercitus urbem in circuitu obsidebat; pepercit autem præsul structuris ac ædificijs civitatis, & neque ignem intromittere voluit, nec bombardis concutere munos; magis enim præstolabatur, ut urbem cives ad congrediendum exirent, spem habens in Deo & meritis S. Kiliani, quòd justitia Ecclesiæ temeritatem superborum atque rebellium civium, si congressi fuissent, superâsset. Verùm cives, quòd contra tantam multitudinem hostium exire ad pugnam nimis foret periculosum, per totum obsidionis tempus XVIII. videlicet dierum se intra civitatis mænia continuerunt. Quod videns Episcopus tandem consilio amicorum decrevit expugnare civitatem, & machinis applicatis confringere muros. Intereà priusquam opus produceretur in effectum, supervenit Rex Germaniæ

Albertus Episcopus Herbipolensis obsidet civitatem suam.

maniæ Carolus IV. & interpositis confidentiæ pactionibus, quas Treuguas vulgariter nuncupant, super pace cæpit habere tractatum.

Rex Carolus venit ad Herbipolim.

Rex itaque vocatis ad se civibus, & auditis eorum gravaminibus simul & causis rebellionis, facilè cognovit animos eorum à tramite veritatis procul deviâsse, utpote qui subditi sint Ecclesiæ Wirzburgensi & ejus Antistiti, nec alium in terris Dominum, aut habeant, aut jure quærere possint; manifestum est enim, quòd Pipinus & Carolus magnus filius ejus, olim utriúsque Franciæ Reges civitatem Herbipolensem cum titulo Ducatûs Franciæ Orientalis S. Burchardo primo Episcopo, & per ipsum Ecclesiæ Wirzburgensi ejúsque præsulibus perpetuâ donatione tradiderunt. Unde civibus non licebit vel alium Dominum quærere, vel præsumptâ temeritate sese in libertatem à Jurisdictione vel obedientia Episcopi vendicare.

Rex inter Episcopum & cives Herbilpolenses facit concordiam.

Erat Rex Carolus in scripturis doctus & multum facundus, qui optimè novit, quòd civitas Wirzburg non habeat alium Dominum, quàm Episcopum solum, & neque regnum respiciat Germaniæ, neque Imperium Romanorum. Carolus itaque Rex pacificus qui pro pace reformanda venerat inter dissidentes, postquam audivisset omnes differentiarum causas; monuit cives, ut à cæpta rebellione desisterent, & Episcopo, ut vero & unico Domino suo fideliter obedirent. Pontificem similiter admonuit, quatenus cives suos in omni mansuetudine regeret, & in eorum privilegijs, consuetudinibus, ac libertatibus antiquis violentiam non inferret. Consensit Episcopus pijs exhortationibus Regis, consenserunt & cives, atque pace reformatâ civitas ab obsidione liberata est; in ea tamen obsidione urbis, qui erant in exercitu Episcopi, damnum in vinetis, quæ erant in circuitu ubique, non parvum tam Clero, quàm civibus intulerunt.

Joannes de Rupescissa Ord. minorum.

Vixit his temporibus in humanis Joannes de Rupescissa Frater Ord. Minorum, qui multo tempore Alchimiæ deditus, tempus cum labore non satis utiliter consumpsit. Est autem Alchimia (ut more loquamur humano) casta meretrix, quæ amatores plures habet, sed delusis omnibus in nullius unquam pervenit amplexus. Ex stultis facit insanos, ex divitibus pauperes, ex Philosophis fatuos, ex deceptis loquacissimos deceptores, qui cùm nihil sciant, omnia se scire profitentur, cùm sint pauperrimi, Cræsi divitias suis se daturos sequacibus pollicentur, quorum finis confusione plenus est. Joannes igitur bonus frater iste, per nimium Alchimiæ studium in tantum fuit dementatus, quòd nec precibus nec minis suorum Prælatorum ab ea vanitate potuit revocari; unde postremò propter suam inobedientiam fuit incarceratus, & violenter à sua temeritate retractus. In carcere positus priori vanitati novam superaddidit, & imaginem Crucifixi, quam in domo carceris affixam habebat, secum loqui (sano vel insano capite nescio) confinxit. Multa dixit, multa scripsit, nescio quo spiritu inductus, ne dicam seductus: de proxima desolatione totius Christianorum Ecclesiæ, de persecutione Cleri, & de Adventu Antichristi, quem suo jam natum tempore somniavit. Sed omnes prædictiones ejus fuerunt mendaces, falsæ, & sine radice veritatis.

Varia conscripsit.

Scripsit in carcere positus ad quendam sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, Revelationum, ne dicam somniorum suorum, librum unum. De quinta Essentia l. II. & alia plura in medicinis & Alchimia, vana potiùs, quàm utilia.

Wichardus Abbas Hirsaugiensis tricesimus secundus, obijt,

Anno prænotato XII. die mensis Martij, quæ solemnitate sanctissimi Gregorij Papæ magni fuit insignis, Indictione Rom. VII. circa horam Vesperarum, Wichardus ejus nominis primus hujus Cœnobij Hirsaugiensis Abbas secundus atque tricesimus, senio gravatus & morbo, feliciter, uti confidimus, in Domino moriens conquievit: cujus corpus in majori Ecclesia Monasterij cum antecessoribus suis religiosâ Fratrum devotione sepultum fuit. De cujus vita, moribus, & gestis mentionem facere singulatim nequimus, propterea, quòd Monachorum ignavia non litteris, ut olim, sed vanitatibus dedita, nihil memoriâ dignum posteritati consignaverit. Apud omnes námque Ordinis Nostri Monachos per totam penè Germaniam his temporibus Regularis disciplinæ observantia penitus defecerat: studium litterarum Monachorum rarissimus curabat: venationibus, otio, & comessationibus erant dediti, & nihil minus quàm internæ conversationis exercitium aut lectionem curabant scripturarum. O tempora! ô mores Claustralium! quàm longè distamus, imò jacemus, à fervore Spiritûs & disciplinæ Religiosæ conversationis PP. Antiquorum? Et tu Hirsaugia Mater quondam insignis plurium Ordinis nostri Monasteriorum, quæ studio divinarum scripturarum simul & integritate morum olim, ut paradisus Dei fulgebas, his, in quibus calamum nunc exercemus temporibus, quantum defeceris ingemiscimus; quandoquidem à tempore Eberhardi Abbatis usque ad Fridericum ejus nominis alterum, nullus fuit in te Monachus, qui memoratu digna in te gesta litteris commendaret, vel ad notitiam posterorum transmitteret.

Hirsaugia hac tempestate sterilis, viros non habuit doctos.

De Wichardo secundo, hujus Monasterij Hirsaugiensis XXXIII. Abbate, qui præfuit annis quinque, mensibus VIII. diebus XXI. & varijs gestis illius temporis.

Wichardus Abbas Hirsaugiensis XXXIII.

MOrtuo autem Domino Wichardo hujus Monasterij Abbate XXXII. ejúsque corpusculo juxta morem Ordinis tradito Ecclesiasticæ sepulturæ; ne sine pastore oves incurrerent aliquod periculum, aut qualecunque in re familiari paterentur detrimentum, dies ad eligendum novum Abbatem XXI. mensis Martij per conventum statuitur. Adveniente autem termino, quem sibi præfixerant, convenerunt in locum Capitularem, in profesto SS. Legislatoris nostri Benedicti, quatenus sibi Pastorem idoneum eligerent, ne sine duce quasi oves diutius errarent. Fuit autem Feria VI. dies mensis Martij XXI. Igitur juxta morem Ordinis nostri, invocatâ gratiâ Spiritûs Sancti, & præmissis jure vel consuetudine præmittendis, fratres unanimi consensu in Abbatem hujus Monasterij XXXIII. elegerunt Wichardum ejus nominis secundum, præcedentis Wichardi ex sorore, ut ferunt nepotem, majorem eo tempore Cellarium; qui confirmatus & ordinatus per Dominum Gerardum de Erenberg Spirensis Ecclesiæ Antistitem præfuit in multa solicitudine & labore annis quinque, mensibus VIII. diebus autem XXI. Patriâ erat Alsatius Wichardi senioris, ut dictum est, ex sorore nepos, honestis

Wichardus secundus præfuit annis V. mensibus VIII. diebus XXI.

honestis parentibus ortus; qui veniens ad Religionem hujus Cœnobij, sub Sigismundo Abbate Monachus factus est, & secundùm illius temporis vivendi consuetudinem in medio fratrum pacificè & sine reprehensione viram duxit. Electus autem in professo sanctissimi Patris Benedicti de consensu omnium fratrum, per supradictum Episcopum fuit confirmatus, & posteà hic in Monasterio solemniter benedictus, primâ videlicet die mensis Maij, quæ fuit SS. Apostolorum Philippi & Jacobi celebritate solemnis. Ordinatus verò in Abbatem, avunculi sui vestigijs inhærere pro viribus studuit, & distracta vel alienata bona Monasterij diligentissimè recuperare in animo decrevit. Cæterùm plura fecisset, si vivere diutius potuisset, & bonæ voluntatis propositum, utilem pro communi bono fratrum perduxisset in effectum; fuit enim vir bonus, prudens & circumspectus, qui habebat in consilio scientiam, in agendis experientiam, in disponendis providentiam, & in judicio discretionem; in scientia verò scripturarum, juxta calamitatem illius temporis communem, modicus erat, & nullius æstimationis, latini sermonis quoque parum expertus, utpote qui neglectus à parentibus in seculo nihil aut parum didicit, & in Monasterio præter quotidiannm legendi & cantandi officium parum apprehendit; nam litteras Monachi nostri eâ tempestate sicuti nescierant, ita contemnebant penitus. Ingenio tamen naturali Wichardus hic noster multum valuit, & in sermone patrio satis eloquens fuit, sermone dulcis, voce tubalis, quippe qui placidus & affabilis in tranquillitate mentis, cùm loqueretur amicis, extitit, severus atque terribilis, quotiens animum indignatio commovit. Staturâ erat mediocriter dispositus, nec brevitate nimiâ despectus, nec proceritate longiore tortuosus; facies ei fuit oblonga, caput parvum, sed longum potiùs quàm rotundum, oculi magni, & supercilia nigra, corpus macilentum, debile satis & infirmum.

Wichardi Abbatis mores & industria commendantur.

Anno prænotato Nativitatis Dominicæ MCCCLIV. quem primum Wichardi Abbatis constituimus, propterea, quòd novem mensium, id est tres anni partes contineant, XXIV. die mensis Decembris Innocentius Papa VI. ad instantiam Abbatis Wichardi omnia bona & privilegia hujus Monasterij Hirsaugiensis auctoritate Apostolicâ ratificans confirmavit.

Iñocentius Papa VI. confirmat bona Hirsaugiensia.

Eodem anno mortuus est Walramus Comes de Spanheim senior XXI. die mensis Decemb. hoc est, in festivitate S. Thomæ Apostoli, anno ætatis suæ 79. cujus cadaver in Ecclesia Spanheimensi sepultum est. Post cujus mortem Sacerdos quidam nomine Godfridus Capellanus in castro de Spanheim, quâdam nocte ambulans per planitiem camporum, quæ est inter oppidum Winterberg & villam Pferdfeld nuncupatam, audivit vocem in nemore proximo clamantis quasi Venatoris, canes post feram incitantis. Qui pavore nimis correptus, quid vox illa significaret in hoc loco tenebrarum, aut unde proveniret, anxiâ cogitatione nec sine mentis conturbatione mirabatur, cùm ecce subitò circumstetit eum multitudo canum, quasi venantium nigrorum ac terribilium, & in medio eorum vir igne vestitus, sedens super equum nigrum atque terribilem. Qui dixit ad Sacerdotem jam semimortuum: *Domine Godfride non timeatis, nihil vobis hâc vice mali continget, quoniam hodie fuistis confessus, & cum emendationis proposito missam celebrâstis pro defunctis. Ego sum anima VValrami Comitis*

Walramus Comes de Spanheim obit, anima post mortem visa presbytero.

Venandi studium quàm sit animæ grave detrimentum.

Comitis nuper defuncti, & hanc pœnam patior, quandiu voluerit altissimus, pro vana & nimia delectatione, quam in venationibus quondam habui: per quas & pauperibus subditis meis, multa in agris atque vinetis & damna intuli, & propriam salutem turpiter intermisi: sed rogo te, loquere ad filium meum ex parte mei, ut per continuos dies triginta quotidie legi faciat missas triginta, pro mea liberatione, ac totidem pauperes nutriat singulis diebus, & de novo panno semel vestiat; & ducentos auri nummos, quos pro pœna parvi reatûs à Petro macellario, & cive in Creüzenach injuste, me consentiente acquisitos, restituat, & spero, quòd misericordiâ Domini liberabor. His dictis omnis illa visio spirituum vento rapta evanuit, & presbyter præ nimio terrore cum difficultate ad suum domicilium pervenit. Qui vultûs immutatione simul & capillis in canitiem subitò conversis, docuit, quàm fuerit vera terribilis illa apparitio, quam conspexit. Ab illa hora posteà nunquam ridere visus, nunquam lætus, nunquam jucundus, sed tristis semper & animo dejectus.

MCCCLV.

Rex Carolus Romæ Coronam suscepit Imperialem.

Anno Wichardi Abbatis secundo, Carolus Rex IV. cum magno Germanorum exercitu multísque Principibus atque Nobilibus in Italiam proficiscitur, & primò Mediolani Coronâ ferreâ, ut moris est, cum sua conjuge ab Archiepiscopo in Ecclesia principali coronatur. Deinde Romam profectus cum magno honore à senatu & populo Romano extra urbem sibi occurrente suscipitur, & in die Resurrectionis Dominicæ per Cardinalem Ostiensem à Papa Innocentio ex Avenione propterea missum imperatoriâ Coronâ cum uxore in Ecclesia S. Joannis Lateranensi solemni pompâ festivè sublimatur. Ad vesperam solemnitatis memoratæ Paschatis novus Imperator Carolus principibus suis, senatoribus quoque urbis & populo Rom. fecit grande convivium: quo ritè consummato mox ab urbe cum suis digreditur, & ne suorum multitudine si mansisset diutius, gravarentur Romani, habito cum senatoribus secreto colloquio ad civitatem Tiburtinam profectus est: inde movens ad civitatem Pisanam, ubi die quâdam advesperascente, gravis inter cives & aulicos exorta fuit seditio, quæ in tantum prævaluit, quòd Imperator cum paucis secretò fugiens recessit; Imperatrix etiam terrore percussa nimio cum suis pedissequis noctu aufugit, quarum aliæ præ festinatione nimia vestimentorum oblitæ, seminudæ, aliæ dimissis omnibus abierunt. Posterâ die seditionis auctores capti & puniti sunt; & ea, quæ Imperatricis pedissequæ ad se pertinentia in urbe reliquerant, integra receperunt. Simile contigit eis in civitate Senensi, ubi subortâ inter Germanos & Italos contentione, cives arma corripiunt, sed per Cæsarianos percussi plures eorum ceciderunt. A Pisis Imperator Mediolanum redijt, & Vice-Comites, eatenus in displicentia Rom. Pontificum diu rebelles, Innocentio Papæ, & per illum, Ecclesiæ reconciliavit. Rebus ergo in Lombardia dispositis, in Germaniam cum suis novus Imperator reversus, imperavit deinceps annis XXIII. Hoc ipso anno Veneti Ducem suum Martinum ante palatium capite truncaverunt.

Imperator Mediolanum revertitur.

Anno Wichardi Abbatis prænotato, sextâ die mensis Decembris mortuus est Joannes hujus nominis III. Brabantiæ Dux, sine liberis, cujus corpus in Monasterio nostri Ordinis Veleer nuncupato in habitu Monastico sepultum est. Erat enim Princeps magnæ & singularis pietatis & devotionis

Joannes Dux Brabantiæ moritur.

devotionis in Deum, qui positus in lecto ægritudinis suæ habitum nostri Ordinis monasticum ab Abbate memorati Cœnobij petijt, & obtinuit, in quo devotissimè ab hac vita decessit. Post cujus mortem magna inter Wenceslaum Ducem Luzenburgensem, fratrem Carolum Imperatorem IV. & Ludovicum Flandriæ Comitem fuit suborta contentio, quorum utérque Ducatum Brabantiæ sibi ut jure proximo deberi contendebat. Postremò tandem Wilhelmus Comes Hollandiæ filius Ludovici quondam imperatoris IV. ut mediator, vices suas interposuit, & dissidentes ad concordiam revocavit. Ducatus autem Brabantiæ Wenceslao cessit in possessionem.

Wenceslaus Comes Luzenburgensis fit Comes Brabantiæ.

Eodem quoque anno in mense Septembri maxima fuêre tonitrua, coruscationes, fulgura, & grandines ad magnitudinem nucis muscatæ, per totam Franciam Orientalem Sueviam Alsatiam & partes cis Rhenanas. Ex ea grandinum tempestate, in multis prædictarum Regionum locis, vinum, quod jam matura erat in vitibus, perijt, & ejusdem liquoris penuria & caritas subsecura fuit.

MCCCLVI.

Anno Wichardi Abbatis tertio, Carolus Imperator Rom. imperiali benedictione susceptâ, reversus in Germaniam, Principes Regni ad curiam generalem, apud Mediomatricum civitatem videlicet Metensem convocavit, ubi pene omnes Germanici regni proceres, feuda regalia suorum principatuum ab Imperatore susceperunt. Aderat ibi Archi-Episcopus quidam Italiæ, missus à Papa Innocentio VI. ex Avenione Legatus, aderant & quidam ex Gallia præsules, rogantes tam regni principes Germaniæ, quàm Imperatorem, quatenus aut Joanni Gallorum Regi ferrent auxilium, aut litteris arcerent Anglos à finibus Galliæ, qui cum maxima pugnatorum multitudine jam mare transire dicebantur.

Conventus Principum Regni fit in civitate Metensi.

In eodem conventu Principum Wilhelmus Marchio Juliacensis consensu omnium Principum in Ducem de Juliaco, per Carolum Imperatorem creatus est; erat enim vir tali honore dignus, prudentiâ, fortitudine, magnanimitate nulli, qui tunc vivebant, inferior; quippe qui multa pro regno simul & patria, contra irrumpentes adversarios prælia gessit; unde pro meritis suis, ut supra dictum est, anno Sigismundi Abbatis XXII. in conventu Principum apud Frankenfurt celebrato de numero Comitum inter Marchiones, per Ludovicum Imperatorem quartum fuit sublimatus, nunc intra Ducum Ordinem receptus est.

Comitatus siue Marchionatus Juliacensis fit Ducatus.

In prænotato etiam conventu principum Metis habito Carolus Imperator memoratus, de consensu procerum regni Germanici Luzenburgensem Comitatum, qui olim dicebatur Namurcensis, in Ducatum erexit, quem fratri suo Wenceslao Duci Brabantinorum donavit. Est autem terra Luzenburgensis inter Treviros & Metenses posita, habens ab Occidente Galliam, ab Oriente Lotharingiam, ab Aquilone Trevirim, & Metim à meridie, frugifera valde, inter duo flumina Mosam & Mosellam constans.

Comitatus Luzenburgensis in Ducatum sublimatur.

Item in præmemorato principum conventu sæpedictus Imperator Carolus Comitatum Barensem Ducatui Luzenburgensi conterminum in Marchionatum sublimavit, qui hodie in ditione est Ducis Lotharingiæ.

Comitatus Barensis in Marchionatum sublimatur.

Wenceslaus frater Imperatoris Caroli, qui filiam Joannis ultimi Ducis Brabantiæ nomine Joannam habuit uxorem, nepos quondam Henrici

Imperatoris septimi ut filius Joannis Regis Bohemiæ longâ progenie de Comitibus Luzenburgi duxit originem. Erat autem princeps nobilis prudens atque magnificus, eruditione litterarum omnifariam peritus, in re militari strenuus, moribus & vitâ integerrimus, justitiâ, pietate ac mansuetudine singulariter decoratus, & bonis operibus frequenter intentus, sæpe tamen votis suis contrarium sensit effectum, quod reor divino judicio factum, ut meritorum suorum remunerationem non in præsenti, sed in futuro reciperet. Ducatum Brabantiæ post mortem soceri consecutus, & ex Comite Luzenburgensi sublimatus in Ducem, annis supervixit XXVIII. post cujus mortem, uxor ejus multis annis supervivens obtinuit & rexit principatum. Carolus autem Imperator quartus in sæpedicto conventu principum Metis celebrato de rege Germanorum eligendo futuris temporibus ad Imperium, constitutionem & novam atque notabilem fecit, de consensu omnium Regni procerum; pro cujus confirmatione perpetua sigillum jussit infigi aureum: unde & aurea bulla est nuncupata usque in præsentem diem. Alia quoque multa in eadem Congregatione Principum pro pace populorum communi, ad utilitatem regni constituit, quæ litteris mandata custodiri præcepit.

Aurea bulla de Imperatoris Electione per Carolum statuitur.

Conventu autem Metensi consummato, ac Principibus ad propria reversis, Imperator cum uxore descendit ad Treviros, & tam à Monasterijs quàm & alijs Ecclesijs Collegiatis, multas & pretiosas reliquias Sanctorum precibus obtinuit, quas omnes in Bohemiam transmisit. A Treveri de civitate in civitatem, & Monasterio transiens in Monasterium, præcipuo mentis studio, in singulis locis, mendicabat SS. Reliquias, & quotquot habere potuit, Pragensi omnes Ecclesiæ invexit.

Anno prænotato in mense Septemb. Eduardus Rex Anglorum in manu suorum valida, Galliam, sicut paulò antedictum est, ingressus, omnia ferro & rapinâ devastavit, & usque ad civitatem Parisiorum hostiliter sæviendo pervenit. Contra quem Joannes Rex Gallorum & filius ejus Philippus contractis copijs, ad pugnam infausto sidere progressi sunt, & bellum atrox mutuò commiserunt. In eo prælio Rex Gallorum Joannes cum Philippo filio captus est, & ambo in Angliam ducti sunt.

Joannes Rex Gallorum cum filio suo Philippo ab Anglis capitur.

Eodem anno in mense Octobri circa festum S. Galli Abbatis mane die quâdam, post nonam horam, subitò factus in Basilica & in multis locis alijs, maximè cis Rhenanis, maximus & terribilis terræmotus, qui damna mortalibus plura intulit, & multos homines miserabiliter afflixit. Complurium námque urbium turres & muros subitò impulsu suo dejecit, domos lapideas, & fortissima in diversis locis ædificia subvertit. Castella etiam in montibus plura & firmissima eodem impulsu corruerunt. Civitas Basilienses in eodem terræmotu grandia suscepit incommoda; nam murus in circuitu ejus penè totus corruit, turres quoque tam Ecclesiæ, quàm urbis cum multis domibus & ædificijs eodem impulsu cadentes multos habitatores miserabiliter oppresserunt. Et hoc non solum in Basilea tunc accidit, sed in omnibus quoque locis oppidis atque Castellis, quæ in circuitu ejus prope fuerunt atque remotius. Nec solum circa Basileam terræmotus factus est, sed in multis etiam regionibus Germaniæ sicut dictum est, similia mala contigerunt. Die primâ decies fuit terra mota, & deinceps per totum annum sæpius, ut nulla fuerit securitas.

Basilea civitas per terræmotũ pene tota destruitur.

Unde

Unde multi homines nimio terrore concussi, relictis urbibus & castellis ad campestria sese contulerunt, in tabernaculis habitantes. In eodem terræmotu, quem primâ die decies factum diximus, multæ in Basilea domus etiam fortissimæ corruentes, ab igne fuerunt incensæ, quem Incolæ pro consueto usu in focis structum habebant. Quod quidem incendium brevi usque adeò crevit, quòd majorem urbem totam occupavit. Nemo in civitate fuit securus, nemo tutus, nemo non pavore correptus; in tantum quippe prævaluit incendium, quòd intra murorum ambitum nullus poterat permanere. Diem adesse novissimum, tot calamitatibus subitò irruentibus quis mortalium tunc non timuisset?

Bertholdus Hæresiarcha stultissimus, Spiræ capitur.

Anno item prænotato quidam hæresiarcha ex eorum secta, quos Germani Beggardos appellant, nomine Bertholdus, in civitate Spirensi occultè circuiens, & in secretò simplices docens, varios & abominabiles seminavit errores: qui postremò detectus & captus, per Inquisitores hæreticæ pravitatis, & complures alios viros doctos examini publicè fuit expositus, & multis erroribus infectus, pluréque seduxisse simplices, miserabiliter inventus. Cujus errores per ordinem destinavimus exprimere, ut liqueat omnibus, quàm sit periculosum idiotis indoctis, & rusticis, magisterium sine præceptoribus legitimis usurpare docendi, & sine obedientia Religionem habitu præseferre mendacem.

Ejus Errores.

Primus error sive articulus ejus, quem sensit & prædicavit iste fuit. Dixit enim, quòd Christus JESUS Dominus & Salvator noster in sua passione usque adeò derelictum se senserit à Patre, quòd dubitaverit vehementer, utrum anima ejus salvanda esset, vel damnanda.

Secundus error, quòd idem Dominus JESUS Christus in passione sua præ nimio dolore maledixerit castissimæ Genitrici suæ semper intactæ Virgini Mariæ. Quis majorem audivit insaniam ab aliquo unquam, atque blasphemiam?

Tertius error, quòd Christus in passione sua maledixerit terræ, quæ fusum illius susceperat pretiosum sanguinem. O fatuum, delirum & insanum! quando malediceret terræ innocenti, qui pro suis Crucifixoribus pendens in Cruce Patrem suum tam placidè rogavit, ut non perirent?

Quartus error, quòd homo vitâ mortali adhuc passibilis & corruptibilis ad tantam spiritualis vitæ perfectionem possit pervenire, quòd ei posteà neque orare, neque jejunare sit amplius necessarium, & nihil deinceps sit ei peccatum.

Quintus error, quòd oratio vocalis non sit homini utilis vel necessaria, & nihil conferat ad salutem, sed mente orare sufficiat, sine voce vel motu labiorum, qui manifestus error per consuetudinem totius Ecclesiæ confutatur.

Sextus error, quòd Laicus indoctus & idiota, sine notitia scripturarum, sed illuminatus Divino instinctu (qualem se esse putabat) plus alijs & sibi docendo queat proficere, quàm Sacerdos, quicunque etiam Doctissimus per quamlibet scientiam scripturarum, licet Doctor esset omnium scientiarum.

Septimus error, quòd tali somniato Laico, vel ut ipse dicebat, illuminato, in suis prædicationibus atque doctrinis sit plus credendum atque obediendum, quàm sancto Evangelio, & quibuscunque scripturis vel dictis omnium Doctorum.

Octavus

Octavus error, quòd homo devotus in sumendo cibo & potu pro sustentatione corporis, tantam possit acquirere gratiam, quòd æquivalebit ei, ac si Corporis & Sanguinis Domini nostri JESU Christi Sacramenta sumpsisset.

Idem Lolhardus Herbipoli coactus revocavit errorem.

Præscriptos & plures alios errores, memoratus Lolhardus ante in civitate Francorum Orientalium Wirzburg in occulto dogmatizando seminaverat, qui tandem publicatus, & ad rationem positus, ut incendium hæreticis debitum posset evadere, simulato corde consensit revocare. Qui non ferens confusionem, quam ex tali revocatione se incurrisse putabat, Franciam nostram occultè fugiens deseruit, & ad Spiram veniens falsam doctrinam & errores, quos prius abnegaverat, iterum prædicavit. Comprehensus igitur in memorata civitate Spirensi atque de præscriptis erroribus convictus, & publicè confessus, cùm interrogaretur, si velit tam pernicioſæ hæresi abrenuntiare, & in fide S. Matris Ecclesiæ fideliter permanere usque ad mortem, respondit: *Fides mea Donum Dei est, & ob id gratiam ejus mihi donatam abnegare sicut non debeo, ita nec possum, nec volo.* Unde in suis erroribus pertinaciter obstinatus judicio traditus est, & per sententiam in ignem missus & combustus.

Beghardus Hæreticus Spiræ comburitur.

MCCCLVII.

Anno Wichardi Abbatis quarto Indictione Rom. decimâ, Wilhelmus Comes Hannoniæ, Hollandiæ, Seelandiæ ac Franciæ Dominus, Ludovici quondam Imperatoris filius, qui primus ex Bavariæ Ducibus principabatur in illis regionibus, post multa per tyrannidem malè gesta, in vesaniam & furorem versus continuum & insanabilem, catenis ligatus in custodiam ponitur, in qua furens & insaniens per annos fermè xx. Deo vindicante usque ad mortem detinetur.

Wilhelmus Comes Hollandiæ vesanus custodiæ mancipatur.

Fuerunt, qui dicerent, eum veneno sumpto in furorem conversum. Post eum, quoniam liberos non habuit, frater ejus Dux Bavariæ Albertus præscriptos Hollandiæ, Hannoniæ, Seelandiæque Comitatus, matris promotione obtinuit, quos per annos XLVII. strenuè gubernavit in omni mansuetudine, justitia, & æquitate, non in tyrannide, sicut frater ejus fecerat Wilhelmus furens & insaniens.

Albertus frater ejus Dux fit Comes Hollandiæ.

Fuit autem Albertus iste primus atque vicesimus Hollandiæ Comes Ordine succedens, ex eo tempore, quo primum in ea terra Comites sumpserunt initium; uxorem habuit nomine Margaretham Ducis Brigensis filiam, de qua genuit Wilhelmum, qui post eum successit in Comitatibus memoratis: Joannem quoque, qui fuit Episcopus Leodiensis, de quo suo tempore latius dicemus: Catharinam etiam, quæ primò desponsata fuit Eduardo Geldriæ Duci, quo priusquam nuptiæ celebratæ fuissent, in bello quodam occiso, sicut infra dicemus, virgo permansit, & vidua, nullum volens habere maritum, nisi qui de sanguine Geldrensium duxisset originem, sponsi amore capta. Unde cùm Reinoldus frater Ducis Eduardi teneretur in vinculis, eorum mater quondam uxor Reinhardi Ducis primi nupserat Florentio Comiti Mechliniæ, de quo concepit & peperit filiam Sophiam nomine, quæ uxor facta Wilhelmi primi Ducis Juliacensis filium peperit paterno vocabulo Wilhelmum. Hunc tandem Catharina, Eduardi sponsa, suscepit maritum.

Anno

Anno prænotato Thuricenſes, Bernenſes, Svvitenſes, Lucernenſes, Zugienſes, Undervvaldenſes, Glarenſes & Urienſes iterum juramento ſeſe colligantes in unum conſpirârunt, priorem confœderationem innovando confirmantes contra Duces Auſtriæ & Comites de Habſpurg. Quæ nova colligatio memoratos Duces haud mediocriter provòcavit in iram, licet eam revocare vel impedire non poſſent; timebant enim, quod cum tempore accidit, ne videlicet illa Ruſticorum colligatio gravem quandóque jacturam afferret principibus. Ad inſtantiam itaque Ducum Auſtriæ Carolus Imperator, qui tum erat in Alſatia, Thuregum profectus eſt, volens conjurationem memoratam, regali ſimul & imperiali auctoritate diſſolvere, & in nihilum revocare, pro illo maximè, quòd oppidum Zürich ſub dictione ſit regni Germanici, & ob id non licuerit civibus aliquam inire confœderationem ſine Regis licentia cum exteris. Verùm Thuregienſes in ſua pertinacia contumaciter perſeverantes, Imperatori tale dedère reſponſum: *Sereniſſime Domine Cæſar, ſubjectos nos regno fatemur fideles, ſed injurias propulſare tyrannorum ſoli non ſumus ſufficientes, veſtra autem defenſio non ſemper adeſſe poteſt, quoties impugnamur, propter varias Regni occupationes: unde ne penitus obruamur tyrannorum incurſu, qui toties perdere nos tentárunt ſine cauſa, modis varijs, & per multas inſidias, pacem, confœderationem & amicitiam juratam atque perpetuam contraximus, quam violare nec poſſumus unquam, nec volumus, nec debemus.*

Nova Switenſium colligatio cum ſuis denuo confirmata.

Carolus Imperator venit Thuregum revocare conjurationẽ.

His Cæſar auditis, cùm nihil monendo proficeret, diſceſſit ad tempus, contractóque magno pugnatorum exercitu, poſt dies paucos redijt, & oppidum Thuregienſe fortiſſimâ obſidione vallavit. Fuit in exercitu Eberhardus Comes de Wirtenberg, vir magnanimus, potens atque robuſtus, cum multis Suevorum nobilibus atque miniſterialibus ad bella doctiſſimis, quorum fortitudo non parum auxit militiam. Aderat etiam cum ſuis Epiſcopus Conſtantienſis, qui ſuggeſſit Imperatori, quatenus juxta morem & antiquam Alemannorum conſuetudinem Suevi pugnantium in ordine ponerentur primi. Quod cùm Dux Auſtriæ reclamaret Albertus, nimium indignati ſunt Suevi, & in unum conſultantes, ad ſua omnes redierunt. Cæſar autem videns abiviſſe Alemannos, & valde inminutum exercitum, neceſſitate compulſus cum Thuregienſibus treugas inijt, & ſolutâ obſidione, ſine cordis ſui effectu optato, receſſit.

Imperator exercitum ducit contra Switenſes conjuratos.

Eodem quoque anno XIV. die menſis Maij, factus eſt iterum terræmotus magnus & horrendus in pluribus Europæ locis, in Germania videlicet, Baſilea, Argentina, in Suevia & circa Rhenum, cujus impulſu turres Eccleſiæ, & civitatum multæ, pluráque excelſa ædificia concuſſa ceciderunt oppreſſis hominibus. Et quia major, & vehementior erat iſte motus terræ, quàm ille, qui anno præterito, ſicut diximus, accidit, etiam graviora mortalibus incommoda reliquit. Cives Argentinenſes multi pavore nimio perterriti, urbe relictâ fugiebant in campos, & ibi fixis papilionibus habitabant, ne contingeret eis, quod anno præterito diximus Baſileenſibus accidiſſe. In Hiſpania quoque & præcipuè Sibiliæ, quæ Hiſpalis olim dicebatur, & civitate Corduba, plurima ædificia eodem terræmotu corruerunt. Simile in alijs locis contigiſſe novimus.

Terræmotus iterum magnus totam penè concuſſit Europam.

MCCCLVIII.

Anno Wichardi Abbatis quinto mortuus eſt Albertus Dux Auſtriæ, filius

Albertus Auſtriæ Dux ſenior obijt.

filius Alberti quondam Imperatoris & nepos Rudolphi Regis ex Comitibus de Habſpurg, de quo longè ſuprà dictum eſt. Reliquit autem filios IV. & II. filias. quorum primogenitus fuit Lupoldus, qui patri ſucceſſit in Ducatu, à quo & Maximilianus Cæſar hodie regnans Germanis imperánſque Romanis legitimâ ſucceſſione deſcendit. Secundus fuit Albertus, qui Univerſitatem Viennenſem fundavit in Auſtria. Tertius fuit Rudolphus Dux, qui fundavit Eccleſiam S. Stephani Protomartyris ibidem, quam Fridericus Imperator poſteà tertius Maximiliani pater, in Eccleſiam Cathedralem ſublimavit. Iſte Rudolphus uxorem habuit Catharinam, filiam Caroli Imperatoris IV. per quam Comitatum Tyrolis, Auſtriæ Ducatui (ut ferunt) conjunxit. Quartus autem filius dicebatur Fridericus, qui juvenis ſine liberis obijt. Filiarum prima vocabatur Margaretha, quæ nubens Ludovico Marchioni Brandenburgenſium ſine liberis permanſit ſterilis & obijt, viro prius mortuo. Secunda dicebatur Catharina, quæ vanos mundi contemnens honores, pro Chriſti amore in Cœnobio S. Claræ Viennæ Monialis, deinde Abbatiſſa facta eſt.

Quatuor filij Ducis Alberti.

Duæ filiæ illius.

Eodem anno peſtis ſæva totam penè Germaniam occupavit, quæ ab initio durans menſis Auguſti uſque ad finem Decembris, per Franciam Orientalem, Bavariam, Sueviam, Saxoniam & Thüringiam plura hominum millia conſumpſit.

Anno item prænotato magna contentio inter Ludovicum Ungariæ Regem & Venetos fuit ſuborta propter Dalmatiæ regnum, quod Veneti plurimis annis per vim occupaverant contra jus & voluntatem omnium Regum Ungariæ. Unde contracto ſuorum, & Theutonicorum magno exercitu Dalmatiam potens ingreditur, & primo civitatem Jadrenſem obtinuit, deinde maritimas civitates omnes, ac poſtremò totam ſibi Dalmatiam ſubjugavit. Poſt hæc Venetorum fines potenter ingreſſus eorum caſtella munitiones & oppida in circuitu plura cepit, ſuæque ditioni per omnia ſubjecit. Cernentes autem Veneti, quòd potentiæ Regis tantæ non poſſent reſiſtere, miſſis ad eum legatis pacem poſtulant, & ſe in omnibus regio mandato pollicentur obſecuturos. Rex humiliatis non ſolum pacem indulſit, quam poſtulaverant, ſed etiam ablata reſtituit, accepto prius juramento ab eis, quòd ſe deinceps de regno Dalmatiæ nullatenus intromitterent, & neminem in locis ſibi ab eo reſtitutis, qui ab eis declinâſſet ad Regem tempore guerrarum, læderent vel punirent. Jurata eſt pax, & litteris confirmata. Veneti autem poſt Regis diſceſſum omnes, quotquot ex ſuis invenire poterant, qui belli tempore illum intromiſerunt, capitis detruncatione puniverunt.

Inter Ludovicum Ungariæ Regem & Venetos contentio.

Veneti pacem à Rege petunt & accipiunt.

Eodem anno Innocentius Papa VI. Philippum Epiſcopum Cavallicenſem Legatum & Nuntium miſit in Germaniam, ut pro ſubſidio Cameræ Apoſtolicæ decimum omnium proventuum à Clero exigeret denarium. Contra hanc graviſſimam & inſolitam exactionem Papæ, in unum convenerunt omnes præpoſiti totius Cleri trium provinciarum Trevirenſis videlicet Moguntinenſis, & Colonienſis una cum Abbatibus noſtri Ord. & alijs multis, atque unanimi voto concluſerunt, quòd Romano nihil velint contribuere Pontifici, & hoc ipſum Nuntio ejus memorato tunc apud Moguntiam, pro poſtulatione quam fecerat, reddidêre reſponſum; & quia funiculus triplex difficile rumpitur, ut eò fierent contra Ponti-

Innocentius Papa Legatū miſit in Germaniā pro ſubſidio.

Pontificis importunam exactionem fortiores; postquam inter se de nihil dando convenerant, litteras etiam ad alias Germaniæ provincias, & Diœceses, repentè mittentes, omnem Clerum & Monachos in suam traxêre sententiam; & ne fortè contumaces judicarentur potiùs, quàm defensores antiquæ libertatis, etiam Romano scripserunt Pontifici causas, ob quas nihil essent daturi, & plures & rationabiles, tam per litteras, quàm per solemnes Nuntios assignantes. His Papa cognitis & metuens fieri dissensionem, silentio rem perpetuo sepelivit.

MCCCLIX.

Conventus Principum in Moguntia pro Clero contra Papam.

Anno Wichardi Abbatis sexto, Carolus Imperator convocavit omnes Principes Regni ad colloquium in Moguntiam propter novam & inauditam Romani Pontificis exactionem pecuniarum, quam omni Clero per totam Germaniam in grave Regni detrimentum imponere contenderat: convenêre plures, & in publico magnatum consessu Philippum Episcopum Cavallicensem, Apostolicæque Sedis Legatum & Nuntium audiverunt. At ille commissum sibi legationis officium fideliter exequi desiderans, multa produxit in medium, quibus speculatione suâ per suasurum se Principibus æstimabat. Relatione præsulis auditâ, negotium concilio tractandum committitur, & super dando responso per viros undecúnque doctissimos articuli scribuntur. Erat in eo Conventu Principum Conradus de Alzeia Cancellarius Ruperti Comitis Palatini vir ingeniosissimus, & omnifariam eruditus, cui Principes respondendi pro Cleri defensione commiserunt officium; qui multis rationibus dixit, scripsit atque persuasit, in ea postulatione Papæ nihil fore dandum. Cujus articulos, quoniam memoriâ digni sunt, litteris breviter commendamus.

Conradus de Alceja Cancellarius Palatini, pro Clero loquitur.

Dicit Germaniam pecunijs exhauriri per Romanos & Italos.

Adveniente statuto die, in quo dare Cæsar cum Principibus Legato decrevit responsum, prædictus Conradus in medio stans & jussus loqui, sic inchoavit. *Aurifodinam, Romani, Germaniam semper habere & exhaurire cupientes, multos & varios ab olim excogitavêre modos, quibus omnia suo subdidissent imperio. Cùm autem ad nos divina providentia Romanum transtulerit Imperium, reor, nobis invigilandum, ne viribus & nervis Sacerdotium evacuet regnum. Quid Romanus Pontifex præter litteras & verba Regno confert Germanico? nihil certè. Sit Dominus beneficiorum omnium, quantum ad eorum dignam provisionem pertinet: sed eorum proventus ministrantibus permittat. Stulta est meâ sententiâ Germanorum devotio: quæ Romanis vulturibus, qui sunt insatiabiles, cibum parat, filijs proprijs magna inediâ laborantibus. Vestrum est igitur, ô Cæsar & Principes, vestrum est cogitare, quòd multis & varijs modis, causis simul & commendationibus Germaniam vestram pecunijs suis exhaurit, spoliat & denudat Italia: cujus avaritiæ nihil est satis; quamquam singulis annis multa florenorum millia nostris de sudoribus, ne dicam sanguinibus, in os suum, quod nunquam dicit, sufficit, trajciat. Ex Italia namque species aromaticas, medicinales quoque, oleum olivarum, vinum malvaticum, pannos sericos, & pleraque similia quotannis comparamus pecuniâ, pro quibus incredibilem auri summam Germani exponimus. Quid obsecro nobiscum aut nascitur, aut habetur, pro cujus commutatione nobis Italia vel unum denarium restituat? Denique filios nostros Romam non sine multis pecunijs, ut mores curiæ (ne dicam abusiones, dolos, & fraudes) vel ibi discant, vel in Avenione: seu ut litteris dent*

Germaniã varijs modis Italia pecunijs denudare solet.

operam, & Ecclesiastica beneficia, quæ Patres nostri suis instituêre pecuniis, novis semper obtineant (non dico emant) commerciis. Nemo est vestrûm, ô Principes, qui non intelligat multam curiæ papali pecuniam ex Germania singulis annis inferri pro Confirmatione Prælatorum, pro impetratione beneficiorum, pro causis litium & contentionum, quibus provocatur ad examen Sedis Apostolicæ: pro dispensationibus quoque, pro consequendis indulgentiis, & gratiis ac variis privilegiis absolutionibúsq;. Neque hoc latet serenitates vestras, quòd ab initio Christianæ religionis omnes Archiepiscopi per totum orbem subjectos sibi confirmabant Episcopos, & quòd juxta constitutionem beati Papæ Gregorij primi Archiepiscopis dabatur gratis, & pro eorundem confirmatione nihil penitùs exigebatur, secundum quod Dominus & Salvator noster in Evangelio suis præcepit Apostolis dicens: gratis accepistis, gratis date. Sed omnia nunc videmus inversa, omnia in deterius commutata. Confirmationes hodie gratis non dantur, nec pallium sine pecunia confertur Archiepiscopo, sed maximam auri summam compelluntur exponere, & nihilominus pristinum Episcopos suos confirmandi privilegium his nostris temporibus per Joannem Papam XXII. eis violenter ablatum est, in gravem totius regni Germanici damnum, incommodum, & detrimentum, quod omnibus manifestum est. Et ecce post hæc & alia tanta gravamina, quibus non solum Clerus, sed universum Germaniæ regnum exhauritur, & læditur, novum & hactenus numquam auditum Rom. Pontifex à Clero petit subsidium, quod antea nullus Papa præsumpsisset cogitandum. Censuras minatur, & pœnas non dantibus vel contradicentibus infligendas. Quapropter cùm ista nova sint, & prius inaudita, nullâ sunt ratione admittenda. Principijs ergo malorum obsistite, & non permittatis hanc servitutem turpem prævalere. Mementote Principes, quantam calamitatem, miseriam, destructionem, & in utroque statu dispendium provisiones Apostolicæ plerísque Ecclesijs Germaniæ intulerint, dum Pontifices Romani canonicè per capitula electos repudiant: & non electos præsules introducunt. Hinc lites & contentiones gravissimæ inter partes subsecutæ, quantam desolationem Ecclesijs induxerint, nemo nostrûm ignorat: per talem nempe occasionem nobis hæc Moguntina Ecclesia, quod vobis constat omnibus, in ultimam paupertatem devenit. Simile contigit Ecclesijs Herbipolensi, Vormatiensi, Argentinensi, Frisingensi, Metensi, & multis alijs, quarum redditus atque proventus per dissensiones electorum canonicè & provisorum à Papa miserabiliter fuerunt distracti. Unde concludendo breviter, etiamsi omnino deberet Clerus, aut vellet Papæ postulatum contribuere subsidium, sicuti nec vult, nec omnino tenetur, tamen non posset, cum propter causas nunc dictas, tum propter multiplices rationes, si opus fuerit, allegandas, & maximè propterea, quòd Principibus Germaniæ non solùm esset turpe, sed etiam dispendiosum, si hanc super Clerum suum induci permitterent Italiæ servitutem. Dixit & alia multa, quæ principibus ad persuadendum pro Clero sibi videbantur accommoda, quorum cùm nonnulla derogare auctoritati Rom. Pont. sit manifestum, silentio potiùs sepelienda judicamus, quàm scriptis nostris in notitiam transferre posteritatis; confitemur enim publicè, nos cum Rom. sentire sacrosancta Ecclesia, & Auctoritatem Summi Pontificis velle pro viribus defensare.

Olim Confirmabant Archiepisc. suos Episc.

Ecclesias per provisiones Papæ dicit esse depauperatas.

Clerum dicit, nec debere nec velle posse Papæ contribuere.

Cõsultatio hujus viri nimis mordax & acerba contra Papam.

Posterâ die Imperator & Principes advocantes Legatum S. Sedis Apostolicæ, responsum illi super his, quæ nomine Rom. Pontif. Innocentij de subsidio, ne dicam exactione Clericorum proposuerat, cum honestate & modestia reddiderunt dicentes: *Clerum tam insolita dare nullatenus*

Cæsar cum principibus legato dedit responsum pro Clero.

nus

nus posse, multáque pro ejus defensione rationabiliter in medium protulerunt, maximè tamen Cæsar iniquo tulit animo, quòd præ cunctis nationibus Europæ solos Papa Germanos hamo piscationis inconsuetæ, atque illicitæ penitus in servitutem volebat deducere. Unde commotus aliquantulum animo præsente Legato in medio principum dixit: *Quid est Domine Episcope, quòd Papa pecuniam à Clero multam exigit, & mores reformare Clericorum non intendit? videtis quomodo vivant, in quanta superbia & elatione, avari, cupidi, luxuriosi, & supra modum delitijs affluentes. Quo incedant habitu, pudet dicere: utpote qui militibus hujus mundi similiores sunt, quàm servis omnipotentis Dei. Sine ordine vivunt ubique, sine honestate, sine timore Dei, in omni libertate peccantes, & nemo est, qui corrigat, nemo qui prohibeat, nemo qui emendet. Vos autem Rom. pastores & Pontifices lanam rapientes nihil de salute ovium estis solliciti.* Cùm Cæsar ista loqueretur in consessu Principum, & vitia Clericorum simul & avaritiam Episcoporum publicè & modestè carperet, aderat Canonicus quidam principalis Ecclesiæ Moguntinæ nomine Cuno de Falckenstein, quem coadjutorem Henrici quondam Archiepiscopi fuisse suprà anno Wichardi Abbatis primi quinto diximus, qui etiam Trevirorum posteà factus est Archiepiscopus. Is Caputium habebat in capite auro gemmisque nimis pretiosum, quod Imperator capiti suo imposuit, & quod suum erat, de panno simplici super caput Cunonis relocavit. Deinde ad principes conversus dixit: *Quid vobis videtur? nonne militi videor in caputio Cunonis similior, quàm canonico?* Restituto autem caputio Cunoni, suóque recepto ab eo, dixit ad Gerlacum Moguntinum Archiepiscopum: *Præcipimus vobis Domine Archiepiscope, sub ea fidelitate, quâ nobis & regno estis juramento astrictus, quatenus Clerum vestrum juxta Canones sanctorum Patrum reformare studeatis, cúmque in moribus, vestibus calceamentis, capillis, & cæteris voluptuosis, nimiúmque sumptuosis delitijs atque abusionibus refrænetis, & omnes ad debitè, honestè, religiosè vivendum compellatis. Eorum verò qui rebelles & inobedientes repertí fuerint, bona & fructus beneficiorum occupetis, & fisco nostro regali inferatis, vel etiam si necesse fuerit, ipsos contradictores carceribus mancipetis.* Hoc ipsum cæteris regni Pontificibus Imperator præcepit.

Cuno de Falckenstein Canonicus de fastu suo facetè reprehensus à Cæsare.

Philippus autem Cavallicensis Episcopus supradictus Apostolicæ Sedis orator ac nuntius, posteaquam negativum Cæsaris audivisset responsum, & cognovisset, quòd Clerus contra Papam sese mutuò colligâsset, Cæsare simul & Principibus defensoribus, post diem octavum nave conscensâ cum suis familiaribus descendit ad Coloniam, & inde Galliam in Avenionem ad Papam reversus est. Legato tandem reverso ad Pontificem sine fructu legationis sæpe dictæ, Papa concepto æstuans desiderio, cùm subsidium à Clero Germaniæ, sicuti speraverat, non posset assequi, ne frustra conatus suos impendisse videretur, ex alia parte navigij rete suum in capturam piscium laxavit. Emissis námque nuntijs suis per universam penè Germaniam, præcepit medietates omnium beneficiorum tunc vacantium & vacandorum biennio colligi, & in usus Cameræ Apostolicæ reservari.

Legatus sine fructu optato in Avenionem ad Papam revertitur.

Anno etiam prænotato inter senatum & cives oppidi Nürenbergensis facta est seditio magna. Dederat Imperator in mandatis nonnulla senatui, quæ communi populo haud parum displicuerunt. Unde convenientes turmatim

Cives Nürenbergenses contra Imp. & senatum conspirant.

turmatim in conventiculis & ſympoſijs ſuis Zünfften vulgariter nuncupatis multis & varijs ſe cohortationibus contra Imperatorem Carolum & ſenatum armaverunt. In tantum brevi convaluit iſta plebeja conſpiratio, quòd nonnulli ex eis omnino concluſerant, Imperatorem ſi poſſent, quocunque modo, tempore & occaſione interficere. Imperatori, qui tum Nürenbergæ fuit, res conſpirata innotuit, qui nihil moratus auctorem ſeditionis factæ in populo fecit adeſſe, quem blandis ſermonibus, & oblatione 1000. florenorum aureorum in ſecreto ſibi concilians maximum fecit eſſe fautorem; nam mox ut ab Imperatore tam gloriosè muneratus diſceſſit, mutavit conſilium factis, & eos quos prius ut princeps factionis in odium Cæſaris potenter concitaverat, jam nunc ad obedientiam & ſubjectionem humiles totis viribus revocabat. Verùm dum à complicibus nonnullis argueretur levitatis reſpondit: *In turpi voto honeſtè mutandum conſilium.* Eo liberatus periculo Cæſar, ut omnem plebi occaſionem deinceps conſpirandi aufferret, magnâ uſus induſtriâ, omnia conventicula, collegia ſive monopolia vulgaritur, ut diximus, Zünfften appellata, in quibus artifices diebus feſtis in unum convenire ſolebant, ad confabulandum, bibendum, conſiliandum (non dico ad detrahendum & conſpirandum) ſinguli ſecundum artificia ſua, imperiali auctoritate depoſuit, interdixit perpetuò & damnavit, propterea, quòd eatenus cives omnia conſilia ſua contra ſenatum & omnem majoritatem in eiſdem habere conventiculis tutò conſueverunt.

Imperator quâ induſtriâ conſpirationē hanc ſedaverit.

Artificum conventicula id eſt Zünfften Nürenbergæ deponuntur exceptis Macellarijs.

Sarcopolæ verò, quos macellarios, ſive carnium paratores nuncupamus, quoniam pro parte Imperatoris Caroli atque ſuorum fidelium fortiter ſteterunt in hac ipſa conſpiratione adverſum fædifragos conjuratos, magnis à Cæſare honoribus collaudati ſunt, & priſtinum inter ſe conveniendi monopolium ab eo permiſſum & confirmatum (cæteris extinctis omnibus) acceperunt. Inſuper in perpetuam hujus fidelitatis memoriam Cæſar macellarijs quædam privilegia, & ludos circa carnisprivium exercendos indulſit.

Joannes Galliæ Rex ex captivitate dimittitur.

Eodem anno Eduardus Rex Angliæ multâ interveniente pecuniâ & precibus amicorum non paucis Joannem Gallorum regem, & Philippum ejus filium, quos in alterum nunc annum tenuerat captivos, ſub certis conditionibus liberos dimiſit. Qui reverſi tandem in Galliam, nihil eorum quæ promiſerant Eduardo Regi, ſervârunt. Quapropter indignatus ille contractis undique copijs pugnatorum, cum 150. navibus maximum ſequenti anno exercitum duxit in Galliam: Pariſios iterum obſidione vallavit, devaſtatiſque omnibus magnâ Galliam calamitate afflixit.

Wichardus II. Abbas Hirſaug. moritur.

Anno Dominicæ Nativitatis prænotato, viceſimâ ſeptimâ die menſis Novembris obijt Wichardus ejus nominis ſecundus Abbas hujus Cœnobij Hirſaugienſis XXXIII. anno ſui regiminis VI. nondum completo. Vir bonus, manſuetus, & quantum ad curam pertinet temporalem, pro illo tempore ſatis idoneus, qui diutius ſi vivere potuiſſet, res Monaſterij diſtractas plures ſine dubio revocâſſet ad jus ſuum, quod negligentiâ turpi priorum amiſerat.

Eodem anno XX. die menſis Decembris Philippus Epiſcopus Cavallicenſis Apoſtolicæ Sedis Legatus, de quo diximus antea, convocavit plures

plures Ordinis nostri Abbates ad se Moguntiam, & pro Monasteriorum reformatione multa cum eis tractavit: inter quos fuere præsentes Hermannus Abbas S. Albani, Wiricus Abbas S. Jacobi Moguntinensis, Philippus Abbas Spanheimensis, Abbates quoque Limpurgensis, Blidenstattensis, montis S. Joannis Vingavienſis & alij plures; veruntamen nullus tunc propositæ reformationis subsequebatur effectus.

De Wignando hujus Monasterij Hirsaugiensis Abbate XXXIV. qui præfuit annis xx. mensibus x. diebus xx. & de varijs, &c.

ANno Dominicæ Nativitatis prænotato MCCCLIX. Indictione Rom. XII. hujus Monasterij Abbatia post mortem Wichardi Abbatis secundi, ut diximus, vacante, prior & fratres, quibus competebat jus eligendi rectorem, ne destitutionis curæ pastoralis aliquod experirentur incommodum, VII. die mensis Decembris pro novi pastoris electione ad locum capitularem in unum conveniunt, & præmissis orationibus consuetis, ad electionis negotium in Dei nomine processerunt. Scrutinio itaque per singulorum vota ex ordine præmisso, pars major eligentium, & senior Wignandum ex Collegio Conventûs Monachum in Abbatem elegit, cui & reliqui omnes sine contradictione unanimiter consenserunt. Qui à Gerardo de Erenberg Spirensium Episcopo confirmatus, & solemni pompâ benedictus præfuit huic Monasterio XXXIV. Abbas in multa sollicitudine annis xx. mensibus x. diebus xx. Natione fuit Germanus, patriâ Suevus, militari genere ortus, probis ac honestis parentibus procreatus, qui à pueritia Monasterio traditus, moribus & consuetudine utebatur inventis. De cujus vita & conversatione pauca scribere possum, propterea, quòd Monachorum ignava pigrities res memoratu dignas & gesta Prælatorum litteris mandare, aut non potuit, aut certè contempsit. His námque temporibus miseranda Ordinem nostrum oppressit calamitas, quando non solùm in isto insigni Monasterio Hirsaugiensi, sed & in cæteris penè omnibus, cuncta spiritualis disciplina, & sancta exercitia defecerunt. Unde mirandum non est, nos historiam continuare de gestis Abbatum Hirsaugiensium minimè potuisse, cùm & negligentia Claustralium bene gesta Rectorum litteris non comendaverit, & Prælati forsitan nihil aut parum memoriâ peregerint dignum. Magna enim fuit circa hæc tempora Monachorum & damnabilis ignavia, qui cum sancto religionis proposito, & fervore observantiæ regularis, etiam divinorum amorem, & studium abjecerunt scripturarum, nihil minus quàm constitutiones Regulæ vel SS. PP. animo cogitantes.

Wignandus fit Abbas.

Monachorum his temporibus fuit ignavia magna.

MCCCLX.

Anno Wignandi Abbatis primo, Carolus Imperator Conventum principum celebravit, in oppido Regni Esslingen partium Sueviæ, & multa cum eis de communi utilitate omnium Germanorum tractavit. Factum est autem in diequadam Imperatore cum principibus suis in Refectorio Fratrum minorum habente colloquium, cives in seditionem versi contra familiam Cæsaris, movere arma non timuerunt, quod malum haud

Cives oppidi Esling contra Imperatorem rebellant.

haud parvam oppido turbationem concitavit. Nam in tantum concepta seditio convaluit, quòd cives furentibus persimiles Cæsarem invadere, & contumelijs afficere tentârunt; qui elapsus eorum insaniam ad tempus declinavit. Post menses paucos, cùm Eslingenses non solum commissorum in Cæsarem nullam peterent veniam, sed magis in superbiam elati, mandata imperialia contemnerent: iratus ille magnum Principum & civitatum, oppidorúmque regni exercitum contraxit, & veniens oppidum Eslingen obsidione fortissimâ vallavit: Ducem verò exercitus Eberhardum Comitem de Wirtenberg fratrem Udalrici constituit, & sub ejus directione militiam commendavit.

Comes igitur Eberhardus jussu Imperatoris Eslingen fortissimâ obsidione cingens, oppidanos quotidiano impulsu haud mediocriter fatigavit. Qui serò considerantes in malo se positos, eò quòd tantæ multitudini pugnatorum nequaquam possent resistere, de sua cæperunt præsumptione in Cæsarem commissa dolere. Igitur necessitate extremâ compulsi, pacem quam multorum judicio non merebantur petunt, & accipiunt, datis pro expiatione commissi sceleris Imperatori Carolo sexaginta millibus florenorum, ac Comiti Eberhardo triginta millibus pro refusione expensarum, quas belli hujus occasione fecerat, vel ut quidam scripserunt, quadraginta millibus in prompta pecunia solutis: sicque pacem plebs furiosa, quam violaverat, pretio centum millium florenorum emere compulsa est, & solutâ obsidione quilibet eorum, qui convenerant, in sua redierunt, oppidanis de Eslingen multum confusis, & per omnia valdè humiliatis. Hâc victoriâ nimium elatus Comes Eberhardus, quem Carolus Imperator IV. Capitaneum super XXIV. civitates & oppida regni Germanici constituerat, in subditos regni tyrannidem exercebat, illicitis & inconsuetis illos exactionibus gravando; ut multi cives & oppidani ejus crudelitatem non ferentes mutare domicilia cogitaverint. Postremò tamen consilio accepto se omnes Comiti unanimiter opponentes contra illum ad Cæsarem provocaverunt. Imperator his intellectis Comitem Eberhardum piè monuit, quatenus à gravaminibus illicitis & inconsuetis desisteret, & civibus regni sibi ad tempus, non perpetuò commissis nihil molestiæ inferret. Sed ille piam Imperatoris admonitionem contemnens, & in sua cupiens tyrannide permanere, confœderationem seu potius conjurationem cum Ducibus Austriæ in odium ipsius Cæsaris inijt, & quoscunque potuit, contra illum provocavit. Quibus Cæsar auditis, ut rebellem & inobedientem amovit ab officio Vicariatûs regni, & jussit in suo illum privatum degere dominio. Qui fretus amicorum potentiâ jussa Imperatoris sui sprevit atque contempsit, & se ad rebellandum totis viribus comparavit.

100. florenorum millibus pacem emunt Eslingenses.

His motibus in regno malè subortis Imperator Carolus in Bohemia regno suo nativo atque paterno degebat, sententias atque censuras in Eberhardum Comitem de Wirtenberg fulminans & emittens auditu terribiles, quas ille omnes contempsit. Unde inter ipsum Comitem & regni cives magni oriebantur tumultus, & omnia bellandi monstrum & faciem futuræ desolationis præ se ferebant. Quorum consideratione motus Imperator, nec minus à regni civibus exoratus, Rupertum Palatinum Comitem ac Bavariæ Ducem electorem regni principem belli imperialis

Ducem

Ducem pro civitatibus regni & oppidis,, aque Capitaneum esse voluit, cui & bellum contra Eberhardum Comitem prænominatum gerere mandavit. Comes autem Eberhardus nihili pendens mandata Cæsaris, viriliter se parat ad resistendum, habens in adjutorium Duces Austriæ Carolo satis infestos, Ducem quoque de Teck, Barones illos de Lymburg, quos vocant vulgò, die Schencken/ nósque pincernas imperij nuncupamus: aliósque Sueviæ Comites Barones ac nobiles multos, qui Cæsari & regno unanimi consensu pertinaciter contradixerunt. Horum omnium suffragijs Comes Eberhardus magnum pugnatorum congregavit exercitum, quorum potentiâ fretus Cæsaris & regni præstolabatur adventum. Imperator verò postquam intellexisset Comitem se parare ad rebellandum, exercitum congregavit & ipse prævalidum ex Bohemia, Ungaria, Lituania, & universo Germaniæ regno, veniens contra illum in Sueviam. Comes autem animosè cum suis occurrit Cæsari, non satis providè bellaturus, cùm Cæsar ad minus haberet exercitum duplo majorem. Congressione igitur præsumptâ, Comes Eberhardus, postquam consideravit, se potentiam imperialium militum ferre non posse, retraxit pedem, & in oppidum Stutgardiam se recepit. Carolus autem Imperator, qui à Nürenberga per Rhætiam inferiorem contra Eberhardum duxerat exercitum, oppidum quoddam Alen nomine, quod olim Comites de Oetingen pro viginti millibus florenorum Comitibus de Wirtenberg impignoraverant, obsedit, & violenter imperio suo captum subjecit. Quo potenter obtento præsidium posuit, & postea etiam Schorendorff obsedit. Rupertus autem Comes Palatinus Rheni Bavariæque Dux, quem Cæsar amoto Eberhardo Vicarium suum in regno constituerat, sicut dictum est, ex civitatibus & oppidis regno subjectis fortem adunavit exercitum, quem per pagum, qui vocabatur Zabergevv, ducens contra Comitem Eberhardum nonnulla ejus oppida & castra expugnando obtinuit. Deinde Gremingen cepit: Augustenses verò Constantienses & alij cives regni Beppingen obsidione cinxerant, & discurrentes per villas multa pauperibus intulerunt damna. Comes autem Eberhardus depopulationem suorum graviter ferens cum exercitu exivit Stutgardiam, & veniens contra Imperatorem haud procul ab oppido Schonendorff animosè committit prælium. Congressione initâ pugnatum est acriter, & diu anceps pugna consumpsit ab utraque parte plurimos. Tandem victoria cessit Imperatori, Comes Eberhardus victus est, & ejus exercitus à Regno superatus, diffusus atque dispersus. Multi ex parte Comitis in eo prælio ceciderunt gladio interfecti, & multi fuerunt capti. Comes igitur necessitate compulsus, cùm se multitudini tantæ cerneret non posse resistere, pacem à Cæsare per medium Episcoporum Augustensis, Constantiensis, & Spirensis cæpit postulare. Quorum petitionibus Imperator consentiens pacem dedit Comiti Eberhardo postulanti sub his videlicet conditionibus. In primis fuit per electos partium arbitros concluſum, quòd Comes Eberhardus fœdus, quod cum Austriæ Ducibus contraxerat, revocando cassaret, & nullam deinceps ligam seu confœderationem contra Imperatorem, aut regnum cum illis omnino haberet. Deinde judicum fuit decreto sancitum, quòd Comes Eberhardus Advocatiam Aregni sive Vicariatum, quem à Carolo Imperatore super XXIV. urbes & oppida regni susceperat,

Eberhardus Comes ad bellum se parat contra Imperatorem.

Bellum inter Imp. & Wirtenbergenses.

Concordia facta inter Cæsarem & Comitem.

Pacis Conditiones.

resignare deberet, & se nullatenus de illo amplius intromittere. Tertiò fuit per arbitros partium decretum & judicatum, quòd Comes Eberhardus civibus regni omnibus & singulis coram Imperatore, aut ejus judice delegato super injurijs per tyrannidem irrogatis de justitia debeat, & velit respondere. Quartò fuit sententialiter pronuntiatum, & concluſum, quòd Comes Eberhardus imperio, regno & Cæsari Carolo fidelis, subjectus & obediens perpetuò debeat persistere, & neminem deinceps in ejus odium seu rebellionem quomodolibet provocare. Quintò fuit per arbitros decretum, quòd Imperator tam ipsum Comitem Eberhardum, quàm Ducem de Teck, & cunctos alios confœderatos sive auxiliarios milites nobiles & ignobiles præmisso bello implicitos (Austriæ Ducibus duntaxat exceptis) ad reconciliationem, & gratiam debeat recipere, & commissa omnia plenè indulgere. Sextò statuerunt, quòd omnes captivi ab utraq; parte quomodolibet sine aliquo sui detrimento, vel damno liberè dimittantur, & quatenus firma sit constitutio pacis, quòd Imperator Comites ipsos principales de hoc faciat securos. Septimò Judices decreverunt, quòd Carolus Imperator omnia oppida, castella, & munitiones per se vel per alios bello durante captas excepto Alen oppido solo, Comiti Eberhardo debeat restituere, & pacem litteris imperialibus confirmare. Hæc summatim pro pace fuerunt per Commissarios decreta, & ab utráque parte laudata, & confirmata. Sic ergo pace inter regnum & Comitem de Wirtenberg Eberhardum reformatâ, Alen oppidum Fisco regio pro multa fuit adjudicatum.

Contentio inter Archiepiscopum Trevirorũ & Comitem de Starckenburg.

His etiam temporibus inter Comitem Mosellanum de Starkenburg, & Walramum Comitem de Spanheim ex una parte, & Bohemundum Archiepiscopum Trevirensem alia ex parte graves oriuntur discordiæ propter quædam castella & dominia, quæ ad jus Comitis de Starckenburg pertinebant ab olim, sed per Archiepiscopum violentâ invasione detinebantur. Unde Comes in auxilium rogatis Walramo prædicto Comite de Spanheim, Henrico Comite de Veldentia, & quibusdam alijs, bellum indixit Archiepiscopo, & prædas in illius pauperes exercebat. Archiepiscopus autem contractis copijs terram Comitis de Starckenburg ingreditur, & hostili incursione cuncta demolitur, villam Enckirch imprimis occupavit, deinde castrum Starckenburg in monte situm Mosellæ obsidione vallavit. Quâ quidem obsidione durante munitionem in pede montis juxta Mosellæ fluvium, quam Comes pro novo telonio contra voluntatem omnium Mosellanorum erexerat, memoratus Archiepiscopus cepit, & igne submisso funditus destruxit; major enim dissensionis causa inter eos fuit, præsumpta novitas telonij, quod sine consensu principum Comes ab Carolo Imperatore clandestinè impetraverat; sed victus ab Archiepiscopo pacem petijt, & omni juri telonij novi perpetuò renuntiavit. Superato Comite de Starckenburg, & in deditionem coacto, Boemundus Archiepiscopus terram Comitum præscriptorum de Spanheim, & de Veldenz cum exercitu intrare statuit, quos sibi auxiliatores ille de Starckenburg associaverat, quod mox ubi illi cognoverunt, missâ legatione pacem postulaverunt, & impetraverunt.

Universitas Pragens. in Bohemia ab Imper. fundatur.

His quoque temporibus Carolus Imperator IV. ex Rege Bohemiæ, ut supra diximus, factus, cùm esset vir in scripturis mundanis haud mediocriter

diocriter doctus, utpote qui non solum apud nostros Germanos, verùm etiam apud Parisienses Gallos in juventute litteris operam dedit, volens & regnum honorare paternum, & suum in viros doctos pientissimum declarare affectum, Gymnasium, quod nostri studium vocant generale, sive propter copiam scientiarum universale, Pragæ instituit, quod tam Papæ, quàm suis privilegijs simul, & stipendijs ultra Gymnasia totius Germaniæ omnia mirum in modum decoravit. Confluxit illicò magna multitudo studentium, cum propter ubertatem victualium, tum propter singularem & multifariam gratiam privilegiorum simul, & doctorum copiam, quos ex diversis nationibus adduxerat. Duravit hoc ipsum Pragense Gymnasium per annos ferme quinquaginta in magna celebritate, & gloria, tam numero personarum, quàm ubertate scientiarum & copiâ præceptorum sive doctorum in omni facultate peritorum. Verùm posteà ut suo loco inferius dicetur, multis erroribus & hæresibus deturpatum viluit, & usque in præsentem diem Schismaticorum synagoga permansit.

Episcopatus Pragensis in Archiepiscopatū erigitur.

Memoratus etiam Imperator Carolus pro majore regni gloria Bohemorum Ecclesiam Pragensem Episcopalem, quæ Archiepiscopo Moguntino eatenus fuit subjecta, in Archiepiscopalem erexit, subijciens ei duos Episcopatus, Olomucensem videlicet, & alium, cujus nomen hàc vice non occurrit. Multis quoque eandem novam metropolim Pragensem redditibus donationibus & privilegijs decoravit. Quæ quidem Ecclesia Pragensis post annos ferè 50. varijs hæreticorum erroribus polluta caput Schismaticorum facta est, & manet SS. Rom. Ecclesiæ rebellis in præsentem diem. Pontificem habet non alium, quàm Schismaticum, & ab Unitate S. Matris Ecclesiæ pro suis sceleribus aut fugientem, aut depositum, & à Summo Pontifice jure excommunicatum. Canonicorum tamen sacer Conventus, qui in monte S. Wenceslai habitat, ubi & Ecclesia cathedralis adhuc sine Pontifice manet, Deo sub obedientia Sedis Apostolicæ similiter militat. Plures etiam Bohemorum Schismatici sunt, non omnes, quemadmodum opportuno tempore plenius infrà dicemus. Apud Ingelenheim regiam villam, Moguntinensis Diœcesis, inter Moguntiæ civitatem & Bingæ oppidum medio itinere sitam, Aulam eatenus regalem atque imperialem, Cœnobium fecit Canonicorum Regularium S. Augustini Episcopi quondam Hipponensis in Affrica, constituens illis ejusdem vitæ præpositum. Quod quidem Cœnobium pleno jure subjecit Abbati S. Caroli in Praga ejusdem religionis, cujus hodie est fratres, & præpositum, quoties fuerit necessarium, instituere, & locum, ut superioris, visitare.

Carolus magnus non in Gallia, sed in Germania natus.

Constituit etiam prædictus Imperator, neminem ad canonicatum in eo Cœnobio debere admitti, qui natus de Bohemia non esset, quod ita servatur in hunc diem. Distat verò itinere à Moguntia rectà versus Bingen oppidum per terram Ingelenheim villa imperialis memorata milliaribus Germanicis duobus, in cujus aula, quæ modo est Cœnobium, sicut diximus, Carolus Imperator magnus creditur fuisse natus, qui non minus Rex fuit Francorum Orientalium ac totius penè Germaniæ, imò primordialiùs, quàm omnium Gallorum, qui nomen Franconicum ab Orientalibus & non aliunde susceperat. In memorato Canonicorum Cœnobio locus est bibliothecæ tenuis, in qua nunc altare constructum

cernitur, ubi lectus olim nativitatis Caroli Cæsaris magni habebatur. In eadem quoque regali camera, quæ nunc & bibliotheca est Canonicorum & Capella, Carolus ipse magnus gladium cælitus fertur ab Angelo suscepisse, in quo devicit Hispaniam, & iter ad S. Jacobum Christianis tutum paravit in Galitiam. Qui gladius non multæ longitudinis hodie apud Nürenbergenses ostenditur, & inter Sanctorum reliquias Imperiales habetur. Denique Carolus Imperator IV. Dominicæ Passionis & mortis cultor & venerator devotissimus à Rom. Pontifice precibus impetravit institutionem & celebrationem festi Lanceæ, clavorúmque Domini cum indulgentijs multis, quod festum quotannis feriâ VI. post octavas paschæ Papa concessit per universum orbem Christianum solemniter celebrandum.

Festum Lanceæ, Clavorum & Coronæ Domini instituitur.

Anno etiam prænotato Eduardus Anglorum rex bellicosus, & bello fortunatissimus, posteaquam Joannem Gallorum regem pactorum contemptorem, & violatorem litteris monuisset & nuntijs, quatentus promissa servaret, sed nihil monendo proficeret, arma corripuit, & classem 150. navium per littus maris in Galliam reduxit, & Parisium obsedit. Erat autem exercitus ejus magnus valde, & maximas per totam Galliam strages fecit. Ex hac fæce profanæ multitudinis turba illa surrexit latronum, qui Alsatiam sub Duce Archipresbytero, sicut dicemus, post biennium crudeliter devastârunt.

Rex Anglorum Eduardus iterum invadit Galliam.

Eodem anno in festo S. Gertrudis Virginis cives urbis Herbipolensis à multis retrò annis gens inquietissima & subjectionis nimium impatiens contra superiores suos in seditionem versa, periculosis urbem tumultibus implevit. Unde in furorem concitati, & per civitatem sine ordine discurrentes, nobiliores & ditiores quósque civium, quibus Antistes suas in Republica distribuerat vices, hostiliter invadunt, alios vulnerantes, alios crudeliter occidentes, & reliquos in fugam agentes, extra civitatem ejecerunt. Claves portarum urbis & turres pro libitu suo disponentes, omne dominium in se transferre sategerunt. Sed non diu mansit impunita eorum temeritas, venit enim armatus multitudine præsul, & vindictam suscitavit in eos jure, quam temere meruerunt.

MCCCLXI.

Anno Wignandi Abbatis Hirsaugiensis secundo in mense Februario, nocte quâdam cœlum in occidentali parte ardere visum est: & eâdem nocte Wilhelmus ex Marchione primus Dux Juliacensis ab hac vita migravit ad patres, quem Carolus Imperator IV. in Conventu Principum Metensi Collegio Ducum adscripserat, ut diximus anno Wichardi tertio, vir certè memoriâ dignus, cultor justitiæ, amator Cleri, & defensor pauperum fidelis.

Wilhelmus Dux de Juliaco primus moritur.

Eodem anno duo Comites Gerardus videlicet de Monte Colonienſis Diœceſis, & Arnoldus de Blanckenheim Trevirenſis Diœceſis, ambo illo in tempore divites atque potentes in quodam haſtario ludo apud Coloniam Agrippinam acutis ſe lanceis impetentes mutuò de equis dejecerunt, & ambo mortui ſunt. Erant enim ex multo jam tempore animos ſecretò gerentes ad invicem hoſtiles, ideò datâ occaſione alter alterum doloſè impetere cogitavit & fecit.

Anno

Anno item prænotato posteaquam Reinhardus & Eduardus fratres Geldriæ Duces per annos jam aliquot gravissimas inter se contentiones & lites pro paterno principatu continuâssent, cessit victoria tandem Eduardo, qui natu minor erat, & dolo circumventum fratrem cepit, custodiæque mancipavit, quemadmodum anno Wichardi Abbatis secundo vel quinto prænotavimus.

Dux Geldriæ frater alter ab altero capitur annis decem.

Anno quoque præscripto Eberhardus Comes de Wirtenberg filiam suam nomine Sophiam Duci Lotharingiæ dedit uxorem, nuptijs in oppido suo Stutgard magna cum pompa celebratis. Convenerat illuc ad nuptias Principum, Comitum, atque nobilium invitata multitudo maxima, & varia spectaculorum genera juventus audacior exercebat. Nuptijs interfuit Albertus Dux Austriæ, qui Comiti semper contra Imperatorem Carolum pertinaciter adhæserat. Unde Carolus Imperator, quanquam invitatus à Comite suo promisisset venturum, tamen non venit, metuens forsitan sinistrum aliquod in tanta multitudine hominum posse oriri, aut propterea certè, quòd Comiti non satis confideret.

Claruit his temporibus apud Colonienses Joannes de Hildesheim Saxo Ordinis Fratrum B. Mariæ semper Virginis de Monte Carmeli, sacræ Theologiæ lector, & multo tempore Prior Conventualis in Cassell oppido Hassiæ, vir studiosus, & suo tempore doctus, qui scripsit super sententiarũ Petri Lombardi libros IV. totidem volumina. Ad Florentium quoque Monasterienſem Episcopum de translatione trium Magorum ad Coloniam librum unum, & chronicon etiam historiale suorum temporum lib. I. Contra Richardum Archiepiscopum Armachanum in Hybernia defensorium IV. Ordinum mendicantium lib. I. Opus metricum de monstris in Ecclesia lib. I. Opus quod prænotatur Fons vitæ lib. I. De Antichristo lib. I. Contra Judæos lib. I. In quendam turpia pingentem, lib. I. Sermones de tempore & de sanctis libb. II. Epistolarum ad diversos lib. I. In astronomia etiam nonnulla composuit, aliáque plura, quæ ad notitiam nostræ lectionis minimè venerunt. Hic beati Patris Thomæ Generalis totius Ordinis in Avenione residentis posteà Patriarchæ Constantinopolitani viri sanctissimi atque doctissimi quondam auditor atque discipulus fuisse memoratur.

Joannes de Hildesheim Carmelita vir doctus multa scripsit.

Joannes quoque de Thambach patriâ Francus Orientalis Ord. S. Dominici doctor divinarum scripturarum egregius, hæc tempora scriptis & lucubrationibus suis clariora fecit. Inter multa enim scripsit opus pulchrum & utile contra sævientis fortunæ jacula, quod consolatorium Theologicum prænotavit libb. XV. De sensibilibus quoque delicijs paradisi contra Saracenos lib. sermones & alia plura, quæ nec dum vidimus. Joannes item de Emenhusen natione Germanus Doctor sacræ Scripturæ profundus his temporibus scribendo & docendo apud Gallos Parisienses magno in pretio fuit. Qui inter multa, quæ scripsit, in IV. sententiarum libros totidem non parvæ æstimationis volumina composuit. In plures etiam sacræ Bibliothecæ libros valdè utiles commentarios lucubrâsse perhibetur. Alia plura scripsit Synthemata, quæ ad nostræ lectionis notitiam non venerunt.

Joannes de Emenhusen doctor profundus plura scripsit.

Joannes etiam Denock patriâ Saxonicus Ord. Eremitarum S. Augustini primus doctor in Gymnasio Pragensi promotus, vir ingenio & doctrinâ

ctrinâ clarissimus, scripsit super IV. libros sententiarum insigne opus, quod in memorato Gymnasio publicè legit & recitavit: variarum item quæstionum, quas quodlibeta nuncupavit lib. I. Et quædam alia, quæ non vidimus.

MCCCLXII.

Anno Wignandi Abbatis tertio Udalricus Comes de Wirtenberg, filius Eberhardi uxorem duxit Elisabeth filiam Ludovici Ducis Bavariæ, relictam viduam Scaligeri Veronensium Principis, de qua genuit filium nomine Eberhardum, cognomento pium, principem memoriâ dignum.

Anglicana pernitiosa societas plura devastat dominia.

Eodem anno reliquiæ maximi illius exercitus, quem Eduardus Rex Anglorum contra Joannem Regem priore anno duxerat in Galliam, ut supra dictum constat, pace inter dissidentes reges confirmatâ in turmam latronum commutatæ sunt; in unum námque conjurantes, ut cunctis viderentur metuendi atque terribiles, Ducem sibi præficiunt, quem Archipresbyterum nuncupârunt. Qui brevi tempore concurrentibus undique hominibus desperatis latronibus & pessimis in magnum crevêre numerum, ita ut etiam Regibus æstimarentur timendi; Eduardo námque in Angliam reverso (quoniam ex diversis nationibus erant conductitij) cùm prædis essent assueti, nec aliud haberent, unde viverent, rapinis, injurijs & desolationibus quorumcunq;, vitam agere decreverunt. De Gallia igitur profecti magna cum multitudine in Hispaniam, villas, urbes, castella & oppida improvisè quotquot potuerunt capientes, interfectis habitatoribus funditus destruxerunt, nulli fidem servantes & pollicita, & prædam inter se captam dividentes. Domine Deus quanta mala fecerunt servis tuis Monachis, Clericis, Monialibus & reliquis Christi tui fidelibus isti latrones per Hispaniam, Galliam, vicinásque regiones, incendijs, gladijs, stupris, rapinis, devastationibus, inauditísque crudelitatibus! Ex Hispanijs tandem pulsi per Galliam redierunt, ubique latrocinia exercentes, villas castella & oppidula non satis munita seu per negligentiam custodum deserta capientes, interfectis omnibus habitatoribus, ignibus consumpserunt. De Gallia igitur moventes ad fines Trevirorum copias duxerunt; quod cùm Boemundo Archiepiscopo innotuisset, bellum latronibus inferre cogitavit; convocatis etenim tempestivè in auxilium vicinis principibus Wenceslao Luzenburgensium Duce, Walramo Comite in Spanheim, Henrico Comite in Veldentia, Comite quoque de Starckenburg, Comite de Virneburg, Comite de Blanckenheim, Comite de Bare, Comite de Hildesheim, Comite de Saraponte, Comite de Salm, & multis alijs, exercitum pugnatorum non parvum comparavit. Cui Provisorem & principem constituit coadjutorem suum Cunonem de Falckenstein, virum in negotijs sæcularibus & bellicis longâ experientiâ peritissimum, de quo nonnulla etiam in præcedentibus juxta seriem historiæ diximus.

Ex Hispania pulsi venerunt ad fines Trevirorũ.

Verùm posteaquam audisset Archidux latronum, tantam contra se paratam pugnatorum multitudinem, retraxit pedem, & deflexo itinere exercitum suum duxit in Alsatiam, nec fuit ausus appropinquare Treverensibus: & quoniam rustici & villani Alsatæ, auditum illorum longè prius, quàm venirent, habuerant, & quàm impij essent & crudeles, ne invenirentur in villis occidendi, dimisso rure cum omnibus suis se in proximas munitiones receperunt; nam etsi esset magna multitudo illa latronum,

latronum, civitatibus tamen & locis munitis vim inferre non poterant, quia machinas ad murorum dejectionem necessarias non habebant, sed villas non munitas destruebant. Venit itque fabulosus ille Archipresbyter cum suo exercitu latronum usque ad Argentinam, & in tenebris noctis castra non longè ab urbe statuerunt, incendio cremantes omnes in circuitu villas, & quidquid uspiam inveniſſent relictum à fugientibus rapuerunt. Argentinenses metu latronum inopinatè perculsi clausas tenuere portas civitatis, nec aliquem egredi permittebant. Per dies autem plures manserunt in Alsatia, & multa pauperibus damna intulerunt. Scripserunt Imperatori Alsatæ, ut veniens cum exercitu latrones illos profligaret, qui remoratus, suspicionem de se nonnullis præstitit malam. Interea societas ipsa Anglicana (sic enim vulgò latronum ille dicebatur exercitus) in magna ferocitate totam percurrens Alsatiam, omnia extra munitiones desolavit, ruricolas omnes, quos reperit, inauditis affecit supplicijs, & qui se pecuniâ redimere non poterant, ab eis crudeliſſimè necabantur. Mulieres simul & virgines, tam Christo dicatas, quàm sæculares quascunque inveniſſent, horrendo libidinis modo polluentes occiderunt, nulli parcentes ætati, ordini, vel sexui, femellas interfecerunt, masculis in servitutem reservatis. Nulli tutò licebat sine viæ conductu locum quempiam transire vel ambulare, in omni provincia, seu regione, quam occupâssent. Cui autem cúmque salvum dediſſent conductum, inviolatum servabant. Captivos, qui se pecuniâ non poterant redimere, sine misericordia interficiebant. Multi tamen beneficio noctis de manibus eorum lapsi evaserunt salvi, oppida & castella plura obsidione cinxerunt, pauca tamen obtinuerunt, quia machinas, sicut diximus, non habebant necessarias. Quotquot verò sive minis, sive terroribus obtinuiſſent, non servatâ fide promissâ necatis habitatoribus funditus destruxerunt. Tandem posteaquam multis in Alsatia diebus latrocinantes & sævientes, tam in agris, quàm in villis plura pauperibus intuliſſent damna, misit Imperator Carolus IV. pugnatorum fortem exercitum in Alsatiam, quibus Argentinenses, & alij cives regni maxima in multitudine conjuncti, aciem contra latrones illos dirigere statuerunt. Quod illi audientes in fugam omnes conversi sunt, ac tantâ velocitate disparuerunt, ut iter, quod uno die confecerant, in IV. diebus imperiales non feciſſent.

Argentinã venientes castra in circuitu locârunt.

Anglici latrones de Alsatia fugati sunt.

Latronibus Anglicanis in Galliam procul fugatis, quoniam circa messem tempus fuit æstivum, damna exercitus regni pauperibus intulit non minora in frumento, quàm illi forsitan, quos fugârunt; nam omnia quæ in agris erant frumenta jam penè matura, aut consumpta sunt ab equis, aut conculcata. Unde fames per Alsatiam magna fuit subsecuta, quæ sextum duravit in annum.

Anno prænotato paulò ante ingressum Archipresbyteri in Alsatiam Boemundus de Saraponte Archiepiscopus Trevirorum podagrâ laborans, & senio gravatus, cùm se ad regimen principatûs minus idoneum quotidie fieri conspiceret, Cunonem de Falckenstein Ecclesiæ Moguntinæ Canonicum, & ante Gerardum sub Henrico de Virneburg Archiepiscopatus sicut diximus administratorem ad se vocans, de consensu Fratrum suorum Treverensem fecit Canonicum, ac postea in Coadjutorem suum assumpsit, committens ei curam omnium negotiorum temporalium totius Archiepiscopatûs.

piscopatûs. Qui mox Anglicanos latrones ex Gallia irrumpentes fugavit ex finibus Trevirorum, ut dictum est.

Cuno fit Archiepisc. Trevirorũ resignante Boemundo.

Videns Boemundus Archiepiscopus Cunonis prudentiam, & in agendis rebus quantumlibet arduis facilem dispositionem, gavisus est, & consilio suorum præhabito, statuit illi resignare Archipontificatum. Mittens ergo nuntios in Avenionem solemnes ad Innocentium Papam, resignandi Archiepiscopatum Cunoni licentiam petivit & impetravit. Consensu autem Rom. Pontificis impetrato Cunoni Pontificatum resignat, & pro sustentatione sui oppidum Sarburg cum arce atque proventibus in provisionem suscipiens annuam quinque deinceps fermè annis supervixit.

Wilhelmus Archiepisc. Coloniensis moritur & sequitur turbatio.

Eodem quoque anno mortuus est Wilhelmus Archiepiscopus Colonienſis, relinquens in thesauris multa millia florenorum, & omnia promptuaria plena, quæ tamen minimè in utilitates Ecclesiæ sunt versa, ut dicemus. Nam eo mortuo regulares capituli Joannem ex Comitibus de Virneburg Decanum in Archiepiscopum elegerunt. Qui pro confirmatione sui ad Urbanum Papam v. Successorem Innocentij personaliter accessit, sed non solum confirmationem non impetravit, verùm ejus electio per Pontificem in toto cassata fuit, ut dicemus anno sequente, & alius contra voluntatem Capituli ab eo institutus.

Innocentius Papa VI. in Avenione obijt.

Anno item præscripto mortuus est in Avenione Innocentius Papa sextus vir doctus, & permagnificus, qui ut supra diximus, Ecclesiastica beneficia non nisi religiosissimis & doctis voluit concedere viris. Ejus cadaver in Monasterio S. Andreæ Apostoli Cartusiensium Ordinis, quod extra Avenionem ipse proprijs fundaverat, dotaverátque impensis, cum honore debito sepultum est.

Innocentio mortuo atque sepulto convenientes in Avenione Cardinales Wilhelmum Massilienſem S. Victoris Abbatem Ordinis Divi Patris nostri Benedicti, tum quidem in legatione absentem unanimiter in Rom. Pontificem elegerunt, qui Urbanus v. vocatus fuit. Præfuit Ecclesiæ annis octo, mensibus v. vir doctus & morum sanctitate integerrimus. Iste Papa Urbanus ex Abbate S. Victoris Massilienſis, sicut dictum est, factus, patriâ Lemovicensis, Curiam Papalem ab Avenione reduxit in urbem Romam, multis revelationibus Divæ Brigittæ sæpius admonitus, quæ curia in Avenione steterat, à tempore Clementis Papæ v. per annos ferme LV. non sine magno detrimento Romæ, & totius Italiæ.

Urbanus fit Papa v. Ord. nostri.

MCCCLXIII.

Anno Wignandi Abbatis IV. posteaquam Ecclesia Colonienſis aliquandiu vacâsset post mortem Wilhelmi de Genep Archiepiscopi, convenientes in unum canonici, Joannem ex Comitibus de Virneburg Decanum majoris Ecclesiæ, in Archiepiscopum unanimiter elegerunt, cujus electionem ut prius dictum est, Urbanus Papa v. causam nescio, non solum confirmare non voluit, sed penitus cassavit. Præfuit eo tempore Monasterienſi Ecclesiæ in Westphalia Adolphus ex Comitibus de Marca destinatus Episcopus juvenis, & necdum sacerdotio idoneus. Hunc nescio ad cujus instantiam memoratus Pontifex Rom. ad Archiepiscopatum Colonienſem, invitis & reclamantibus canonicis promovit. Qui Archipræsulatu suscepto malè præfuit in mensem undecimum, posteà Romam citatus, ut dilapidator Ecclesiasticarum rerum ab Urbano Papa, ne re-

Adolphus de Marca Episcopus fit Archiepiscopus Colonienſ.

ne, respondere compelleretur super delatis articulis, potiùs Pontificatum resignavit, quemadmodum sequente anno dicemus.

Claruit his temporibus devotissima Christi famula S. Brigitta Regina quondam Sueciæ, quæ multis illustrata revelationibus Dei, toti Europæ admirabilis fuit; mortuo námque viro suo regnum mundi & ornatum ejus pro Christi amore contempsit, & egrediens cum Abraham de terra & cognatione sua, ne quid animum ejus à timore Domini, & spirituali conversatione posset retrahere, cunctis penè diebus vitæ suæ peregrinata est Romam, ad S. Jacobum, & alia diversa limina SS. jejunijs, vigilijs, eleemosynis, & orationibus sanctis vacans omni tempore. Verùm cætera sanctitatis illius opera cùm omnibus sint manifesta, breviter nos absolventes, ad continuationem intentionis propositæ stylum dirigamus.

S. Brigittæ vidua princeps Sueciæ miraculis claruit.

Anno prænotato mortuus est Theodoricus Beyer de Boppardia Episcopus Wormatiensis, cujus cadaver in principali Ecclesia cum honore sepelitur. Huic promotione Urbani Papæ v. successit Joannes cognomento Landschad de Steinach Ordinis Fratrum Prædicatorum, & sacræ scripturæ Doctor, vir optimus, & præfuit annis fermè tredecim non sine persecutione magna, quam non minus à Clero secretò, quàm à civibus manifestè sustinuit. Legi, quòd iste Joannes ante Pontificatum sæpè nuntius fuerit Apostolicus, inquisitor quoque hæreticæ pravitatis, administrator quoque diversarum Ecclesiarum cathedralium, videlicet, Hildesheimensis in Saxonia, Augustensis in Rhætia, Constantiensis in Suevia, ac Culmensis in Prussia, sed credo Scriptorem opinione deceptum, cùm aliud quid esse potuerit, quàm Administrator. In fine anni præscripti, hoc est in die SS. Innocentium Martt. obijt Gerhardus de Erenberg Episcopus Spirensis, & in Cathedrali Ecclesia coram altari sanctæ Matris Annæ cum debito sepelitur honore. Huic electione canonicâ in Episcopatu successit Lampertus de Büren Abbas Monasterij nostri Ordinis in Gengenbach Argentinensis Diœcesis, & præfuit annis decem & octo, quibus in Pontificatu Spirensi exactis ad Ecclesiam Bambergensem fuit translatus, auctoritate & mandato Urbani Papæ sexti, ut suo loco dicemus.

Joannes Landschad fit Episcopus Wormatiensis.

Lampertus Abbas in Gengenbach fit Episcopus Spirensis.

Ad instantiam hujus Episcopi Carolus Imperator quartus omnia privilegia per Germaniæ Reges & Rom. Imperatores Ecclesiæ Spirensi ante eum concessa renovavit, ampliavit, ac confirmavit, ac simul in unum conscripta corpus aureo sigillo roboravit, memoratóque Pontifici coram multitudine Principum tradidit. Hanc verò bullam ejus nomine, qui dedit, Carolinam vocant.

Bulla Carolina Spirensi Ecclesiæ concessa.

MCCCLXIV.

Anno Wignandi Abbatis v. Indict. Romanorum secundâ, Adolphus Colonienſium Archiepiscopus accusatus coram Rom. Pontifice Urbano v. quòd res Ecclesiasticas malè dispensaret, ac turpiter consumeret, ad ejus audientiam citatus est. Erat autem juvenis petulans atque lascivus, cui nec ætas, nec mores ad Pontificatum aliquod ministrabant suffragium. Citatus igitur ad Curiam Summi Pontificis noluit defensionis aliquem subire laborem, & ideò Pontificatum (non vi, neque metu, sed amore unius puellæ, utdicebatur, Sororis Comitis de Monte, cum qua se Comitatum Clivensem accepturum sperabat) in manus Papæ liberè ac spontaneâ voluntate resignavit. Resignatione Pontificatûs solemniter factâ, puellam

Adolphus Colonienſ. Romam citatus resignat Archiepiſc. & ducit uxorem.

puellam memoratam duxit uxorem, & cum ea Comitatum de Clivis, quemadmodum speraverat, obtinuit; erat enim sine ordinibus sacris, & laico similior, quàm Pontifici; quamvis Mônasterienſem Ecclesiam annis fermè v. & Colonienſem x. mensibus, & diebus xviii. inutilis pastor, imò non pastor occupaverit. Post resignationem Adolphi Capitulum Ecclesiæ Colonienſis in Archiepiscopum suum elegerunt Engelbertum de Marca Episcopum Leodienſem patruum memorati resignantis Adolphi, hominem jam senio gravatum. Cujus electionem Urbanus Papa v. libenter admisit, & gratiosè confirmavit. Confirmatus autem præfuit annis iv. sine magno Ecclesiæ profectu, qui hodie in temporalibus magis computatur, quàm in spiritualibus; quoniam Adolphus omnes Wilhelmi provisiones dissipaverat, & non minus plura contraxerat gravamina debitorum, & æris alieni pondera multa, in quibus & obijt, ut inferius suo tempore dicemus.

Engelbertus Episcopus Leodienſis fit Archiepisc. Colonienſ.

Anno præsignato in mense Augusto maxima & incredibilis per totam Sueviam & Alsatiam multitudo apparuit locustarum, quæ in modum nubis latissimè densissiméque aërem implevit, & viridia quæque devoravit. Unde territi homines insolito spectaculo, cùm nihil aliud potuissent, pulsu eas fugare campanarum conabantur. Tandem vento raptæ ab invicem dissipantur, & putrefactæ circa littus Rheni magnam infecto aëre pestilentiam causaverunt.

Eodem anno facta est dissensio gravis inter Gerlacum Archiepiscopum Moguntinum, & cives Moguntinenses propter defensionem privilegiorum, & libertatem Cleri, civibus concessa infringere, Clero autem cum Archiepiscopo indulta manutenere & defensare conantibus. Crevit cum tempore livor, & in odium causa mutatur in tantum, quòd Clerus majore ex parte relictâ civitate ad alia se loca transtulit. Citantur ad Rom. Pontificem cives, monenturque, ut sine mora compareant, & causâ longum excusâ tandem excommunicantur. Postremò Lambertus Episcopus Wormatienſis, Rupertus Palatinus Comes Rheni Bavariæ Dux, & Walramus Comes in Spanheim, ut vicini & partium amici rogati nihilominus à Moguntinis suas interposuêre vices, & pacem inter Archiepiscopum & cives reformârunt; concordiâ reformatâ, cives ab excommunicatione absolvuntur.

Inter Archiepiscopum & cives Moguntinos orta dissensio.

MCCCLXV.

Anno Wignandi Abb. vi. hyems fuit longa simul & asperrima in tantum, quòd Rhenus tribus mensibus fortiter congelatus se calcabilem præbuit hominibus & jumentis cum vecturis & curribus. Annus iste calamitatibus multis infelix & malè fortunatus extitit, quoniam ex frigore nimio periere multi, fame quoque plures, & peste non pauciores; magna enim penuria frumentorum genus oppressit humanum per Alsatiam maximè, & provincias, sive terras viciniores; cui malo principium dedit & causam, ut prius dictum est, exercitus ille latronum, qui ex societate Anglicana de Gallia veniens universam devastavit Alsatiam, & fruges contrivit.

Hyems asperrima, fames & pestilentia.

Anno etiam prænotato Albertus de Rickmerdorff in Saxonia factus est Episcopus Halberstattenſis in ordine Pontificum illius Ecclesiæ primus & vicesimus, ac præfuit annis xxiv. Erat autem vir tam in divinis scripturis, quàm sæcularibus litteris doctus, & multum eruditus, quippe qui multo

Albertus fit Episcopus Halberstattenſis vir eruditus & doctus.

multo tempore apud Parisios scripturis discendis impenderat studium, & in tantum profecerat, quòd insignia ibidem doctoratûs meruit accipere. Scripsit etiam nonnulla ingenij sui præclara synthemata, quibus nomen suum immortalitati commendavit. Ex quibus extant in sententias Petri Lombardi Commentariorum libb. IV. non spernendæ utilitatis. In Epistolas Canonicas libb. VII. In multos quoque libros Aristotelis lucubravit commentarios pulchros & non abijciendos. Cætera quæ composuit, ad nostræ lectionis notitiam non venerunt.

Lupoldus Dux Austriæ ducit uxorem.

Eodem anno Lupoldus Austriæ Dux ex Comitibus de Habspurg uxorem duxit Viridem nomine, filiam Barnabovis Mediolani Vicecomimitis; cum qua in dotem accepisse fertur centum millia florenorum Rhenensium. Quæ peperit ei 5. filios, quorum primogenitus fuit Ernestus, qui patri successit in Ducatu, & genuit Fridericum posteà Imperatorem Rom. tertium. Lupoldus autem uxore susceptâ vixit cum ea annis ferè XVII. & postea in bello à Hussitis occisus fuit, cum multis alijs, ut suo loco dicemus.

Imperator contra voluntatem Papæ bello prætulit pacem.

Anno præscripto Carolus Imperator IV. rogatus à Pontifice Rom. exercitum duxit in Italiam contra Vice-Comitem Mediolani, quorum molestatione & incursione Papa gravabatur. Veniens in Longobardiam Cæsar cum pace & honore ut verus Dominus à Barnabove Vice-Comite Mediolani fuit susceptus, cum quo de pace reformanda cum Pontifice Rom. multos & varios fertur habuisse tractatus. Urbanus autem Papa, qui vices injuriarum bello imperiali Vice-comitibus reddi penitùs optaret, graviter Cæsari indignatus est, cùm audisset illum pro concordia & pace cum hoste contulisse sermonem; maluerat enim Vice-Comites Mediolani omnino deleri, quàm ad pacem non duraturam recipere. Imperator verò, qui ut princeps Christianissimus semper bello prætulit pacem, habitis cum Barnabovis partibus necessarijs consilijs, à Mediolano Romam profectus est, cupiens cum Pontifice pacem reformare plenam atque perfectam. Verùm posteaquam intellexisset, mentem Pontificis non ad pacem Mediolani, sed magis ad subversionem fore inclinatam, cum indignatione ab urbe discessit, & salvo exercitu suo in Germaniam reversus fuit.

MCCCLXVI.

Anno Wignandi Abbatis VII. Inter Episcopum & Wormatienses cives magna fuit suborta dissensio propter institutionem & destitutionem Consulatûs, & quasdam jurisdictiones alias, quæ ad jus Episcopi pertinebant ab olim, civibus tamen reclamantibus, ideò maximè, quòd Wormatia civitas sit regni Germanici, & non Ecclesiæ; unde meritò juribus & privilegijs regni gaudere debeat, ut reliquæ civitates. Post longam contentionem tandem Rupertus Palatinus Comes Rheni & Bavariæ Dux vices suas interposuit, & dissidentes ad pacis concordiam revocavit.

Egeno Comes de Zeringen Friburgum capere nititur.

Eodem anno Egeno de Zeringen oppidum Friburg ordinatis traditoribus insidiosè capere conatus est, propterea, quòd sine consensu ejus ligam & confœderationem cum alijs Urbanis & civibus contraxerunt, contra ipsum, qui verus fuit eorum Dominus; nam ut longè superius diximus, memoratum oppidum Friburg per Duces de Zeringen, de quorum stirpe Comes iste descenderat, à fundamentis constructum extitit,

atque fundatum. Friburgenses autem de insidijs Comitis Egenonis in tempore avisati, auxilio sociorum Basileensium, Brisacensium, Neuburgensium & aliorum sibi confœderatorum, contraxerunt exercitum, & prævenientes Comitem omnes conatus illius destruxerunt; exeuntes námque turmatim ex oppido castrum ejus haud procul situm in monte capiunt, & igne submisso funditus evertunt: post Endingen oppidum, ipsius Comitis obsidione cingentes machinis & armis oppugnant, omnia in circuitu hostiliter invadentes. Comes verò contractis copijs armatorum obsessis in auxilium venire parabat. Quo audito Friburgenses obsidione solutâ contra eum ad pugnam properabant, habentes pugnatorum equitum trecentos, & peditum quinque millia.

Friburgenses victi ab Egenone Comite in bello ceciderunt.

Comissâ pugnâ Comes Egeno, qui habebat equitum lanceatorum quingentos, victoriam obtinuit, & exercitum Friburgensem fortiter dissipavit. Ceciderunt in bello ex parte Friburgensium occisi mille & quadringenti viri, plures in Rheno fuerunt submersi, nec minus trecenti captivi abducti, reliqui per fugam sibi consuluerunt. His temporibus magna & prius non visa, neque audita confœderatio seu liga inter cives urbium & oppidorum regni Germaniæ facta est contra raptores atque latrones, qui militiam simul & genus nobilitatis suæ pravis moribus deturpantes, mercatores & alios itinerantes spoliare, capere, & ad latibula prædonum abducere consueverunt, exigentes ab eis cum tortura pecuniam, quam non debebant. Horum multi post memoratam confœderationem à civibus regni fuerunt capti, capitibus truncati, alij extra provinciam Imperatoris sententiâ proscripti, plura etiam prædonum castella per cives regni his temporibus destructa fuerunt, Carolo Imperatore non solum consentiente, sed etiam præcipiente & ordinante. Displicuit hæc ipsa civium colligatio Principibus multis, qui multitudinem indomitæ plebis de facili causa in furorem posse converti scientes, sibi non immeritò metuebant; unde summis conatibus laborabant, ut dissolveretur quantocius, nesi vires tempore susciperet, insuperabilis redderetur: maximè tamen illis odiosa fuit, qui rapinis vivebant, quorum generi mores adversabantur, quippe cùm dicerentur nobiles, sed essent latrones. Duravit nihilominus hæc nefaria confœderatio civium, & prævaluit, quandiu Carolus Imperator IV. vixit in humanis: quo mortuo paulatim defecit. Non solum regni cives, sed alij, qui proprios habebant principes, contra voluntatem Dominorum suorum in societatem hujus confœderationis, & ligæ passim admittebantur, & propterea citius fuit dissipata.

Civium Regni magna confœderatio fit contra nobiles prædones.

Henricus de Dolendorff moritur.

Anno supra scripto, quarto iduum Februarij, Coloniæ moritur Henricus de Dolendorff Ordinis Fratrum B. Mariæ semper Virginis de monte Carmeli, Prior Provincialis per Germaniam inferiorem, egregius sacræ Theologiæ Doctor, de cujus lucubrationibus jam antehac fecimus mentionem. Post hunc in Priorem Provincialem electus est ejusdem Ordinis Thilmannus de Aquisgrani oppido regali, ex honesta familia oriundus, doctor & ipse divinarum scripturarum haud mediocriter eruditus, qui primò Parisijs, deinde Coloniæ legendo, docendo & scribendo nominis sui memoriam cum gloria transmisit ad posteros. Scripsit super sententias Petri Lombardi libros commentariorum quatuor non vilipendendos, quos in Gymnasio Parisiano publicè legit coram multis. In Evangelium quoque

Thilmañus Carmelita Doctor & Provincialis plura scripsit.

quoque secundum Matthæum commentariorum librum unum, quem in Conventu suo Colonienſi fratribus legit. Cætera quæ ſcripſit, in notitiam meam non venerunt.

MCCCLXVII.

Boemundus Archiepiſcopus moritur.

Anno Wignandi Abbatis VIII. in die S. Scholaſticæ Virginis obijt Boemundus de Saraponte quondam Archiepiſcopus Trevirorum, cujus cadaver in principali Eccleſia ut Archipræſulis ſepelitur. Cuno autem ex patre Comes in Falkenſtein, ac Dominus in Menzenberg, cujus mater filia fuit Comitis de Sarvverde, priuſquam Boemundus moreretur, ut ſupradictum eſt, Archiepiſcopus Trevirorum fuerat ordinatus, qui erat vir prudens & magnificus, Eccleſiæ Trevirorum rector non inutilis, utpote qui reditus auxit atque proventus, & multa de novo conſtruxit; inter multa enim, quæ pro bono Eccleſiæ memoratæ patravit, Boppardiam & Weſaliam oppida regni Cis-Rhenana cum medietate caſtelli Sternenberg, quæ Baldevvinus quondam Archiepiſcopus Trevirorum à Fratre Henrico Imperatore VII. in pignus expenſarum acceperat, iſte pro ſervitijs Carolo IV. multipliciter exhibitis in ſumma pecuniarum majori Eccleſiæ Trevirenſi fecit obnoxia, & arctiùs propterea ſunt impignorata.

Friburg oppidum in Briſgöw per Comitē Egenonem Auſtriæ Ducibus venditur.

Anno prænotato poſteaquam cives oppidi Friburgenſis in Briſgövv cum Egenone Domino ſuo Comite de Zâringen infeliciter pugnantes victi fuiſſent, & pacem petere ab eo compulſi, conſilio inter ſe habito, quia Dominatum ejus maximè habueruut exoſum, ipſum rogaverunt, quatenus pecuniâ ab eis competente acceptâ liberos dimitteret, & omni juri ſuo, quod eatenus habuiſſet ad Friburgum, penitus renuntiaret.

Comes autem inobedientiâ & rebellione eorum penſatis, ac maturâ deliberatione præhabitâ, Friburgum cum omnibus ad ipſum pertinentibus Lupoldo Auſtriæ Duci pro magna pecuniarum ſumma vendidit, & ſuo juri penitus renuntiavit. Et ex illo tempore oppidum Friburgenſe ad Auſtriæ Domum translatum eſt, manétque cum ea uſq; in præſentem diem.

Inter Comites de Wirtenberg & Eberſtein diſſenſio graviſſima oritur.

Eodem anno graves inter Comites de Wirtenberg & Eberſtein diſſenſiones exortæ multorum malorum cauſam mortalibus præſtiterunt. Unde inſidias ſibi mutuò prætendentes omnia dolis & fraudibus impleverunt. Contigit autem die quâdam, anno memorato, Eberhardum Comitem de Wirtenberg cum paucis eſſe in thermis, quas balneum nominant ferinum, vulgariter, das Wildbad / lavandi corporis gratiâ: quod ubi Comiti de Eberſtein innotuiſſet, contractis copijs familiarium per inſidias illum capere & abducere quærebat, ordinatis ad hoc inſidijs opportunis. Verùm patefactis inſidijs Comes Eberhardus conſilio bubulci cujuſdam per invia denſiſſimi nemoris abducitur, & incolumis ad ſua remeavit. Sic deluſa fraus Comitis de Eberſtein majoris diſſenſionis fomitem miniſtravit. Qui videns intentionem ſuam in nihilum redactam, omnes nobiles totius Sueviæ, quoſcunque potuit, in odium Comitis Eberhardi concitavit. Comes autem Eberhardus poſteaquàm fugâ elapſus in ſua redijt, nihil ſtudioſiùs, quàm vindictam ſumere de inſidiatore ſuo Comite memorato cogitavit. Inde contracto ſuorum exercitu non parvo, contra Comitem de Eberſtein bellum aſſumere decrevit. Nobiles autem penè omnes in Comitatu Wirtenbergenſi exiſtentes ipſum Comitem Dominum ſuum deſerentes, Comiti de Eberſtein, à quo fuerant

Comes de Eberstein exercitum producit contra Wirtenberg.

muneribus ac pollicitationibus antea multis solicitati, ne dicam seducti, tenacissimâ animositate adhæserunt. In unum igitur cum memorato Comite de Eberstein convenientes magnum adunaverunt exercitum, tres sibi Capitaneos constituentes, quos & Reges nominabant. Hinc metus & timor omnes, qui erant in parte Comitis de Wirtenberg, vehementer oppressit, maximè propter Nobilium defectionem, qui multas in dominio Comitis Eberhardi munitiones & castra possidebant, ex quibus gentem suam lædere haud modicum potuisset. Erant autem in exercitu Comitis de Eberstein Duces Equitum potiores atque potentes illi de Höffingen, apparatum belli fortissimum ducentes. Cúmq; in oppido Heimsheim essent congregati in pago Wiringoe dicto haud procul ab oppido Regali Wila, & in Comitem Eberhardum crastino exercitum ducere statuissent, tum Comes ipse consilio cautus, noctu contractis ex multitudine rusticorum Copijs, cum auxilio civium oppidi Regalis Eslingen, quod ejus sequebatur partes, primâ luce memoratum oppidum Heimsheim obsidione cinxit, & ne cui pateret egressus, diligenter observavit. Comes autem de Eberstein, Nobiles & viri pugnatores, qui intus erant omnes, cùm viderent se ab Eberhardo præventos, ejus mirabantur audaciam, & consilio inter se habito, rem aggredi fortiter omnes statuerunt, lapides & tela per murum in exercitum Wirtenbergensium continuè jacientes. Comes verò præcepit rusticis suis (quorum ingens multitudo aderat) ut ligna de proximo nemore multa comportarent, & muris oppidi per girum apponerent, immissisque naphtâ & pice succenderent. Quod obsessi de intus cernentes, pacem à Comite petunt, quâ certis sub conditionibus concessâ, ab impugnatione oppidi cessârunt, per unam portam inclusis exeuntibus. Cúmque de oppido per ordinem Nobiles exirent, captivi, & imprimis illi tres Capitanei exercitus, qui se nuncupaverant Reges, quidam rusticus de parte Comitis Eberhardi homo facetus cum alijs juxta portam dixit: *Ha quàm benè factum est, ecce tres veniunt Reges, si quartus adesset, integrum chartæ haberemus ludum.* Risêre hominis facetiam audientes. Inde movens exercitum Comes Eberhardus, munitionem illorum de Höffingen prope Leonberg obsidione vallavit, impugnavit fortiter, & cepit, funditúsque destruxit. Captis posthac multis tam de Nobilibus, quàm de vulgaribus suæ ditioni subjectis, qui ab eo ad Comitem de Eberstein in tempore belli defecerant, capitibúsque eorum truncatis, castella subvertit. Postremò tamen Nobiles in concordiam redeuntes cum Eberhardo Comite pacem inter se firmissimam statuerunt, juramento & litteris necessarijs roboratam.

Comes Eberhardus obsedit Heimsheim, & cepit.

Ad verbũ: *Hoc quoque bellum sub Wichardo III. Abbate Hirsaugiense Auctor prosequitur fol. 133.*

Hoc bellũ quare dicatur vulgariter: der Schlegel-Krieg.

Notandum verò, quòd præscriptum bellum inter Comitem de Wirtenberg Eberhardum, & Comitem de Eberstein habitum, apud Suevos nominatur in lingua nostra theutonica: der Schlegel-Krieg/ úsque in præsentem diem, propterea, ut reor, quòd Rustici sive Rurales, qui nec lanceis utebantur, nec gladijs, sed clavis & fustibus sive instrumentis ligneis, quæ apud Suevos Schlegel nuncupantur, victoriam contra Nobiles obtinuerunt. Est autem malleus de ligno duro factus baculum habens longum, & in capite ipsius mallei quatuor sunt clavi ferrei ab omni parte infixi, átque in summitate acuti, sicque ordinati, ut in qualibet parte vibrentur, vulnus infligant, ac ferrum penetrent. Et dicuntur: Schlegel à percu-

à percutiendo. Hæc olim, ut ipse puer vidi, Rusticorum fuêre defensoria, quæ in plerisque locis adhuc habentur.

Anno prænotato Engelbertus de Marca Colonienſium Archiepiſcopus ſenio gravatus, ac paralyſi diſſolutus, & multis debitorum oneribus implicatus, conſiderans ſe ad regimen tanti Principatûs nequaquam ſufficientem, de conſilio & aſſenſu Canonicorum ſuorum Cunonem Archiepiſcopum Trevirorum ſupradictum, in Adminiſtratorem Eccleſiæ Colonienſis aſſumpſit, quam aſſumptionem Urbanus Papa v. libens approbavit. Engelbertus autem pro ſuſtentatione vitæ portionem ſibi deputatam ſuſcipiens ad privatam ſe converſationem tranſtulit: ſed non diu ſupervixit; Cuno autem triennio Trevirenſem Eccleſiam ſimul & Colonienſem gubernavit.

Cuno Trevirenſis Archiepiſc. fit Colonienſis Adminiſtrator.

MCCCLXVIII.

Anno Wignandi Abbatis nono, mortuus eſt Eberbardus Illuſtris Comes ille Wirtenbergenſis, vir audax, fortis, & bellicoſus, qui multa prælia geſſit, & rarò victus, pluries autem victor glorioſus evaſit: cujus geſta memoratu quidem digniſſima, & malitia temporum, & ignavia nepotum perpetuâ oblivione ſepelivit. Tales hodie ſunt Principes multi, quales & illo tempore plures fuerunt: qui nihil minus quàm æternitatem nominis ſui, quæ maximè decet Principes, átque memoriam rerum à ſe geſtarum commendare litteris pro notitia poſteritatis cogitabant. Mortui ſunt, & perijt memoria eorum cum ſonitu campanarum: & quia Hiſtoriarum in vita neglexêre ſcriptores, meritò jam mortui à ſcriptoribus negliguntur & ipſi. Reliquit autem filios duos Comes Wirtenbergenſis Eberhardus, Udalricum videlicet, & ſui nominis Eberhardum, de quibus opportuno loco memoriâ dignum ſi quid occurrerit, dicemus. Eodem anno in quadrageſima Cometes aliquandiu apparuit.

Eberhardus Comes de Wirtenberg moritur hoc anno.

Anno prænotato vigeſimâ primâ die menſis Auguſti obijt Engelbertus de Marca Colonienſium Archiepiſcopus, & in Eccleſia ſua principali ſepelitur. Poſt cujus mortem Archiepiſcopatus vacavit annis fermè duobus. Canonici autem Eccleſiæ Colonienſis Cunonem Archiepiſcopum poſtulârunt: ſed Eccleſiam ſuam ille Trevirenſem antiquitate venerabilem deſerere noluit, & ideò factæ poſtulationi renuntiavit. Per biennium tamen juſſu Urbani Papæ v. Adminiſtrator Colonienſis Eccleſiæ ſicut prius fuerat inſtitutus, vivente Engelberto permanſit.

Engelbertus Archiepiſcopus Colonienſis obijt.

His temporibus Cuno memoratus Trevirorum Archiepiſcopus in finibus fermè Diœceſis ad littus Rheni uno ſub Confluentia milliari oppidum Engers nuncupatum conſtituit ex villa, muros & foſſata circumpoſuit, & arcem ſive caſtellum ex fundamento novum, quod hodie cernitur, in eo conſtuxit. Voluit autem, ut pro nominis ſui memoria ſempiterna oppidum illud prius Engers dictum, cùm eſſet villa, deinceps Cunenengers nominaretur, quod tamen fieri noſtris temporibus conſtat à paucis.

Memoratus quóque Trevirorum Archiepiſcopus Schönek caſtellum cum ſuis proventibus omnibus Eccleſiæ Trevirenſi pro ſumma pecuniarum non parva comparavit. Telonium etiam quod in Confluentia habuit, ad caſtrum, quod Capella nuncupatur, juxta Rheni littus in oppoſito Lanſtein oppidi Archiepiſcopi Moguntini, de conſenſu Imperatoris Caroli tranſtulit.

Anno

Capita SS. Apostolorum Petri & Pauli reperiuntur.

Anno etiam prænotato Capita SS. Apostolorum Petri & Pauli post longam inquisitionem jussu Urbani Papæ v. Romæ apud S. Joannem Lateranensem in loco, qui sancta sanctorum nuncupatur, inventa sunt. Quæ reperta idem Pontifex cum magna solemnitate de muro levavit, átque locellis argenteis decenter inclusa ad majus Altare S. Joannis collocavit.

Ordo S. Brigittæ confirmatur ab Urbano Papa v.

Per idem tempus Brigitta Sueciæ Principis relicta vidua novam intentionis suæ Religionem, in qua mulieres dominantur viris, excogitans Romam venit, Urbanum Papam v. accessit, ut novam Institutionis confirmaret Normulam rogavit. Pontifex nescio quibus persuasionibus inductus petitionibus devotæ Mulieris annuit, & Ordinem ejus auctoritate Apostolicâ confirmavit, ita videlicet, ut omnes eam Religionem ingressuri Regulam S. profiteantur Augustini, inventis aûtem Brigittæ utantur, ut constitutionibus ad manutenendam ipsam Religionem noviter inventis.

De Conceptione B. Mariæ Virginis Revelatio Divæ Birgittæ.

Interrogata hæc S. Mulier à quodam viro docto, quid esset de Conceptione Beatæ semper Virginis catholicè sentiendum: alijs dicentibus, eam more cæterorum nascentium in originali conceptam, alijs verò ab omni eam asserentibus macula semper fuisse præservatam, respondit: *Si Matri placuerit Misericordiæ, interrogabo eam super hac re in proxima visione: & quidquid mihi responderit, indicabo tibi.* Quâdam igitur vice in extasi posita, memórque propositæ ab amico quæstionis interrogavit Dominam, & tale responsum accepit: *Crede filia, quoniam rectè sentiunt omnes, qui me præservatam ab originali macula, & credunt, & confitentur: malè autem, qui contrarium sentiunt, præsertim cum temeritate. Gratiâ enim Dei Omnipotentis concepta sum pura, innocens, munda, & sine aliquo nævo peccati originalis: nec voluit Dominus Deus, quem paritura fueram, minoris me esse puritatis, quàm Eva mater extitit omnium; quæ sine macula cujuscúnque peccati creata fuit.* Hæc piarum sit mentium de Conceptione Dei Genitricis pura & sancta confessio; quoniam Dei Matrem quicúnque veraciter credit omni honore dignissimam, non dubitabit eam ab originali displicentia præservatam.

Nec pium devotúmque Intemeratæ Virginis Cultorem moveat in contrarium sensum, si dicatur, quòd sancta Monialis illa Catharina de Senis visionem Dei Parentis habuerit memoratæ adversam, in qua ipsa mundi Domina inferatur dixisse, conceptam se in originali peccato more cæterorum: cùm timentes Deum in veritate, vera videant & non falsa, suas autem ingestiones ex temeritate præferentes veritati, non immeritò decipiantur. Pertranseo, ne Theologiam videar immiscuisse historijs.

MCCCLXIX.

Urbanus Papa v. contra Cæsarem irascitur.

Anno Wignandi Abbatis decimo, Indictione Romanorum septimâ, post Festum Dominicæ Resurrectionis Carolus Imperator IV. denuo ad petitionem Urbani Papæ v. exercitum movit in Longobardiam contra Barnabovem Mediolani Vice-Comitem, non minus Imperio tunc, quàm Ecclesiæ inobedientem Catholicæ, atque rebellem. Ingressus autem Longobardiam in manu valida, omnia extra munitiones inventa demolitus est. Vastavit agros, villas incendit, rusticos tribulavit, & quia machinas ad belli apparatum necessarias non habuit, oppida, civitates, & urbes munitas intactas dimisit. Postea cùm invaluisset pestis, exercitum acceptâ pecuniâ

pecuniâ non parvâ jure Dominij Imperalis à Vice Comite, ſine belli conſummatione cum ſuis in Germaniam reverſus eſt.

Urbanus Papa V. contra Cæſarem iraſcitur,

Iterum Urbanus V. nimium contra Cæſarem irâ commotus, quòd denuo ſine belli conſuṁatione redijſſet in Germaniam, deliberavit illum ab Imperio deponere, perturbâſſétque ſine dubio Regnum fluminibus ſævis, niſi morte fuiſſet non præmeditatâ interceptus. Nimiâ enim contra Vice Comites Mediolani laborabat indignatione, propter contumeliam ab eis ſuſceptam, quam totis vindicare conatibus ſemper optavit. Nam adhuc in minoribus olim conſtitutus, jubente Innocentio Pontifice Romanorum VI. litteras quaſdam Apoſtolicas Vicecomitibus Orator & Nuntius non placentes attulit, quas edere conſciſſas ab eis violenter coactus fuit. Quæ litterarum comeſtio illi tantum diſplicuit, quòd ſe vindicare deniceps ſemper cogitavit. Sed illo mortuo ſucceſſor pacem cum eis reformavit.

Colonienſes ſubjiciuntur Interdicto biennali,

Anno prænotato Cives Colonienſes in tyrannidem converſi Privilegia & libertates Cleri pro libitu ſuo conabantur infringere, & immunem à ſervitio ſtatum Eccleſiaſticum temerè violare. Unde Cuno Adminiſtrator eos monita ſpernentes gladio anathematis percutiens excommunicavit, & Clerum ex urbe ſecedere præcepit. Biennio itaque in pertinacia Cives obſtinati cenſuris ſubjacuerunt Eccleſiaſticis, & Clerus decem & octo menſibus urbem deſerens in diverſis manſionibus Diœceſis hinc inde habitare compulſus fuit.

Eodem Anno Archiepiſcopus Trevirorum Cuno caſtellum Hatſtein receptaculum prædonum & ſpeluncam latronum obſidione cinxit fortiter, impugnavit & cepit, expulſíſque latronibus Eccleſiæ ſuæ Treverenſi obnoxium fecit, & jus in eo manendi, intrandi & exeundi perpetuum reſervavit.

Anno etiam præſcripto Godfridus Comes in Arnsburg acceptâ pecuniâ Comitatum ſuum, cum omnibus ad eum pertinentibus vendidit Eccleſiæ Colonienſi, & ejus Archiepiſcopo per Cunonem Adminiſtratorem in perpetuam poſſeſſionem.

MCCCLXX.

Gerlacus Archiepiſcopus Moguntinus obijt.

Anno Wignandi Abbatis undecimo, moritur Gerlacus de Naſſavve Archiepiſcopus Moguntinus anno Pontificatûs ſui quarto fermè átque viceſimo, & in principali Eccleſia S. Martini Moguntiæ ſepelitur, cum lapide nomen & diem obitûs ſui juxta ſepulchrum continente, muro infixo. Erat enim vir bonus, manſuetus atque pacificus, Amator Cleri, Promotor & Pater Monachorum Pientiſſimus, ſuſtentator pauperum, Defenſor egenorum. Poſt cujus obitum Canonici, ad quos de Jure ſpectabat Electio, Cunonem de Falckenſtein Archiepiſcopum Trevirorum, qui olim ſub Henrico de Virneburg Archiepiſcopo Adminiſtrator Eccleſiæ fuerat Moguntinæ, ut ſupra diximus, in Archiepiſcopum ſuum poſtulârunt. Sed Cuno Eccleſiam Trevirenſem, à qua primo fuerat exaltatus, deſerere noluit, & idcirco eorum poſtulationem non admiſit. Miranda unius viri, & non minus laudabilis, quàm perpetuò commemoranda prudentia, quem habere Pontificem tres Germanorum Eccleſiæ majores optaverunt.

Cunone autem recuſante poſtulationem acceptare oblatam, Canonici denuo ad Electionem venientes in unum, quendam Adolphum ex Co-

mitibus de Nassavve, Concanonicum suum in Archiepiscopum elegerunt, virum moribus & eruditione scripturarum satis idoneum, Filium Fratris Gerlaci defuncti Archiepiscopi. Contra quem Carolus Imperator questus, se potenter opposuit, & eum pervenire ad Archiepiscopatum illâ vice non permisit; auxilio námque & favore quorundam Canonicorum Joannem Fratris sui Wenceslai Ducis Luzenburgij átque Brabantiæ Filium in Archiepiscopum Moguntinum, repulso sicut dictum est Adolpho, promovit, qui confirmatus & ordinatus in fine hujus anni à Gregorio Papa Undecimo, qui Urbano quinto immediatè succesſit, uti dicemus, præfuit annis duobus, vir bonus & nulli molestus, quem vulgus Gallicum nuncupabat, propterea, quòd utrámque noverat linguam, & partem Galliæ Ducatus Luzenburgij tenebat.

Joannes Filius Ducis Luzenburgij fit Archiepiscopus Moguntinus

Anno prænotato Cuno Trevirorum Archiepiscopus, qui Colonienſem Eccleſiam Adminiſtratorio nomine gubernabat, multitudine laborum attædiatus, & cupiens cum ſua Eccleſia habere quietem, Canonicos Colonienſes rogavit, quatenus ſibi proprium Archiepiſcopum eligerent, de cujus probitate & ſapientia non dubitarent. Qui ejus conſilio acquieſcentes Fridericum ex Comitibus de Saravverda Concanonicum ſuum, qui Filius erat Avunculi Cunonis, in Archiepiſcopum unanimiter elegerunt, in Caſtello haud procul à Confluentia ſito juxta littus Rheni, quod Capella nuncupatur, juvenem quidem in annis, ſed moribus & prudentiâ ſpem de ſe præbentem bonam. Hic Romam profectus in propria perſona cum honore ab Urbano Papa quinto ſuſcipitur, ejus ab illo Electio confirmatur, & in præſentia Cardinalium ordinatus à Summo Pontifice Pallij decore inſignitur, anno videlicet prænotato tertiâ decimâ die menſis Novembris. Reverſus in Germaniam à ſuis cum reverentia ſuſceptus eſt, & præfuit Eccleſiæ Colonienſi memoratæ valde utiliter annis quadraginta quatuor, in honore magno & utilitate.

Fridericus de Saravverd fit Archiepiſc. Colonienſis.

Eodem Anno in Vigilia S. Bartholomæi, factum eſt bellum inter Wenceslaum Luzenburgij Brabantiæque Ducem, Fratrem Imperatoris Caroli, & Wilhelmum Ducem Juliaci haud procul à villa Bäſvviler, in quo ab utráque parte plusquàm octo millia hominum in ore gladij ceciderunt, & capti ſunt multi. Victoria tamen ceſſit Wilhelmo Duci memorato Juliacenſi, qui Wenceslaum Ducem cum alijs multis Comitibus, Baronibus, átque Nobilibus cepit, menſibus undecim tenuit captivum, ſed metu Imperatoris poſteà liberum dimiſit.

Bellum inter Ducem Luzenburgij & Juliaci agitur.

Anno etiam prænotato Carolus Imperator quartus ætate jam gravis, & propriæ quietis amator, cupiens Wenceslaum Filium ſuum, qui tum dominabatur Boëmis, Regem inſtituere Germaniæ, átque Succeſſorem Imperij Romanorum, cùm animos ſuper hoc Principum ſæpius pulſaret Electorum, ſine quorum conſenſu id fieri non potuit, & minus voluntarios inveniret, ut eos ſibi conſentaneos efficeret, unicuíque eorum centum millia florenorum ſe daturum promiſit. Conſenſerunt mox Principes tantâ pecuniarum numeroſitate placati, & convenientes in unum apud Frankenfurt Oppidum Regni, Wenceslaum Regem Boëmiæ Caroli memorati Cæſaris Filium in Regem Germanorum elegerunt. Quem ad Aquasgrani ducentes in ſedem Regni Germanici locaverunt, facientes omnia, quæ ſecundum antiquam Francorum orientalium conſuetudi-

Imperator cuiq; Principum centum millia florenorũ pollicetur, ut Wenceslaum filiũ eligat.

nem

nem circa Regum institutionem fieri solent. Qui coronatus octo cum Patre annis in Germania regnavit, & post Patrem ad Imperium, ut dicemus ascendit.

Wenceslao autem pollicitationibus ad Regnum promoto, cùm Pater pecuniam non haberet, quam promisit, & Principes ut pollicita solveret urgerent, metuens ille rem in dissidium verti, obligavit illis quàm plurima telonia, vectigalia, oppida, castra, proprietates & Jura Regni Germanici, quæ sic alienata permanent úsque in præsentem diem per annos jam centum quadraginta duos, in damnum Regni manifestum, & magnam desolationem. Verùm si quæratur, jure sit factum, an temerè, illi respondeant, qui Leges & Jura noverunt, quoniam ego me scriptorem facti exhibere debeo, non Judicem. In hac mercatione verò, quæ Principum quísque obtinuerit oppida, partim scio, partim nescio. Nam Oppenheim cum telonio, Luterum, Ingelheim, & Gaviodorum tali commutatione memoratâ in ditionem Comitis venêre Palatini. Juxta patrium Mosellæ rivum Kocheim Monasterium Megenfeld cum alijs nescio quibus, Trevirorum Archiepiscopus in possessionem pro consensu accepit, Andevvach Colonienſi, Lanstein Moguntinensi Archiepiscopis donantur à Regno.

MCCCLXXI.

Urbanus Papa quintus moritur.

Anno Wignandi Abbatis duodecimo, Indictione Romanorum nonâ, mortuus est Urbanus Papa quintus. Rebus námque in Italia utcúnque dispositis, Crucem in Turcas prædicari mandavit, deinde profectus in Galliam apud Massiliæ Cœnobium sancti Victoris, in quo Monachus olim fuit, & Abbas, ægrotare cæpit, & in Domino quievit.

Gregorius fit Papa undecimus.

Post hunc in unum convenientibus apud Avenionem Cardinalibus, in Romanorum Pontificem unanimiter fuit electus Petrus Belfortis, patriâ Lemovicensis, Diaconus sanctæ Mariæ novæ Cardinalis, vir bonus, doctus, & mansuetus, qui Gregorij nomen sumens undecimi, annis præfuit octo. Hic Nepos fuit ex Fratre Clementis Papæ sexti, Cardinalis ab eo creatus, cùm annorum vix esset ætatis, ut dicebatur, octodecim.

Dux Geldriæ propter Adulterium à proprio servo occiditur.

His quóque temporibus Eduardus Dux Geldriæ in quodam tumultu à proprio servo, cujus uxore contra legem abutebatur, sagittâ percussus occisus est. Nomen servus habuit: Hermannus Lers. Eduardo autem vitâ crudeliter sine liberis defuncto, utpote qui sponsam habuit, non uxorem, Filiam Ducis Bavariæ Alberti Hollandiæ Hannoniæque Comitis, de quo supra diximus, eductus est de custodia decennali ejus Frater Reinhardus, & in Ducem ab omni populo concorditer denuo assumptus. Qui cùm ex detentione longissima & corpore nimium esset pinguis, & aëris permixtione inconsuetus omnino videretur, citò defecit, & vix tribus supervivens mensibus obijt, in quo Genealogia Ducum Geldriæ primordialis defecit. Defuncto autem Reinhardo Wilhelmus Dux Juliacensis de Ducatu jam vacante Regno se nescio quo jure sanguinis intromisit.

Carolus Imperator cum Exercitu venit ad Aquasgranum.

Hoc ipso Anno Carolus Imperator quartus cum uxore sua Imperatrice, Episcopis undecim, Comitibus decem, Nobilibus ministris octoginta tribus, Equitibus mille ducentis, peditibus sex millibus descendit ad Aquasgrani contra Wilhelmum Ducem Juliaci, qui & fratrem ut supradictum est, Imperatoris adhuc detinebat captivum, & Geldriæ Ducatum

sine judicio Principum violenter occupabat. Cúmque in Palatio Regali apud Aquasgrani cum exercitu resideret Imperator, Wilhelmo Juliacensium Duci per edictum mandavit, ut si pacem amplecti mallet quàm bellum, veniret ad Judicium senatus, & quod esset justum acciperet. Dux autem videns se potentiæ Imperatoris non posse resistere, salvo itineris commeatu suscepto, venit ad Cæsarem, & de pace habuêre consilium. Post multos de pace tractatus, tandem Principes in eam sententiam convenerunt, quòd Juliacensis captivum Imperatoris Fratrem Ducem Luzenburgij átque Brabantiæ Wenceslaum absque ullo redemptionis pretio liberum dimitteret, & Geldriæ Ducatum à Regno in recompensam obtineret. Et sic Ducem captivum Wilhelmus dimisit liberum, quem prius pro centum millibus florenorum rhenensium dare libertati recusaverat. De alijs autem captivis maximè Comitibus átque Nobilibus multam extorsit pecuniam, de quorum redemptione dives & potens est factus in omnibus.

Dux Juliacensis Wilhelmus, Geldriæ Ducatum obtinet.

His temporibus Rudolphus Comes de Hochenberg ipsum Comitatum cum Rottenburg Oppido suo, ad ripam Neckari situm, Ducibus Austriæ vendidit, duplici motus indignatione, tum videlicet, quòd filiam non habebat, qui jure succederet: tum etiam, quòd maximam injuriam sibi à Conjuge propria illatam, & Filiam, tali venditione optabat vindicare. Nec minus illum movebat, quòd ex Patruo Nepotes Rudolphus & Henricus Comites item à Hohenberg Fratres Partem & jus suum antea contra voluntatem ejus temere alienaverant. Hâc etenim venditione factâ, stirps Comitum de Hohenberg cessavit, & cessavit Comitatus ille úsque in præsentem diem, quod in multis contigit similibus. Sic ars malâ deluditur arte, qui dum in odium unius duo sine causa sæviunt, rectè jus suum & nomen generis præclarum simul omnes amiserunt.

Rottenburg juxta Neckarum, Austriæ Ducibus venditur.

MCCCLXXII.

Udalricus Comes de Helffenstein dolosè occiditur.

Anno Wignandi Abbatis tertio decimo, Indictione Romanorum decimâ, Udalricus Comes de Helffenstein in Castro Nyberg, per insidias occisus est. Unde Cives Regni quidam nimium indignati, & volentes mortem ejus vindicare, in unum conveniunt, & expugnare prædictum Castellum Nyberg unanimiter contendunt. Quod ubi Eberhardus Comes de Wirtenberg intellexisset, misit contra illos suorum exercitum, & bello inopinatè commisso Cives Regni penè omnes corruerunt.

Eodem Anno Carolus Imperator IV. auxilio ipsius Eberhardi memorati Comitis de Wirtenberg Oppidum Ulmense propter inobedientiam & rebellionem Civium obsidione vallavit, & fortissimâ impugnatione fatigavit. Verùm quia Oppidum fossatis, muris & turribus optimè fuerat munitum, nihil profecerunt, sed reformatâ pace in sua redierunt.

Joannes Archiepisc. Moguntinus moritur.

Anno prænotato mortuus est Joannes ex Ducibus Luzenburgij átque Brabantiæ Archiepiscopus Moguntinus, in Castello Alta villa nuncupato, quod in descensu Rheni ad dexteram uno milliari distat à Moguntia; cujus corpus in Ecclesia sua Metropolitana Moguntiæ sepelitur. Multorum tunc fuit opinio, veneno illum interijsse; quòd verum sit an falsum, scire non possum. Quo vitâ defuncto, Canonicorum Congregatio in Archiepiscopum Moguntinum iterum elegit Adolphum ex Comitibus de Nassavve Concanonicum suum, Gerlaci quondam Archiepiscopi Nepotem, quem ante Joannem, ut supra diximus, elegerat. Qui non exspectatâ confirmatione

firmatione Romani Pontificis, omnia Castella, Oppida, & munitiones Ecclesiæ in possessionem accepit, suis tuenda commisit, & postea pro Confirmatione instituit. Gregorius autem Papa undecimus Ludovico Filio Marchionis Misnensis, qui tum erat Bambergensis Ecclesiæ Antistes, quâ nescio promissione obnoxius, summis eum conatibus promovere ad Archiepiscopatum Ecclesiæ Moguntinæ satagebat. Unde & multis occasionibus quæsitis Adolphi confirmare Electionem recusabat, judicantibus multis injuriam pati, non pœnam Adolphum. Annis octo duravit ista contentio inter Adolphum & Ludovicum, quibus Romæ continuè pro Archiepiscopatu Moguntino litigabant. Adolphus autem licet non confirmatus adjuvantibus illum amicis, Castella, munitiones, & Oppida Ecclesiæ Moguntinæ omnia, sicut diximus, in suam acceperat potestatem. Annis sub lite fermè octo exactis Ludovicus tandem igne interceptus perijt, & Adolphus per Pontificem Romanum confirmatus, & ordinatus fuit. Qui cùm esset vir ingenio mundanus & promptus consilio, multa in rebus temporalibus Ecclesiæ Moguntinæ providè acquisivit bona. Præfuit autem sedecim annis à tempore Electionis suæ usque ad mortem, quorum octo in contentione cum Ludovico, & reliquos octo in bona pace supervixit.

Contentio duorum electorum Adolphi & Ludovici.

His temporibus claruit Joannes Fust, Ordinis Fratrum B. Mariæ semper Virginis de Monte Carmelo, primum Lector Conventus in Crüzenach oppido Comitatus Spanheimensis, & postea Prior Argentinensis, vir in divinis scripturis eruditus, & declamator sermonum egregius: qui scripsit inter cætera ingenij sui monimenta super sententias Quæstionum libros quatuor. De Schismate lib. 1. Sermones quóque de Tempore, & sanctis libros duos. De Pace & Christiana Concordia lib. 1. Super Evangelium Joannis lib. 1. Et alia quæ non vidimus.

Joannes Fustinus Carmelita vir doctus plura scripsit.

Gerardus Gros, sive Magnus, patriâ Daventrienſis eorum Religionis Pater, quos de communi vita nuncupant, his etiam temporibus varia scribendo nominis sui memoriam posteris commendavit. De cujus lucubrationibus ista comperimus: De Contractibus & usuris lib. 1. De Institutione Novitiorum lib. 1. De Locatione Curæ Pastoralis sive Animarum lib. 1. De Conversatione interna lib. 1. De Incommoditatibus Matrimonij lib. 1. De Regimine Monialium átque Sororum lib. 1. Sermones quóque varios & Epistolas edidit ad diversos. Hujus est de Monialibus illa vulgata sententia:

Gerardus cognomento Gros, plura composuit.

Gratia nulla perit quàm gratia sola Sororum:
Sic fuit: est, & erit Undanck *in fine laborum.*

Alia quæ scripsit, notitiam nostram fugiunt.

Conradus etiam de Alzeia oppido Comitis Palatini, quod tribus ferè Wormatiâ, & totidem à Creüzenach distat milliaribus oriundus, vir in omni Scriptura doctissimus, & suo tempore facundiâ & eloquentiâ nulli secundus; de quo diximus Anno Wichardi secundi Abbatis sexto, hâc tempestate apud Rupertum Comitem Palatinum Rheni Bavariæque Ducem Cancellarius, magno in pretio fuit. Scripsit in laudem Beatæ Mariæ semper Virginis, Carmine & Rythmis Opusculum non spernendæ lectionis, quod librum Figurarum prænotavit. De Præeminentia quóque Romani Imperij lib. 1. Epistolarum ad diversos lib. 1. Et alia quæ non vidi.

Conradus de Alzeia Palatinus Cancellarius dictus.

MCCCLXXIII.

Papa monuit Cæsarem ad recuperationem Jerusalem.

Anno Wignandi Abbatis quarto decimo, Gregorius Papa XI. qui Terram sanctam ad manus Christianorum revocare summo desiderio affectabat, Carolum Imperatorem IV. multiplicatis litteris ac nuntijs admonebat, quatenus pro Dei amore congregaret quàm magnum posset exercitum contra Saracenos in Asiam, qui sanctam Civitatem Jerusalem & sepulchrum Dominicum occuparunt. Nimis autem importunè Papa instante, postremò Imperator ei rescripsit: *Exercitum quidem & magnum & validum adunare possumus: sed mare transire, & Saracenos debellare non satis cautum judicamus, propterea, quòd & Sanguis Christianorum multus effundendus foret, & Terram sanctam etiamsi obtinere possent, diu tamen retinere non possent. Unde hanc Romani Pontificis intentionem etsi piam in Christo, magis tamen periculosam Christianis, quàm utilem fore minimè dubitamus.*

Imperator taxam pecuniarum magnam imposuit Civitatibus.

Anno etiam præscripto Carolus Imperator IV. magnam pecuniarum summam à Civibus Regni postulando exegit. Cujus quidem exactionis Principem & pecuniæ collectorem constituit per Sueviam Eberhardum Comitem Wirtenbergensem; qui cùm pecuniam singulis urbibus nomine Cæsaris impositam jussus potenter exigeret, omnes unanimiter contradixerunt. Iratus igitur Comes magnum suorum congregavit exercitum, & discurrens per regionem de oppido ad oppidum, Cives Regni multis contumelijs & injurijs affecit. Postremò tamen concordiâ factâ Ulmenses quinquaginta duo millia florenorum, Eslingenses quindecim millia, Rotvvilani decem millia, Rüttlingen quindecim millia, Lindavv sex millia. Constantia quadraginta millia florenorum Cæsari solverunt. Hæc pecuniarum summa pro majori parte Comitibus cessit de Wirtenberg, in refusionem expensarum, quas ratione Advocatiæ Regni, per Sueviam, ut supra diximus, habuerunt, quarum summam quottannis ad xxx. millia taxârunt. His quóque temporibus Comites de Wirtenberg Advocatiam Monasterij Mülbronnensis Ordinis S. Bernardi Spirensis Diœcesis, quam eatenus tenuerant, jussu Imperatoris resignare coacti sunt. Quam Rupertus Comes Palatinus Rheni, Bavariæque Dux obtinuit, & post eum Hæredes ejus per annos fermè centum átque triginta: quibus exolutis anno videlicet Christi millesimo quingentesimo tertio, Udalricus Dux Wirtenbergensium tertius, eandem gladio suo recuperavit.

Albertus Wirzburgensium Episcopus moritur, Gerhardo de Schwarzenburg succedente.

Eodem anno moritur Albertus ex Comitibus de Hohenloe Herbipolensium Episcopus, & in Cathedrali Ecclesia debito cum honore sepelitur. Post cujus obitum Canonici de Capitulo unanimiter elegerunt Albertum de Hessperg Concanonicum suum, virum prudentiâ & honestate præcipuum, & tam Civium favore, quàm Cleri æstimatione tali honore per omnia dignum. Contra quem Carolus Imperator quartus Gerhardum ex Comitibus de Schvvarzenburg apud Sedem Apostolicam comendavit, & summis conatibus ad Ecclesiam memoratam promovit. Papa igitur ad instantiam Imperatoris Electionem Alberti cassavit, & Gerhardum Episcopum confirmavit: qui præfuit annis octo & viginti, in tribulationibus multis, & adversitatibus continuis; toto námque tempore sui regiminis cum civibus suis contentiones habuit, sed postremò tamen contra eos gloriosè triumphavit.

Anno

Anno prænotato Bavariæ Duces Marchionatum Brandenburgensem Carolo Imperatori, & per eum Regno Boëmiæ pro ducentis florenorum millibus vendidernnt; quorum centum millia in promptu fuerunt soluta. Pro reliquis verò centum millibus Imperator Bavaris Principibus quædam in Bavaria oppida, Castella & Dominia sub Titulo Redemptionis assignavit: videlicet Lauff, Harsspurck, Reichenfeld, Sulzbach, Rosenberg, & Hirssau. Reliqua verò Castella, quæ Regi Boëmiæ in Bavaria fuerant vendita, per Rupertum ex Comitibus Palatinis, postea per Regem Germaniæ redempta fuerunt, & Bavariæ Ducibus restituta. Quando autem & quomodo Marchionatus Brandenburgensis post mortem Godelmari Marchionis sine liberis, ad manus Ducum Bavariæ pervenerit, supra diximus Anno Sigismundi secundo.

Marchia Brandenburgensis venditur Regno Boëmiæ.

MCCCLXXIV.

Anno Wignandi Abbatis quinto decimo, Indictione Romanorum duodecimâ, in Mense Februario, maxima subitò irrupit inundatio aquarum, quæ juxta Rhenum & Moganum commorantibus maxima intulit damna; homines enim multos simul & jumenta nocte superveniens inopinatè submersit: domos & ædificia plura subvertit; villas, hortos, vineta, sepes & vias destruxit. Rhenus tantâ inundatione aquarum excrevit, quòd muros Civitatis Colonienses sibi oppositos transcendens prostravit. Oppidum Bingionum aquis tam Nahi fluminis, quàm Rheni pro majore parte fuit repletum; & omnes portæ versus memorata flumina clausæ manserunt, aquis Oppidi muris eminentibus: quod & in cæteris urbibus Rheni similiter contigit.

Aquarum inundatio maxima fuit.

Hoc ipso Anno quædam passio, quam chorizationem S. Joannis nuncupant, hominum genus miserabiliter afflixit, átque à Brabantia incipiens, átque per omnes Europæ Regiones paulatim serpens annis pluribus duravit. Mirabile & miserabile spectaculum! quoscúnque invasisset pestis illa, viros & mulieres, juvenes & virgines, insanire fecit, qui primum in terram cadebant ore spumantes, post paulum verò surgentes úsque ad defectionem chorizando saltabant, nisi violenter tenti fuissent, aut funibus constricti. Et multos quidem in furorem actos de cognatione sua & patria exules fecit & prodigos. Multæ denique sub prætextu memoratæ passionis fraudes & deceptiones fiebant, dum alij ut pecunias otiosè mendicando perciperent, alij ut liberius voluptati carnis iudulgere possent, se fingerent insanos.

Passio nova quæ Chorizatio S. Joannis dicitur, homines afflixit.

Anno item prænotato fuit homo quidam nomine Hipschmann equestris, qui cùm Civium Oppidi Friburgensis in Brisgavia inimicus esset & hostis, multa eis intulit damna. Hunc militares quidam de Ehingen in castro suo manutenentes, hospitio receperant in odium Freiburgensium, promittentes ei introitum liberum cum rapinis quoties venisset, simul & exitum. Unde Freiburgenses datâ pecuniâ Nobilibus de Ehingen pacem & concordiam cum eis inierunt, sub ea videlicet conditione: ut memoratum Hipschmann hostem aut vivum aut mortuum eorum traderent potestati. Quâdam igitur nocte ministeriales illi de Ehingen hominem ipsum nihil tale metuentem clam occidentes, cadaver Freiburgensibus tradiderunt.

Nobiles de Ehingen hominem pro pecunia occiderunt.

Qui mortuum accipientes cum magno gaudio, non satis putaverunt esse se vindicatos, quòd illum insidiosè fecissent occidi, nisi etiam publicum

de

de illo sumpsissent judicio cessante supplicium. Corpore itáque noctu accepto, sequente illud die ante portas oppidi super rotam poni publicè fecerunt. Occisus autem erat perfidiâ Castrensium de Ehingen, noctu sicut diximus circa villam, quæ Dusslingen vocatur, ubi Cadauer Adversarij acceperunt.

Traditores proscribuntur de Regno & Castrum destruitur.

Iniquitatis factum brevi quidem innotuit multis, & tandem ad Cæsaris notitiam pervenit, quomodo illi de Ehingen dicti Nobiles hominem in fidem suam receptum subdolè, fraudulenter, & impiè pro pecunia Freiburgensibus contra fidem occisum tradidissent. Qui justè commotus Rudolpho Comiti de Hohenberg in Rottenburgo juxta Neccarum Austriæ Ducibus ut diximus antea vendito, sed ad dies vitæ commoranti, mandavit, quatenus vindictam sumeret de homicidis illis. Comes itáque contractis militibus Castrum illorum obsedit, cepit ac funditus destruxit, & eos de terra & cognatione sua perpetuò fugere, & exulare fecit, & occisum vindicavit.

Anno etiam præscripto XIX. die Mensis Septembr. moritur Philippus Abbas Monasterij Spanheimensis in ordine Abbatum XV. anno regiminis sui XXIV. & uno mense cum diebus XII. completis ante Analogium in medio Chori sepultus. Huic in Abbatia XVI. successit Graffto ejus nominis secundus.

Graffto secundus ejus nominis fit Abbas in Spanheim.

Eodem quóque anno iterum venit Alsatiam crudelis & centum millium Pugnatorum Exercitus de Britannia, Normania, Anglia, & alijs nationibus in unum collectus per Comitem sive Dominum de Kussino, qui animos contra Duces Austriæ, & quosdam alios gerebat hostiles. Causam tantæ commotionis istam fuisse commemorant scriptores rerum transacti temporis: Mater Comitis præfati de Kussin filia fuit Domus Austriæ, cui Pater pro Dotalitia assignaverat Dominium illud totum, quod Ergaw teutonicè nominatur, aut summam pro eo notabilem pecuniarum, ne vacua ad Nuptias data videretur. Verùm cùm Austriæ Duces nihil promissorum servarent, & néque Dominium Ergoviæ, néque pecuniam pro eo pollicitam solvere consentirent, licet sæpius à Marito Filiæ interpellati fuissent: res cum indignatione per annos plures in suspenso mansit, usque ad mortem Filiæ simul & generi Comitis senioris.

Comes de Cussin dotem Matris petit ab Austriæ Ducibus.

Patre autem simul & Matre vitâ defunctis Comes de Cussin Junior eorum Filius à Ducibus Austriæ postulavit Matri dudum promissa: quibus negatis, in hostem illorum conversus est, & Legatione missâ in Galliam, Angliam, Britanniam & alias Nationes ebullire fecit ex eis maximam Pugnatorum multitudinem, quanta prius in Alsatia non fuit audita vel visa. Nam ut illo tempore dicebatur, Equitum fuerunt XVIII. millia, peditum verò plus quam LXXX. millia, præter inutilium hominum perditorum, latronum, raptorum & nebulonum catervam haud parvam, quos inopia & egestas castra sequi compellebat.

Exercitus centum millium peregrinus occupat Alsatiam.

Venientes igitur in Alsatiam à Festo S. Michaëlis usque ad solemnia S. Præsulis Martini, omnia in circuitu vastantes penitúsque consumentes ibidem permanserunt. Oppida & Castella plurima ceperunt, quæ omnia igne submisso funditus destruxerunt, una cum Ecclesijs, Monasterijs, & locis Deo consecratis. Nulli pepercerunt homini, nulli sexui, nulli ætati, sed omnes quotquot cepissent, qui sese pecuniâ redimere nequivissent, inauditis

inauditis torquentes supplicijs, crudelissimè occidebant: mulieres & virgines, Monialésque & Deo nuptas inauditâ temeritate libidinis stuprantes crudeliter vexabant, aut captivas abducebant.

Post Festum S. Martini castra moventes per Alsatiam ad Bernam versus iter fecerunt, qui cùm juxta Brisacum transirent, portis oppidi clausis Lupoldus Dux Austriæ, Eberhardus Comes de Wirtenberg, qui cum multis Comitibus & Nobilibus erant in ipso oppido, grandem satis exercitum habentes, visâ de muris tantâ hominum multitudine egredi non audebant in occursum, sed permittere transitum cogebantur. Lupoldus autem Dux Austriæ vir prudens & bellicosus, cùm tantæ multitudinis audivisset adventum, omnes Ergaviæ villanos cum rebus suis ad loca munita (villis & vicis igne succensis) confugere præcepit, providè considerans, hostes non diu in regione posse consistere, in qua rerum comestibilium nihil aut parum possent invenire.

Lupoldus Austriæ Dux omnes villas & vicos comburi fecit.

Hujus exemplo facti homines ruricolæ incensis villulis & vicis per totam Alsatiam Helvetiámque, ad Civitates & oppida præmunita cum rebus suis oportunè successerunt; ad Argentinam videlicet, Basileam, Colmariam, Schlettstatt, Bernam, & alia quæque viciniora loca munita. Omnes autem tempestivè fugere negligentes, qui ab hostibus fuissent inventi, aut pecuniâ se redimere coacti sunt, aut crudeliter perierunt; tantus námque timor invaserat omnes, Alsatiæ & Helvetiæ Principes simul & populos, ut urbibus inclusi, egredi nemo eorum præsumeret. Hostes itaque in multitudine maxima per Alsatiam nemine resistente venerunt ad Basileam, & inde ad eum locum, quem Teuthonicè den Honw in Helvetij nuncupant. Ibi facilius ne progrederentur fuissent cohibiti, si Comites de Nidovve & Kyburg incolis terræ dictæ Ergovve benè voluissent. Adhæserant enim Comiti memorato de Cussin, contra Duces Austriæ, & omnem populum terræ Helvetiorum, ideóque introitum hostibus in Dominium eorum libenter permiserunt.

Comites de Nydovve & Kyburg admittunt hostes.

Venientes autem Ergoviæ in terram hostes supra dicti, omnia pro viribus devastaverunt, & in nihilum redegerunt: circa fluvium Ararim nonnulla per insidias Castella capientes funditus destruxerunt, & venientes tandem úsque ad Bernam oppidum tunc Austriæ Ducum, omnem regionem desolârunt. Bernenses autem multitudine hostium perterriti portas egredi non audebant. Hostes in unum coadunati munitionem quandam, quæ Buren theutonicè nuncupatur, obsidione circumdantes, fortiter impugnârunt. Ibi Comes de Nidovve sagittâ percussus interijt, mercedem suæ recipiens infidelitatis, quia cùm posset repellere hostes, ne terras ingrederentur illas, resistere noluit, ut jam priùs diximus.

Hostes igitur diffusi per omnem regionem circa flumen Ararim in diversis locis castra posuerunt, videl. in Altruvv, Iriduvv, Arvvangen & circum vicinis, omnia depopulantes. Hinc quidam viri animis & viribus robusti ex Lucerna oppido ex Entlibuch/ ex Underwalden & alijs locis diversis in unum convenientes aggressi sunt hostes seorsim in extremitate phalangis otiantes, qui nihil tale suspicabantur, & ducentos ex eis inopinatè occiderunt, & salvi ad sua reversi sunt. Nihilominus hostes fortiter agentes quasdam munitiones, Waldenburg videl. Klusee, Altruvv, Willisovv & omnem regionem penè capientes, funditus destruxerunt, mul-

Hostium ducenti à Juventute Bernensi occidunt.

tis crudeliter occisis hominibus. Post hæc in unum denuo convenientes Incolæ Regionis, rustici videl. cum civibus & oppidanis terræ memoratæ similiter ex Comitatibus Louppen, Arberg, Nydovve, cum Bernensibus, fecerunt Exercitum, & progressi versus Ins, in die Nativitatis Domini super hostes noctu repentè irruerunt magnis vocibus clamantes: *Hic Berona, hic Berona.* Qui nimio pavore clamantium exterriti, quò diverterent, minimè cogitabant. Ibi ex hostibus 300. cecidisse memorantur. Victores autem cum spolijs, armis & equis hostium multis, sine detrimento suorum reversi sunt.

Hostium multi Cœnobium Frawenbrunn occupant.

Anno prænotato in die S. Stephani (sed nota, quòd nos annum à prima die mensis Januarij incipimus, & non à Nativitate Domini) nunciatum est Bernensibus, quòd hostium non modicæ multitudines sedes accepissent in Monasterio, quod Fons Mariæ nuncupatur, theutonicè autem Fravvenbrunn, & Cœnobio uterentur pro Castris; consilio igitur habito alijs placuit exspectare socios, ut numero vires darentur majores; alij verò qui animis fuerant concitati, neminem decernunt exspectandum, ne forsitan hostes intereà novi quid molirentur, aut fugerent. Prævaluit eorum sententia, quibus animi ad bellum fuêre parati, & contractis in unum copijs Bernam oppidum circa noctis initium apparatu bellico exeuntes, in medio noctis ad Monasterium memoratum sub silentio, in magno frigore pervenerunt.

Bernenses Monasterium intrant, & bellum committunt.

Mane igitur circa horam quintam, cùm adhuc tenebræ essent, Bernenses cum magno & valido clamore ingrediuntur Monasterium, ferro simul & ignibus armati. Ad quorum clamorem Ivo Princeps de Alcaibus, qui habitationem suam in ambitu Monasterij locaverat, cum multis alijs Comitibus átque Nobilibus excitatus velociter arma corripuit, & viriliter pugnavit. In ambitu Claustri bellum atrox committitur, gladius contra gladium extenditur, & pugio contra pugionem vibratur. Tandem Bernenses igne submisso illos, qui latebant in Monasterio, necaverunt incendio, & quos in ambitu invenerunt, gladio peremerunt. Ceciderunt in eo conflictu ex parte hostium plus quàm octingenti viri, Comites, Barones, milites, Nobiles & Ignobiles, qui vel incendio, vel Bernensium gladio perierunt. Strage peractâ Bernenses cum præda redierunt in sua, metuentes, quòd reliqui hostium in circuitu Regionis diffusi supervenire potuissent cum multitudine, vindicaturi necem sociorum, posteaquam gestæ rei nuntium percepissent, sicuti factum fuisset, si mansissent.

In ambitu Cœnobij bellum committitur, Hostes superantur.

Comes autem de Cussin cum magno Exercitu jacebat in Monasterio S. Urbani, & erat diffusa multitudo Exercitus hostilis in Langenthal, & in omnibus finibus ejus. Cùm audissent Anglicani sociorum apud Fravvenbrunn, lamentabilem interitum, irâ simul & timore commoti sunt, & Nuncijs missis ad socios, omnes in unum convenerunt, habitóque communi consilio discedere à finibus illis, & in sua redire statuerunt. Per Sabaudiam igitur & Burgundiam dilapsi multa mala fecerunt Incolis terrarum ubíque, & anno tandem sequente discedentes ad nihilum sunt redacti, quoniam plus quàm sexaginta eorum millia successivè fuerunt occisa.

Inter Archiepiscopum & Cives Colonienses magna dissensio.

MCCCLXXV.

Anno Wignandi Abbatis decimosexto, Indictione Romanorum XIII. magna dissensio inter Fridericum Archiepiscopum, & Cives Colonienses fuit

fuit exorta, quæ & diu cum utriúsque partis incommodo duravit, & raptoribus malefaciendi magnam occasionem dedit. Multi Principes cum Friderico Archiepiscopo sentientes, ubi Colonienses extra Civitatem nihil habentes lædere non poterant, eis confœderatos & amicos rapinis, incendijs & multis incommodis sæpius afficiebant. Nusquam Civibus tutus patebat egressus, Adversarijs omnes exitus viarum per terram simul & Rhenum ex omni parte die noctúque observantibus.

Pons apud Thuregum subitò cecidit.

Eodem anno in quarta Feria Pentecostes, Civibus cum Clero oppidi Thuricensis apud Helvetios cum Reliquijs Sanctorum Processionem per oppidum agentibus, cecidit pons, & homines octo confestim oppressit in mortem, præter multos alios, quos graviter quassando læsit, & enormiter vulneravit.

Latronum Anglicanæ societatis facta ab invicem discessio.

Anno prænotato societas Anglicana, de qua præterito anno plura diximus, quæ pro Comite de Cussin Alsatiam simul & Helvetiam contra Ducem Austriæ per menses fermè tres miserabiliter devastaverat, postea quam socijs in diversis locis pluribus amissis paulatim cepisset deficere, & villis penè omnibus incensis atque destructis, unde viveret non haberet, ex memoratis Regionibus subitò discessit, incommodis patriæ sine numero illatis. Magnus fuit iste, & plurium quàm centum millium pugnatorum Exercitus, præter alios penè infinitos nebulones, qui multitudinem inermes sequebantur. Et primò quidem Helvetiam deferentes Burgundiam intraverunt, ac deinde Galliam, ubíque crudelitatis suæ facta relinquentes. Per decennium námque Burgundiam Galliam, & circumjacentia loca pervagantes, villas, & vicos penè omnes incendio consumpserunt, & spoliantes homines vitâ simul & bonis, multa mortalium millia crudeliter occiderunt, Deo Burgundionibus reddente vindictam, qui Latrones illos de Britannia venientes transire permiserunt.

Joannes Livensis Mosellanus plura scripsit.

Claruit his temporibus apud Treviros Joannes de Livania, patria Mosellanus, ex villa haud procul à Tritemio, quæ Liven theutonicè nuncupatur, Canonicus Ecclesiæ S. Simeonis, vir in scripturis tam divinis quàm sæcularibus eruditionis magnæ, Rhetor suo tempore facundus, Poëta & Astronomus nulli suâ tempestate secundus, ingenio promptus & disertus eloquio, qui scripsit inter alia contra somniatas Prophetias Joannis de Rupescissa, Ord. Minorum libros 5. metro simul & prosâ; contra vanitatem quóque Alchimistarum libros tres, pulchrâ venustate decoratos; contra indoctos Astronomos libb. 2. Pro defensione Facultatis Astronomicæ. libb. 4. Introductorium Astromoniæ pro eam discere volentibus lib. unum. De Nativitatibus quóque judicandis lib. 1. Cætera quæ composuit, ad notitiam lectionis nostræ non venerunt.

Petrus Mosellanus Ord. Minorum multa composuit.

Petrus quóque de Novimagio villa Mosellana Trevirensis Diœcesis, quæ tribus fermè à Treveri Civitate in descensu Mosellæ fluminis ad dextram distat milliaribus, Ord. FF. Beatissimæ Mariæ semper Virginis de Monte Carmeli Conventûs Trevirensis, vir in divinis scripturis doctissimus, qui multo tempore Coloniæ legendo, scribendo, & docendo suis utiliter præfuit, his temporibus apud Mosellanos meos magno in pretio fuit. Scripsit super librôs sent. libb. 4. In Epistolas Pauli ad Roman. lib. 1. De Censibus & Decimis Laicorum lib. 1. De Contractibus & usuris libb. 2.

Sermones multos de Tempore, & sanctis. Alia insuper plura lucubrâsse dicitur, quæ ad notitiam meam non venerunt.

MCCCLXXVI.

Eckardus de Ders, fit Wormatiensium Episcopus.

Anno Wignandi Abbatis XVIII. mortuus est Joannes Episcopus Wormatiensis Ord. FF. sancti Dominici, apud Confluentias in suo Conventu, ubi Ordinem primò intraverat, cum honore sepultus. Postquam Eckardus de Ders Majoris Ecclesiæ Canonicus in Episcopatum sublimatus præfuit annis XXIX. Vir in omni varietate scripturarum non minus doctus, quàm sine intermissione studiosus, vitâ & conversatione Christo devotus; quippe qui cœlestis Regni amore temporalia suis commisit Vicarijs, spiritualia verò per semetipsum, ut verus Pastor Ovium studiosissimè dispensavit. Unde contra morem plurium Episcoporum sui temporis, ut omnis macula simoniacæ pravitatis vitaretur, Ordines & Consecrationes per se omnes in propria persona gratis & purè propter Deum celebrare consuevit. Extra Templum rarò videbatur in publico, sed quantum causæ permittebant Ecclesiæ, in suo residebat Palatio apud Laudenburgum Oppidum, orationibus & lectionibus semper intendens scripturarum.

Tuitiense oppidum à Colonienſibus deſtruitur.

Eodem anno Cives Oppidi Tuitiensis cum Friderico Archiepiscopo sentientes Colonienſium se hostes declaraverunt. Unde Cives Colonienses animis commoti, die quodam Rheno transmisso in multitudine armatorum Tuitium incendunt, & pariter Monasterium S. Hereberti, quod nostri est Ordinis, funditus destruxerunt, muris & fossatis in circuitu omnibus dejectis: Ecclesiam tamen Parochialem illâ vice intactam reliquerunt. Archiepiscopus ergo Fridericus Amicorum calamitate permotus, & magno suorum adunato exercitu, nec minus militari manu stipendio conductâ, Civitatem Colonienſem XXVII. die mensis Julij anno præscripto expugnaturus obsedit. Verùm posteaquam videret eam viribus esse suis inexpugnabilem, solutâ post dies paucos obsidione ad Bunnam oppidum reversus est. Deinde circa Festum S. Laurentij Martyris, Colonienses denuo armati urbem egressi, Rhenóque iterum transmisso Monasterium Tuitiense una cum Ecclesia Parochiali submisso igne incenderunt, ac funditus destruxerunt, metuentes, quòd Archiepiscopus sua in eis præsidia collocaret ad expugnandam Civitatem. Nihil penitus integrum reliquerunt, sed omnia funditus demoliti sunt, quam vis non sine magnis impensis Monasterium postea reædificare coacti fuerint. Abbas cum Monachis in partem Archiepiscopi consentientes cum rebus suis ad loca se tutiora tempestivè contulerant, urbanorum innatam sævitiam metuentes. Hàc temeritate Colonienſium, multi Principes Regni commoti, & ad indignationem provocati, Dei & Sanctorum ejus iujuriam vindicare unanimiter statuentes arma in eos movere decreverunt. Inter quos isti fuerunt potiores: Carolus Imperator IV. Cuno Archiepiscopus Trevirorum, item Padelbornensis, Albertus Dux Austriæ, Wenceslaus Dux Luzenburgi, & Brabantiæ, Comes de Zegenheim, Comes de Regali oppido Aquensi cum octingentis ferme Comitibus, Baronibus, Nobilibúsque, & alijs multis, quorum nomina consultò transimus. Et nihilominus in vindictam commissæ temeritatis Fridericus memoratus Archiepiscopus Civitatem Ecclesiastico suppositi Interdicto: ipsósque incendiarios Monasterij Tuitiensis

Multi Principes adversus Colonienſes conspirant.

tiensis omnes Anathematis vinculo innodavit. Per annos igitur octo continuos Colonienses Interdicto & Excommunicatione puniti sunt.

Gregorius Papa XI. Romam ab Avenione revertitur.

Anno etiam prænotato Gregorius Papa XI. Curiam suam Pontificalem Avinione Romam tali occasione revocare maturavit. Erat cum eo in Avinione quidam Episcopus, diutius forsitan absens ab Ecclesia sua, Curiam secutus, nescio quam ob causam, ad quem Papa die quâdam inter alia quasi jocando dixit: *Domine Episcope, quare vos tam diu ab Ecclesia vestra subtrahitis, Oves sine Pastore periculo exponentes?* Cui ille respondit: *Beatissime Pater, cur sanctitas vestra, quæ cunctis Pastoribus cùm sit prælata, teneatúrque nobis omnibus dare solicitudinis exemplum, Ecclesiam suam tanto tempore deserit Romanam?* In cujus responsione Papa confusus obticuit, & Romam transferre curiam sollicitus cogitavit. A tempore námque Clementis Papæ V. ut supra diximus, per annos ferme 70. Sedes Apostolica in Avenione translata permansit. Unde Italia cladibus & intestinis bellis penè fuit interea consumpta, & Roma infinitis malis oppressa jacuit desolata.

Papa itaque Gregorius animi sui occultans consilium, ne forsan à Gallis remoraretur invitus, ordinatis per Rhodanum navibus quasi spatiaturus in mare descendit, & paucis quò tenderet scientibus Genuam pervenit. Unde solvens ad Cornetum cùm pervenisset, mari dimisso iter assumpsit per terram: tertiadecimâ mensis Januarij die sequenti Romam intravit, quem Romani Cives & Clerus cum ingenti susceperè lætitia, cunctis Patriæ Patrem, instauratorémque urbis collapsæ adventâsse conclamantibus.

MCCCLXXVII.

Papa decimam fructuum Ecclesiasticorum habere vult.

Anno Wignandi Abbatis XVIII. Indictione Romanorum XV. Gregorius Papa XI. missis à Roma in Germaniam Legatis & Nuntijs gravibus, decimam partem omnium fructuum & Proventuum à Monachis & Clero durissimâ exactione postulavit, mandans & præcipiens omnibus & singulis Ecclesiarum Pontificibus sub magnis pænis átque Censuris, ut impositam Contributionem in suis Diœcesibus exigerent à Monachis & à Clero, eámq; deputatis sive deputandis Collectoribus assignarent. Ad cujus mandatum Episcopus Constantiensis graves mox in Clerum Censuras pro hujusmodi Contributione fulminavit, & ut solverentur, quantocius præcepit. Contra cujus fulmina Clerus in Dominio Comitum Wirtenbergensium existens in unum convenit, consilium habuit, & Appellatione ad melius informandum Romanum Pontificem interpositâ, quòd solvere postulatam fructuum Ecclesiasticorum decimam nec posset, nec deberet, rationabiliter allegavit. Quorum exemplo cæteri per totam Germaniam animati, omnes se unanimiter Papæ cœptis oppositi fuerunt, paucis forsitan demptis, quos causa movebat in contrarium, qui magnam in suis locis turbationem pluribus suscitârunt. Videns autem Legatus Apostolicus tantam in Clero turbationem, & metuens deteriora, cùm plerique jam excommunicati divina nihilominus celebrarent, mandata Pontificum contemnentes, mitigavit Censuram: & accepto quod à voluntarijs offerebatur sponte, tandem in Italiam reversus est.

Wilhelmus Hollandiæ Comes moritur insanus.

Eodem anno mortuus est Wilhelmus Comes Hannoniæ, Hollandiæ, Seelandiæ, Frisiæque Dominus, Comes quoque Palatinus Rheni, & Bavariæ Dux, Filius quondam Ludovici Imperatoris quarti, demens, & in

carcere captivus, quemadmodum supradictum est, anno Wichardi Abbatis quarto, sine liberis, anno vesaniæ & captivitatis suæ quasi vicesimo. Duplex calamitatis & vesaniæ hujus Principis eo tempore jactabatur opinio: aliqui nempe dicebant, eum veneno hausto incurrisse vesaniam: alij verò quòd Matri fuisset injuriosus, & populo tyrannus, divinâ sustrahebant ultione punitum. Et forsitan utrúmque potuit esse verum; manifestum est enim, quia Matrem malè tractavit, & populo se tyrannum nimis crudelem exhibuit: sicuti anno Wichardi primi Abbatis decimo jam dudum in præcedentibus nos per plura consignâsse meminimus. Wilhelmo in vinculis mortuo sine liberis, Albertus Frater ejus in dominio ejus Jure hæreditario successit de consensu Fratrum suorum, & annis fermè septem & quadraginta in omni mansuetudine gentem suam gubernavit: quorum eo tempore viginti præterierant, quibus Fratre vesano in vinculis detento præfuerat Comitatibus ejus; reliquos verò 27. post mortem Germani solus & liber ejus obtinuit Principatum, fuítque ex ordine primus & vicesimus Hollandiæ Comes: & habuit uxorem Margaretham nomine, Filiam Ducis Brigensis: de qua genuit Wilhemum sibi postea in Principatu successorem: Joannem quóque Leodiensem Episcopum: & Catharinam Wilhelmi secundi Ducis Juliacensis postea uxorem: de quibus & anno Christianorum MCCCLVII. plura diximus, & alia postea dicemus.

Albertus Bavariæ Dux fit Comes post Fratrem in Hollandia.

Anno etiam præscripto factum est prælium magnum & atrox in Suevia juxtra Rütlingen oppidum, inter Comites de Wirtenberg, & Cives oppidi jam memorati, & socios Partium plurimos. Imprimis igitur Comites magno suorum exercitu congregato, memoratum oppidum obsidione cinxerunt. Cives contractâ manu sociorum satis in oppido videbantur esse muniti, nec hostium ferocitatem magni faciebant. Quâdam igitur nocte pedites 500. oppidum clanculò exeuntes Urach & Tettingen versus iter direxerunt, pecora & omnia quæ poterant invenire sibi in prædam abducentes, cuncta in circuitu igne & ferro sine commiseratione crudeliter devastantes, onustíque mox prædâ per aliam viam secretius ad oppidum revertebantur. Quod ubi Comes Junior de Wirtenberg intellexisset, assumptis secum de Exercitu peditibus & equitibus multis obviam venire hostibus tentavit, sperans se indubitanter & illos posse occidere, & prædam omnino liberare. Sed aliter se res obtulit; Cives námque per oppositam urbis portam, quæ semper etiam pacis tempore consuevit esse clausa, silenter exeuntes, Comitem cum suis nihil tale suspicantem ab omni parte in modum coronæ subitò circumdant, & stupidos veluti pecora muta invadunt, percutiunt, vulnerant, & occidunt, nulli omnino parcentes, nisi fugientibus. Ceciderunt in eo conflictu ex parte Comitum de Wirtenberg, quorum nomina tenemus Nobilium ordine subscripti: Fridericus de Zolra Comes, Udalricus de Tubingen Comes, Joannes de Schvvarzenburg Comes, Godfridus Schederer Eques Auratus Magister militum belli vir strenuus, Schvvigherus de Gundelfingen Baro, Reinhardus de Nyperg miles, Bernardus de Sachsenheim miles, Fridericus quóque filius ejus, Bendo miles Francus, Wolffgangus de Stamhem Magister Curiæ Comitum Wirtenbergensium, Burchardus, & alius Burchardus Sturmfeder miles, Benzo de Hochenstein, Joannes de Rodenberg, Georgius

Inter Comites de Wirtenberg & Cives de Rutlingen fit atrox bellum.

Comitum, Baronum, & Nobiliũ nomina occisorum in prælio.

Georgius de Luſchnovve, Sifridus Waller, Henricus Waller, Cuno Truckſaſs de Biſchisheiſſen, Albertus de Killer, Eberhardus de Stöffel, Bolandus de Stöffel, Eberhardus de Sternenfelſs Advocatus in Zabergaue, Henricus de Liechtneck, Joannes de Sperberſeck, Andreas de Gyſslingen, Udalricus de Liechtneck, Diepoldus de Nydlingen, Conradus de Stamhen, Wolfgangus de Pfaffenhoffen, Conradus de Schloſsberg, Wolfgangus de Jungen, Waltherus Spät, Henricus Mager, Sifridus de Saxenheim, Mutacus de Hirſtad, Sifridus de Erbach Francus, Cuno de Heidickheim Francus, Rabanus de Liechtenſtein Francus, Wolffgangus de Wernhoffen, Wilikinus de Krucken, Joannes alter de Grumbach Francus, Joannes de Wijnsheim Francus, Wilhelmus de Kreilsheim Francus, Conradus de Lympach Francus, Henricus de Bonſtein, Nicolaus de Rinfeld, Andreas Zobel Francus, Rupertus de Gebſatel, Joannes Riedeſel, Thomas Wolfskel, & alij ex Nobilibus multi in eodem cruento prælio ceciderunt, quorum nomina invenire nequivimus.

Nobilium occiſorum numerus. LXXXV.

Verùm ut monimentis edocemur veterum, ſumma Comitum, Baronum, átque Nobilium, qui ferebantur in eo bello ex parte Comitum Wirtenbergenſium à Civibus Regni occiſi, fuit quinque & octoginta virorum. Aliorum verò tam Equitum, quàm peditum ſimiliter occiſorum, incertus & ingens fuit numerus, quorum nomina ſoli Deo ſunt manifeſta. Hos omnes interemptos armis ſuis Cives Regni ſpoliaverunt, & vix tandem precibus evicti permiſerunt, ut eorum corpora eminus deportata ſepelirent in uno quodam loco.

Comes autem de Wirtenberg memoratus Junior Dux belli graviter vulneratus quibuſdam cum alijs cædentium vix manus effugit, & ſe ad Caſtrum Achalm nuncupatum, ad cujus pedem montis oppidum Rüttlingen eſt ſitum, recepit. Sícque obſidione ſolutâ neceſſariò reliqui non ſine jactura in ſua redierunt, quos Regni Cives inſecuti omnia igne, ferróque demoliri pro viribus conati ſunt.

Bellum inſtauratur.

Comes igitur ex adverſo furorem Civium reprimere cupiens, denuo inſtruxit acies juxta villam, quæ Toffingen appellatur, non longè ab oppido Weil, exiſtimans hoſtes, ut erant, jam labore ſimul & furore defatigatos ſe facilè ſuperaturum. Aciebus itaque ordinatis, Comes cum ſuis in hoſtes (nihil tale metuentes) repente irruit, & plures eorum numero crudeliter occidens viriliter triumphavit. Veruntamen Udalricum Filium ſuum telo percuſſum in eo conflictu Comes Eberhardus ſenior amiſit, ut infra anno Godfridi VIII. dicetur.

Ulmenſis Eccleſia Parochialis conſtruitur.

Anno Dominicæ Nativitatis prænotato inſignis ſtructuræ Eccleſia illa Parochialis in oppido Sueviæ Regali Ulmenſi, præjactis ex more fundamentis, cum turri mirabilis artificij cæpit ædificari, & cum tempore in eam, quæ hodie cernitur, formam deducta eſt. Fundamentum verò turris Artificum negligentiâ malè prælocatum, noſtris temporibus ædificij totius minabatur ruinam; quod unius hominis induſtriâ mirabili cognovimus confirmatum.

MCCCLXXVIII.

Wignandi Abbatis anno nonodecimo, Indictione Romanorum primâ, hyems fuit aſperrima, & ſatis prolixa, unde frigore læſæ vites in

ſequentem

sequentem annum vini penuriam causaverunt, ubique terrarum. Hinc fames quóque secuta Mortales magnâ incommoditate graviter afflixit.

Gregorius Papa undecimus obijt.

Eodem anno vicesimo octavo die Mensis Martij, Romæ Gregorius Papa undecimus vesicæ dolore moritur, & in Ecclesia sanctæ Mariæ Novæ tumulatur. Post cujus mortem Cardinales inter se gravissimè dissidentes pernicioſissimum in Ecclesia Dei schisma susciterunt. Nam Itali Patres Pontificem habere volebant Italicum, & Galli similiter Gallicum. Clerus denique & populus Romanus cum nobilibus instabant precibus armatis, postulantes, quatenus Italiâ natum patres Pontificem eligerent; timebant enim, si Gallum essent habituri Pontificem, quòd Curia denuo in Galliam revocaretur in grave urbis Romæ ac Italiæ totius dispendium, sicut per annos jam plures fuerat factum. Erat inter Cardinales Italicos Bartholomæus Barensis Episcopus, vir callidus & astutus, quem utriúsque partis Cardinales tandem in Pontificem elegerunt, vel ut scribunt nonnulli, propter vim Romanorum simulaverunt electum, ut eâ simulatione de conclavi & Romanorum importunitate liberati pro electione veri Pontificis ad locum se posteà transferrent tutiorem. Barensis autem mox seu nominatus, sive electus Pontificem se gessit, & Urbani nomen sexti assumpsit, cui Cardinales Itali, ut vero & legitimo Pontifici suo adhæserunt, cunctis per orbem scribentes Pontificibus atque Principibus, Urbanum Papam institutum. Quod videntes Gallici Cardinales, & serò intelligentes, se consilio ipsius Barensis esse deceptos, ad urbem Anagniam post menses aliquot secedere statuerunt. Quos Urbanus multis verbis & promissis à proposito revocare conatus persuadere non potuit. Verùm Cardinales, qui prius pro ejus voluntate omnia fecerant, urbem exeuntes, Fundis civitate conveniunt, ubi à Joanna Neapolitana Regina tutò & favorabiliter susceptì, multa in Urbanum Pontificem fulminavêre contraria; dicentes eum non esse Canonicè electum vel institutum. Erant autem eorum Cardinales octo numero, qui memoratâ favente Regina Gebenensem Episcopum Cardinalem contra Urbanum in Antipapam elegerunt, quem Clementem VII. nominantes magna cum pompa coronarunt. Seditque deinceps in sua obedientia annis fermè quindecim, quem Gallia, Hispania, Catalonia & Britannia cum interjacentibus locis, pro vero Christi Vicario habuerunt. Porrò Germani, Ungari & Itali cum Urbano ut vero Pontifice fideliter senserunt. Duravit hoc maximum & pernicioſissimum schisma in Ecclesia Dei annis novem atque triginta usque ad Constantiense magnum & universale Concilium, in quo tribus, qui se pro Romanis Pontificibus gerebant abrogatis, Martinus V. fuit electus, ut inferius suo loco adjuvante Domino nostro JESU Christo plenius dicetur. Urbanus Romæ, Clemens autem in Gallia cum suis ut Pontifex residebat.

Urbanus fit Papa VI. annis XII.

Clemens septimus Antipapa contra Urbanum eligitur.

Henricus Comes in Spanheim peregrinatur.

Anno quoque prænotato turris Ecclesiæ Monasterij S. Martini in Colonia nostri ordinis incendio perijt, & multæ in circuitu domus igne fuerunt consumptæ: remanserunt autem muri turris sine tecto per annos ferme centum & sedecim inopiâ loci restaurationem ejus non permittente, quousque tandem Evvaldus de Bacherach institor, & civis Coloniensis jam moriturus in suo testamento tria florenorum millia ipsi Monasterio legaret, quibus & reformatum est tectum, & proventus quidam vinarij

pro

pro fratrum usu in pago cismosellano comparati. In cujus beneficij memoriam quotidie missa de nostra Domina solemnis per Monachos cantatur.

Eodem anno Henricus in Spanheim Comes, filius Walrammi senioris Comitis ad visitandum sepulchrum Domini ultra mare profectus est, habens in suo comitatu fratrem Crafftonis Abbatis Spanheimensis nomine Wolfgangum militem, & VVernherum de Dilla Monachum memorati Cœnobij pro Capellano, qui reversus plures lapidum & petrarum petias de locis à Domino sanctificatis comportavit. In reversione cùm navigando vix medium iter maris peregissent, inciderunt piratas, quorum impetum armis refringentes, & plures occiderunt, & reliquos timore perculsos in fugam converterunt, Christo suos juvante peregrinos. Henricus Comes in Spanheim peregrinatur.

Anno etiam præscripto in vigilia S. Andreæ Apostoli mortuus est Carolus Imperator Romanorum quartus, Pragæ in Ecclesia sancti VVenceslai sepultus, qui anno VVignandi Abbatis undecimo, ut supra diximus, promissis & donationibus multis Principum animos comparaverat, ut VVenceslaum filium Regem Bohemiæ quintum decimum ætatis annum tunc agentem, in Germaniæ Regem futurúmque Imperatorem Romanorum assumerent. Regnavit autem VVenceslaus cum patre annis 8. post mortem verò patris regnavit solus annis duobus & viginti, homo ineptus ad regnum, voluptatibus nimium deditus, & frequenter plus temulentus, quàm sobrius. Unde factum est, quòd ad coronam imperij pervenire non potuit, & tandem per principes à Regno Germaniæ depositus fuit. Carolus Imperator IV. moritur Pragæ sepultus.

Item anno præsignato varij tumultus fuerunt in quibusdam civitatibus Regni VVormatiæ, Spiræ, Argentinæ, & Coloniæ, minoribus plebis contra rectores se temere in rebellionem erigentibus, non sine clade multorum, & in republicæ grave dispendium. Quibus similia plures Regni civitates aliæ passæ sunt.

MCCCLXXIX.

Anno Abbatis VVignandi vicesimo, Indictione Romanorum secundâ, VVenceslaus Romanorum Rex filius Caroli Imperatoris IV. cum Principibus Regni & Apostolicæ Sedis Legato venit ad Coloniam, & à civibus quanquam interdictis cum honore magno susceptus fuit. Multa consuluit, multa in medium proposuit, summóque studio, ut reformaretur inter ipsos & Archiepiscopum concordia, inaniter diu laboravit. Concordiam Archiepiscopus admittere nullam voluit, nisi prius Colonienses Monasterium Tuitiense Deo & S. Heriberto, quod impiâ crudelitate, ut paulo antea diximus, succenderant, in integrum restituerent. Quod licet tunc quidem facere omnino recusarent, postea tamen subire coacti sunt, priusquam à censuris & interdicto penitus absolverentur. Rex Wenceslaus venit Coloniam.

His temporibus Venetiarum gens non minus inquieta, quàm superba, quæ nobilitatis parum, temeritatis verò plurimum semper habuisse dignoscitur, ab origine vendipiscatores, teste Gordonio scriptore, postea mercatores, sibi temere Platonis imperium usurpantes, novum & aureum instituêre sigillum, in quo se dominos maris scribere præsumpserunt, ipsúmque mare ab illo tempore deinceps usque in præsentem diem quottannis annulo desponsare aureo in undas projecto minimè verecundantes, ut nostro ævo inferius latius edicemus. Venetorum superbia in sigillo novo se dominos maris scribentium.

Ludovicus Rex Ungariæ ſuperbos Venetos humiliavit.

Contra hanc inſulſorum hominum temeritatem multi Principes Regni ſimul & imperij civitatum auxilio adjuti ſurrexerunt, quorum capitaneus Rex Ungariæ Ludovicus, Papâ mandante Urbano VI. bellum præſumptoribus novorum Venetis indixit, validum contra illos induxit Germanorum, & Ungarorum exercitum, multáque illos clade affecit, & ſigilli vanitatem depoſuit. Facta ſunt hæc imperio Papæ Urbani ſimul & Wenceslai Regis anno prænotato.

Eodem anno mortuus eſt ſine liberis Otto Brandenburgenſium Marchio filius Ludovici quondam Imperatoris IV. per quem Marchia ipſa Brandenburgenſis in jus pervenit Ducum Bavariæ, quam Bohemiæ Rex poſteà Imperator Sigiſmundus Wenceslai Regis frater comparavit à Bavaris pro ducentis florenorum millibus, & poſteà Friderico Nürenbergenſiũ Burggravio aſſignavit; quemadmodum anno Wignandi Abbatis quarto dictum eſt, ubi Carolum patrem Sigiſmundi emptorem ejus veraciter extitiſſe diximus; Sigiſmundus autem non emptor, ſed venditor potius Marchionatus extitit.

MCCCLXXX.

Cives Regni contra Principes quosdam ſe mutuò colligarunt.

Anno Wignandi Abbatis primo atque viceſimo inchoato ſive currente, Indictione Romanorum tertiâ, cives Regni Germanici penè omnes circa Rhenum, in Suevia quoque, & in Francia orientali caput ſequentes Pilgrinum Salzburgenſium Archiepiſcopum, & quoſdam alios Pontifices, contracto inter ſe fœdere, quod noſtrates hodie Ligam ſive Bunt, nuncupant, validum de conſenſu Regis Wenceslai conduxerunt exercitum contra Bavariæ Duces, & quoſdam alios Regni Principes, quos ſibi moleſtos ſenſerant atque contrarios; octo námque millium pugnatorum manum validam brevi adunantes igne & ferro hoſtibus ſuis multa intulêre diſpendia, Regnúmque à latronibus, & violentis raptoribus aliquandiu purgatum reddiderunt.

Canes affectum ſubierunt Luporum.

Deinde poſt annos fermè quinque cùm naturam luporum cæpiſſent induere canes, & qui latrones debuerant perſequi, didiciſſent imitari, in unum conſpirantes multi Principes magnum armatorum produxerunt exercitum, & confœderatis civibus bellum indixerunt. Quibus multa intulêre damna, ipſámque Ligam penitus in nihilum redegerunt. Archiepiſcopus quoque Salzburgenſium Pilgrinus Treugarum tempore captus fuit: Caſtrum Hohenſolms à civibus captum & igne ſubmiſſo funditus deſtructum: multæ quoque munitiones nobilium, latronum, raptorum atque prædonum per cives regni tunc funditus deſtructæ ſunt. Felix quidem & ſatis fortunatum confœderationis ſuæ habuerunt exordium, & omnibus in circuitu raptoribus magnum incuſſêre timorem; verùm poſtquam & eorum milites conductitij legem æquitatis violare cæpiſſent, occultáſque primùm, & exinde manifeſtas etiam de pauperibus exercere rapinas, & ipſi Principum cives atque ſubjectos in rebellionem ſolicitare dominorum, confæderatio eorum diutius permanere non potuit, ſed potentiâ Principum citius diſſipata fuit. Sunt qui ſcribant, Wenceslaum Regem occultum hujus Ligæ civium fuiſſe auctorem, utpote qui poteſtatem Theutonicorum Principum ſemper habuerit ſuſpectam, quam tali modo ſperaverit infirmandam. Hanc opinionem de Rege memorato haud mediocriter confirmavit civium Herbipolenſium inveterata rebellio; quibus

quibus ipse Wenceslaus contra Episopum verum & immediatum eorum dominum auxilia promisit, ut suo plenius loco prosequemur.

Eodem anno Joannes quidam Montesanus Ordinis Fratrum S. Dominici, Theologus Parisiensis verbum de Immaculata Dei Genitrice Maria faciens ad populum, ubi sermo de ejus incidisset purissima Conceptione, more suorum inter alia dixit: *Eam in originali peccato fuisse conceptam, quemadmodum nos cæteri concipimur omnes.* Verum postquam hic sermo Parisiorum scholæ innotuit, Prædicator ad pulpitum, ubi concionatus fuerat, redire compellitur, & quod malè contra Immaculatam Dei Genitricis conceptionem prædicaverat, revocare.

Prædicator Conceptionis Marianæ puritatem impugnans compellitur revocare.

Anno quoque prænotato Ludovicus Comes Flandriæ ultimus, posteáquam exactionem pecuniarum Flandrensibus indixisset gravissimam, non relicto virili semine moritur. Post cujus mortem Philippus Dux Burgundiæ, qui unicam filiam ejus habebat uxorem, in comitatu Flandrensium successit. Post Philippum filius ejus Carolus, quem Suitenses occiderunt in bello Nansensi: post Carolum gener ejus Maximilianus postea Rex Germanorum Comitatum Flandriæ cum Maria filia obtinuit: post Maximilianum filius ejus Philippus Archidux Austriæ, postea Rex Castellæ: post Philippum filius ejus Carolus Dux Brabantiæ hodie & Comes Flandriæ. His ferme temporibus Carolus Rex Gallorum quintus cum Duce Brittannorum Joanne prælia multa constituit, qui inter plures ex Germania conductos habuit Ducem de Brunsvvich nomine Ottonem, virum strenuum & bellicosum. Hic plusquam triennio in Brittannia fuerat captivus, anno tandem prænotato, in Avenionem ducitur, inde liber emissus venit in Apuliam, & Carolo Rege Apulorum absente adjutus Neapolitanis amicis Neapolim violenter obtinuit, sed non diu supervixit.

Comitatus Flandriæ ad Duces Burgundiæ pervenit.

Otto Brunswicensium Dux in Brittannia triennio captus est.

Anno item memorato Carolus Gallorum Rex V. moritur, & apud S. Dionysium sepelitur, filios relinquens duos, Carolum & Ludovicum adhuc in minore ætate constitutos, quos tutelæ Philippi Ducis Burgundiæ, & Ludovici Borbonensis educandos committit: Regni autem generalem moderatorem constituit Andegaviæ Ducem Ludovicum, quousque Carolus, cui Regnum, ut Primogenito debebatur, annum ætatis XIV. altissimo inspirante attingeret.

Carolus Gallorum Rex V. obijt & Carolus filius succedit.

Iste Carolus Rex Gallorum VI. postea cùm adolevisset, uxorem duxit Isabellam Ducis Bavariæ filiam, quæ peperit ei Carolum Regem VII. Post mortem verò mariti mansit vidua, per quam Ludovicus Bavariæ Dux ejus frater postea in auro & XII. Apostolorum cum Salvatoris argenteis imaginibus dives & cœteris Progenitoribus magis abundans & notior factus est. Istas duodecim Apostolorum simul & Salvatoris imagines per Ducem Ludovicum ex Gallia cum divitijs alijs multis in Bavariam allatas ipse quam diu vixit, in humanis thesauri loco possedit, & rebus deinceps melius consulens domesticis, nomen Divitis brevi, qui pauper erat prius, acquisivit. Huic Ludovicus in Ducatu Bavariæ filius jure successit, qui & cum divitijs & imaginibus patris, nomen simul Divitis habuit. Post quem Georgius nomine filius ejus Ducatum Bavariæ cum divitijs memoratis obtinuit, qui nostris diebus sine virili semine decessit; reliquit autem filiam unicam, quam Rupertus ex sorore Nepos (indulgente Romano Pont.)

Rupertus Palatinus Rheni Comes.

no Pont.) filius videlicet Philippi Comitis Palatini, qui sororem Georgij habuit, duxerat illo vivente uxorem. Mortuo autem Duce Georgio, cùm inter generum ejus Ducem Rupertum jam dictum & Albertum Bavariæ Ducem, qui morabatur in oppido Monacensi, pro vacante Principatu bellum ageretur atrocissimum, omnis illa thesaurorum immensa congeries cum Apostolorum imaginibus, brevi dissipata fuit, ut in nonum hodie annum quò pervenerint, nemo sit qui noverit.

Wignand⁹ hujus Monasterij Abbas XXXIV. moritur.

Anno Dominicæ Nativitatis prænotato XXVII. die mensis Octobris Wignandus hujus Monasterij XXXIV. Abbatis senio pariter & morbo gravatus moritur, anno regiminis sui XX. mense X. die similiter XX. cum devotione Fratrum in majore Cœnobio sepultus. Reliquit Monasterium in debitis multis tam per eum quàm per alios præcedentes Abbates contractis, & disciplinam sine regulari observantia, qualem & reperit.

Godfridus fit Abbas annis IX.

De Godfrido ejus nominis secundo, hujus Monasterij Hirsaugiensis Abbate XXXV. qui præfuit annis IX. mense I. diebus XV.

ANno Dominicæ Nativitatis prænotato MCCCLXXX. Indictione Rom. tertiâ Wignando Abbate hujus Monasterij Hirsaugiensis, XXVI. die mensis Octobris Catholicè mortuo atque sepulto, ne grex Pastoris solatio destitutus aliqua viduitatis Ecclesiæ deploraret incommoda, de novi mox electione Abbatis cæpit suorum, & non exterorum habere concilium. Circa principium igitur mensis Novembris vocatis absentibus de præposituris & prioratibus Monachis, qui futuræ debuerant atque potuerant electioni de Jure vel consuetudine interesse, & exclusis sæcularibus cunctis, præmissísque Orationibus cum invocatione S. Spiritus, per viam scrutinij ad novi Pastoris institutionem processerunt. Votis autem singulorum auditis, & in schedulam juxta morem consignatis, major & sanior pars Monachorum eligentium Godfridum ejus nominis secundum Abbatem hujus Monasterij XXXV. elegit, cæteris in eum consentientibus.

Godfridus itaque per Conventum electus, atque per Lambertum Spirensem Episcopum in Abbatem confirmatus ex more, solemnitérque benedictus, præfuit huic Monasterio in magna solicitudine & malitia temporum, annis IX. mense I. diebus XV. homo mansuetus pacificus, & amator quietis & pacis, qui Monasterium in utróque statu graviter callapsum reperit, quoniam nec regularis observantia in eo tunc viguit, nec illi rerum abundantia fuit.

Schisma multiplicavit vultures in Ecclesia insatiabiles.

Eo tempore schisma Catholicam graviter perturbabat Ecclesiam, cùm Urbanus VI. ut supra diximus, Germanis, Italísque & Ungaris Romæ sedem habens summum se præstaret Pontificem: Clemens, quem sui nuncupavêre VII. in Avenione residens Gallos & Hispanos sibi ut Papæ haberet obedientes. Hæc de Rom. Pontificatu altercatio majus Gallis, quàm alijs nationibus incommodum attulit, propterea quòd Clemens suis partibus cupiens adjungere viros, præter quinque priores, à quibus fuerat electus, viginti quinque de novo Cardinales assumpsisset, quorum nemo poterat satiare cupidinem. Nam

Nam Cardinales xxx. Clementis causam secuti, cùm essent more vulturum antiquorum insatiabiles, quosdam per Galliam exploratores constituerunt, qui Ecclesiarum præbendas ubique locorum inquirerent, quas possessorum morte vacantes mox sibi à Clemente dari, ut proximi postulabant. Unde & sententiam tulit idem Clemens ad instantiam suorum vulturum de beneficijs vacaturis, quam pro lege habitam gratiam, nominaverunt exspectativam, per quam ad Ecclesias vacantes soli Pontifici dare introitum liceret. Unde lege seu constitutione soli Cardinales & potentes ad Ecclesias pinguiores promovebantur: decimæ quoque à Clero exigebantur per Clementem, & quoties majori alicui Ecclesiæ instituebatur Antistes, primi fructus anni, quos Romani vocant annatos, Pontifex suis usibus reservabat.

Annatorum super Episcopatibus principium.

Avaritia Cardinalium contriuit Galliam.

MCCCLXXXI.

Anno Godfridi Abbatis primo Lampertus de Buren ex Abbate Monasterij nostri Ord. in Gengenbach Argentinensis Diœcesis Episcopus Spirensis, vir doctus prudens, & in multis expertus, auctoritate Urbani VI. Papæ simul & postulatione quorundam Canonicorum eligentium ad exemptam Ecclesiam Bambergensem translatus est, & ibi Pontifex institutus. Hic multa bona fecit Ecclesiæ Spirensi, & inter alia Confirmationem omnium Privilegiorum à Carolo Imperatore IV. precibus obtinuit sub bulla videlicet nova, quam à nomine concedentis vulgariter Carolinam Clerus nuncupat. Post Lamberti hujus translationem Adolphus de Nassavv nobili & antiquo Comitum genere ortus, Spirensium Episcopus ordinatus præfuit annis xv. vir & ipse ingenij perspicacis & acuti, qui pro libertate Ecclesiastica nonnullas cum civibus suis contentiones habuit, quæ tamen non diu permanserunt, sed interpositione amicorum dissensio ad concordiam pacis revocata fuit.

Lambertus Episcopus Spirensis transfertur ad Bambergam.

Adolphus ex Comitibus de Nassaw fit Episcopus Spirensis.

Eodem anno pestilentia magna Bohemiam graviter afflixit, cujus occasione Wenceslaus Rex de Regno Bohemorum cum Pileo Cardinali Urbani Papæ Legato venit Moguntiam: inde navigio per Rhenum descendit rursus ad Coloniam, & exinde ad Aquasgrani palatium Regni Teuthonicorum principale & antiquissimum, sedem suam ibidem posuit, diutiúsque remansit. Tanta enim vis pestilentiæ hac anno consumpsit Bohemiam, Austriam simul & Ungariam, ut media pars hominum vix in eis locis viva remanserit. In Pragensium námque Civitate mille centúmque & sedecim uno die moriebantur.

Wenceslaus Rex Aquisgrani moratur.

Anno etiam prænotato gravissima inter Adolphum Archiepiscopum Moguntinum & Rupertum Comitem Palatinum Bavariæque Ducem, apud Heidelberg morantem fuit exorta dissensio, quæ paulatim excrescens publicas inter eos inimicitias fecit. Unde in alterutrum ferro & igne grassantes, subjectis sibi pauperibus incommoda & damna plurima inferentes, durus in durum certabat; Principum tandem vicinorum consilio res fuit composita, & pax reformata.

Hoc ipso anno Urbanus Papa VI. post fulmitatas in Carolum Regem Apuliæ Censuras, cum parva comitiva Nuceriam pro quibusdam causis Ecclesiæ tractandis venit, quem Carolus obsidere in animo statuit. Quod Pontifex ubi resciisset, hominem quendam patriâ Suevum, qui multo tempore in Italia fuerat bellantum Dux sive Capitaneus, rogat, quatenus

Urbanus Papa à facie Regis Apuli fugit ad Genuam.

armatâ manu Genuam ab eo duceretur. Consensit Alemannus, & copijs contractis ad Genuam Pontificem salvum incolumémque perduxit; fuerunt enim Genuenses in parte Urbani contra Gallos; cúmque ad littus haud procul à Genua perveniſſet Pontifex, Cardinales sex, quos apud Nuceriam (eo quòd partibus faverent Clementis) habuerat captivos, saccis insutos singulos in mare jactari præcepit: qui confestim miserabiliter sunt submersi; quod factum multorum in eum odia concitans, ejus famam obfuscatione perpetuâ maculavit. Genuam itaque cum salute perductus Pontifex, cùm aliud non haberet, quasdam auri pecias Capitaneo dedit pro mercede.

His temporibus Urbanus Papa Carolum quendam Regio genere Gallorum procreatum, in Ungaria tunc agentem, contra Regem Apuliæ in Italiam vocavit. Qui Pontificis acquiescens imperio, Ludovicique Regis Ungariæ copijs adjutus in Italiam venit: Regnum Apuliæ obtinuit: Joannam Reginam partes Clementis defendentem interfecit: & injurias Urbani Papæ satis crudeliter vindicavit. Intereà verò temporis, quo Carolus memoratus contra Carolum Regem pro Papa Urbano bellum gessit in Apulia, Rex Ungariæ Ludovicus sine filio moritur, & gubernatio totius Regni penes uxorem ejus remansit. Quæ cùm per triennium post viri mortem regnâsset, ægrè ferentes tandem Ungari dominium fœminæ, de Rege instituendo cæperunt habere consilium. Missis igitur in Apuliam nuntijs Carolum supradictum Regem Neapolitanum evocârunt. Qui reversus in Ungariam anno Godfridi Abbatis quinto, communi Procerum & plebis assensu Regni coronam accepit: sed dolo Reginæ non diu posteà fuit occisus.

Ludovicus Ungarorum Rex moritur.

MCCCLXXXII.

Anno Godfridi Abbatis secundo indictione Romanorum quintâ, Ludovicus Andegaviæ Dux, Caroli Gallorum Regis frater, cum quinquaginta quinque pugnatorum millibus in Italiam profectus scribitur, & biennio Regnum Apuliæ contra Carolum debellat, quod tamen obtinere non potuit. Et hoc ipso anno Ludovicus Ungariæ Rex, uti jam supra dictum est, moritur, cujus uxor Regina, ut diximus, Regnum Ungarorum per triennium gubernavit. His ferme temporibus inter Andream Sabaudiæ Comitem & Cives Wallesios contentiones & prælia facta sunt multa, non sine interitu plurimorum. Cujus discordiæ causâ memoratus exercitus Comitis in terram Wallesiorum diffusus igne simul & ferro devastat omnia, & postremò urbem Pontificiam Sedunensem auxilio Bernensium conjuratorum obsidione cinxit, & valenter obtinuit. In Flandria etiam his temporibus Rex Gallorum Carolus incursiones feciſſe gravissimas memoratur, in perniciem certè non modicam plurimorum. Gandavum imprimis obsedit, cujus oppidani bis excursione factâ in pugna à Gallis victi sunt: tertiò autem denuo egressi cum impetu Gallos superant, & fugere in Brugas oppidum compellunt: in conflictu Gallorum plus quàm septuaginta quinque millia ferebantur occisa. Facta sunt hæc in Sabbatho, quo Gandenses Sanguinem illum processionaliter circumferre solent, quem se habere de præputio Domini circumcisi (nescio unde) gloriantur.

Andreas Comes Sabaudiæ devastat Wallesiorum Provinciam.

MCCCLXXXIII.

MCCCLXXXIII.

Anno Godfridi Abbatis tertio, Indictione Romanorum sextâ, die mensis Julij vicesimâ sextâ moritur Joannes Comes de Spanheim sine liberis, qui frater erat Comitis Henrici, quem ante quinquennium superius ad terram sanctam fuisse profectum diximus. Nec diu posteà etiam ipse Comes Henricus mortuus fuit, filios relinquens duos Simonem & Joannem, quibus etiam post aliquot annos vita defunctis, cùm liberos non haberent superstites, Comitatus Spanheimensis partim ad Comites Palatinos, partim ad Marchiones Badenses devolutus est: sub quibus & permanet in præsentem diem.

Joannes Comes in Spanheim moritur.

Eodem quoque anno septimâ die mensis Decembris obijt Wenceslaus Brabantiæ & Luxenburgi Dux inclitus, frater quondam Caroli Imperatoris IV. cujus cadaver cum ingenti pompa in Cœnobio Abbatiali S. Mariæ semper Virginis nostri Ordinis prope oppidum ipsum Luxenburg in Trevirorum Diœcesi fuit sepultum, ubi quondam Comitum, & postea Ducum residentia frequens esse consuevit. Post cujus obitum Joanna uxor ejus vidua Joannis Brabantiæ Ducis quondam filia consilio & auxilio Arnoldi de Horn Leodiensis Episcopi (quem ipsa de sacro fonte levaverat) utriusque Ducatum Brabantiæ videlicet & Luxemburgi per annos ferme 22. satis viriliter & strenuè in omni parte gubernavit. Post quam Joannes Ducatum assumpsit, qui Lovaniense Gymnasium instituit.

Wenceslaus Dux Brabantiæ & Luxenburgi moritur.

Anno item prænotato contigit apud Moguntiam, quod scribo execrabile factum. Erat ibi homo vilissimis haud dubio natalibus ortus, inter lusores impios scelestior, impijssimus pietatis osor, & hostis, nomine Henricus Schelkopff, id est, vesani capitis; is die quâdam cum suis complicibus ludens ad tabulam in taberna, quæ nominabatur vulgari sermone zu der Blumen / in suburbanis Sulzbach juxta Rhenum, pecuniam quam habuerat certè modicam, citius perdidit totam. Ridentibus socijs irâ comotus est, & horrendas cœpit in Deum & sanctos efferre blasphemias, cujus vesaniam magis, ac magis risu provocantibus socijs totus in furorem conversus est, surgénsque mox de suburbano iter deflexit in Campum, quorsum nescitur, iturus, cúmque viam intrâsset mediam, quæ à Monasterio S. Albani præbet iter ad Ecclesiam S. Virginis Mariæ in campis euntibus, quæ nunc propter rem gestam S. Crucis appellatione nuncupatur, Imagines Crucifixi Jesu Christi & Castissimæ Matris ejus Divique Joannis Evangelistæ offendit, quas pro memoria Passionis Domini inculcanda transeuntibus Christiana devotio ante plures forsitan annos, ut moris, illic posuerat. Has Divorum imagines homo perditionis intuitus in verba mox blasphemiæ horrenda prorumpere non metuit, extractóq; pugione, quo ad latus fuerat præcinctus, in imaginem Crucifixi totis nisibus vibravit, & unico ictu cervicem ejus dissecuit. Móxque B. Virginis Mariæ, & aliorum Sanctorum circum positis juxta crucem imaginibus cæsim & punctim pleraque vulnera inflixit, infortuniorum suorum cupiens de Deo & sanctis ejus impijssimus omnium hominum captare vindictam. Impietatis cæde peractâ læsæ confestim imagines, ac si homines fuissent, in carne humana viventes, copiosum è puncturis emisêre cruorem, cujus hodie in ipsis manifesta cernuntur vestigia. Quo viso sceleratissimus hominum obstupuit, nimióque pavore conturbatus, ut lapis obriguit, & neque

Vesanus Lusor contra Deum audet iniqua.

Imagines Crucifixi & Sanctorum impetit gladio.

Emittunt subitò cruorem imagines vulneratæ.

neque fugere quoquam potuit, neque pedem ullatenus à loco movere. Unde ſic immobiliter neceſſariò perſiſtente crudeli, ex Moguntia plures ſupervenere fideles, qui viſo cruoris inuſitati miraculo ſceleratum reduxerunt in urbem, qui dictante juſtitiâ vivus in ignem projectus pœnas ſuſtinuit mortis horrendæ, quam meruerat. Imagines verò cruore & vulneribus inſignes ab ædicula veteri ad memoratam Eccleſiam Collegiatam in Campis S. Mariæ ab olim nuncupatam, quæ paululum diſtat à Moguntia, ſummâ veneratione Sacerdotum manibus deportatæ fuerunt, ubi uſque in præſentem diem terrificus ille cruor cernitur, & miraculis quam plurimis decoratur. Ab illo tempore frequentius ad S. Crucem Eccleſia nuncupatur, quam S. Maria in Campis, ob memoriam rei geſtæ, in qua fuerunt imagines collocatæ.

MCCCLXXXIV.

Gallorum de bello in Anglos movendo conſultatio.

Anno Godfridi Abbatis IV. Indictione Rom. VII. Carolus Rex Gallorum VI. conſilium habuit cum ſuis proceribus de bello Anglis indicendo; ægrè ferebat enim complures è Gallia nobiles Anglos tam frequentibus bellis inquietare Galliæ regnum ſanè ampliſſimum, reducens in medium, quòd Dani olim & Saxones Gallis pauciores Angliam totiens occupaviſſent: ſe autem magnos, ſe Danis & Saxonibus fortiores gentem Anglicanam facile arbitrabantur domaturos, quæ intra ſuos fines bellum diu ferre non poſſit; uno aut ad plurimum ſecundo prælio aut vinci aut vincere ſolitam: nec unius hominis principatum ferre multo tempore poſſe, ſed reges ſuos aut pellere regno, aut interficere conſueviſſe. His rationibus Carolus Rex bellum Anglis indixit. Navibus itaque contractis ingentem Claſſem parat. Verùm tam grandibus copijs cùm deeſſent pecuniæ, tributum Rex inauditum vix ferendum ſuis Gallis impoſuit, quod ſolvere multi cùm non poſſent, Galliâ relictâ in alias diſceſsêre provincias. Claſſe autem viris, armis commeatúque affatim inſtructâ, maximus ille navalis apparatus omnis non ſecus ac in arente ſtipula crepitans, & æſtuans ignis evanuit, quod principum culpâ contigiſſe, qui exactam pecuniam inter ſe corripuerant, non famâ dubiâ plures æſtimârunt, non ſine Gallorum Regis injuria. Unus tantum Joannes Viennenſium Comes navibus LX. inſtructis navigavit in Scotiam, ut inde bellum inferret Anglis; erant tunc inter Anglos & Scotos graves diſcordiæ. Commeatu igitur Scotorum Joannes Angliam cum ſuis intravit, & quaſdam munitiones oppugnavit. Quo cognitio Rex maximum pugnatorum adunavit exercitum contra Gallum pugnaturus: Joannes verò conſiderans ſe viribus & numero Anglis procul eſſe minorem, cum ſuis in Scotiam reverſus eſt. Ubi cùm aliquandiu moram ageret, in amorem nobilis cujuſdam fæminæ prolapſus, otioſè tempus omne in carnis voluptate pernitioſa expendit. Poſtremò tandem ab ea, quam amabat muliercula præmonitus, quòd Regi Scotorum haberetur ſuſpectus, relictâ Scotiâ in Galliam reverſus eſt. Hic utar teſtimonio Galli Roberti Gaguini dicentis: *Perrarum eſſe Gallos in aliena gente gloriam comparare, quam arrogantia vel libido non obfuſcaverit.* Quàm ſit verum hoc viri teſtimonium de Gallis, in eo bello, quod Galli cum Cæſare Maximiliano commune duxerunt nuper in Venetos, prô pudor! ſatis fecêre manifeſtum, cùm per totam Longobardiam tantâ libidine in mulieres honeſtiſſimas, & virgines etiam Deo conſecratas debacchati

Joannes Viennenſis Comes ſolus movit in Angliam.

ſunt

sunt, tantâ avaritiâ, & arrogantiâ tumentes, ut propter verecundiam satius mihi videatur tacendum, quàm plura scribere. Unde non immeritò, Justitiâ Dei vindicante profanos, brevi Mediolanum & Longobardiam totam amiserunt.

MCCCLXXXV.

Anno Godfridi Abbatis quinto, Indictione Romanorum VIII. Wilhelmus Comes Hollandiæ, Hannoniæ, Seelandiæque, filius Alberti filij Ludovici quondam Imperatoris IV. uxorem duxit filiam Ducis Burgundiæ Philippi, Nuptijs in Brabantia cum magna & inusitata solemnitate celebratis. Hujus Wilhelmi frater erat Joannes posteà electus & confirmatus Episcopus Leodiensis, qui post mortem Wilhelmi dimissâ Ecclesiâ duxit uxorem dispensante cum eo Constantiensi Concilio, & Germani filiam principatibus abdicavit.

Eodem anno Confœderati, quos vulgò Suitenses nuncupamus, in superbiam elati viciniores in circuitu oppidanos, & rusticos in suam conjurationem allicere cupientes proprjis Dominis fecerunt esse rebelles. Inter quos rustici & villani Domino de Thorberg tam jure, quàm antiquissimâ consuetudine subjecti Lucernensium persuasione seducti, & animati, se contra Dominum suum contumaciter erexerunt, consueta servitia, census & ministeria cuncta denegantes: & quò ad rebellionem fierent liberiores, non requisito, neque consentiente Domino facti sunt & adscripti Lucernensium cives. Comes autem Thorbergensis, posteaquam suorum perfidiam intellexisset, non sine ratione iratus est, & quotquot eorum comprehendere potuit, laqueo ad arbores sine ulla commiseratione suspendit. Quo facto Lucernenses irati totam Conjuratorum scaturiginem vocaverunt in arma, convenientésque in turmam contra memoratum Comitem, processerunt ad bellandum. Regionis igitur devastatione institutâ oppidum imprimis Rotenburg, quod erat Comitis de Grünenberg, cum arcella in die SS. Innocentium factâ incursione obtinuerunt. Hermannus autem de Grünenberg, & Comes de Thorberg, qui erant in arce, fugâ lapsi mortis peticulum evaserunt. Inde progressi, Wolhusen, Sempach, Entlibuch, Meienberg, Baldeck, Liel & Rinach in suam potestatem acceperunt, amicos inter concives, inimicos verò inter mortuos conscribentes Mira hujus gentis breviter ampliata felicitas, quam Principum inclementia erga subditos permittente Deo causavit. Nec diu post descriptam conjuratorum victoriam venit ad Meyenberg Lupoldi Ducis Austriæ Capitaneus, & positis in circuitu papilionibus, oppidum obsedit. Egressi die quâdam conjurati, qui erant in præsidio, prælium cum Australibus inceperunt, in quo victor exercitus Australium non paucos conjuratorum occidit. Post dies autem paucos conjurati Meyenberg funditus everterunt.

Armati Suitenses contra Nobiles terræ conveniunt.

Conjurati capiunt & destruunt nobilium Castra.

Anno prænotato Ungari tyrannidem Reginæ diutius ferre contemnentes, & ignominiosum existimantes suæ nobilitati, mulieris imperio subjacere, consilio inter se habito nuntios solemnes miserunt in Apuliam, & Carolum Regem ad Ungariæ Regnum inde revocârunt. Qui Legatorum commissione auditâ gavisus est, & Ladislaum filium suum Regem constituens Apuliæ, profectus est in Ungariam. Quem proceres Regni, & Incolæ summo cum honore suscipientes in Albaque Regali solemniter

Carolus Apuliæ Rex fit Rex Ungariæ.

coronantes in Regem Ungariæ sublimârunt. Post Coronationem suam in oppidum Regale Budam proficiscitur, ubi post menses aliquot in camera sua existens, die quâdam subordinatione Reginæ abrogatæ, quæ remanserat vidua quondam Regis Ludovici, gravissimè vulneratus occiditur.

Regis Angliæ filius expeditionem pro Regno facit in Hispaniam.

Eodem quoque anno Dux Lancastri filius Regis Angliæ navium classe comparatâ non modicâ, in manu forti navigavit in Hispaniam, Regnum sibi comparaturus violentiâ hæreditarium, quod ad se jure pertinere putabat. Cœpit vastare provinciam, & lædere, quos subijcere cupiebat, & ideò pro hoste est habitus.

Anno item præscripto Lupoldus Dux Austriæ ad instantiam comitum de Kyburg, Grünenberg quoque & Thorberg, atque multorum nobilium, conjuratis Suitensibus bellum indixit: quod isto anno incipiens in sequentem usque cum multorum incommodo continuavit, conjuratorum ubique in circuitu hostiliter devastans provinciam.

Galeatius Vicecomes occidit patruum.

Eodem quoque anno Galeatius Vicecomes Mediolanensis dominandi cupidine Barnabovem Vicecomitem patruum & socerum suum insidiosè (ut ferunt) occidit, ejus principatum sibi usurpavit, quem Wenceslaus Rex postea in ducem creavit.

MCCCLXXXVI.

Cives Wormatienses jam secundo Nühusen destruunt.

Anno Godfridi Abbatis sexto, Indictione Rom. IX. primâ die mensis Martij, quæ fuit quinta feria post Dominicam sexagesimæ, Cives Wormatienses cum furore & armis de civitate prorumpentes villam Sacerdotalem Nühusen urbi proximam igne suppositio funditus destruxerunt: ædes Sacerdotum cunctis rebus evacuantes in cinerem redegerunt: Sacerdotes verò & Clericos omnes, quotquot inveniissent, custodiæ tradiderunt; & hæc secunda fuit ejusdem loci Nühusen per cives Wormatienses temeraria & præsumptuosa destructio; prima námque desolatio Novæ domus memoratæ sive destructio facta est per Cives Wormatienses temporibus Landulffi ejusdem urbis Pontificis, de cujus electione mentionem fecimus in primi hujus Chronici parte anno Domini 1234. Veruntamen ipsam loci destructionem, ut scriberemus eo tempore haud scire potuimus. Postea igitur quam furiosi Cives memoratam clero Nühusensi intulissent contumeliam, Urbano Pontifici Summo delati sunt, & excommunicationis ferro à communione fidelium justissimâ ratione abscissi. At verò postquam Cives ipsi Wormatienses misocleri à principio multo aliquandiu in excommunicatione sordiissent, ad eorum instantiam Rupertus Comes Palatinus Rheni Bavariæque Dux Regni Princeps Elector, Henricus Comes de Spanheim, & plerique alij suas interposuêre vices, & in concordiam dissentientes revocârunt. Ex inde Nühusen cœpit jam tertiò construi, Wormatiensibus non parvam dare pecuniam pro injuria coactis.

Sigismundus fit Rex Ungariæ.

Eodem anno Sigismundus frater Wenceslai Regis Germanorum & filius Caroli Imperatoris olim quarti, posteà & ipse Imperator Romanorum vir optimus interempto Carolo Rege per insidias Elisabethæ Reginæ apud Budam, ut anno priore scripsimus, consensu procerum in Regem Ungariæ electus & coronatus est: nec diu postea Ungari mutato consilio multas & varias ipsi posuerunt insidias, atque in fugam & captivitatem cujusdam comitis (licet brevi) compulerunt. Causam hujus turbationis talem scriptor quidam assignat. Cùm Rex Sigismundus Con-

Rex Sigismundus 32. Ungariæ proceres trucidavit.

cilium

cilium procerum apud Budam Ungariæ convocâſſet, Regina quorundam Ungariæ perfidiam principum coram Rege graviter accuſavit. Dedit Rex protinus ad cognoſcendum in cauſa Judices. Pro Regina contra delatos per deputatos fertur ſententia. Unde Rex volens in reos decernere juſtitiam, duos & triginta proceres regni capitibus truncavit. Erat Stephani Comitis puer aſtans, & videns tot cædem nobilium virorum, qui ubi & Dominum ſuum cerneret capite truncatum, in lachrymas erupit amaras; ad quem Rex Sigiſmundus: *Noli flere*, inquit, *ego ſum Dominus tuus, qui tibi, & plura & majora donare poſſum, quàm Stephanus dederit unquam.* Cui puer intrepidâ voce reſpondit: *Ego tibi pro Domino meo, quem innocentem occidiſti, Ungarus Bohemo ſerviturus ſum nunquam.* Quem Rex confeſtim decollari mandavit, ne videlicet invitus cogeretur ſervire Bohemo. Verum tantorum mors procerum cauſam multis diſcriminibus & incommoditatibus dedit. Nam ipſe Rex Sigiſmundus poſtea, ut diximus, à ſuis captus, & carceri mancipatus vix mortem evaſit. Quæ omnia in geſtis Ungarorum plenius continentur digeſta.

Puer propter Dominum ſuum perimitur.

Anno prænotato ruſtici & oppidani ſub dominio Abbatis S. Galli in Suevia conſtituti exemplo conjuratorum in ſuperbiam elati, conſueta præſtare ſervitia ipſi Monaſterio penitus recusârunt. Unde neceſſitate compulſus Abbas, fœdus & Ligam civium Regni ſubijt, quorum exercitum validum contra inobedientes ruſticos ſuos, qui vulgò Abbacellenſes nominantur, produxit. Ruſtici autem cùm eſſent inermes, nullam præliandi conſuetudinem habentes, mox ut hoſtes adventare ſenſerunt, juga montium conſcendunt, & ab altiſſimis atque præruptis cacuminibus lapides in adverſarios emittunt. Cives ergo conſiderantes, quòd latitantes in montibus ruſticos expugnare tutò non poſſent, retrò pedem traxerunt, amiſſis ſuorum quinquaginta atque ducentis, quos lapides demiſſi de montibus per ruſticos memoratos miſerabiliter oppreſſerunt.

Ruſtici S. Galli contra Abbatem Dominum ſuum rebellârunt.

Poſtea igitur quam cives Regni à perſecutione ruſticorum S. Galli ceſſarent, metuentes illi, ne forſitan eis deteriora impoſterum contingerent, ad conjuratorum ſeſe Suitenſium ligam & ſocietatem receperunt; à quibus gratulanter ſuſcepti, jam deinceps nullum pati jugum dominij didicerunt. Conglomerati ergo in unum contra Nobiles terræ vicinos, non minus crudeliter, quàm hoſtiliter proceſſerunt, eorúmque ruſticos atque ſubjectos, ne præſtarent Dominis ſuis conſueta ſervitia, cenſus & reditus, exemplo ſui in rebellionem omnimodam induxerunt.

Abbacellenſes ruſtici S. Galli conjurant cum Suitenſibus.

Nobiles itaque tantam conjuratorum injuriam diutius ferrè non valentes, Lupoldi Ducis Auſtriæ, ſub cujus militabant ſignis, auxilium implorabant; qui tandem victus eorum precibus (etſi admodum invitus) bellum, quod anno præcedente Suitenſibus indictum aliquot menſibus ex compacto intermiſerat, denuo fortius inſtaurat. Contractis igitur copijs, oppidum Sempach imprimis obſidione vallavit; contra quem adventantes conjurati Suitenſes commiſſum eſt bellum, & per utriúſque partis homines in multam horam acriter pugnatum. Campum tamen poſtremò pugnatores obtinuêre Suitenſes, & Ducis Lupoldi exercitus fuſus eſt. Ceciderunt in eo bello ex parte Ducis memorati plures quam Nobilium quadringenti, vulgarium tria millia, ſed & Dux ipſe Lupoldus in acie prima fuit occiſus. Nomina Comitum, Baronum, Militum atque Nobilium,

Lupoldus Dux à conjuratis victus occiditur cum multis.

Nobilium, qui in eodem prælio ceciderunt, quotquot invenire potuimus principalium, hæc fuerunt. Lupoldus sæpe dictus Austriæ Dux, Otto de Hochberg Marchio, Joannes Comes de Fürstenberg, duo Comites de Tierstein, Joannes Comes de Hasenburg, Fridericus Comes de Monstral, Walterus Comes de Gerolseck, Comes dictus Niger de Zolra, Walterus de Dek miles auratus, unus de Landeck, Martinus Maltener miles auratus, Otto de Waldburg eques auratus, duo de Griffenstein, duo de Stauffen, duo de Signovve, Albertus de Rechberg eques auratus, Udalricus de Tierberg miles, duo quoque de Klingen, duo de Andlovv, tres de Razenhausen, tres de Berenfels, tres de Rotberg, Wernerus de Flachsland miles, duo de Hattstadt, duo de Friburg, duo dicti Waldner, Hugo de Schönavv miles, Rudolphus de Landsperg, Werenterus de Lichtenfels miles, duo de Wisvvil, Joannes vom Hüff miles, Henricus de Lapide miles, Henricus Schellenberg miles, Berchtoldus Grat de Graez, duo de Hallvvil, Sigismundus de Tegerfeld, duo de Emps, quatuor de Eptingen, quatuor de Morsperg, quatuor de Rinach, duo dicti Gussender de Rechberge, unus dictus stör, item unus dictus zum Wiger, duo qui dicebantur Kletten, unus de Milheim, Burchardus de Masminster miles, duo de Mülinen, Morandus de Durmenstein, aliorum æquè nobilium virorum nomina, qui in bello memorato ceciderunt, invenire certò nequivimus, quorum numerum fuisse quater centum, supra jam diximus. Corpus autem Ducis Lupoldi cum alijs ferme quadraginta ad Monasterium Königsfeld cum honore delatum sepultum est. Post mortem verò ducis memorati, Lupoldus filius ejus in Ducatu Austriæ, & in reliquo principatu successit, qui mortem patris vindicare cupiens, se hostem conjuratorum litteris declaravit apertis. Cœperunt ad eum undique convenire nobiles armati, alius patrem, alius filium, alius fratrem in Suitenses optans vindicare. Quod ubi conjuratis innotuit, amicorum medio facta est unius anni spatio treugarum concessio instantibus ipsis, & sic feruor animi refriguit commoti. Cauta prudentia, quoniam multa, quæ ratione sanari nequeunt, tempore curantur. Factum est autem bellum atrox prænotatum anno prænotato, in mense Septembri, juxta oppidum Sempach, amplis in campis, ubi & Suitensium plures ceciderunt.

Nomina Principum atque nobilium in hoc bello per conjuratos occisorum.

Lupoldus junior patre perempto in Ducatu successit.

Anno item prænotato maxima crevit abundantia vini, maximè in partibus Mosellanis, cis Rhenanis in Suevia, & Francia orientali, atque in alijs multis regionibus. Unde præ ubertate vini defecerunt vasa tempore vindemiandi. Mira commutatio, tempore succedens in varium. Anno námque præterito plaustrum vini unum vendebatur pro florenis quatuor & viginti circa Rhenum, & isto anno pro uno floreno vendi vix potuit, cùm vas carratæ unius pro tribus florenis emeretur.

Vini abundantia ubique terrarum.

MCCCLXXXVII.

Anno Godfridi Abbatis septimo Indictione Roman. decimâ, factum est bellum inter Joannam relictam Wenceslai Ducis Brabantiæ & Luxenburgi, de qua supra diximus anno Godfridi Abbatis tertio, & Wilhelmum, comitem Hollandiæ, qui filiam Philippi Ducis Burgundiæ habuerat uxorem, una cum Wilhelmo Duce Geldriæ. Verum interponente vices suas Archiepiscopo Colonienſium, tandem ipsa contentio inter eos ad amicabilem concordiam reformata fuit.

His

His temporibus Monasterium S. Hereberti Tuitiense nostri Ordinis, quod Colonienses in vicinia urbis suæ positum ante decennium funditus destruxerunt, reædificatum, & per Fridericum Archiepiscopum denuo consecratum est, una cum Ecclesia parochiali Monasterio proxima. Monasterium Tuitiense restauratum.

Anno prænotato Urbanus Papa VI. Crucem prædicari mandavit contra Ottonem Ducem Brunsuicensem Germanum, quem olim triennio apud Brittannos diximus fuisse captivum, anno ut supra xxxi. Wignandi Abbatis, & Thomam Comitem de S. Severino, qui Neapolim occupaverat contra Ladislaum Caroli Regis Ungariæ filium, promittens contra illos euntibus pares indulgentias his, qui pro recuperatione terræ sanctæ contra Saracenos pergunt Hierosolimam. Parum tamen per hoc, imò nihil profecit, cùm nullus omnino inveniretur, qui arma in illos vellet sumere. Ludovicus autem Andegaviæ Dux, frater Caroli VII. Regis Gallorum, qui post pugnam de Apulia redierat in Galliam, denuo se parat in prælium, cupiens omnino sibi Regnum Neapolitanum subijcere atque Siciliæ, jus suum allegans hæreditarium. Misit ergo quinque Galeas armatas Neapolim in subsidium Ottonis Ducis, & Thomæ Comitis prædictorum, qui urbem ejus nomine occupabant contra Ladislaum filium Caroli quondam Regis Apuliæ & Ungariæ, qui eo tempore cum Matre Margaretha regina pro Regno patrio, favente Papa Urbano VI. bella gessit multa in Apulia. Mox autem ut naves jam dictæ in portum applicaverunt, reginæ memoratæ tres in littore naves offenderunt armatas, ad impugnandam civitatem adductas, quarum duas ceperunt interfectis omnibus, tertia salutem fugiens obtinuit. Ludovicus verò Dux Andegaviæ cum Neapolitanis contra Urbanum Papam cum Antipapa sensit Clemente, pro cujus amplianda auctoritate omnia, quæ potuit, libenter faciebat. Ludovicus Dux Andegaviæ contra Urbanum militat.

Clemens igitur in favorem ipsius Ludovici licentiam dedit Ottoni Brunsuicensium Duci & Comiti S. Severini memoratis, qui Neapolim pro parte ejus occupabant, ut de cunctis Ecclesijs & Monasterijs in Neapoli & alijs urbibus, quotquot haberentur calices, vasa & Clenodia, tam aurea quàm argentea, licitè acciperent venderéntque, aut conflarent in monetam, & stipendia militibus inde exsolverent. Qui mox concessâ potestate sibi à falso Pontifice omnes ornatibus suis & vasis spoliaverunt Ecclesias, & res Deo dicatas in usus militantium sæculo converterunt. Clemens Antipapa concedit vasa Ecclesiæ pugnantibus.

Multa his temporibus, & per plures quidem annos, in Regno Apuliæ bella gesta sunt inter Civitates, & oppida, quæ Margaretæ Reginæ uxoris quondam Caroli Ladislaique filij ejus partes tuebantur, & eas quæ Ducem Andegaviæ Ludovicum, ut dominum sequebantur. Quorum ratione penuria victualium in omni Regno subsequuta est maxima, & multa millia Hominum ac jumentorum fame perierunt.

Pontifices verò inter se Papatus pro dignitate contendentes, Urbanus videlicet sextus & Clemens nomine septimus, alter alterum in diebus festis, atque solemnibus cum sequacibus suis, ut schismaticum nominabat, atque pronuntiabat excommunicatum. Hac eorum de Summo Pontificatu contentione pernicioſissimâ, & licentia delinquendi dabatur improbis, & scandalum ingens offendiculi bonis & innocentibus. Pontifices duo se mutuo excommunicant.

MCCCLXXXVIII.

Anno Godfridi Abbatis octavo, indictione Romanorum undecimâ,

Conradus fit Archiepiſcopus Moguntinus.

moritur Adolphus ex Comitibus de Naſſauvv Archiepiſcopus Moguntinus, & in majori Eccleſia Metropolitana Moguntiæ ſepelitur. Poſt quem Conradus ex Comitibus de Winſperg ejuſdem Eccleſiæ Canonicus in Archiepiſcopum eligitur, & confirmatur ab Urbano Papa ſexto. Præfuit annis ferme ſeptem, vir ſenex & bonus.

Wernherus fit Archiepiſcopus Trevirorum.

Eodem anno Cuno de Falchenſtein Archiepiſcopus Trevirorum ſenio gravatus, & ad regimen tanti Pontificatus deinceps minus idoneus, de conſenſu Canonicorum ſuorum paſtoralis curæ ſolicitudinem, regiménque depoſuit, & ad vitæ privatæ tranquillitatem ſe dedit. Erat vir ſtrenuus Jurium libertatúmque ſui Pontificatus defenſor acerrimus, qui non ſolum adepta conſervare, prudenter ſingulis ſingula ſicut oportebat diſtribuit, ſed etiam plura de novo congregavit. Poſt Cunonem ipſo curante & promovente Wernherus ex Comitibus de Falckenſtein Nepos ejus, per Canonicos in Archiepiſcopum Trevirorum unanimi conſenſu eligitur, & per Urbanum Papam ſextum ex more confirmatus eſt, atque in menſe Majo à Capitulo & Civibus Treverim intrans gloriosè ſuſceptus. Præfuit autem in Archiepiſcopatu annis ferme 30. in omni ſollicitudine, providentia, manſuetudine & pietate, Regibus & Principibus gratus. Cuno autem poſt reſignationem Archiepiſcopatus ad quietem vitæ privatæ reverſus, theſaurum quem habuerat in auro & argento, de Conſenſu nepotis, & Canonicorum, penes ſe occultum retinuit, & Caſtellum Eccleſiæ, quod nominatur Wolmick, in manſionem accepit. Ubi non diu ſupervivens, anno ſequente in menſe Junio ab hac vita migravit, ſepultus apud Confluentiam in Collegiata Eccleſia S. Caſtoris. Cui Wernherus nepos exequias ordinavit ſolemnes, Friderico Archiepiſcopo Colonienſium, & Ruperto Comite Palatino perſonaliter aſtantibus una cum Oratoribus omnium ferè Germaniæ Principum. Poſt cujus mortem Wernherus nepos atque ſucceſſor incredibilem penes eum reperit theſaurum in pecunia prompta, in auro, in argento, & in Clenodijs pretioſis. Omnia quóque promptuaria Eccleſiæ Treverenſis victualibus erant plena, & Eccleſia ipſa nullis penitus debitis involuta. Ex eo tempore uſque in præſentem diem per annos quatuor & viginti ſupra centum ad tantas omnium rerum divitias Eccleſia memorata Trevirorum nunquam pervenire potuit.

Cuno moriens ingentem ſucceſſori theſaurum relinquit.

Wernherus enim quamvis ad Pontificatum indubitanter per omnia videretur dignus, utpote qui multa fecerit Eccleſiæ bona, tamen moriens tantum poſt ſe theſaurum ſucceſſori non dimiſit, quantum penes anteceſſorem ſuum ipſe legitur inveniſſe. Hujus rei cauſam fama incolarum Trevirenſium Diœceſis nobis talem aſſignat. Wernherus enim Archiepiſcopus magnitudine theſaurorum inſatiabilis factus ſimul & curioſitate vanâ ſeductus, multis in Pontificatu annis Alchimiæ dedit operam, quod ut verum demonſtremus, duobus citò fiet manifeſtum: altero, quia notorium eſt uſque in præſentem diem apud Confluentinos, quòd in Caſtello ſuo juxta littus Rheni dictum Capella, in oppoſito oppidi Lanſtein Alchimiæ vanitatis Profeſſores annis plurimis ſecretò tenuit operantes: altero manifeſtum erit hujus in eo vanitatis teſtimonium, quia libri exſtant hodie plures de Alchimia nomine ejus inſcripti, quorum vidimus nonnullos. Et præter hos nobis conſtat manifeſtè ab annis plus minus quadraginta informatis famâ omnium Trevirenſium ferme publicâ, quòd Wernerus

nerus Archiepiscopus in dicto suo Castello pluribus annis inani operam dedit Alchimiæ: communis denique opinio est, magnum in eodem Castello auri & argenti sub terra latere thesaurum ab ipso Wernero quondam Archiepiscopo ibidem secretè absconditum. Unde Joannes ex Marchionibus de Baden quartus post illum Trevirorum Archiepiscopus ante annos ferme viginti, famâ latentis thesauri concitatus, & per Jasonem Poëtam quendam ex Apulia profugum presbyterum inductus, cùm sub terra mandâsset inquirere, nihil aliud, quàm ridiculum meruit invenire. Vanæ sunt multorum opiniones multæ, non solum Alchimistarum, sed eorum etiam penè omnium, qui thesauris sub terra defossis operam navant inquirendis; nam & ipse memoratus jam Archipræsul Joannes Princeps alioquin pientissimus contra suorum omnium consilia per annos 12. in Castello suo Cunenengen Georgium ex Croatia oriundum, & à Turcis, ut asserunt, fugatum continuè in Alchimia tenuit operantem. Qui tertio decimo deinceps anno, ubi spem artis consummatæ perdidisset, clam aufugit: & quàm sit vana promissio artis, deceptos manifesto docuit argumento, non amplius reversurus. Ferebant mihi notissimi Pontificis à secretis, ex hac eum vanitate damnum haud minus triginta millium incurrisse florenorum, quanquam Præsul hoc ipsum coram me & alijs multis sæpe negaverit, erubescentiam forte pro mercede consecutus. Dux quoque Wirttenbergensium Eberhardus ejus nominis secundus in mille florenorum stipendio, quid Georgius ille posset in Alchimia Croatus, scire voluit. Henricus memorati Archiepiscopi Camerarius vir certè optimus & civis Confluentinus omnem substantiam suam Alchimiæ philocæptis credidit, & adeo pauper evasit nudúsque, quòd liberis cum uxore dimissis exilium sempiternum & hactenus omnibus nobis incognitum fugiendo subire compulsus fuerit. Quid si adijciam plures quidem mihi notissimos, qui temporibus nostris cupidine artis, ne dicam intactæ meretricis Alchimiæ seducti, miseriam inciderunt extremam. Bernardus Abbas in Northeim Saxoniæ oppido nostri Ordinis simul, & observantiæ regularis, moriens ante sex ferè annos abhinc retrò, Monasterium suum in decem nec minus florenorum millibus obligatum ære alieno dimisit; cujus gravaminis causa principalis & major, sicuti certò cognovimus, Alchimia fuit: quanquam non defuerint, qui debitum ab eo contractum ad florenorum 12000. omne taxaverint. Pluribus námque annis nec paucos in Alchimia operantes in suo Monasterio primo secretè, posteà manifestè habuit, quibus non modica impendit.

Joannes Archiepisc. à Professoribus Alchimiæ decipitur.

Bernardus Abbas in Northeim Alchimistarum Mecœnas.

Andreas Montis Monachorum prope Bamberg Abbas Ordinis & ipse memorati, à profanis Alchimiæ inquisitoribus in officinam vanitatis introductus, per annos quinque aut sex pro amore virgineæ meretricis Alchimiæ (quam ab origine orbis conditi plures habere cupientes semper intactam reliquerunt) non sine spe magna laboravit: verùm expositis tribus aut quatuor florenorum millibus, posteaquam domina Alchimia suum non consentiret communicare amorem, præferens nuptijs novis suam antiquissimam, imò perpetuam virginitatem, pedem Andreas retraxit, & comitante verecundiâ pudicum lupanar exivit.

Andreas Bambergæ Abbas amorem pulsat Alchimiæ.

Alchimia semper intacta meretrix.

Carthusiensium Prior apud Nürenbergam oppidum insigne, amore æstuans nimio, complexibus se fruiturum sperabat ejus, quæ ab origine mundi

Nürenbergæ Carthusianus Prior Alchimiam prosequitur.

mundi admisit nullum, incomprehensibilis Alchimiæ; officinam inoperabilis scientiæ onustus pecuniarum intravit, pluribus in ea latuit annis, miranda tentavit; Dominam tamen Alchimiam in abditis se continentem nec vidit, nec audivit. Quasdam tamen ancillulas in ergasterio vanitatis paulatim cœpit ex consuetudine habere familiares (quarum ista sunt nomina: sophisticatio, deceptio, simulatio, falsitas, impossibilium præsumptio, spes vana, & plures quasdam alias, quarum mos est intrantibus in officinam illudere) quas sequutus pulcherrimam atque castissimam se habere Dominam Alchimiam putavit, dum fœdissimis atque loco ejus suppositis abuteretur meretriculis, quæ nullis parcunt officinam vanitatis ingredientibus.

Bonus autem ille Prior posteaquam annis in ergasterio latuerat multis memoratæ vanitatis, sumopere cavens, ne studium amoris, quo urebatur, in Fratrum suorum notitiam deveniret, consumptis, quas introduxerat, pecunijs, tandem cœpit egere. Ejectus ergo foras cum ignominia pater serò vix tandem suum agnovit errorem. Redeuntem de officina stulti amoris, quædam sequebantur non superandæ sorores, videlicet, inopia, tristitia, confusio, & desperatio. In publicum res deducta est, à Prioratu homo depositus, & carceri mancipatus, brevi melancholiâ vitam cum morte commutavit. Domum sibi commissam Carthusiæ gravatam ære dimisit alieno pondere XII. millium florenorum. Nota sunt hæc & omnibus Nürenbergæ habitantibus hodie manifesta, ubi sola in culpam vocatur Alchimia.

Melchior de Moka Episc. Brixinensis, Alchimiæ cultor.

Melchior de Moka Germanus & Præpositus Misnensis in Saxonia, Ecclesiæ Brixinensis in Bavaria Episcopus ac postea à Julio Papa II. S. R. E. Cardinalis creatus homo prudentiâ in mortalibus, & iñatâ parcitate dives, quippe Præsul unum propinatum, tertiò vendidit lepusculum; cùm ante annos fermè sex Romæ moreretur, in pecunia prompta vasisque aureis & argenteis Pontifici memorato dimisit plus quam centum octaginta sex millia florenorum; non Alchimiæ beneficio, ut vociferantur non existentis scientiæ professores, hæc tanta Melchior cumulavit, sed minore potius & nimiæ tenacitatis observantiâ sempiternâ. Constat tamen Alchimistarum contubernio haud mediocriter fuisse delectatum, à quibus damnum reportavit non modicum. Unum novi hujus vanitatis ministrum, à quo in ergasterio artis trium millium florenorum subivit dispendium: per alios quoque plures eum frequenter novimus fuisse deceptum. Indulgeat tibi Deus, ô mendacij confictor Boville, qui una in epistola tua ad Germanum Ganoy congallum tuum, & me Trithemium Abbatem tunc in Spanheim mentitus es magum seu necromanticum, & è fratribus meis nonnullos Alchimiæ vanitatibus intentos, in caput tuum, iterum dico, mentitus es Bove rudior Boville, quòd pravis concedis artibus, quod non intelligens ars per naturam operatur. In animam juro meam, quòd magiæ superstitiosæ operam dedi nunquam, neque theatrum Alchimiæ intravi, neque fratrum meorum aliquis intendit hisce vanitatibus. Si tempus mihi datum fuerit otij tanti, mendacia tua, in te Boville, scriptis refundam: si quo minus, ad Dei tribunal suo tempore citatum esse volo injurijs responsurum.

Anno

Anno Dominicæ Nativitatis prænotato, Lupoldus Junior Dux Austriæ senioris à conjuratis occisi filius, confœderatus cum Joanne de Werdenberg comite, Donato de Dokenburg, & pluribus alijs tria ferè millia Pugnatorum coadunavit, ingressúsque vallem Glarensium in vindictam paternæ necis omnia devastavit. Glarenses in auxilium convocatis socijs exercitum penè mille virorum in hostes ex tempore produxerunt, factóque in modum furentium bestiarum impetu, statim ex Ducalibus viros mille atque ducentos occiderunt, ex suis ferme centum occisis. Victores elati omnia quæ Ducis fuerant in circuitu, igne & ferro penitus desolârunt.

Lupoldus Junior Dux Austriæ bellum indicit Suitensibus.

Eodem anno Cives & oppidani Regni factâ inter se confœderatione Comitibus de Wirtenberg denuo bellum indixerunt. Cujus quidem expeditionis hic ordo qui sequitur. Ex oppido Sueviæ Ulma lanceati pugnatores missi sunt 83. ex civitate Constantiensi 54. ex oppido Wilæ 120. ex oppido Nörlingen 54. ex oppido Heilbrunn 54. ex Gamündia oppido 22. Ex oppido Rottvvill 33. ex oppido Eslingen 32. ex Wissenburgo Sueviæ 10. Ex oppido S. Galli 8. ex Memminga oppido 27. ex oppido Reuttlingen 60. ex oppido Rottenburg 36. ex Buchorn 3. ex Dinkelspil 12. ex Bibrach 15. ex Pfullendorff 9. Ex Überlingen 30. ex Ravenspurg 18. ex oppido Nürnberg 72. ex oppido Winsheim 7. ex civitate Argentinensi 20. ex civitate Basileensi 70. ex oppido Wasserburg prope Lindavv 2. ex Hagenvveile, 4. ex Spira civitate 13. ex civitate Wormatia similiter 13. ex Moguntia 25. ex oppido quoque Francfurtensi 25. ex diversis etiam locis mercede conductos ad bellum complures in sua parte habuerunt non solum pedites, sed Equites quoque multos, per omnia viros ad bellandum peritissimos.

Cives Regni bellum indicunt Wirttenbergensi.

Convenerunt itaque ex parte memoratarum Civitatum Regni viri pugnatores cum longis hastis 1000. sagittarij quoque 1000. levis armaturæ equites & pedites 1000. atque nudorum sine armatura hominum similiter 1000. prædam sequentium. Cum multitudine terram Comitis Wirtenbergensium ingressi, omnia ferro & incendio per circuitum devastare cæperunt, plura pauperibus damna inferentes. Inter alia verò Cœmeterium villæ prædicti Comitis Töffingen nuncupatum haud procul ab oppido Wila 23. die mensis Augusti obsidione cinxerunt.

Exercitus fuit 4000. virorum.

Quod mox ut Comitibus innotuit, bellum in eos movere statuerunt. Erant in parte Comitum missi à Ruperto Comite Palatino Rheni de Heidelberg quingenti viri, qui ab hastis, quas ferebant, lancearij dicebantur. Marchio quoque Badensis Junior, Episcopus Constantiensis, & alij quidam Principes in auxilium eorundem plures miserunt armatos, erátque summa exercitus Comitum de Wirtenberg Lanceariorum Equitum sexcenti, peditum verò non minus quàm duo millia ducenti.

Exercitus Comitum de Wirttenberg 2600.

Congressione igitur factâ in die Dominica ante festum S. Bartholomæi Apostoli anno Christianorum prænotato non longè ab oppido Wila pugnatum est acriter, sed Comitibus de Wirtenberg postremò cessit victoria. Ceciderunt in eo prælio ex parte Civitatum 1500. viri: Equites quoque eorum omnes simul & Capitanei, aut cæsi sunt, aut in captivitatem abducti. Ex omni eorum numero pauci eorum per fugam salvati sunt, reliqui omnes captivi.

Cives sunt victi & majorem exercitus partem amiserunt.

Udalricus Junior Comes de Wirttenberg cum paucis cecidit.

Ex parte verò Comitis Eberhardi Wirttenbergenſis in acie prima ceciderunt filius ejus Udalricus Comes Junior, & alius Comes de Levvenſtein, cum 20. Equitibus, & Miniſterialibus. Ex parte verò Palatini Stephanus de Henſchusheim cum alijs Miniſterialibus tribus occubuit: & ſic iſta Civium confœderatio perijt.

His quoque temporibus Gymnaſium univerſale in Civitate Colonienſi per Senatum & majores Urbis erigitur, & poſtea per Bonifacium Papam IX. qui Urbano VI. immediatè ſucceſſit, cum privilegijs & libertatibus conſuetis confirmatur, cujus primi Doctores ex ſchola Pariſiorum mercede conducti adveniſſe memorantur. Sed nota, quòd à multis retrò annis ſtudium Divinarum ſcripturarum viguit apud Carmelitas, & Prædicatores in Colonia, & Lectiones publicè per eoſdem legebantur: quia tamen Confirmatio Sedis defuit Apoſtolicæ, Generale ſtudium nuncupari non potuit, quo uſque tandem & illa favorabiliter acceſſit.

Cives Regni contra Rupertum Palatinum arma corripiunt.

Anno prænotato poſt bellum inter Cives Regni, & Eberhardum Comitem de Wirttenberg apud Töffingen habitum, de quo jam plura diximus, aliud contra Comitem Palatinum Rupertum per eoſdem Regni Cives prope Wormatiam ſimili eorum calamitate factum eſt. Cives námque Moguntinenſes, Wormatienſes, Spirenſes cum 600. viris armatis terram Palatini Comitis ingreſſi, omnia igne & ferro crudeliter devaſtare cæperunt. Palatinus ergo contractis mox copijs aciem in illos ordinavit, & congreſſione factâ haud procul à Wormatia ducentos eorum interfecit, trecentos abduxit captivos, centum fugâ lapſi ſunt. Inter Captivos fuêre 60. Viri latrones, qui multo tempore in territorio vagantes in occulto, vel etiam nocturno tempore ſpolia verunt itinerantes, & multam pauperibus furicolis preſſuram incendio, & rapinâ crebrius intulerunt.

Hos 60. Raptores ſegregatos ab alijs Princeps in fornacem calcis fortiter ardentem præcipitari mandavit, dicens: *Vos pauperes meos rapinâ & incendio nocturno tempore in tenebris devaſtare non timuiſtis: & ego vos claro die, multo inſpectante populo faciam concremari.* Acta ſunt hæc anno Godfridi prænotato, feriâ VI. ante Feſtum S. Martini prope Wormatiam: reliqui verò in captivitatem acti, multis ſe redimere pecunijs compulſi ſunt.

Nobilium plurimorum conjuratio contra Civitates Regni.

Bis jam turpiter victi Cives Regni à Principibus, jam deinceps bellum eis indicere publicum non audebant, ſed humiliati & confuſi temeritatis ſuæ pœnas ſerò tandem intellexerunt. Ex eo námque tempore, non dubium diſſimulatione Principum, tot Cives ex Militarium ordine hoſtes vel adverſarios habuerunt, ut portas Civitatum & oppidorum egredi tutò nulli penitus liceret. Unde liga ſeu confœderatio eorum fuit iterum diſſipata, nec pacem invenire potuerunt, quouſque animos Principum multis pecunijs datis ſibi conciliâſſent.

Cives Frankenfurt. ab illis de Cronenberg ſuperantur.

Anno etiam prænotato magna inter Cives oppidi Regalis Frankenfurt, & armigeros ſeu nobiles de Cronenberg fuit ſuborta diſſenſio, quæ brevi crevit in tantum, quòd Cives memorati recenſitis octingentis viris armatis dominium illorum de Cronenberg eis vicinum hoſtili apparatu intraverunt. Contra quos Adverſarij licet numero pauciores, viriliter proceſſerunt in pugnam, commiſſóque atrociter bello ceciderunt ex parte Frankofurtenſium centum viri, 600. fuêre captivi, reliqui 200. ſalutem fugâ quæſierunt.

Poſt

Posthæc Frankofurtenses necessitate compulsi, conditiones pacis, quas illis imposuêre victores, acceptantes, pro liberatione captivorum LXX. millia florenorum in pecunia numerata dare coacti sunt. Et ex illo tempore Cronenbergenses, qui prius erant pauperes, magni & divites facti sunt.

Monstrum nascitur in Bopart oppido.

Eodem anno in oppido Regni Bopart juxta flumen Rheni Trevirorum Diœcesis natus est puer monstruosus de fœmina, qui ab umbilico sursum ventre divisus erat, homo per omnia duplex, brachia habens quatuor, & capita duo: ab umbilico verò deorsum homo extitit in omnibus unus. Consultus Archiepiscopus Trevirorum Wernherus, utrum sub unius, an duorum deberet nomine baptizari; factâ inquisitione duos homines esse reperit, duósque baptizari remandavit, qui tamen ambo successivè illo anno vitam cum morte mutârunt.

Winsheim Regale oppidum capitur ab Episcopo Herbipolensi.

Hoc ipso anno Gerardus ex Comitibus de Schvvarzenburg Episcopus Herbipolensis Ecclesiæ, & Orientalium Dux Francorum, auxilio Lamberti Babenbergensis Episcopi, & Joannis Burggravij Norinbergensis oppidum Regni Winsheim obsidione cinxit, quod tandem expugnans in suam potestatem accepit. Verum quia ad jus Regni pertinet, nec alium habet Dominum, quam solum Regem Germanorum, coactus fuit postea cedere, & oppidum ipsum resignare.

Et oppidũ Schweinfurt.

Posthæc memoratus Episcopus obsedit etiam Schvveinfurt oppidum Regni, & oppidanos in abnegationem Ligæ cum Civitatibus contractæ jurare compulit; simili de causa, & plures alij Principes viciniora sibi oppida Regni obsidione cinxerunt, multis & varijs Cives calamitatibus & incommodis afficientes. Omnium istorum causa malorum fuit Wenceslaus Rex, qui cùm inordinatissimæ esset vitæ, & plura in Regnum committeret mala, timens ne deponeretur à Regno, Ligam & confœderationem & bella Civibus contra Principes persuasit & indixit. Multis promisit multa, sed omnes in tribulatione dimisit.

Wenceslaus Rex causa malorum.

MCCCLXXXIX.

Anno Godfridi Abbatis nono, Indictione Romanorum duodecimâ Wenceslaus Rex Germanorum convocationem Principum apud Frankofurt Regni oppidum indixit, in qua Wilhelmum Montensem Comitem, sive Marchionem cum solemnitate & pompa magna in Ducem sublimavit.

Urbanus Papa sextus Romæ moritur.

Eodem anno Urbanus Papa sextus ordinatis uno die novem & viginti Cardinalibus Romæ moritur: & in Ecclesia S. Petri Apostolorum Principis tumulatur; flentibus paucis mortem ejus, propter duritiam & rusticitatem, quibus gravis, & inexorabilis, & austerus nimium videbatur esse mortalibus. Post cujus obitum Petrus Tomacellus patriâ Neapolitanus annum ætatis agens quartum atque tricesimum consensu omnium Cardinalium Romæ tunc existentium in Papam electus fuit, & Bonifacius in sua obedientia nuncupatus. Præfuit autem Romæ annis sedecim, Clemente septimo, ut supra diximus, apud Avenionem in Gallia se gerente pro Pontifice. Bonifacius ergo Pontifex creatus etsi junior ætate, ita tamen deinceps vixit in tam florida ætate, ut nulla ei libido, nulla voluptas impingi vel objici posset: quippe qui juventutem cum ipsa senectute commutâsse videbatur. In eruditione scripturarum modicus fuit, sed tamen prudentiâ & animi magnitudine nulli secundus, utpote qui primus Pontificum omnium populi Romani vim & auctoritatem omnem in Pontificem

Bonifacius Papa fit Romæ nonus.

transtulerit creatis ſuo nutu magiſtratibus omnibus, quod antea fecerat nullus. Iſte memoratus Papa Bonifacius nonus ad inſtantiam Regis, & Principum Regni Sueciæ atque Norvvegiæ Brigittam viduam, & peregrinam pro Chriſto admirabilem anno Pontificatus ſui ſecundo, die menſis Octobris ſeptimâ, Sanctorum Catalogo dignanter adſcripſit: quam Canonizationem ejus etiam Martinus poſtea quintus Papa Florentiæ conſiſtens anno ſui Pontificatus ſecundo confirmavit. Dies autem Feſtus ſive Natalis ejus viceſimâ tertiâ die menſis Julij celebratur, de qua latius ſupra diximus anno Wignandi Abbatis Hirſaugienſis nono.

Sancta Brigitta vidua canonizatur.

His temporibus confœderati, quos vulgò Suitenſes appellamus, gens ferox, & libertatis nimium amatrix multa contra Ducem Auſtriæ Lupoldum Juniorem, Comites quoque de Habſpurg, Kyburg, V Verdenberg, & alios nobiles vicinos commiſit mala. Summo námque ſtudio, ac totis viribus omnes ſubditos oppidanos, & ruſticos longè latéque per circuitum in ſuam ſocietatem laborabant allicere, & contra principes eorum, & proprios Dominos in rebellionem concitare: accedentes ſuâ ſponte liberaliter in ſocietatem admittebant: contradicentes verò minis & armis violenter compellebant. Reſiſtentium oppida, caſtra, munitiones, & fortalitia penè incredibilia numero, brevi tempore ceperunt, & plura funditus everterunt, ditionem ſuam quotidiè nimis ampliantes.

Suitenſes oppidum Nydow obſident & capiunt.

Caſtellum erat, vocabulo Nydovv, antiquâ Comitum generatione quondam inſigne, ſed jam tunc receptaculum, & ſpelunca Raptorum. Bernenſes igitur cum Soloturnenſibus contractis ſuorum copijs Caſtellum Nydovv obſidione fortiſſimâ cinxerunt; & non minus in nocte, quàm in die machinarum inſtructione fortiter impugnârunt. Hi verò, qui Caſtrum inhabitabant illo tempore, omnes erant Latrones & Raptores, qui viatoribus cunctis inſidiabantur, nemini parcentes: neque inter amicos aut inimicos ullam diſcretionem habentes, ſed omnes unâ ſententiâ quoſcunque obviantes deprædabantur, aut in vincula conjecerunt. Et in primis quidem annexum caſtello oppidum per vim ceperunt ingentem: ſubmiſſóque igne funditus deſtruxerunt, habitatoribus in Caſtellum ſeſe recipientibus. Poſtremò etiam Caſtellum ipſum per deditionem obtinuerunt, in quo tam ſuorum, quàm aliorum plures invenêre captivos, ſecretiſſiméque detentos. Inter quos fuit Epiſcopus unus ex Portugallia Ulliſſiponenſis, & Abbas quidam cum eo ex Regno Portugalliæ, ambo captivi, & cunctis bonis ſpoliati, quos Romanus Pontifex pro certis Eccleſiæ negotijs ad Principes miſerat in Germaniam. Qui per latrones capti & ſpoliati ad memoratum Caſtellum Nydovv ſecretiſſimè fuerunt abducti, & vinculis mancipati, nullo Principum ſcire potente, quorſum perveniſſent. Liberati autem & veſtiti à Bernenſibus per Longobardiam reverſi ſunt ad Pontificem: Deo gratias agentes, & ipſis liberatoribus ſuis; trecentos enim Ducatos Bernenſibus remiſerunt, quos tam pro viâtico, quàm veſtimentis mutuos ab eis acceperant: & ultra hos mille ducatos in refuſionem expenſarum pro Caſtro erogatarum eis ſimiliter miſerunt.

Captivus Præſul à Bernenſibus liberatur.

Anno prænotato mortuus eſt Godfridus ejus nominis ſecundus hujus Monaſterij Hirſaugienſis in ordine Abbatum quintus, atque triceſimus, anno regiminis ſui nono completo, cum diebus quadraginta quatuor, in Eccleſia Monaſterij majoris cum Patribus ſuis honorificè ſepultus. Reliquit

Godfridus Abbas hujus loci moritur triceſimus quintus.

quit Monasterium in utróque statu sicut invenerat, satis desolatum, ære videlicet gravatum alieno, Monachos pravâ libertate contra normam Regulæ conversantes.

De Wichardo ejus nominis tertio hujus Monasterij Hirsaugiensis Abbate XXXVI. qui præfuit annis XI. & de gestis illius temporis.

Wichardus tertius fit Abbas hic triceſimus ſextus.

ANno prænotato Dominicæ Nativitatis MCCCLXXXIX. Indictione Roman. XII. post mortem & sepulturam Domini Godfridi Abbatis hujus Monasterij Hirsaugiensis XXXV. convenientes in unum Prior, & FF. Conventuales simul, & de Prioratibus Abbatiæ huic subjectis, quibus Jus in Electione competebat, seclusis omnibus, ac præmissis orationibus consuetis ad Electionem novi Pastoris unanimiter processerunt; scrutatis igitur ex more votis eligentium singulorum VVichardus Monachus ejus nominis jam tertius in Abbatem eligitur, qui confirmatus & benedictus ab Adolpho Spirensium Episcopo, præfuit añis XI. De cujus vita, moribus & gestis nihil specialiter scribere potuimus, utpote qui monimenta litterarum aut nulla, aut certè pauciſſima habemus de ejus conversatione.

MCCCXC.

Diethardus de Katzenelenbogen devaſtat Colonienſes.

Anno primo VVichardi Abbatis, Romanorum Indictione XIII. Diethardus Comes de Katzenelenbogen contra Cives Colonienses animum gerens hostilem multa in eos commisit mala Friderico Archiepiscopo respiciente per digitos. Hujus Diethardi filius fuit Philippus ultimus Comes de Katzenelenbogen, qui nostris temporibus moriens sine virili semine unicam reliquit filiam, quam Hassiæ Comes VVilhelmus accepit uxorem, & cum ea Comitatum Philippi obtinuit cum multis divitijs.

Eodem anno Joannes Palatinus Comes Rheni, Bavariæ, Brabantiæque Dux, Hannoniæ, Hollandiæ & Seelandiæ Comes filius Alberti Ducis, & nepos quondam Ludovici Imperatoris IV. annum ætatis agens nonum decimum, in Episcopum Leodiensis Ecclesiæ postulatur, & in Civitatem pomposè inducitur. Fratrem habuit nomine VVilhelmum natu majorem, qui Patri mortuo in Principatu successit. Quo etiam sine virili semine vita defuncto, cùm ejus unica filia viro accepto patris sibi Ducatum usurparet, Joannes patruus se opposuit, dimissóque Episcopatu uxorem duxit, & terram Fratris occupavit.

Anno prænotato, primo die Septembris mortuus est Craffto Abbas Monasterij quondam mei Spanheimensis anno ætatis suæ LIX. Cui successit Philippus ejus nominis secundus, qui præfuit mensibus duntaxat 6. & 18. diebus. Quo etiam mortuo Bernardus Monachus ex oppido Spanheim oriundus, præfuit annis 41. mensibus 3. & 9. diebus, vir prudens & satis idoneus. Veruntamen desolationem Monasterij in utróque statu nimiam reformare non potuit propter malitiam temporum, & inveteratam socordiam Monachorum.

Anno item prænotato Stephanus Dux Bavariæ magnis precibus atque muneribus à Florentinis conductus, in manu suorum valida intravit Italiam

liam contra Galeatium Mediolanensem, quem VVenceslaus Rex paulò ante sine consensu Principum ex Vicecomite sublimavit in Ducem, obtentísque nonnullis Castellis & munitionibus Adversarij cum pace reversus est.

Ladislaus à Papa in Regem Neapolitanum coronatur. Nota.

Eodem anno Bonifacius Papa IX. misit Angelum Cardinalem Florentinum cum honesta Comitiva Legatum in Neapolim ad coronandum in Regem Ladislaum filium Caroli Regis Ungariæ, qui uxorem duxerat filiam Manfredi Comitis de Claromonte in Sicilia, cum qua ab ipso patre ingentem suscepit thesaurum in pecunijs auro & argento, & lapidibus pretiosis.

Ludovicus Andegaviæ Dux contra Ladislaum ab Antipapa erigitur.

Contra hunc Ladislaum Clemens Papa VII. qui contra Bonifacium in Avenione residebat, Ludovicum Andegaviæ Ducem Caroli VI. Regis Gallorum fratrem anno præterito in Regem Apuliæ, Siciliæ & Jerusalem coronavit, qui & Neapolim eo tempore, sicut diximus, prius occupabat. Per multos igitur annos hi duo Reges Ladislaus & Ludovicus inter se pro Regno Apuliæ, Siciliæ & Jerusalem gravissima gesserunt bella, plurimum effundentes humani sanguinis in terra, & multiplicantes contentiones. Bonifacius iste Papa IX. tres habuit fratres, quos multum in honoribus & divitijs hujus mundi sublimavit: unum námque Marchionem constituit in Marchia Anconitana: & alios duos in singulis locis alijs Principes fecit, & nimium exaltavit. Eorum tamen filij justo Dei judicio ad extremam postea devenerunt inopiam, ut eorum exemplo monerentur omnes, non esse duraturas apud Laicum divitias, quæ surripiuntur de Ecclesia.

Bona Ecclesiarum Laicis data paupertatem finaliter inducunt.

MCCCXCI.

Anno Wichardi Abbatis secundo, Indictione Romanorum XIV. Gerhardus de Schvvarzenburg Episcopus Herbipolensis novum in civitate Castellum ædificare cæpit, in eo loco, quem porcorum foveam, vulgariter Schvveingrube nuncupant Incolæ. Verum quia in maxima fuit eo tempore dissensione cum Civibus, ut consequenter patebit, inchoatum ædificium, obstante, non dubium, rebellione Civium, consummare non potuit.

Jacobus Armigniaci Comes à Gallia venit in Longobardiam.

Hoc ipso anno Florentini Cives bellum adversus Galeatium Mediolani novum Ducem continuantes Armigniaci Comitem in auxilium ex ulteriori Gallia proposito magno pecuniarum stipendio in Longobardiam vocârunt. Qui quidem Comes nomine Jacobus, tametsi postulata primum recusaret, suorum tamen non minus consilio, quàm auri fame seductus tandem consensit, & collectâ pugnatorum manu validâ in Longobardiam properavit. Superatis verò non sine labore alpibus Alexandriam Mediolani Ducis oppidum in primis obsidione vallavit, in quo Dux præsidium antea posuerat validum simul & occultum. In insidijs quoque alteram exercitus turmam secretam locaverat non modicam, omnia Comite non suspicante. Itaque obsidente urbem Armigniaco, & illis qui circum sidebantur simulantibus formidinem, Dux insidiantes quosdam ex suis latentibus jubet emitti, quales levis armaturæ appellant, qui ad conflictum provocarent obsidentes: in quos proruentes Armigniaci milites aliquot, dum eos longius persequuntur, fugam simulantes hostis ex insidijs procedit. Quod ubi animadvertit Comes, laborantibus suis subvenire

nire mox festinat; & accepto signo confestim Alexandrini eruptione factâ Comitem Armigniacum cum suo exercitu inter se, & eos, qui latuerant in insidijs, ex omni parte concluserunt. Atrox pugna committitur, & multis crudeliter occisis etiam ipse Comes octo vulneribus acceptis non multo post clamans: *In manus tuas Domine commendo Spiritum meum*; vitam commutavit cum morte crudeli.

Comes Armigniaci vulneratus moritur.

His quoque temporibus Leprosi per Galliam in multis locis fontes in odium sanorum hominum, simul atque pernitiem veneno intoxicârunt; quorum impietas detecta ultimo supplicio punita est. Hoc ipsum calamitosum genus hominum ante paucos annos in Gallia simili malignitate contaminare puteos veneno præsumens, ignis incendio pænas dedit.

Anno prænotato Cives oppidi Bernensis in liga Confœderatorum annumerati dominium Symmeneck nuncupatum pro duobus florenorum millibus à Rudolpho de Arburg in perpetuam sibi possessionem comparârunt.

Dominium Symeneck à Bernensibus emitur.

MCCCXCII.

Anno Wichardi Abbatis tertio, Indictione Romanorum xv. Feria tertia ante Festum S. Catharinæ Virg. & Mart. facta est divisio Ducatus Bavariæ inter filios tres Stephani Ducis, qui paulò ante rebus excesserat humanis: in qua divisione Joannes Monacum oppidum in superiori Bavaria cum suis attinentijs obtinuit. Stephanus autem Ingolstatt, & Rattenberg, cum ijs, quæ illis adhærebant, in sortem accepit. Fridericus verò Lantshutam cum alijs in Bavaria inferiore consecutus est. Porrò filij Alberti Patrui eorum principabantur in Hollandia. Horum avus omnium Ludovicus fuit Imperator quartus, cujus tres filij, ut supra dictum, Ludovicus Brandenburgensis, Ludovicus quoque Romanus, & Wilhelmus Hollandiæ Comes jam dudum sine liberis mortem obierunt. Stephanus Junior memoratus uxorem duxit filiam Galeatij Vicecomitis Mediolani, quem Rex Wenceslaus contra voluntatem Principum Regni acceptâ pecuniâ creaverat in Ducem: de qua genuit Ludovicum Ducem cognomento divitem: & Elisabeth Reginam postea Gallorum: Joannem quoque Juniorem filium, qui fuit Ratisbonensis Ecclesiæ Pontifex.

Bavariæ Ducatus inter Fratres dividitur.

Stephanus Bavariæ Dux cum uxore & liberis.

Fridericus filiam alteram Galeatij memorati Vicecomitis duxit uxorem: de qua genuit Henricum Ducem in oppido Lantshuta commorantem: Elisabeth filiam, & aliam similiter Magdalenam. Porrò Elisabeth nupsit Friderico Nürenbergensi Burggravio, quem Sigismundus Imperator postea in Brandenburgensium sublimavit Marchionem: cui filium paterni nominis peperit Fridericum, qui genuit Albertum; ille verò genuit Joannem, & Fridericum. Joannes genuit Joachim, de quo suo tempore, quoniam hodie vivit, largiente Domino scribemus. Joannes verò duxit uxorem filiam Comitis Gurcensis, de qua duos genuit filios suo in Monaco, & filiam unam nomine Sophiam, quam Wenceslaus filius Caroli IV. & Frater Sigismundi Regis duxit in uxorem.

Fridericus Dux cum uxore & liberis.

His temporibus Gymnasium universale, quod noviter ante paucos annos in Civitate Francorum Orientalium Herbipoli fuerat institutum, propter dissensiones continuas, quæ inter Cives & Episcopum vertebantur, valde cæpit debilitari: unde consilio inter se habito magistri atque

Gymnasiũ Herbipolense duravit annis XIV.

Doctores

Doctores de translatione ejus ad Erpfordiam Moguntinæ Diœceſis oppidum Romani Pontificis impetravêre conſenſum. Unde mox ab eo tempore Bonifacio Papa IX. annuente domus in Erpfurd pro ſuſceptione Scholaſticorum comparari, & ædificari cæperunt: manente tamen apud Herbipolim Gymnaſio cum privilegijs, & conſervatorijs ſuis (quorum unus fuit Decanus S. Joannis in Haagis) uſque ad ſecundum annum Friderici Abbatis, ut loco inferius conveniente plenius dicemus. De cauſis verò deſolationis memorati Herbipolenſis Gymnaſij, ſic quidam eo tempore dixit:

Cauſæ deſolationis Gymnaſij Herbipolenſis notantur.

Balnea, Cenſus, amor, lis, alea, crapula, clamor:
Impediunt multum Herbipolenſe ſtudium.

Qui mores novit gentis Francorum, & conſuetudines Peapolitanorum, viſu & auditu didicit præſcriptorum expoſitionem verſuum.

Anno prænotato memorati Bavariæ Duces Joannes, Stephanus & Fridericus impetraverunt à Bonifacio Papa IX. quòd plenariam peccatorum indulgentiam, quam Hebræorum imitatione Jubilæum noſtrates appellant, in oppidum Monacum à Dominica Lætare uſque ad Feſtum S. Jacobi Apoſtoli duraturam collocavit, ſicut ipſam Romæ prius celebraverat.

Mons Gigantum obſidetur à Gerhardo Wirzburgenſi Epiſc.

Eodem quoque anno Gerhardus Epiſcopus Herbipolenſis, & Dux Francorum Orientalium contractis copijs & auxilijs Civium Regni, Caſtrum, quod der Reüſenberg nuncupatur, obſidione vallavit, in quo Raptores, latronéſque itinerum, & deprædatores viatorum tutum ſolebant habere confugium. Verùm quia Caſtellum arte ſimul & naturâ in monte altiſſimo ſituatum ſatis munitum exiſtit, Præſul tandem ſolutâ obſidione ſine effectu inde receſſit.

Comburuntur Hæretici in pleriſque Germaniæ locis.

Hoc ipſo anno Magiſter Martinus Inquiſitor hæreticæ pravitatis à Sede Apoſtolica deputatus venit per Sueviam in Herbipolim: ubi factâ inquiſitione Hæreticos nonnullos ex ſimplicioribus, & ruſticanis invenit de ſecta Flagellantium & Fratricellorum, quibus ad unitatem fidei Catholicæ reverſis pro ſalutari pœnitentia crucem contra Infidos Turcas impoſuit, quæ illo tempore prædicabatur. Ex Herbipoli profectus Erpfordiam ſimili pravitate infectos plures invenit, Beghardos, Beguttas, & alios; quorum aliqui cremati ſunt ignibus, aliqui verò pœnitentiam egerunt ſuper erroribus ſuis, reliqui fugam inierunt.

Eodem anno circa Feſtum S. Matthæi Apoſtoli & Evangeliſtæ, cùm in vitibus botri necdum eſſent maturi, ſubitò frigus intenſum oritur cum pruina & nive haud modica; deſtruxítque omne vinum, quod in vitibus erat per totam Franciam Orientalem, Sueviam, Alſatiam, Thuringiam, partéſque Rheni ſimul atque Moſellæ, quarum Incolæ aliud nihil colunt, quàm vinum.

Feſtum Viſitationis Beatæ Virginis inſtituitur.

His etiam temporibus Feſtum Viſitationis Beatæ ſemper Virginis intactæ Dei Genitricis à Bonifacio Papa IX. inſtituitur, & multis gratijs indulgentiarum ad inſtar Feſti Corporis Chriſti ab eodem cumulatur cum ſolemni Octava; quod cunctis celebrandũ Chriſticolis per orbem quottannis die menſis Julij ſecundo litteris Apoſtolicis patentibus ubique præcipitur.

MCCCXCIII.

Anno Wichardi Abbatis quarto, Indictione Romanorum primâ, post longam dissensionem & concertationem inter Fridericum de Saravverd Archiepiscopum, & Cives Colonienses concordia facta est per medium Comitis de Moers & interpositionem aliorum Principum.

Monstrum nimis horrendum nascitur.

Eodem anno Monstrum nimis horrendum nascitur ex fœmina rustica in Villa Berg Treverensis Diœcesis, quæ à Trittenheim Nativitatis meæ vico per unum distat milliare tantum. Cujus monstri inferior pars corporis hominem præferebat cum ventre, umbilico, pudendis, cruribus & pedibus. Superior verò pars, manus, brachia, collum, oculi, os, & caput bufonis erant horribilis, & tam formidabilis, ut nemo sine pavore hoc monstrum potuerit intueri. Vixit ferè triduo, & quia genitrix illud lactare non potuit, necessariò defecit. Fuerunt qui dicerent, genitricem esse maleficam, dæmonísque carnali maculatam commercio, & inde partum naturâ divisum.

Poppenhusen Castrũ ab Episcopo Wirtzburgensi obsidetur.

Anno prænotato Gerhardus de Schvvarzenburg Episcopus Herbipolensis auxilio quorundam Civium Regni, & aliorum amicorum Castrum quoddam nomine Poppenhausen, speluncam eo tempore latronum obsedit, & varijs machinis fortiter oppugnavit. Quod cùm expugnare non posset, sine effectu postremò recessit. Continuaverat obsidionem nihilominus à Festo Pentecostes sine intermissione usque ad solemnitatem S. Michaelis Archangeli, his qui intus erant, omnibus necessarijs provisis, & se fortiter defendentibus.

Anno item memorato vicesimâ quartâ die mensis Novembris, tanta nivium abundantia subitò in orientali Francia cecidit, quantam nulla memoria hominum tunc viderat unquam: quarum densitas nimium ventis agitata fortissimas arbores & quercus annosas sine numero fregit, aut penitus evertit.

Henricus Calcar pulra conscripsit.

Claruit his temporibus Henricus ex Clivensi oppido Calcar nomine Monachus & Prior ad tempus domus S. Barbaræ in Colonia Cartusiani Ordinis, vir Christo devotus, & divinarum scripturarum admodum studiosus, qui scripsit inter alia Exercitatorium quoddam Monachale lib. I. Alium quoque librum, quem loquagion de Rethorica prænotavit: aliud opusculum, cui titulum dedit Cantuagium de Musica. De ortu quoque & progressu Ordinis sui lib. I. Si quid amplius edidit, ad notitiam nostræ lectionis adhuc minimè pervenit.

Joannes Rusbroch multa composuit.

Joannes Rusbroch natione Brabantinus Ordinis Canonicorum S. Augustini his ipsis in Brabantia claruit temporibus, qui scripsit de profectu Religiosorum librum unum. De ornatu spiritualium nuptiarum libb. III. Sermones & Epistolas varias ad diversos: & alia quæ necdum vidimus: cujus librum tertium de ornatu spiritualium nuptiarum Joannes Gerson Theologus, & Scholæ Parisiensium Cancellarius monet sobriè & cautè legendum.

Joannes de Schonhoven plura scripsit.

Joannes Schönhoven Prior Conventus Mechlinienſis in Brabantia Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ semper Virginis de monte Carmeli per hæc tempora prædicator sermonum popularium egregius, inter ingenij sui Opuscula non sine magno labore comportavit opus insigne de vitijs atque virtutibus, omnibus formocinatoribus utile: quod in duobus voluminibus

bus distinxit, & græco vocabulo Polypodion prænotavit, ordinem in processu custodiens Alphabeti.

MCCCXCIV.

Expeditio Christianorum in Turcas sub Rege Ungariæ.

Anno Wichardi Abbatis quinto, Indictione Romanorum secundâ Expeditio magna Christianorum facta est in Turcas, jubente & ordinante Sigismundo Rege Ungariæ, qui postea Imperator factus est Romanorum, Crucem faciente prædicari Bonifacio Papa IX. in locis obedientiæ suæ: annis enim transactis quàm plurimis gens illa Turcarum perfidissima crebris incursionibus multa Christianis tam in Græcia, quàm in finibus Ungarorum inferre mala non cessavit, quousque tandem Græciam sibi totam subjecit. Sigismundus igitur Christianissimus Ungariæ Rex auxilium Bonifacij Papæ IX. & omnium Christianorum Principum imploravit litteris scriptis & nuntijs, & magnum in Turcas exercitum brevi adunavit. In quo non ultimi fuerunt Rupertus dictus Pipan Comes Palatinus Rheni, Bavariæque Dux, filius Ruperti senioris, postea Regis Germaniæ, & Joannes Dux Burgundionum, cujus mater erat soror Ducis Bavariæ Alberti morantis in Straubingen. Hi duo cum magno pugnatorum exercitu venerunt in Ungariam, quos Rex cum ingenti lætitia suscepit. Ex alijs quoque terris & alij complures pugnaturi convenerunt.

Christiani obsident Nicopolim, contra quos Turcæ veniunt.

Rex ergo Sigismundus contractis undecunque copijs terram inimicorum cum supradictis, & alijs Principibus pugnaturus intravit, & in primis Nicopolim Urbem pulchram, divitem atque potentem obsedit. Quod ubi Rex sive Capitaneus Adversariorum intellexit, cum ducentis millibus armatorum Nicopolitanis in auxilium venire festinavit. Contra quem Exercitus Christianorum obviam procedens, ad unius milliaris ab eo spatium castra collocavit. Cúmque inter Principes oriretur contentio, quis eorum belli cæteris præberet ducatum, Sigismundi sententia fuit, præficiendum aliquem ex illis, qui & mores consuetudinésque novissent hostium, & antea cum ijs dimicâssent. Et propterea constituit belli Ducem Walachiæ Principem, virum bellicosum, industrium & fortem, qui sæpius cum Turcis dimicans gloriosè triumphârat.

Joannes Burgundiæ Dux sua elatione Christianos perdidit.

Joannes igitur Burgundiæ Princeps nimium indignatus, quòd sibi hunc honorem videret præreptum, quem se multitudine Exercitus sui, & longo itinere simul & multis impensis Jure promeruisse putabat, contra voluntatem Regis Sigismundi, & omnium, qui aderant Principum, cupiens sibi usurpare honorem, cum sex millibus armatorum, quos adduxerat, ante omnes in bellum contra Turcas prorupit, & nimis infeliciter dimicavit; ipse námque cum suorum pluribus in Turciam captivus abducitur, cæteri penè omnes quos adduxerat, ab hostibus trucidantur. Reliquus etiam Christianorum exercitus à Turcis invaditur, & pluribus occisis pauci fugâ salvantur. Sigismundus Rex per mare navigio vix incognitus ad Constantinopolim pervenit, & interitum evasit. Rupertus verò Palatinus in habitu pauperis mendici ad Heidelberg reversus est. Burgundiæ tamen Dux Joannes totius mali causa tandem multâ pecuniâ liberatus est.

Joannes Dux capitur, Christiani necantur: alij fugâ salvantur.

Wenceslaus Rex à Bohemis capitur.

Anno etiam prænotato Wenceslaus Rex Germaniæ, Bohemiæque propter insolentias & fatuitates suas multas omnibus penè odiosus factus, à suis in Civitate Pragensi capitur, & aliquandiu honestæ custodiæ mancipatur.

tur. Interveniente tandem Sigismundo fratre, qui tum Rex erat Ungariæ, liberatur à custodia, sed pristinæ conversationis mores non emendavit.

Eodem anno in mense Septembri mortuus est, & in Avenione sepultus Clemens in sua dictus obedientia septimus Antipapa, anno sui Pontificatus sexto decimo; vir callidus, superbus & astutus, qui cum suis Cardinalibus, quos in Avenione plures creaverat, inopiâ compellente, nec minus inflammante avaritiâ, sibi adhærentem per Galliam & Hispaniam Clerum, multis exactionibus valde gravans oppressit, & Annatas prior excogitavit. Mortuo Clemente atque sepulto, Cardinales, qui partes ejus fuerant secuti, Petrum quendam de Luna consanguineum Regis, ut dicebant, Aragonum, in Antipapam concorditer elegerunt, quem in Avenione solemni pompâ coronantes Benedictum tertium decimum nuncupârunt; qui sedit apud Gallos in Antipapatu per annos ferme tres & viginti usque ad concilium Constantiense, in quo abrogatis omnibus Martinus fuit electus.

Clemens Antipapa septimus moritur.

Benedictus Antipapa fit decimus tertius.

Æstas anno memorato fuit calore continuo ferventissima, & pluviæ aut nullæ, aut valde raræ. Unde vinum illius anni, quod nihilominus in abundantia competenti crevit, optimum fuit. Frumentum similiter in bona copia provenit, quamvis in multis Germaniæ locis inter sationis & messionis distantiam, vel tempus, pluvia nulla ceciderit super terram.

Anno prænotato miles quidam nomine Wernherus Schnovvlin in quadam simultate capitur, & in castro Rappenbach custodiæ mancipatur. Lupoldus igitur Dux Austriæ congregato suorum exercitu non modico, & ferentibus auxilium Civibus Regni Argentinensibus, Castrum Rappenbach obsedit, cepit, funditúsque destruxit, & captivum militem liberavit.

MCCCXCV.

Anno Wichardi Abbatis sexto, Indictione Romanorum tertiâ, nobiles & potentiores Comitatus terræ Wirtenbergensis nescio quâ causâ vel occasione adversus Dominum suum Comitem conspirationem satis periculosam, & temerariam suscitârunt: nam eo usque prævaluit insania, ut convocatis undecunque socijs oppidum quoddam Haimsheim dictum, haud procul à Regali oppido Wila in Wiemgövv situm obsidione cinxerint: quatuor super omnem exercitum Capitaneos ex potioribus constituerunt, quos in contumeliam Comitis per Ironiam Reges nominari præceperunt. Oppidani verò cùm essent inermes, turmam perfidorum citius intromittere coacti sunt. Nuntiata sunt hæc Comiti, qui confestim ex oppidis & viculis suis congregavit, quantam potuit Rusticorum multitudinem, & veniens cum exercitu mane primâ luce oppidum Haimsheim obsedit, & fortiter oppugnare cœpit. Rogum per circuitum oppidi fecerat magnum, quo igne submisso jam incipiente vehementer ardere, qui intus erant, valde timuerunt, & non habentes quo fugerent à facie tam ignis, quam inimici, dexteras necessariò dederunt, gratiam à Comite, & commissorum veniam humiliter postulantes. Comes verò malens servare populum, quàm perire, veniam petentibus sub certis conditionibus dedit, & unum post alium per angustum portæ aditum exire de oppido projectis armis omnibus, mandavit. Inter exeuntes vero de urbe captivos, de quatuor illis primis Capitaneis, qui se Reges nominari præceperant,

Conjuratio nobilium terræ Wirtenbergensis contra Dominum suum.

Haimsheim oppidum bis capitur.

rant, tres Comiti fuerunt oblati, quartus autem vel interierat occisus, vel fugâ lapsus evasit. Cernens hos tres fictitios Reges quidam Rusticus promptulus ad jocos, cachinnans dixit astantibus: *Bone Deus, si quartum haberemus Regem, integrum chartæ ludum nobis Dominus hodie præparâsset.* Comes itaque victoriâ potitus insigni, lætus & incolumis ad Stutgardiam cum suis omnibus reversus est.

Anno prænotato infra Octavam Festi Sacratissimi Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi circa medium fermè noctis terræ motus factus est in partibus Mosellanis Cis-Rhenanis, & in Francia Orientali. Post quem ingens ventorum subsecuta tempestas, arbores, quercus & ædificia multa subvertit.

Albertus Dux Austriæ moritur.

Eodem anno octavo decimo die mensis Augusti, moritur Albertus Dux Austriæ pius atque magnificus, frater Lupoldi Ducis à Suitensibus, ut dictum est anno Godfridi Abbatis sexto, in bello juxta Sempach occisi, filius autem Alberti Ducis filij Regis Alberti, sicut dixmus in supra notatis anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo octavo Indictione Romanorum XI. Iste magnificus Princeps, inclitúsque Dux Austriæ Albertus post mortem patris, parte susceptâ hæreditariæ possessionis, Rempublicam Austriæ maximè optabat reddere glorioſam. Unde inter multa, quæ perpetuò constituit bona, universale Gymnasium in oppido Viennensi suis impensis primus ipse fundavit, quod Apostolicis munitum privilegijs Innocentius Papa sextus dudum confirmavit. Fridericus autem ex Austriæ Ducibus Imperator postea tertius majora pro eodem Gymnasio privilegia, & dedit & impetravit, & Episcopali dignitate institutâ ex Wiennensi oppido civitatem fecit.

Universitas Viennensis fundatur.

Anno præscripto in mense Aprili die quintâ post meridiem horâ tertiâ sol nube subvolutus tenebrosus factus est in civitate Leodiensi, & per unius milliaris spatium, aut amplius in circuitu eorum, apparuitque mirabile signum in nube quasi gladius sanguinem fundens, & cum igne discurrens: mirabantur omnes, nec erat, qui portentum illud interpretari posset.

Mater Caroli Ducis Burgundiæ nascitur.

Eodem die post medium noctis horâ septimâ minuto octavo decimo nascitur in Portugallia Elisabeth Regis Portugalliæ filia, quæ postea nupsit Philippo Duci Burgundiæ, cui & peperit Carolum Ducem ultimum, qui Leodium diruit, & in circuitu omnia destruxit, & multa virorum millia in ore gladij occidit, mulieres, virgines & parvulos in Mosa flumine submersit.

Conradus Archiepisc. Moguntinus obijt.

Anno prænotato in mense Octobri, moritur Conradus de Wynsperg Archiepiscopus Moguntinus anno Pontificatus sui septimo, vir bonus & pius, cujus cadaver in majori Ecclesia Moguntina cum honore debito fuit Ecclesiasticæ traditum sepulturæ. Post cujus mortem Ecclesia Moguntina pristinis iterum calamitatibus exposita sub schismate gravi tribulata est: Capitulum enim unanimi consensu, in Archiepiscopum suum elegit Godfridum ex Comitibus de Lyningen majoris Ecclesiæ Canonicum, virum prudentiâ, consilio & actione cautum, scripturarum quoque scientiâ satis eruditum, & ut cunctis videbatur, talis Ecclesiæ per omnia valde idoneum Pontificem. Contra quem Joannes ex Comitibus de Nassavv similiter Canonicus, homo astutus & callidus, nimium aspirans ad altiora, per medium suorum egit cum Bonifacio Papa nono, quòd electionem

Godfridus de Lyningen eligitur.

nem de eo canonicè factam cassavit, & sibi de Moguntino Archiepiscopatu providit. Quod factum multis displicuit, de quo plures diversa & varia senserunt. Erant enim qui dicerent, eum nescio quibus florenorum septuaginta millia exposuisse, ut Godfrido Pontificatum præriperet. Joannes igitur ad Archiepiscopatum Ecclesiæ Moguntinæ provisus, & confirmatus per Papam, satis utiliter præfuit annis quatuor atque viginti, homo sicut diximus, prudens & astutus, qui paucissimis innotescere solebat, quæcunque mente concepisset. Joannes fit Archiepisc. Moguntinus.

MCCCXCVI.

Anno Wichardi Abbatis septimo, Indictione Romanorum quartâ, moritur Nicolaus ex-Comitibus de Nassavv, qui eo tempore morabatur in Wisbaden haud procul à Moguntia Spirensium Episcopus. Post quem Rabanus de Helmstadt in Pontificem ejusdem Ecclesiæ per Canonicos regulariter electus & ordinatus præfuit annis ferme triginta quinque, & postea, ut suo loco dicetur, Archiepiscopus Trevirorum factus est. Rabanus fit Episcopus Spirensis annis xxxv.

His temporibus Comes quidam de Solms multa contra Trevirensem mala commisit Ecclesiam, igne & ferro devastans patriam. Unde commotus Archiepiscopus Trevirorum Wernherus validum suorum adunavit exercitum, & contra hostem processit ad bellum. Consertis itaque manibus Archiepiscopus victoriam obtinuit, interfectísque Adversariorum plurimis, Comitem cepit, & vinculis alligavit, donec imperata pollicerentur omnia. Idem Archiepiscopus navale, quod Antecessor ejus Cuno de oppido Confluentino ad castellum nomine Capella olim transtulerat telonium, abundantioris causâ lucri ad oppidum Cunenengen eodem tempore revocavit. Comes de Solms in bello capitur ab Archiepiscopo Trevirorum.

Anno prænotato tricesimâ die mensis Januarij horâ decimâ ante meridiem natus Philippus Dux Burgundiæ, pater Caroli Ducis ultimi, & Davidis, qui postea fuit Episcopus Trajectensis, quamvis non de legitimo thoro natus. Eodem anno multæ contentiones & lites inter Episcopum Herbipolensem Gerardum de Schvvarzenburg, Clerum quoque & Cives dudum inchoatæ sumpserunt augmentum, & multiplicata sunt mala per totam terram Francorum. Et quia Episcopus ratione bellorum pecunijs in toto fuit exhaustus, nec habebat, unde stipendia solverentur militibus, Clerum inconsuetis & gravissimis contributionibus & exactionibus sibi plurimum reddidit infensum. Unde fuit eo tempore Clerum in Herbipoli videre in miseria, dum hinc à Civibus insanis atque crudelibus, ablatis rebus, mortis intentaretur periculum: hinc verò Pontifex Censuras minaretur & carceres, nisi quod petijt solverent tributum. Verùm Clerus non minus exhaustus pecunijs quàm Pontifex, injustis exactionibus unanimi voce contradixit. Propter quod Nicolaus de Malchos majoris Ecclesiæ Decanus mandato Episcopi non consentiens de civitate fuit ejectus. Otto de Miltz Herbipolensis Canonicus, & Bambergensis Decanus, cum fratre suo Joanne de Milz æquè Canonico in habitu Religionis turpiter fuit captus, & ad castrum, quod Nova domus nominatur, captivus abductus. Hâc injuriâ Clerus non mediocriter commotus, interdictum mox per omnes Civitatis Ecclesias decrevit & servavit. Constat enim confœderationem ante plures annos inter Abbates, Præpositos, Decanos, & omnem Clerum Herbipolensis Ecclesiæ simul & urbis factam, conscriptam, Inter Episcopum, Clerum, & Cives Herbipolenses magnæ discordiæ.

ptam, & Prælatorum omnium sigillis confirmatam: in qua sic extitit ordinatum, ut quotiens Peapolitanæ Civitatis atque Diœcesis Clericus in urbe ipsa per quoscunque caperetur, injuriaretur, vel injustè læderetur, mox cessantibus Divinis Interdictum servaretur.

Vicecomes Mediolani Dux efficitur.

Anno memorato Joannes Galeatius Vicecomes Mediolani, datis Wenceslao Regi centum millibus, ut ferebatur, ducatorum, & amplius, ex Vicecomite, ut sæpe ante meminimus, in Ducem est sublimatus. Quam dignitatem consecutus est per manus Oratorum dicti Regis, in mense Septembri cum magna solemnitate & gaudio Mediolanensium. Et quia Mediolanum Camera Romani est Imperij, quam avaritiâ ductus Rex Wenceslaus contra voluntatem Principum nec debuit, nec potuit alienare, hæc novi Ducis creatio causam præstitit non modicam Electoribus Imperij depositionis ejus à Regno.

Mediolanū est Camera sacri Imperij.

MCCCXCVII.

Bellum fit inter Ducem Montensem & Comitem Clivensem.

Anno Wichardi Abbatis VIII. Indictione Romanorum v. Wilhelmus Dux Montensis cum exercitu valido terras Comitis Clivensis intravit, & omnia igne, ferróque hostiliter devastavit. Quod cùm Comes animadvertit, contractis undequaque copijs obviam Duci processit in bellum. In primo congressu Dux de Monte victoriam obtinuit, & exercitus Comitis fugâ dispersus fuit. Comes verò ubi vidit suos in fugam præcipites, magnâ voce clamavit: *Quid facitis ô viri, cur fugitis, cùm adhuc integri simus viribus? State precor viriliter pugnantes, quoniam Deo miserante consequemur victoriam.* Animati pusillanimes admonitione Comitis steterunt; bellum denuo incipitur, Dux à Comite superatur.

Dux Montensis in bello cum multis alijs captus est.

Ceciderunt in eo prælio multi, Dux ipse Wilhelmus de Monte captus est, & cum eo Dux Juliacensis, Comes quoque Solms, Comes de Isenburg, Comes de Sayna, Comes de Westerburg, Comes de Rifferscheydt, & ex militari ordine complures, qui magnam Comiti pro sui liberatione pecuniam dederunt. Hujus victoriæ fuerunt Auctores, ut dicebatur, Cives de Wesalia, qui fortiter pro Domino suo Comite pugnantes etiam alios corroborârunt.

Civium Herbipolensium contra Dominum suum durat rebellio.

Anno prænotato dissensionibus & bellis inter Episcopum Gerardum & Cives Herbipolenses durantibus, imò quotidie magis ac magis increscentibus, Clerus in tribulatione maxima fuerat constitutus; opprimebatur etenim non solum in ipsa urbe à Civibus, sed etiam extra per totam Diœcesin à laicis perversis; Cives námque Peapolitani suo Domino rebelles, conjurationem & fœdus cum adjacentibus in circuitu oppidanis, non minus quàm & ipsi perjuris facientes, quicquid in contumeliam, damnum & læsionem Cleri atque Claustralium excogitare poterant, præsumere & facere non timebant.

Canonici Herbipolenses à perfidis capiuntur civibus.

Crafftonem ex Comitibus Hohenloe majoris Ecclesiæ Herbipolensis Canonicum, virum nobilem, bonum & quietum, nemini adhærentem, adeóque mansuetum, ut nec læsus quemquam offenderet, illo tempore apud Carthusianos extra urbem commorantem Monachos amore quietis, in ipso Monasterio ceperunt, introductúmque in civitatem carcerali custodiæ mancipârunt. Alios etiam plures Canonicos, Vicarios & Clericos, non solum majoris, sed etiam aliarum Ecclesiarum in civitate & extra captos conjecerunt in vincula.

Post

Clerus Herbipolensis bonis suis spoliatur à Civibus.

Post Festum Pentecostes anno præsignato Cives memorati Herbipolenses armati, & furiosis per omnia similes, omnia Monasteria, Conventus, & domos Canonicorum & Clericorum in Civitate & suburbanis perlustrantes spoliaverunt, rapientes quicquid in eis potuerant invenire. Nemini pepercerunt ex Clero, nec Deo sacratis honorem impendere locis statuerunt. Propter quod in ultionem tanti sceleris divinâ providente Justitiâ tandem à Clero victi & superati sunt, & in omnimodam eorum servitutem redacti, & compulsi usque in præsentem diem.

Cœnobiũ S. Burchar comburitur à Civibus.

Denique vanissimi, & furiâ pleni Cives cum armis & fustibus pontem Mogosi transeuntes Monasterium S. Burchardi trans flumen insigne, quod eo tempore fuit Ordinis S. Benedicti, spoliantes incenderunt, & domos quásque meliores igne submisso funditus everterunt.

Et Cœnobium S. Jacobi.

Simili furore Monasterium S. Jacobi Apostoli (cui Deo permittente ego inutilis Joannes Trithemius Abbas post Spanheim deservio) invadentes spoliaverunt, & igne submisso quæque meliora habitacula Monachorum penitus destruxerunt, cujus eversionis vestigia cernimus usque in præsentem diem. Inde progressi ad Haugis Collegiatam in Suburbanis orientem versus Ecclesiam, domos Canonicorum pretiosas atque pulcherrimas everterunt, sicuti usque in præsens manifesta cernuntur vestigia.

Conglomerati postea turmatim in armis, & civitatem exeuntes villam Ecclesiæ non ultimam, quæ Brostelsheim nuncupatur, una cum parochiali Ecclesia combusserunt in odium Cleri & Episcopi, solo remanente castello; plures in circuitu & alias Ecclesiæ villas incendio furiosi Cives destruxerunt, omnia Cœnobia Claustralium in urbe & circa frumento & vino spoliârunt.

Conjurati oppidani cum Herbipolensibus contra Episcopum.

Interea dum hæc agerentur per Cives, Episcopus plura suorum rebellium per intervalla obsidione cinxerat oppida, quamvis pauciſſima potuerit obtinere. Nam præter Iphoven penè omnes incolæ suæ oppidorum Ecclesiæ Cives cum Herbipolensibus contra Dominum eorum proprium conjuraverant Episcopum. Oppidorum ista sunt nomina: Cherolshoven, Neustatt, Hassfurth, Eberen, Hertzlach, Meiningen, Kõnigshoven, Melrichsstatt, Fladingen, Carolstatt; quorum omnium habitatores cum Herbipolensibus fuerunt conjurati, atque bellantes contra Episcopum & Clerum omni pietate Religionis contemptâ. Plures pro concordia diætæ iterum servatæ sunt, sed nihil omnino profuerunt.

Cives Regem Wenceslaum vocant de Bohemia in auxilium.

His temporibus Rex Wenceslaus morabatur in Bohemia in urbe Pragensi, ad quem Cives Herbipolenses miserunt legatum ex suis unum nomine Fridericum Schade, per quem oblatis Regi quatuor florenorum millibus supplicabant, ut civitatem Peapolitanam ab omni Jurisdictione Sacerdotum dignaretur eximere, & inter alias Regni urbes perpetuò incorporare. Muneribus susceptis lætatus est Rex, omniáque postulata Civium se promittit facturum. Mittit ergo cum Friderico memorato ad Cives Herbipolenses Bohemum quendam Comitem, & consolatorias litteras, in quibus ipsos jussit animis esse constantes, & se personaliter brevi pollicebatur Herbipolim esse venturum.

Wenceslaus Rex pro Civibus venit Herbipolim, &c.

Quo nuntio susceptо Cives jam se Dominio Sacerdotum Christi putabant exemptos, & consilio stultorum accepto, nuntios ad cæteras Regni urbes cum litteris mittebant, in quibus jam se Regni Cives, non Ecclesiæ pronuntia-

pronuntiabant. Supervenit non diu poſtea, ſicut promiſerat Rex Wenceslaus, qui magno cum honore ſuſceptus à Civibus, Aquilam Regni pro ſigno libertatis per muros & mænia urbis erexit. Erat in civitate gaudium magnum de præſentia Regis, & uno omnes animo in libertatem conſpirabant.

Epiſcopus contra Wenceslaum querelam defert Principibus.

Epiſcopus, dum hæc agerentur, in monte S. Mariæ ex urbis oppoſito manebat, qui Regis & civium temeritate recognitâ, litteras miſit ad Principes Regni, in quibus de violentia Regis Wenceslai propoſuit querelam, & poſtulavit auxilium. Noverant enim Principes Regni omnes, quòd Pipinus, & Carolus filius ejus cognomento magnus olim Reges Francorum, civitatem Herbipolenſem, cum Ducatu Franciæ orientalis S. Burkardo ejusdem urbis primo Epiſcopo, & per eum cunctis ſucceſſoribus ejus in proprium Jus, atque poſſeſſionem perpetuam tradiderunt, non ut Imperatores, neque de proprietate Imperij, ſed ut Reges, & de Regni proprietate ſibi acquiſiti.

Unde commoti contra Wenceslaum Regem juſtiſſimi Principes Regni, durius in eum ſcripſerant, monentes, ut à malè cæptis deſiſteret, nec ſubditos contra Dominum eorum in rebellionem concitaret, alioquin neceſſitate perurgente ſe fore de negotijs Regni aliter proviſuros. His litteris Rex à Principibus Regni ſuſceptis territus eſt, & cæpit in ſecreto habere conſilium, quomodo in Boëmiam ſecurum & honeſtum poſſet habere regreſſum.

Wenceslaus callidè ab Herbipoli recedit.

Convocatis igitur Civibus cauſas abeundi neceſſarias & honeſtas, ſed conficta in medium propoſuit, & ne frangerentur animis, rediturum ſe quantocius promittit. Qui expectatus diu non eſt reverſus uſque in præſentem diem. Duravit autem iſta ſimultas à ſextâ feriâ ante Feſtum Pentecoſtes anno prænotato inchoata per Cives contra Epiſcopum & Clerum veros eorum Dominos in annum tertium, quo tandem in bello juxta villam, quæ nuncupatur Berchteim, fuerunt ab Eccleſia victi, ſuperati & confuſi; quemadmodum in ultimo Wichardi Abbatis anno infra dicemus.

Decem & ſeptem vicibus EpiſcopoCives fuerunt perjuri & rebelles.

Et nota quòd, Cives Herbipolenſes ex eo tempore, quo Pipinus & Carolus magnus Reges olim Francorum Ducatum cum urbe S. Burchardo primo Wirtzburgenſium Epiſcopo, anno videlicet Dominicæ Nativitatis DCCLVIII. de conſenſu Principum Regni omnium donaverunt, decem & ſeptem jam vicibus, ſicut in hiſtorijs reperi, contra Eccleſiam & Pontifices in rebellionem ſeſe erexerunt; non attentis, quæ Dominis ipſi ſuis antea ſemper fecerant, Juramentis; donec poſtremò viribus exhauſtis obedienter ſubeſſe ſunt compulſi.

MCCCXCVIII.

Guntherus Frater Epiſcopi Herbipolenſis obijt.

Anno Wichardi Abbatis nono, Indictione Romanorum ſextâ, mortuus eſt Guntherus Comes de Schvvarzenburg Thüringus, Frater Gerardi Herbipolenſis Epiſcopi, vir ſtrenuus & bellicoſus, qui amore Fratris Eccleſiaſtici Dux fuerat exercitus contra Cives rebelles atque perjuros, & ſæpius adjuvante Domino victoriam reportavit.

Herbipolenſes Epiſcopum ſuum in monte S. Mariæ obſederunt.

Eodem anno durante Civium Herbipolenſium inſano furore contra Clerum, cùm Epiſcopus Gerardus in caſtro montis S. Mariæ moraretur, quod trans flumen eſt ſitum ex oppoſito Civitatis, corripientes arma rebelles montem ſimul & Burgum obſidione cinxerunt, Pontificem diebus

XL. in

XI. in eo cum ſuis impugnantes; conjuraverant enim ſimul ad invicem, ut ſi eum comprehendere poſſent, ſine miſeratione occiderent.

Verùm his, qui fuerant in arce, viriliter ſe defendentibus, & lapides in turmam ſævientium Ruſticorum ex machinis crebrò jacientibus, die tandem XII. compulſi ſunt obſidionem deſerere, cùm ſe viderent nihil poſſe obtinere. Muris denique ac foſſatis munièrunt civitatem, & Monaſterium S. Jacobi foſsâ cinxerunt, retrò cuncta penitus deſtruentes. Maximo Cleri & Monachorum odio laborabant, & quicquid in eos mali poterant excogitare, faciebant.

Dux Auſtriæ contra Mediolanum à Florentinis vocatur in Italiam.

Anno prænotato Florentini Cives Imperij, cæptas contra Joannem Galeatium Mediolani Ducem diſſenſiones continuabant. Propoſito igitur non parvo militibus ſtipendio, Lupoldum Auſtriæ Ducem in auxilium vocaverunt. Veneti quoque cum Florentinis in Ducem confœderati non parvum ei timorem incuſſerunt. Intereà verò dum Lupoldus Dux Auſtriæ ad bellum pararet exercitum, Mediolano poſtulante, decennales factæ ſunt Treuguæ, & belli ratio interim fuit poſtpoſita.

MCCC XCIX.

Comes Clivenſis hoſtiliter devaſtat Montenſem Ducatum.

Anno Wichardi Abbatis X. Indict. Rom. VIII. Wilhelmus Dux Montenſis, quem ante biennium à Comite Clivenſi captum in bello cum quibuſdam alijs Comitibus diximus, pacta, quorum medio fuerat è captivitate liberatus, violavit Unde Comes de Clivis contractis undique copijs terram Ducis ingreditur, & omnia per circuitum igne devaſtavit & ferro; villas enim plures cunctis bonis ſpoliatas incendio concremavit: Mülheim inſignem vicum obtinuit, & multa pauperibus terræ damna intulit.

Staurone-ſum id eſt Crüzennach incendio crematur.

Eodem anno, XV. die menſis Auguſti ea pars oppidi Crüzenach in Comitatu Sponheimenſi, quæ nova Civitas vulgò nominatur, incendio quaſi tota perijt, quod incolas haud mediocriter afflixit. Spartheim etiam villula eodem anno incendio caſuali fuit conſumpta.

Epiſcopus Herbipolenſis Cives permiſit abſolvi.

Anno prænotato Cives Herbipolenſes, poſteaquam pro ſuis nefandis ſceleribus in Epiſcopum, Clerum & Monachos enormiter commiſſis excommunicati, & Interdicti aliquandiu ſorduiſſent, ad cor ſerò tandem reverſi promiſsâ pœnitentiâ & emendatione, abſolutionis beneficium ab Epiſcopo poſtulârunt. Qui miſericordiâ motus per litteras ſuas patentes penultimâ die menſis Februarij ex Kizingen oppido ſcripſit, atque commiſit omnibus & ſingulis per civitatem & Diœceſim Abbatibus, Præpoſitis, Decanis, & Eccleſiarum parochialium Rectoribus, quatenus relaxato jam Interdicto pœnitentes à Cenſuris abſolverent, & Miſſarum coram eis ſolemnia deinceps jam licitè celebrarent. Veruntamen Incendiarios Monaſteriorum, invaſores, percuſſores, captivatores Clericorum ab hac gratia indultæ abſolutionis excipiens, ad Sedem Apoſtolicam remiſit. Et quia potiores Civitates majores ſimul cum minoribus incendio Monaſteriorum & captioni Sacerdotũ omnes conſenſerant, cùm à nemine poſſent abſolvi, quam à Papa, malum adjicientes malo, & indurati cum Pharaone, iterum de novo conſpiraverunt in unum contra Epiſcopum & Clerum ejus, abijcere omnino cogitantes jugum obedientiæ. Anno tamen ſequenti pœnas, ut dicemus, præſumptæ temeritatis dederunt.

Cives Herbipolenſes Incendiarij & Captivatores Sacerdotum.

MCCCC.

Annus Jubilæus Romæ celebratur à Bonifacio Papa IX.

Anno Wighardi Abbatis XI. Indictione Romanorum VIII. Jubilæus annus Remissionis & Indulgentiarum Romæ sub Bonifacio Papa IX. celebratus est: ad quem de omni natione obedientiam ejus sequente, maxima utriúsque sexus populi multitudo anno toto convenit. Eo tempore Bonifacius memoratus sive adversariorum potentiam veritus, sive augendæ ditionis Ecclesiasticæ cupidus Annatam dari de Beneficijs Ecclesiasticis primus mandavit, quam Clemens Antipapa, ut supra diximus, prior in Gallia residens excogitavit, hâc videlicet conditione, ut quicunque Beneficium aliquod consequeretur Ecclesiasticum, dimidium omnium proventuum primi anni teneatur ad Apostolicum fiscum persolvere. Hujus novitatis exemplo in avaritiam prolapsi plures Germaniæ Præsules, non dimidios primi anni, sed integros biennij fructus & proventus omnium Ecclesiarum parochialium suis deinceps usibus adscribere præsumpserunt.

Annatarum de beneficijs Ecclesiasticis prima excogitatio.

Bellum inter Episcopum & Cives Herbipolenses prope Berchteim.

Eodem anno, XI. die mensis Januarij prælium factum est juxta villam nomine Berchteim inter Ecclesiam & Cives Herbipolenses, & fuit dies Dominica post Festum Epiphaniæ. Ex parte autem Ecclesiæ minor erat exercitus, ita ut unus contra se hostium sex habere videretur. Conduxerant enim Cives mercede omnem penè militiam Wetteraviæ, Buochoniæ, & Hassiæ, cum alijs multis, & satis validum habere videbantur exercitum. Numero erant plures, sed major pars fuerant vinitores, agricolæ atque sutores. Episcopus non fuit in bello personaliter præsens, sed Joannes de Egloffstein majoris Ecclesiæ Præpositus & Coadiutor ejus Pontificis tenebat vices: is bellandi horâ jam instante milites quosdam ex more Principis nomine creavit, quorum illa extitere nomina: Wilhelmus de Grumbach, Joannes de Grumbach, Wichpertus Wolfskelle, & complures alij milites facti sunt, quorum nomina non tenemus. Posthæc exercitus Ecclesiæ pusillus in Deum & meritis Sanctorum spem & confidentiam erigens, omnipotentis invocato auxilio in hostes irruit, cædit, prosternit viriliter, & occidit. Deo itaque victoriam largiente Ecclesiæ, ceciderunt ex parte civium in illa die perempti pugnatorum mille atque trecenti viri: capti fuerunt duo millia virorum, reliqui turpiter fugerunt. Inter occisos simul & captos plures fuerunt pretio conducti Nobiles Wetteraviæ, Hassiæ & Buchoniæ, qui vitam pecuniâ non modicâ redemerunt, datísque litteris se suósque in perpetuum Ecclesiæ Herbipolensi obligârunt, quòd videlicet nec ipsi, nec hæredes eorum per se vel per alios Ecclesiam Herbipolensem, & subditos illi debeant dissipare, impugnare, vel in aliquo lædere, & quòd inimicos, & læsores memoratæ Ecclesiæ non debeant recipere hospitio, non pascere, non fovere verbo, facto, vel consilio in omnes generationes. De parte sive Exercitu Ecclesiæ nullus in bello memorato fuit captus: ceciderunt tantum pro justitia occisi sex viri Joannes dictus Pfaff de Seckendorff, Laurentius Truckses, Henricus de Welzhusen, Conradus de Stetenberg, Joannes Saxs, & Theodoricus quidam Monasterialis Ecclesiæ. Fuit autem Exercitus in parte Civium 4000. ferè virorum, cùm Ecclesia nec mille quidem habuisse dicatur. Plures enim à paucioribus victi sunt, qui non pro Justitia Reipublicæ, sed odio Clericorum armati pugnaverunt. Injuriam vindicavit Omnipotens, quam Cives irrogaverant Clero, qui sine causa, sine ratione vel ordine Juris,

Victoria cessit Ecclesiæ: hostiũ occisi mille trecenti: capti duo millia.

Ex parte Pontificis sex tantum viri in hoc bello ceciderunt.

Deus Vindex malorum retribuit facientibus injuriam.

Juris, ne dicam charitatis, Canonicos tam Principalis, quàm aliarum Ecclesiarum simul & Monachos, reliquósque omnes enormiter læsêre Claustrales, alios expellentes de Civitate, alios in carcerem trusos diu tenuêre captivos; alios percutientes & vulnerantes usque ad mortem infinitis penè contumelijs affecerunt. Denique spoliatas Clericorum habitationes frumentis, vino, & suppellectili cuncta ignibus tradentes plurimas destruxerunt: Monasteria quoque Ordinis nostri duo in suburbanis, alterum S. Burckardi, alterum S. Jacobi Apostoli, ut supra diximus; similiter & domus Teuthonicorum ignis incendio magna ex parte subverterunt. Pro his & alijs in Deum & sanctos ejus commissis sceleribus suis, impij Cives præmium, quod meruerant, confusi acceperunt.

Captivorum plures vario mortis genere puniti sunt.

Captivi de parte Rebellium primò ad Kizingen, ubi Pontifex erat, demum ad Oxenfurt ducti sunt, è quibus quicquid erat Civium seu Rusticorum juramento Ecclesiæ, & Pontifici subjectorum, plures fuerunt interfecti. Nam propter Juramentum fidelitatis temerè violatum alij caudis equorum colligati per plateas ad patibulum tracti sunt, alij capitibus truncati, alij rotati, alij suspensi ad furcam, alij submersi, atque ut propriorum Dominorum traditores in quatuor partes divisi, & ante portas oppidi suspensi: Nobiles & innoxij criminis pecuniâ se redemerunt: principaliores verò de Consulatu Herbipolensi, Sifridus videlicet vom Rebstock, Jacobus de Leone, Joannes de Erpfurdia, Jacobus Webler cum alijs complicibus eorum, qui seductis civibus rebellionem contra Episcopum & Clerum incæperunt, ad Herbipolim reducti sunt, & equis alligati post caudas, atque tracti per plateas, & in quatuor divisi partes ante portas Civitatis superpositi rotis metum posteris incusserunt. Omnes, qui Principales fuerunt in consilio, talem exitum susceperunt, præter illos, qui fugâ lapsi vitam redimere potuissent: nec erat in civitate Wirtzburgensi porta, ante quam forinsecus non jacerent rotati, & divisi per quadrum aliqui de Consulatu more sceleratorum traditorum.

Consules ante portas civitatis super rotas positi fuerunt.

Gerardus Episcopus Herbipolim victor cum suis ingreditur.

Post hæc Gerardus Episcopus 14. die mensis Januarij, hoc est, feriâ IV. post Octavas Epiphaniæ Domini, venit ad Herbipolim cum suis nobilibus, & reliquos Cives humi stratos accepit ad gratiam, quos maximis & horrendis Juramentis, ne similia tentare præsumerent in futurum, obligavit: deinde per alia Ecclesiæ oppida equitans similiter fecit: consulatum instituit novum sibi specialiter juratum: leges dedit Civibus, & omnes rebellizandi suspiciones, & modos amputavit.

Clerus gaudens Herbipolim triennis exul ingreditur.

Humiliatis jam Civibus, & pace reformatâ, Clerus qui in annum tertium exulaverat, in urbem regreditur, Interdictum tamen usque ad Ascensionem Domini proximè tunc futuram jussù Episcopi continuatur. Magna rerum & subita permutatio. Cives Herbipolenses, qui nimiâ elati superbiâ Episcopum in Thüringiam fugare, Canonicos nobiles, Monachos & moniales de Civitate omnes juraverant expellere, ipsi aut miserabiliter fuerunt occisi, aut de patria proscripti, reliqui verò humiliati, confusi, & in perpetuam Ecclesiæ servitutem, sicut meruerant, redacti.

Conventus Principum in Frankenfurt contra Wencesslaum.

Anno prænotato in mense Majo convenerunt apud Franckenfurt Principes Regni, Joannes Archiepiscopus Moguntinus, Wernherus Archiepiscopus Trevirorum, Fridericus Archiepiscopus Colonienſis, Rupertus Comes Palatinus, Rudolphus Dux Saxoniæ, Fridericus Dux de Brunonis

vico, & quidam alij, quorum causa fuit Conventus, diem modum & formam statuendi, quibus Wenceslaum Regem per sententiam à regno deponerent. Consultatione igitur habitâ, vicesimum diem mensis Septembris tunc proximè futurum statuerunt, in quo apud Lanstein oppidum Cis-Rhenanum denuo convenire deberent ad prosecutionem inchoati negotij. Soluto Conventu Principum jam dicto cùm unusquisque in sua redire disponeret, Moguntini Cives, qui pro parte Wenceslai Regis fuerunt pertinaces, nec minus veteri odio laborantes, positis in itinere apud Fridislariam insidijs, Rudolphum Saxoniæ nihil mali suspicantem capiunt. Fridericum verò Ducem Brunsuicensem tumultuariè occidunt, ad cujus tumulum aureis litteris sic scriptum legimus:

Fridericus Brunsuicensium Dux à Moguntinis occiditur.

Regula non ficta nequam Moguntia dicta,
Germen Pilati nunc denuo vivificati,
Námque Ducem stravit Fridericum, qui quasi David
Clerum protexit, gentémque suam bene rexit.

Moguntia nequam.

Verum auctores sceleris male perierunt.

Anno igitur præscripto 20. mensis Septembris convenerunt denuo in oppido Lanstein haud procul à Confluentia supradicti Principes, & mane circa horam decimam Wenceslaum Regem Bohemiæ citatum, exspectatum, sed non comparentem, neque per se, neque per legitimum procuratorem, ab omni jure dignitate & administratione Regni Germanici propter subscriptas causas per sententiam deposuerunt.

Wenceslaus per Principes à Regno Germaniæ deponitur.

Articulus 1. *Prima causa, sive articulus fuit, quòd Civitatem Genuensem juxta mare in Liguria sitam, quæ semper ad Romanum Imperium pertinebat, acceptâ pecuniâ, Regi donavit Gallorum sine Consensu Principum Regni, in grave detrimentum totius Regni Germanici, simul & Imperij Romani.*

Articulus 2. *Secundus articulus sive causa depositionis ejus fuit, quòd Vicecomitem Joannem Galeatium, Mediolani creavit in ducem, assignando ei totam Longobardiam in titulum, & perpetuam possessionem, sine scitu, & voluntate Principum, pro centum millibus ducatorum, quod ei non licuit.*

Articulus 3. *Articulus tertius sive causa fuit, quòd plura Dominia sive territoria feudalia Imperij per mortem possessorum, quæ ad Jus tam Regni quam Imperij devoluta erant, sine Consensu Principum alienavit, & acceptâ hinc inde pecuniâ in proprietatem, & perpetuam possessionem alienis tradidit.*

Articulus 4. *Articulus quartus, fuit ejus in innocentes nimia crudelitas; plurimorum constat relatione, quòd Magistrum quendam in Theologia, vitia ejus inter prædicandum Pragæ arguentem occidit, & plures alios tam Clericos quam laicos, sine causa rationabili necari mandavit.*

Articulus 5. *Articulus quintus, sive causa depositionis est, quòd non solum fovit raptores Latrones, & spoliatores mercatorum, & quorumlibet itinerantium, sed impunitatem malefactoribus omnimodam indulsit, opprimens, & puniens solum innocentes, unde plenum fuit sub eo Latronibus Regnum.*

Articulus 6. *Articulus sextus fuit, quòd membranas dedit personis levibus nequitiosis & vilibus: hoc est, chartas non scriptas, appendente sigillo Regiæ Majestatis, & hoc ex avaritia, pecuniarum duntaxat amore, per quas membranas homines nequitiosi multos dolos, & fraudes commiserunt.*

Articulus 7. *Articulus septimus, sive depositionis ejus causa fuit, quòd cum Rege Poloniæ Tartaros & Paganos contra milites Ordinis Teuthonicorum in Prussia vocante, se uni-*

se univit, & confœderavit in contemptum fidei Catholicæ & detrimentum totius Regni, quod Regiam minimè decuit Majestatem, quapropter quòd Paganos tenebatur expugnare, Christianos autem defendere.

Articulus 8. *Articulus octavus, quòd avaritiâ, & nimiâ cupiditate pecuniarum seductus multos diversæ conditionis homines ad Curiam suam fecit citari, sine rationabili causa, vel ut metu vel injustis accusationibus fatigati sese pecuniâ redimerent, alioquin militum vexationibus subjacerent.*

Articulus 9. *Articulus nonus, quia osor & persequutor Cleri fuit & omnium Ecclesiasticarum personarum, Laicos omnes, Rusticos, Cives simul & Nobiles quantum potuit contra ministrantes Ecclesiæ concitans, & fovens & defendens, quemadmodum Herbipolensibus factum jam diximus.*

Articulus 10. *Articulns decimus, insigne illud Gymnasium litterarium Generale, seu Universitatem Pragensem, quàm Pater Imperator Carolus IV. paulo ante fundaverat, suâ Tirannide annihilavit, atque destruxit, Doctores atque Magistros inde capiens, expellens, pluréque interficiens, quorum hostis inimicus, & persequutor fuit omnium, maximè bonorum virorum, atque Doctorum.*

Articulus 11. *Articulus undecimus fuit, sive depositionis causa non ultima, quòd subditos Principum, Episcoporum, Abbatum, Ducum Comitum, atque Nobilium occultis litteris, nuntijs, promissis, & suggestionibus contra Superiores suos in rebellionem concitavit, fovit, & animavit, ut patuit in Herbipolensibus.*

Articulus 12. *Articulus duodecimus, quòd osor pacis Regnum litibus contentionibus latrocinijs, & infinitis turbationibus implevit, Cives contra Principes animavit, metuens propter scelera commissa deponi à Regno, si pax in terra permissa Principes Electores inter se faceret omnino concordes.*

Articulus 13. *Articulus decimus tertius fuit, quòd Ecclesiasticorum immunitatem contemnens omnia temerè pro sua voluntate præsumpsit, bona Ecclesiarum, aut militibus distribuit, aut sibi usurpavit, moliebatur enim Regalia, & Jurisdictiones temporales Episcopis aufferre, & suis nebulonibus distribuere.*

Articulus 14. *Articulus decimus quartus fuit, quòd otio commessationibus, potationibus ebrietatibus, & luxuriæ die noctúque intentus negotia Regni omnia penitus neglexit, seditiones Civium, & bella fovit, in Bohemia cum suis meretricibus se continuit, ad Regni causas non venit, libidini & avaritiæ vacavit.*

Articulus 15. *Articulus decimus quintus fuit, quòd admonitus sæpius à Rom. Pontifice, atq; crebrius à Principibus requisitus, & rogatus, ut pro suscipienda Imperij corona expeditionem faceret in Italiam, renuit, sprevit, atque contempsit, & de negotijs tam Regni quàm Imperij nihil omninò curavit.*

Articulus 16. *Articulus decimus sextus, quòd super his, & alijs multis negligentijs, atque sceleribus suis admonitus, avisatus sæpiúsque rogatus, ut emendationis vitæ propositum dignaretur assumere, & Regni negotia curare, non solum nihil advertit, sed monentes, si potuit persecutus fuit. Multos enim venerabiles, Doctos & honestos viros, Prælatos, Monachos Presbyteros, Magistros atque studentes, vel occidit vel submergi præcepit, aut ignibus concremavit, sine causa, sine justitia, sine ordine æquitatis.*

Articuli fuerunt alij complurimi. Unde postremò indignati Principes Pauperúmque excitati clamoribus auctoritate suâ electoriâ, ipsum ab omni dignitate Germanici Regni, & de Consensu Bonifacij IX. ab omni Jure Imperij anno, die, loco prænotatis citatum, & non comparentem sicut diximus, deposuerunt.

Anno itaque prænotato, poſt depoſitionem Regis Wenceslai, Principes, qui apud Lanſtein oppidum Cis-Rhenanum convenerant, Joannes videlicet Archiepiſcopus Moguntinus, Wernherus Archiepiſcopus Trevirorum, & Fridericus Archiepiſcopus Colonienſis non obſtante abſentiâ Ducis Saxonum, & Marchionis Brandenburgenſium, Rupertum Comitem Palatinum, Bavariæque Ducem Coelectorem ſuum in conſilio præſentem unanimi conſenſu in Regem Germaniæ & Imperatorem Romanorum concorditer elegerunt. Quem Rheno transmiſſo in ſedem Regni ſub nucibus ex more collocarunt.

Rupertus Comes Palatinus in Regem eligitur.

A Lanſtein oppido Principes poſt hæc navigio deſcendunt ad Coloniam, ubi in majori Baſilica ſancti Apoſtoli Fridericus Archiepiſcopus ipſum electum in Regem Germaniæ ſolemniter benedixit, unxit, & coronavit; cui mox cives juramentum fidelitatis juxta antiquam Germanorum conſuetudinem conſtituunt, Aquenſes autem & Franckfurtenſes, una cum alijs civibus Regni partibus adhuc favebant Wenceslai, propterea & electio extra Franckfurt, & coronatio in Colonia celebrata eſt.

Rupertus itaque coronatus in Regem regnavit annis IX. & ad Imperij coronam non pervenit, homo certè Chriſtianiſſimus, juſtus & pius & amator Cleri.

Rupertus ſine corona Imperij regnavit annis 10.

Rupertus Rex iſte cùm poſtea contractis copijs Romam pro corona Imperij ſuſcipienda proficiſci diſponeret, Joannes Galeatius Mediolani Dux, qui partes Wenceslai, à quo in Ducem creatus fuerat, ſequebatur, omnes intercluſit vias, & euntibus tranſitum interdixit. Unde progredi minimè valens, ſine Imperij corona in Germaniam reverſus eſt. Cúmque pueri & Juvenculæ apud Heidelberg in oppido proprio cantilenas quaſdam in eum canerent, atque curiæ Major canentes verberibus & minis prohiberet, Rex manſuetiſſimus dixit: *Noli verberare canentes, nos Dominum Deum laudemus, quòd ſani & incolumes à periculis liberati potuimus evadere.*

Ruperti uxor filijq; ſex fuerunt & filiæ tres numero.

Uxorem habuit Rupertus Rex Eliſabetham Burggravij Nürenbergenſis filiam, de qua genuit 6. filios & 3. filias, quorum iſta ſunt nomina: Rupertus cognomento Pipan, qui ſub Sigiſmundo Rege Ungariæ pugnavit cum Turcis, ut dictum eſt, anno Wichardi Abbatis tertij quinto. Fridericus natus in Amberg, unde & locus nomen contraxit. Ludovicus qui poſtea dicebatur barbatus, & in ſenio cæcus, à quo Genealogia Palatinorum continuatur. Joannes dictus Nüenburg, Stephanus Comes poſtea in Gemino ponte, cujus Filius Comitatum Spanheimenſem, & Veldentiæ cum Zvveybrucken obtinuit, patris vocabulo nominatur. Otto Mosbach dictus à reſidentiæ loco. Filiarum nomina fuerunt iſta, Agnes, Margaretha, Eliſabeth. Porrò Rupertus & Fridericus ante Patrem ſine liberis obierunt in Amberg ſepulti, de reliquis autem per ordinem, quantum ratio expoſtulabit, ſuo loco dicemus.

Abbacellenſes Domino ſuo perjuri cóque rebelles.

Anno etiam prænotato Ruſticorum apud Helvetios turba, quam Abbacellenſes vulgariter nuncupant, conjunctis Suitenſibus, ut ſupra diximus, dudum Confœderati, & Abbati S. Galli Domino ſuo proprio inobedientes, atque rebelles contractis copijs ſociorum multa Ducibus Auſtriæ mala intulerunt, terras eorum per circuitum igne ferróque nimium crudeliter devaſtantes.

Hoc

Hoc ipso anno in medio quadragesimæ Cometes magnus in occidentali parte cœli apparuit, per plures manè & serò dies cunctis manifestè visibilis, cum longa cauda in metum & terrorem plurimorum, cujus notatio sequetur. Cometes apparuit.

Eodem anno in die S. Martini Præsulis Argentinensium Episcopus contractis pugnatoribus multis auxilio nobilium de Liechtenberg, Vinstingen, Ochsenstein, & aliorum, obsedit Gemer prope Colmariam, expugnavit, & cepit, & quidquid substantiæ temporalis inventum fuerat, in prædam divisit: Vice Dominum de Hochstein cum alijs spoliatos abire permisit. Gemer ab Episcopo Argentinensi capitur.

His quoque temporibus morbi & ægritudines variæ genus humanum per totam Europam miserabiliter afflixerunt, quam calamitatem nonnulli præsignatam fuisse per Cometem, qui in medio quadragesimæ apparuerat, existimabant. Oriebantur subitò in corporibus humanis pustulæ turgentes, & ulcera nimis horrenda, quibus infecti homines & jumenta passiones præferebant incredibiles. Nam quicunque homines hâc ægritudine fuissent infecti, doloribus torquebantur assiduis, & neque die requiem habere poterant neque nocte. Erat autem iste morbus nimium contagiosus, & in tantum formidabilis omnibus, ut leprosi quoque illo infectos homines detestarentur, & fugerent; multos contagione suâ infecit, consumpsit, debilitavit & occidit, Principes, Nobiles & Ignobiles, Rusticos & Cives, Religiosos & seculares. Hujus mali causa simul & cura medicos latebat omnes, nec quicquam desuper in libris suis poterant invenire, imò neque nomen illius constabat alicui medicorum. Duravit annis 12. & à Calabria incipiens totam Europam serpens occupavit. Nostris etiam temporibus hic morbus à Gallia & Neapoli ortus, atque propterea malum Gallicum nuncupatus, totam Germaniam simul & Europam omnem in vicesimum jam durans annum miserabiliter sæviens affligit.

Anno prænotato, Wichardus ejus nominis tertius hujus Monasterij Hirsaugiensis Abbas, in numero præcedentium, sextus atque tricesimus, jam senio gravatus, & noxiâ ægritudine memoratâ per plures dies miserabiliter cruciatus anno Regiminis sui undecimo ad Dominum migravit. Wichardus tertius Abbas Hirsaugiensis xxxvi. moritur.

De Friderico ejus nominis secundo, hujus Monasterij Hirsaugiensis XXXVII. Abbate: qui præfuit annis XXVIII.

Fridericus secundus fit Abbas Hirsaugiæ xxxvii.

ANno Dominicæ Nativitatis prænotato videlicet MCCCC. Indictione Romanorum octavâ, vacante Monasterio Hirsaugiensi per mortem Domini Wichardi quondam Abbatis, ne viduitatis suæ diutius deploraret incommoda, Prior & Fratres de Conventu certum diem pro electione novi Pastoris absentibus statuerunt, quo adveniente, orationibus dè consuetudine præmitti solitis, cum devotione ritè completis, Fratres, qui electioni tunc interfuerunt, Fridericum cognomento Wifflinger Monachum de gremio capituli unanimi Consensu in Abbatem elegerunt: virum bonum providum & circumspectum,

spectum, qui confirmatus per Rabanum Helmstat Episcopum Spirensem, & ex more solemniter ordinatus, præfuit certis diebus & annis viginti octo: Patriâ fuit Allemannus seu Suevus honestis Parentibus ortus, qui puer ad ordinem veniens, ut illo tempore consuetudo fuit, monasticâ disciplinâ, & moribus utebatur inventis. Factus autem Abbas confestim in alium virum mutatus est, & non solum temporalia prudenter, sed etiam spiritualia religiosius ordinariâ potestate correxit. Quantum potuit opere, & sermone, utilem curavit exhibere pastorem, & inordinatam subditorum vitam libenter ad regularis observantiæ tramitem reduxisset; ejus námque diebus reformatio illa Castellensis in Bavaria sumpsit exordium, quam ipse charam habens Monachis suis persuadere non potuit; Ordo etenim totus ubique jacebat deformatus. Staturâ corporis fuit mediocris, & pinguis, ventre simul & capite magnus, consilio cautus, prudentiâ insignis, Principibus & nobilibus gratus. Tota corporis viri dispositio fuit pulchra, & quandam præseferebat animi gravitatem. Eloquio satis fuit dissertus, non tamen multi sermonis, sed tardus ad loquendum, nisi quoties justa ratio expostularet sermonem. Vitam in se duxit religiosam, sperans, quòd subditos exemplo suo posset inducere ad meliora, quamquam nihil aut parum profecerit; corruperant etenim vias suas illo in tempore Monachi nostri ordinis penè omnes, & pauciissimi reperiebantur in tota Germania, qui ad puritatem Regulæ sancti Legislatoris nostri Benedicti ambularent. Unde Abbas Fridericus necessariò deferens tempori, mores suorum patienter tollerabat.

Friderici Abbatis mores & ingenium.

MCCCCI.

Rupertus Comes Palatinus in Regem Coloniæ coronatur.

Anno Friderici Abbatis primo indictione Romanorum nonâ, in festo Epiphaniæ Domini, Rupertus Comes Palatinus Rheni Bavariæque Dux, anno priore, sicut diximus, apud Landstein juxta Rhenum sub nucibus electus in majori Ecclesia Colonienſi ab Archiepiscopo Friderico in Regem unctus, & ordinatus est. Qui mox in oppidanos Aquenses Wenceslai partes ratione jurisjurandi, quo illi fuerant adstricti sequentes, animadvertit, & eos banno regali submisit. Cujus occasione spoliationes & multa damna per annos quinque continuos sustinuerunt, quousque tandem necessitate compulsi deserto Wenceslao in verba Ruperti Regis anno tribulationis eorum sexto juraverunt.

Cives Herbipolenses excommunicati à Papa absolvuntur.

Eodem anno Joannes de Egloffstein Herbipolensis Ecclesiæ majoris Præpositus, & Coadjutor Domini Gerhardi Pontificis, auctoritate, & commissione Bonifacij Papæ noni, persecutores, spoliatores & captivatores Cleri, Cives videlicet Herbipolensis urbis à censuris Ecclesiasticis, quas inciderant, absolvit. Deinde sublato interdicto Clerus divina cæpit denuo celebrare in Dominica proxima ante Ascensionem Domini, quæ jam per triennium fuerant intermissa.

Sigismundus Rex Ungariæ à suis Nobilibus incarceratur.

Anno prænotato Sigismundus Ungariæ Rex à suis capitur, & custodiæ mancipatur; conspiraverant enim contra eum nobiles terræ, quorum vel Patres occiderat, vel amicos, & captum interficere cogitabant. Captus à duobus Adolescentibus, Comitis Stephani, quem occiderat, filijs custodiendus traditur, quorum Mater allecta promissionibus multis, eum abire liberè permisit: liberatus à carcere Rex, omnia quæ mulieri promisit, implevit, filios ejus super cunctos Regni proceres exaltavit, Barbaram

baram Ciliæ Comitis filiam uxorem duxit, & in hos, à quibus fuerat captus, durè vindicavit.

Eodem quoque anno Judæus quidam nomine Michaël apud Helvetios in Dieſſenhoffen reſidens cuidam Chriſtiano tres obtulit florenos rogans eum, ut ſibi alicuius pueruli Chriſtiani ſanguinem procuraret, qui acceptâ pecuniâ quatuor annorum puerulum furtivè parentibus ſubtractum in locum ſecretiorem abduxit, occidit, & ſanguinem ejus collegit. Verum divinâ permittente juſtitiâ in ipſo crudelitatis opere deprehenſus, & in partes quatuor diviſus mercedem impietatis ſuæ, quam meruerat, accepit. Judæus etiam ex Confeſſione Chriſtiani detectus & captus, poſteaquam horrenda, quæ commiſerat ſcelera, patefeciſſet, igne crematus eſt; ex cujus confeſſatis crimina Judæorum multa venerunt in lucem. Hâc occaſione in oppido Schaffhauſſen triginta, in Winterthur ſeptem atque viginti, & in multis alijs locis Sueviæ plures Judæi capti fuerunt, & ignibus combuſti.

Judæorum pro ſuis ſceleribus perſequutio.

Claruit his fermè temporibus Gerhardus de Zutfania Patriâ Geldrenſis Canonicus Regulæ ſancti Auguſtini Præſulis in Cœnobio Windesheim Trajectenſis Diœceſis, vir multæ lectionis, & devotæ converſationis, qui inter alia eruditionis ſuæ opuſcula ſcripſit viris Monaſticis, valde neceſſarium, & utilem tractatum, quem de ſpiritualibus Aſcenſionibus prænotavit. Alium non ſpernendæ lectionis edidit libellum de reformatione interioris hominis. De cæteris quæ ſcripſit nihil in manus noſtras memini perveniſſe.

Gerhardus Zurfania Regularis ſcriptor inſignis.

Joannes de Witlich oppido Trevirenſis Diœceſis Compatriota meus vir in omni varietate ſcripturarum eruditus, qui Pariſijs & Coloniæ Theologiam pluribus annis docuit gloriosè, hæc tempora cum eruditione tum ſcriptis, & lucubrationibus reddidit clariora; multa enim fertur ſcripſiſſe, quorum ad manus noſtras pauciſſima pervenerunt; vidi enim duntaxat lecturam ejus, quam Pariſijs legit, ſuper quatuor ſententiarum libros opus profectò multæ eruditionis & utilitatis: enucleationem quoque ſuper omnes Epiſtolas Pauli, quam Coloniæ diſcipulis publicè recitavit excipientibus.

Joannes de Witlich Doctor Theologus.

Henricus de Haſſia ex quodam vico Langenſtein nuncupato oriundus Eccleſiæ Wormatienſis Canonicus, vir ſuâ tempeſtate in Theologia Doctiſſimus, qui multo tempore in ſcribendo Pariſiorum docendi Cathedram poſſedit, plura his etiam temporibus lucubravit opuſcula, è quibus numerantur ſubſcripta. In ſententias Petri Lombardi libros quatuor, in Prologum Bibliæ librum ſcripſit unum. In Geneſim libros quatuor. Ad Friſingenſem Epiſcopum, de Antichriſto, & Schiſmate librum unum. De contemplatione librum unum. De anima contemplativa librum unum. Speculum animæ peccatricis librum unum. De horis ſeptem Canonicis librum unum. Contra Aſtrologos librum unum. Contra Prognoſtica Theleſphori Presbyteri librum unum: ſuper oratione Dominica, Ave Maria, & Symbolo Apoſtolorum, libros tres. De contemptu mundi notabile opus, librum unum. Contra Joannem Wickleff, & errores ejus librum. Ad Canonicos Regulares librum unum. Contra proprietatem clauſtralium librum unum. Super Cantica Canticorum Salomonis

Henricus de Haſſia Doctor, qui multa volumina ſcripſit.

librum unum. Sermones etiam varios scripsit, & Epistolas plures ad diversos, & alia adhuc nobis incognita.

MCCCCII.

Ludovicus Comes Palatinus filius Regis ducit uxorem.

Anno Friderici Abbatis secundo, Indictione Romanorum decimâ, in mense Majo, Rupertus Germanorum Rex nuptias filio suo solemnes, & splendidas in Colonia celebravit, conjungens illi uxorem Blancam, Mariam Henrici Anglorum Regis filiam, de qua genuit filium nomine Rupertum, qui vigesimo ætatis suæ anno sine liberis obijt. Post mortem verò Blancæ Mariæ uxoris, Ludovicus aliam duxit uxorem Mechtilden videlicet, Magni Ducis Sabaudiæ Amedei, postea Papæ Felicis filiam, de cujus liberis congruo loco & tempore latius dicemus.

Rupertus Rex cum exercitu proficiscitur in Italiam.

Eodem anno Rupertus Rex pro magna pecuniarum summa à Florentinis vocatus in auxilium contra Joannem Galeatium Mediolani Ducem, contracto pugnatorum copioso exercitu, in Italiam profectus est, duplicem profectionis suæ habens occasionem, alteram, ut conductus mercede amicis ferret subsidium; alteram ut victor urbem ingressus Romanorum, Imperij susciperet dignitatem: sed aliter quàm animo destinaverat, res accidit. Non enim solum Galeatium vincere non potuit, sed etiam progredi ulterius ab eo prohibitus fuit. Reversus est ergo in Germaniam sine benedictione Imperiali, & Florentinos nihil, aut parum relevavit.

Rupertus Rex superavit Marchionem Badensem.

Anno prænotato Rupertus Rex de Italia in Germaniam reversus contra Marchionem Badensem sibi inobedientem, atque rebellem, produxit exercitum, & in primis Mulberg Castellum ejus obsidione vallavit. Cernens Marchio, quòd tantæ multitudini nullatenus posset resistere, humiliatus petivit veniam, & præstitit Regi omnimodam subjectionem. Fuerunt & alij Principes nonnulli simul, & cives, quibus Wenceslai destitutio non placuit, quorum aliquos armis Rupertus Rex sibi subjecit, cum alijs verò ad tempus dissimulans tandem omnes patientiâ superavit.

Universitas Herbipolensis transfertur in Erpfordiam.

Anno etiam præscripto universitas litteraria sive Gymnasium universale studentium, quod fuit in Civitate Herbipolensi apud Francos Orientales ad Thuringos in Civitatem Erford auctoritate Apostolicâ translatum est. Quæ fuerit hujus causa translationis, & ante annos decem supra diximus, & in hoc distico iterum explicamus:

Balnea, census, amor, lis, alea, crapula, clamor,
Impediunt multum Herbipolense studium.

Per annos duraverat hoc universale Gymnasium apud Francos fermè quatuordecim, & propter contentiones, ac lites inter Episcopum & Cives continuas, necessariò inde fuit translatum. Aliam verò translationis causam dedit Hæresis Bohemorum, quæ illo tempore, sicut dicemus, Pragense nobile Gymnasium dissipavit.

Tamburlanus Tartarorum magnus Princeps moritur.

Eodem anno moritur Tamburlanus Imperator Tartarorum homo nimium formidabilis potentiæ, qui gentis suæ Imperium valdè dilatavit. Humili quidem loco natus apud Tartaros, ingenio & viribus tantum crevit supra omnes, ut plures quàm duodecies centena hominum millia haberet in castris. Quâ multitudine superatis Turcis eorum Regem catenis vinctum aureis, currui, quo vehebatur, quasi triumphans adjunxit. Armenos præterea prostravit, Persas destruxit, Ægyptios vicit, Damascum evertit,

evertit, & omnes in circuitu nationes superavit. Cum Christianis pugnans uno die quadraginta millia occidit, & non paucos numero captivos abduxit. Joannes Galeatius Mediolani Dux contra Florentinos ducens hoc anno moritur.

Universitas Pragensis maculari cœpit Hæresibus.

Anno prænotato, Wenceslao, sicut diximus à Regno Germaniæ simul, & jure Imperij depositio, atque in Regno Bohemorum residente patrno, Hussitarum perfida hæresis tali occasione sumpsit exordium. Cùm Doctores atque Magistri nationis Theutonicæ, scholam suo nutu regerent Pragensem, idque Bohemis haud mediocriter displiceret, Regem accedunt, rogant, & exorant, ut Theutonicis Magistratu scholarum privatis, hunc solis Bohemis permittat honorem. Annuit Rex, Theutonicis propter sui ab Imperio depositionem alioquin infensus, & concessit, quem postulaverant Magistratum Bohemis.

Joannes Huss scholæ Pragensi præficitur Hæresiarcha pessimus.

Erat inter Bohemos homo quidam obscurè natus, ingenio tamen, & dicacitate non ultimus, nomine Joannes Huss, qui novis & peregrinis quæstionibus assiduè intentus, dogmata cujusdam Joannis Wicleff erronea primò secretè, postea manifestè docebat. Hunc Bohemi Magistrum scholarum constituunt, quem Theutonicis inimicissimum esse noverant. Quâ indignitate Magistri & studentes Theutonicæ nationis commoti simul in unum conveniunt, & de relinquenda Bohemia & schola Bohemis invicem mutuò cohortantur, & omnes jurejurando constringunt.

Universitas Lipsicensis sumpsit exordium à Praga.

Deinde post dies paucos omnes Magistri, atque studentes Theutonicæ nationis plures numero quam duo millia, rebus suis ordinatis, atque dispositis, uno die simul & semel, Pragâ exeuntes venerunt in Lipsig oppidum Misnensium, & ibi auctoritate Apostolicâ universale & novum erexère Gymnasium. De quorum numero Erpfurdiana schola noviter, ut paulò ante diximus à Wirzburg translata non modicum sumpsit incrementum.

Joannes autem Magister, & rector scholæ factus, vitam in magna simulatione humilitatis fictæ continuans brevi tempore fidem in populo non minus quam inter sæculares non modicam sibi comparavit. Fuit enim versutus ingenio, sermone facundus, & in logicis disputator acutus. Eo tempore fuit in Praga studiosus quidam de domo & familia putridipiscis nuncupatus, qui apud Anglos in Oxonienſi Gymnasio litteris navans operam pleraque volumina sibi comparaverat cujusdam Joannis Wicleff novitatibus & erroribus plena, qui Pragam cùm attigisset, Joanni Huss memorato communicavit.

Joannes Huss errorum Wicleffistarũ prædicator.

Qui cùm novitatum esset amator, & veluti sepulchrum foris dealbatum, intus verò putredine, & omni spurcitiâ plenum, oblatum sibi gaudens hausit venenum, suum mox fecit errorem alienum, quem non solum in scholis propinavit suis discipulis, sed etiam publicè in Ambone populis. In Ecclesia siquidem, quæ Bethleemitica Pragæ nuncupatur, constitutus Prædicator publicus, cùm sibi favorem simplicis populi comparâsset, ac placidè ab eis audiretur, paulatim errores auditoribus multos persuasit, & venenum, quod ex libris perversi dogmatis secretò hauserat, publicè jam cunctis infundebat. Concionator pulpitum quoties ascenderet, Joannem Wicleff, ut virum sanctissimum, & veritatis Doctorem magnis laudibus æternáque fœlicitate dignissimum hæreticum hæreticum prædicabat;

Hærersiacha Joan. Huss omnium pessimus.

fuerunt enim libri memorati Joannis Wicleff Anglici multis & varijs erroribus pleni, quibus gens Bohemica, & maximè Pragenses, per Joannem Huss Hæresiarcham imbuta, ab Ecclesia Romana se dividens pro magna parte Schismaticam sese constituit, & manet obstinata usque in præsentem diem. Sed libet jam nunc errores Bohemorum, qui tam ex libris ipsius Joannis Wicleff Anglici, quam ex damnatis ab Ecclesia dudum sectis Hæreticorum sumpsit initium, per articulos singulatim secundum ordinem exprimere.

Articulus 1. *Primus error Bohemorum seu articulus erroneus est, quia Romanam Ecclesiam despiciunt, ejus Pontificem, & Cardinales contemnunt, statuta, Constitutiones, & ejus decreta spernunt, auctoritatem Papæ vilipendunt, & nec Romanæ Ecclesiæ nec ejus Pontifici aliquam majoritatem concedunt, sed Episcopos omnes unius atque ejusdem asserunt auctoritatis & potestatis.*

Articulus 2. *Articulus secundus erroris est, quòd Sacramentum confirmationis, & extremæ unctionis nihili pendunt irridentes & contemnunt, similiter aquam, candelas, cineres, palmas, panes, herbas, sed & quidquid aliud in facie Ecclesiæ benedicitur, per Sacerdotes, & Diaconos, ut vanum spernunt irridentes.*

Articulus 3. *Articulus tertius erroris est, quòd structuras Ecclesiarum Monasteriorum quoque & Altarium, consecrationes eorundem & cœmeteriorum, benedictiones Calicum & vestimentorum sacerdotalium, credunt sentiunt, & dicunt, esse superstitiones vanas & inutiles, eò quòd SS. Apostoli usi non fuerint.*

Articulus 4. *Articulus quartus erroris est, ex præcedente nascens, quòd dicunt corpora mortuorum in quolibet loco sepelienda, cœmeteria & alia consecrata loca nil plus esse, quàm non consecrata, & propterea nihil prodesse animabus, si corpora eorum sepeliántur in Ecclesia, nihilve obesse si extra tumulentur.*

Articulus 5. *Articulus quintus erroris est, ex tertio similiter descendens, quòd consecrationes Altarium & Ecclesiarum irridentes, dicunt quemlibet Sacerdotem in quolibet loco & qualibet horâ sine aliquo ornatu in vestibus suis, & non jejunum Missam posse celebrare, & Corpus Christi conficere, ac sumere, vel etiam alijs ministrare, sicut JESUS fecit in cœna, & post eum Apostoli, nec opus esse, ut præter verba Consecrationis præmittat, vel dicat aliquid aliud.*

Articulus 6. *Articulus sextus est, quòd horas Canonicas ab Ecclesia institutas dicunt inutiles, & Sacerdotum occupationes, per quas tempus studio scripturarum, contemplationi Doctrinæ, vel prædicationi deputandum infructuosè expendatur, cùm Apostolorum more fuerit potius oratio Dominica peroranda.*

Articulus 7. *Articulus septimus Hæresis & erroris est, quòd more Judæorum confessionem delictorum ad minimum semel in anno juxta constitutionem Ecclesiæ Sacerdoti verbaliter faciendam negant, despiciunt, recusant & contemnunt, dicentes cuilibet sufficere ad salutem, si peccata sua in corde tantum confiteatur Deo.*

Articulus 8. *Articulus octavus erroris est, quia purgatorium animarum post hanc vitam penitus negant, dicentes, inter Regnum Dei & infernum nullum esse medium, sed quamlibet animam mox, ut egressa fuerit de corpore, pro meritis vitæ transactæ, aut Beatitudinem consequi bonam, aut infernum malum.*

Articulus 9. *Articulus nonus erroris ex præcedente ortus est, quòd dicunt orationes, & Eleemosynas, jejunia, Missarum celebrationes & alia quæcúnque opera bona viventium, animabus nihil prodesse mortuorum, cùm sublato purgatorio his, qui damnati sunt, non conveniant, Beati verò suffragijs non egeant.*

Articulus 10. *Articulus decimus erroris est, quòd dicunt Litanias & orationes quas facimus*

mus ad sanctos Dei, cum Christo in Regno Cœlorum fœlices, Missas quoque & invocationes, preces, & peregrinationes, omnino inutiles esse & vanas, nec illos quantumlibet Beatos nobis quidquam boni conferre, & impetrare posse, aut mali avertere, & sic error similiter est Judæorum communis.

Articulus undecimus erroris est, quòd omnes Imagines Sanctorum dicunt esse destruendas, & præter solam Imaginem Crucifixi, reliquas omnes ab Ecclesia pellendas & exterminandas. Hunc antiquum errorem Græcorum simul & Judæorum, dudum S. Romana condemnavit Ecclesia. Articulus 11.

Articulus duodecimus erroris est, quòd dicunt, nullo unquam die à mane ab operatione cessandum, & propterea omnes totius anni dies festos & celebritates Sanctorum, præter solum Dominicum diem penitus reijciendas, nullum omnino festum neque Domini neque Matris ejus S. Mariæ relinquentes. Articulus 12.

Articulus decimus tertius erroris est, quòd omnia jejunia ab Ecclesia dudum instituta, dicunt nullius esse meriti, quod non solum sancto contrariatur Evangelio, sed etiam institutis Judæorum & Saracenorum adversatur. Articulus 13.

Articulus decimus quartus erroris est, quòd ritum & consuetudinem Baptismi Ecclesiæ contemnentes, dicunt infantes & quoslibet homines in sola aqua fluviali esse baptizandos. Benedictionem Baptismi, sacri unctionem olei, & catecumenorum introductionem, esse vanitatem & superstitionem. Articulus 14.

Articulus decimus quintus est, quia dicunt unicuique sive presbyter sit sive Laicus, liberè in omni loco & tempore licere Verbum Dei prædicare, & à nullo posse prohiberi, insuper dignitatem Episcopalem nihil conferre, sed meritum, & ob id omnes Pontifices esse pares & nullum altero superiorem vel inferiorem. Articulus 15.

Articulus decimus sextus erroris est, quòd FF. mendicantium omnes damnant, & persequuntur, dicentes non à Deo, sed à malo dæmone institutos, eorúmque primos inceptores esse in inferno damnatos, & eorum animas in cœlo Luciferi sine fine torqueri, propterea, quòd suâ novitate Christianam vitam, & institutionem depravarint. Articulus 16.

Articulus decimus septimus erroris, ex primo procedens, est, quòd vilipendunt omnem auctoritatem Ecclesiæ, claves simul, & Jurisdictionem, & neque censuras Pontificum curant, neque indulgentias, neque statuta aliqua. Articulus 17.

Articulus decimus octavus est, quòd dicunt Ecclesias beneficijs non esse dotandas, atque ministros & Sacerdotes ejus debere omnino esse pauperes, & nihil habere penitus, neque in proprio neque in Communi, sed imitari discipulos Christi & vivere de Eleemosynis, & sponte oblatis de commiseratione Laicorum. Articulus 18.

Articulus decimus nonus erroris est, quòd prædicant Laicis de necessitate salutis convenire, ut communicent corpus & Sanguinem Domini, sub utraque specie, quemadmodum communicant Sacerdotes, quod Ecclesia non sine causa prohibuit ante multos annos ob reverentiam Sacramenti, & periculum effusionis. Articulus 19.

Articulus vigesimus erroris est, quòd non solum homines legitimæ ætatis, sed & pueros & infantes suos non tantum semel in anno, sed quotiens parentes eorum voluerint, sub utraque specie communicant, Corpore & Sanguine Domini, in vilipensionem & irreverentiam tantum venerabilis Sacramenti. Articulus 20.

Hos errorum articulos cum aljis multis quos causa brevitatis omittimus, Joannes ille cognomento Huss Hæresiarcha scelestissimus ex libris, ut supra diximus, Joannis Wicleff Anglici seductus, in populum & Clerum prædicando paulatim effudit. Sequebatur eum magna multitudo Cleri

Joannes Huss Hæresiarcha Bohemos in multis seduxit.

Cleri simul atque studentium ære gravata alieno, varijsque immersa sceleribus, verbis atque verberibus parata dimicare pro magistro.

Invidia Clericorum, quid non præsumit.

Concitante námque invidiâ contra potentiores, & ditiores de Clero, pauperes ignobiléque consurgentes eos beneficijs Ecclesiasticis clamabant indignos, dicentes, quòd scripturarum essent ignari, nec beneficia conferenda nobilibus, nisi essent docti. Et quia ipsi cùm essent pauperes, nec possent nobilibus & divitibus paria obtinere beneficia, publicè prædicabant, Sacerdotes, & ministros Ecclesiæ omnes debere esse pauperes, & imitatione Apostolorum nihil omnino possidere, neque in privato neque in communi, sed contentos esse oportere in eleemosynis, quæ darentur eis à Laicis. Decimas, census & redditus undecunque provenientes dicebant non esse Clericorum, sed Regum Principum atque nobilium. Et per hunc articulum solum Joannes Huss nobiles sibi conciliavit Bohemiæ, qui ut bona & divitias Ecclesiæ ac Sacerdotum sibi usurparent licenter, etiam reliquos libenter admiserunt errores, unde Clerus bonis omnibus fuit spoliatus. Hos & plures alios errores cùm Joannes Huss paulatim, & successivè in vulgus disseminaret, & multis sibi ex Clero faventibus, quos inopia pressit, res tandem ad notitiam Pragensis Archiepiscopi devenit, qui cùm esset vir optimis natalibus ortus, moribus & eruditione clarus, se murum pro Domo Dei contra Impiorum traditiones opposuit. Convocatis itaque ex Clero viris prudentibus, & in scripturis non mediocriter doctis & eruditis, Joannem Huss fecit adesse, quem super novitatibus erroneis diligenter examinavit. Cúmque intellexisset errores præscriptos ex libris Joannis Wicleff Anglici sumpsisse principium, ut quantocius apportarentur omnes præcepit. Allatis igitur voluminibus errorum non minus ducentis, auro & argento curiosè ornatis, consilio DD. omnes in ignem projecti sunt, & in cinerem concremati, adstante Hæresiarcha Joanne Huss, & inspectante, qui majorem partem propriâ manu conscripserat, & quosdam ex ingenio suo conposuerat; deinde Joannes Huss, seminator errorum per Archiepiscopum fuit prohibitus, ne amplius in Civitate Pragensi prædicaret, neque in publico, neque in privato, & in scholis deinceps nec legeret nec doceret. Quâ humiliatione confusus Pragam exivit cum paucis discipulis, & in vicum nativitatis suæ discedens, ibidem permittente Domino loci per multum tempus prædicando, indoctum vulgus decepit, loquens rusticis placentia, similiter & avaris nobilibus. Dicebat enim decimas nihil aliud esse, quàm eleemosynas, & in donantis stare arbitrio, si dare eas velit, aut in usus proprios reservare. Hæc ruricolis placuerunt omnibus, & seducentem libenter satis auscultabant: pro nobilibus autem fuit, quòd odio Episcoporum & Cleri prædicabat, Pontifices Sacerdotes, & Monachos omnes debere esse omnino pauperes, & de eleemosynis tantum vivere Laicorum, & ut in paupertate Apostolica permaneant, omnes divitias, possessiones, census, Dominia & proventus ab eis penitus debere aufferri, & in usus Principum ac nobilium terræ, unde provenerant, converti. Omnia hæc invidia pauperum Clericorum in divites excogitavit; hujus occasione perversi dogmatis magna Bohemiæ pars in avaritiam præcipitata, ut bona & possessiones Clericorum posset acquirere, consentire in hæreses multas, & sese ab unitate sacrosanctæ Ecclesiæ Catholicæ non timuit dimembrare. Mox etenim

Archiepisc. Pragensis inquisitionem facit contra Joh. Huss.

Ducentorum Hæreticorum volumina traduntur Pragæ ignibus.

Joannes Huss contra Clerum incitat nobiles Regni Bohemiæ.

Clerus Bohemiæ bonis Ecclesiæ spoliatur.

etenim, ut vox ista per Bohemiæ regnum insonuit, quòd ministri Ecclesiæ deberent esse pauperes, & nihil omnino possidere, nobiles terræ, unusquisque in loco suo bona Clericorum diripientes, suis usurpavit usibus, decimationes, census, proventus ac dominia violenter aufferentes, & detinentes usque in præsentem diem: unde ab illo die omnes Hæreticorum Bohemiæ Sacerdotes, in Praga maximè, ut mendici sunt pauperes, & vivunt de eleemosyna.

Non uno sed multis erroribus gens maculatur Bohemica.

Cum tempore autem Bohemica gens in diversis locis, & alios multos atque diversos admisit errores, ut juxta scripturam, quæ in sordibus erat, sordesceret adhuc, & cortinâ trahente cortinam, ex prima errorum scaturigine infiniti sequerentur errores; nam ut breviter & summatim concludam. Bohemia tot est erroribus maculata, ut credi posset cunctas ab origine nascentis Ecclesiæ Christianorum hæreses esse in eam transfusas. Nec hæresis fuit aliquando, cujus Bohemia venenum non potaverit, sunt tamen adhuc hodie plures in ea Christi fideles, qui Romanæ Ecclesiæ sequuntur Doctrinam. Est miranda in hominibus animorum confusio, ut non solum in una domo, sed etiam in uno matrimonij thoro tanta religionis inveniatur diversitas, quâ corpore juncti in uno, fidei tamen opinione dividantur: Patris opinionem mares sequuntur, & fidem genitricis femellæ.

Fossariorũ genus est spurcissimum quorum multitudo maxima.

Est aliud in Regno Bohemiæ genus Hæreticorum spurcissimum, qui nuncupantur fossarij, propterea quòd in fossis, atque speluncis conveniunt nocturno tempore, in simul sine discretione conditionis vel gradus coeuntes, luxuriantes alter in uxorem alterius, in matrem quoque propriam, in filiam & sororem, secundum quod fortuito casu verbum prædicantis audituri confederint. Et si vera sunt, quæ nuper à quodam fideli milite Bohemico audivimus, horum nefandorum hominum maxima est multitudo in Bohemia; dixerat enim, & juramento firmavit, fossariorum plus quàm decem & octo millia posse in Bohemia reperiri. Sunt & alij diversarum opinionum hæretici, quorum errores in medium reponere omnes, nimium videretur tædiosum.

Hæresis Bohemica multorum causa malorum extitit.

Horum occasione dogmatum infinita mala fuerunt subsequuta, spoliationes & incendia, destructiones Monasteriorum, & plurium Ecclesiarum in Praga, & extra per totum Regnum, multorum quoque Sacerdotum ac Monachorum neces, trucidationes vel exilia, bella, seditiones, depræda tiones, desolationes urbium simul atque villarum. Omnium malorum causa Joannes Huss fuit memoratus hæresiarcha, qui tandem in Concilio Constantiensi temeritatis suæ pœnas sustinuit, quas meruit, ut anno Friderici Abbatis quinto decimo dicemus.

MCCCCIII.

Wilhelmus Dux Montensis à proprio filio incarceratur.

Anno Friderici Abbatis tertio, Indictione Romanorum undecimâ, Rudolphus Wilhelmi Ducis Montensis filius dominandi libidine inflammatus Patrem cepit, & in Castello Neuenburg, custodiæ mancipavit. Detestabile filij crimen in Patrem, & non minus humanis quàm divinis legibus contrarium. Precabatur filium captivus Pater, & continuis lachrymis rogabat, ut licenter omnino liberéque retineret Ducatum, tantum ne carceris perire inediâ pateretur: sed durior adamante filius, & lachrymas Genitoris & preces contempsit, ejúsque Dominium usurpavit.

Eodem

Eodem tamen anno Henricus quidam de Spir miles Friderico Archiepiscopo Colonienſium favente, atque consilium præstante, cum adjutorio captivum Ducem cum magna cautela & astutia, celerrimè de custodia eripuit, ac liberatum jam liberum abduxit; verumtamen redire ad Ducatum Pater illo anno metu filij non potuit. Insuper versus in Tyrannidem filius, postquam Patrem audivit de captivitate abductum, etiam expulit matrem à Ducatu, quæ soror fuit Ruperti Regis, de qua anno sequenti latius dicemus.

Bingen oppidum Cis-Rhenanum crematur.

Anno prænotato, tertio decimo die mensis Augusti, maximum incendium ex casu in oppido Bingen fuit exortum, ex quo multa Civibus damna provenerunt; vix enim quarta pars oppidi permansit illæsa, omnia vorax incendium apprehendit, omnia vastavit, Ecclesiámque parochialem & Capellas S. Spiritus, Divorúmque Christophori, Nicolai & Ægidij, penitus consumpsit, atque in hora ex divitibus cives multos repentè fecit pauperrimos.

Gerhardus Episcopus Herbipolensis obijt.

Eodem anno circa principium mensis Novembris, obijt Gerhardus de Schvvarzenburg Episcopus Herbipolensis, & Dux Orientalium Francorum, qui Cives Wirzburgenses à pluribus annis rebelles & inobedientes primus per arma potenter ad subjectionem perpetuam compulit, & revocavit, rebus & pecuniâ Ecclesiam tenuem, & propter bella continua exhaustam reliquit.

Joannes de Egloffstein fit Episcopus Herbipolensis.

Post mortem Gerhardi memorati Pontificis concorditer in Episcopum fuit electus per capitulum Joannes de Egloffstein majoris Ecclesiæ Præpositus, qui per annos fermè quinque prædecessoris sui Coadjutor extiterat, vir prudens, expertus & magnificus, mitis & benignus ad Cives, Cleri amator, atque defensor præcipuus, præfuit utiliter annis novem.

Abbacellenses Domino suo Abbati S. Galli rebellisant.

Anno etiam præsignato Abbacellenses apud Helvetios insuper Suitensium exemplo non minus quàm auxilio seducti, denuo contra Cunonem Abbatem Monasterij S. Galli ordinis nostri rebelles & inobedientes consurgunt, census & proventus annuos debitósque dare Domino suo memorato contumaciter recusantes; Abbas etenim memoratus Cœnobij S. Galli Abbacellensium verus & proprius est Dominus, à cujus subjectione ipsi se rustici subtrahere & in libertatem vendicare Suitensium consilio tentaverunt. Necessitate igitur compulsus prædictus Abbas Cuno cum Civibus Regni urbis Constantiæ ac socijs eorum fœdus amicitiæ contraxit, quorum consilio bellum rebellibus indicit. Constantienses itaque adjunctis sibi socijs & nobilibus multis, exercitum fermè quinque millium contra multitudinem rebellium Rusticorum pro Abbate duxerunt. Commissum est prælium, & ab utraque parte multi ceciderunt, mansit incerta pugnantibus victoria, unde fatigati ab utraque parte pugnatores, postremò singuli redierunt in sua.

Bellum Abbatis S. Galli contra subditos suos rebelles.

Abbacellenses oppidanos S. Galli ad defectionem sollicitant.

Post hæc Abbacellenses jam bellis assueti, ut ea, quæ mente conceperant, tutò perducerent in effectum, copias contrahunt, & auxilio conjuratorum fines Constantiensium ingressi ad certamen provocant quiescentes, & ne Constantiensibus iterum ad Abbacellenses pateret accessus, conjurati fœdifragis dederunt consilium, ut oppidanos S. Galli suam persuaderent in partem, quod eo facilius fieri posse videbatur, quo non

minora

minora Galliani ab amicis, quibus incedendi commeatum indulserant, damna tulerant, quàm ab adversarijs.

Cives S. Galli contra D. Abbatem suum conspirant.

Galliani ergo periculorum memores simul & damnorum, quæ sustinuerant ab amicis, facilè tum fuêre persuasi conjurare cum perjuris, maximè cùm totam confœderatorum ad manum societatem haberent. Recesserunt ergo & ipsi à Domino suo Abbate S. Galli, & fœdus cum Abbacellensibus inierunt, quibus & Suitenses præbuerunt auxilia, & multiplicata sunt mala super terram.

Ladislaus Rex Apuliæ contra Sigismundum vocatur ab Ungaris.

Anno prænotato Ungari denuo in Sigismundum Regem suum, filium Caroli quondam Imperatoris IV. Fratrem Wenceslai Regis Bohemiæ, ab Imperio depositi, conspirantes, Legatos miserunt ad Ladislaum Apuliæ Regem, cujus pater olim fuit Rex Ungariæ, rogantes, ut veniret quantocius, & Regnum expulso Sigismundo susciperet paternum; qui Dominationis nimium cupidus, quia Regnum Neapolitanum cum Sicilia jam solus possidebat, & quietus, libenter postulantibus quidquid obtulissent, acquiescens, iter versus Ungariam cum magna Comitiva direxit. Venienti ad fines Regni, Ungariæ multi proceres, Episcopi, Comites atque Prælati apud quandam urbem occurrentes, ei coronam Regni Ungariæ per manus Archiepiscopi Strigonienſis imposuerunt. Deinde Rex Ladislaus jam coronatus misit in Ungariam Comitem de S. Severino, cum trecentis lanceatis, & magnam Comitivam Ungarorum, ad capiendam suo nomine possessionem Regni. Intereà proceres plures mutato proposito Ladislaum, quem evocaverant, recusârunt, Sigismundum Regem suum postulantes. Cùm ergo intrasset Ungariam Comes S. Severini, reperit majores Regni omnes sibi contrarios, illos quoque, qui cum eo redierant, similiter mutâsse propositum, & timuit, reversúsque suo Domino cuncta renuntiavit; Ladislaus videns se deceptum in Apuliam rervertitur.

Ladislaus deceptus ab Ungaris in Apuliam revertitur.

MCCCCIV.

Castellensis reformationis Ordinis nostri principium.

Anno Friderici Abbatis IV. cœpta est reformatio nostri Ordinis in Bavaria, quæ à loco sui exordij, sive principij, Monasterio videlicet Castellensi nomen obtinuit. Est autem Castellense memoratum ordinis nostri Monasterium Eichstettensis Diœcesis in Bavaria constitutum, cujus eo tempore Abbas nomine Otto, vir insignis prudens, & religiosus divino succensus amore, se inprimis, deinde Monachos suos ad Regulæ puritatem instituit, & Monasterium suum in utróque statu successivè magnificè reformavit. Supervenit post decennium Constantiensis auctoritas Concilij, per quam ipsa jam dicta reformatio Castellensis etiam in alia Bavariæ Sueviæque Monasteria fuit diffusa; nam ut suo loco favente Altissimo dicemus, ex institutione memorati Concilij Constantiensis tres Ordinis nostri observationes seu reformationes in Germania sumpserunt initium, Castellensis videlicet, Melicensis, & Bursfeldensis.

Bonifacius Papa IX. ex pleuritide Romæ moritur.

Eodem anno Bonifacius Papa IX. ex pleuritide moritur, & in Basilica S. Petri Apostolorum Principis sub lapide marmoreo honorificè sepelitur: quo mortuo primâ die mensis Octobris populus Romanus arma capiens, & tumultum per urbem, rixas, seditiones, & homicidia commisit, cooperante familiâ de Columna, Ursiníque obviare civium furori dissimulantibus.

Innocentius Papa VII. eligitur & præfuit annis II.

Anno prænotato XVI. die mensis Octobris Cardinales, qui Romæ fuerant sub obedientia Bonifacij, conclave intrantes, se mutuò constrinxerunt, ut quicunque ex ipsis in Pontificem fuerit electus, operam dare velit omnem, etiam cum renuntiatione Papatus, in quantum necessitas postulaverit, quatenus sublato schismate unio Ecclesiæ reformaretur. Post hæc ad novi Pontificis creationem procedentes, Cosmam Patriâ Sulmonensem Cardinalem S. Crucis Bononiensem vulgariter nuncupatum, in Papam concorditer elegerunt, qui Innocentius septimus in sua obedientia dictus, præfuit annis fermè duobus, vir senex & multum expertus.

Joan. Maria Galeatij filius fit Dux Mediolani.

His temporibus Italia ferè tota seditionibus plena fuit, mortuo námque Joanne Galeatio Duce Mediolani primo, duo filij ejus Adolescentes rerum non satis experti, parum prosperè Dominium Patris diviserunt. Joannes etenim Maria, qui major erat natu, Mediolani Ducatum obtinuit. Philippus verò Maria secundo genitus frater ejus Papiæ Comitatum accepit: reliquæ verò Civitates & oppida XXV. quæ cum Patre senserant, à filijs defecerunt, ex quibus quidem urbibus potiores sibi singulæ Principes singulos susceperunt, Florentinis defectionem augentibus.

MCCCCV.

Anna Soror Ruperti Regis uxor Montensis.

Anno Friderici Abbatis V. Indictione Romanorum XIII. venit ad Rupertum Regem Germaniæ, Romanorúmque Imperatorem electum, & confirmatum, Heidelbergæ commorantem, soror ejus Anna uxor Wilhelmi Ducis Montensis, gravem deferens querelam contra filium suum Adolphum, qui Patrem & Matrem expellens de terra, in Ducatu tyrannidem, ut anno proximè transacto diximus, exercebat; nam Patrem in vincula conjecerat: quo per amicos industriosè liberato, totus in furorem conversus etiam Genitricem suam fugavit.

Adolphus Dux Montensis Patrem cognoscere compellitur.

Rupertus autem Rex calamitati sororis compatiens, cùm esset Princeps alioquin justus atque rectissimus, Adolphum filium sororis, ut se de objectis iniquitatibus purgaret, ad Judicium Cameræ citavit regalis, quo non comparente, sed spernente mandatum, Censuras in eum fulminavit imperiales, & contractis copijs bellum contumaci indixit. Adolphus autem cùm sibi regale bellum immineret, viderétque vires Regni se non posse sufferre, veniam petijt, Genitori cessit.

Clerus Wormatiensis Civitatem deserit.

Anno item prænotato X. die mensis Februarij, Clerus Wormatiensis propter dissensiones, quas pro Ecclesiastica libertate habuit cum Civibus, urbem exivit, & mensibus 23. foris in locis ab antiquo unicuique Collegio deputatis remansit; Civitas autem propter violata Clericorum privilegia interdicto Ecclesiastico fuit supposita. Postremò tandem Ruperto Rege & Ludovico filio ejus, Comite Palatino Rheni, vices suas interponentibus, facta est concordia, ut suo loco diximus.

Echardus Ders Episcopus Wormatiensis moritur.

Eodem anno XIII. die mensis Maij, obijt Eghardus de Ders anno Pontificatus sui XXX. nondum completo in Episcopatu Wormatiensi, cujus corpus in medio chori majoris Ecclesiæ fuit sepultum. Ipse præsul Eghardus, multas cum civibus habuit contentiones pro libertate Ecclesiastica, & Juribus Episcopalibus, unde & Clerus ipso jubente Civitatem, sicut diximus, exivit, & biennio fermè ob duritiam Civium foris remansit, à multis etenim annis inter Clerum & Cives fuit discordia.

Post

Matthæus de Cracovia Doctor fit Episcopus Wormatiensis Ecclesiæ.

Post mortem verò Echardi Pontificis Matthæus de Cracovia Patriâ Polonus, Apostolicâ provisione Innocentij Papæ VII. Episcopus Wormatiensium factus, præfuit annis quinque, vir in omni scripturarum varietate doctissimus, & non minus prudentiâ & moribus, quàm eruditione Pontificio munere dignus. Iste præsul primo sui Sacerdotij anno Cives Wormatienses interdicto suppositit, quod relaxare ante concordiam non consensit.

Abbacellenses cum Helvetijs contra Dominum suum conjurant.

Anno prænotato in mense Junio, Abbacellenses cum Helvetijs conjuratis confœderati, ut sæpè diximus, contra Dominum suum Abbatem Monasterij S. Galli, posteaquam oppidanos memorati oppidi S. Galli suas traxerunt in partes, hinc inde per terras Ducum Austriæ, Civitatum quoque Regni, eorum maximè Nobilium, & Civium, qui fuerunt ex parte Abbatis, prædas, incendia, & homicidia sine causa, sine justitia, & sine misericordia faciebant.

Oppidum S. Galli à Friderico Duce Austriæ obsidione cingitur.

Contra quos Abbas auxilio & præsentia Friderici Ducis Austriæ Fratris Lupoldi, Constantiensium quóque, & aliorum civium Regni, justam belli habens causam, satis magnum & fortem produxit exercitum. In primis igitur oppidum S. Galli, quod eo tempore Abbacellenses occupabant, Dux Fridericus obsedit, quod indubitanter obtinuisset, si paucos multi non sprevissent; vastantes enim in circuitu agrum Ducalem, dum sine ordine hinc inde vagaretur exercitus, erumpentes ex oppido Abbacellenses multos occiderunt.

Bellum non tantum multitudine quantum industriâ fortunatur.

Cecidit in eo tumultu Hermannus Comes de Thierstein, Joannes quoque de Landenberg miles, Hermanus de Clingenberg miles, Joannes de Thulfingen miles, Christophorus Husenegg, Abraham de Grifensee, Henricus de Landegg, Hippolitus de turri, pluréque alij, quorum nomina ignoramus. His infæliciter gestis graviores de die in diem contentiones & lites inter utrasq; partes fuerunt subsecutæ in effusione sanguinis multorum.

Wilhelmus Comes Brigantius fugavit Abbacellenses.

Post hæc Abbacellenses conjuratorum auxilio freti contractis copijs sociorum in Brigantinos moverunt exercitum, animo statuentes, per universam Sueviam nobiles seu militares interficere & disperdere omnes. Igitur à primo ingressu Brigantium oppidum circumdederunt obsidione. Comes autem Brigantij Wilhelmus tumultuario suorum adunato exercitu, auxilio quoque Constantiensis Episcopi contra inimicos processit ad prælium, & factâ congressione Abbacellenses in fugam convertit multis eorum occisis, machinis quoque bellicis, armis, cum rebus in prædam actis; tantâ enim fuerant angustiâ circumdati, ut abjectis omnibus quærerent fugam.

Albertus Hollandiæ Hannoniæque moritur.

Anno etiam memorato circa finem mensis Decembris, obijt Albertus Bavariæ Dux, & Comes Hollandiæ, Hannoniæ, Seelandiæ, Frisiæque Dominus, Ludovici quondam Imperatoris IV. filius, Comes quoque Palatinus Rheni, Princeps Christianissimus, pius bonus & justus, in Hollandia cum honore debito sepultus, Amator Cleri, Defensor Pauperum, Pater Subditorum, qui Wilhelmo fratre vesano, & ob id sine liberis in carcere mortuo, ut supra diximus, anno Dominicæ Nativitatis primo supra trecentesimum atque millesimũ Principatum jure propinquitatis acceperat.

Uxorem habuit idem Albertus Margaretam Ducis Poloniæ filiam, de qua genuit filios tres & unam filiam, quorum natu major Wilhelmus

adhuc Patre vivente, anno Godfridi Abbatis quinto, ut supra dictum est, uxorem duxerat filiam Philippi Ducis Burgundiæ, sed ambo sine virili semine obierunt. Iste Wilhelmus Alberto Patri successit in Principatu Hollandiæ, & supervixit annis duntaxat quatuor. Secundus Alberti filius nomine Patris dicebatur Albertus, qui Straubingen in Bavaria possedit, & sine uxore, vel liberis obijt ante Patrem. Tertius autem Alberti filius Joannes fuit, qui annis x. exstitit Episcopus Leodiensis electus & confirmatus, & in ordine Subdiaconatus; mortuo autem fratre dimisit Episcopatum, & duxit uxorem, ut postea dicemus.

MCCCCVI.

Solis Ecclypsis.

Anno Friderici Abbatis VI. in die SS. Viti & Modesti Martyrum, mane circa horam septimam, solis magna fuit Ecclypsis sive defectio, quam in annis sequentibus prælia, & incommoda plura in Regno subsecuta sunt.

Aquenses in verba Ruperti Regis jurarunt.

Eodem anno Cives Regalis oppidi Aquensis, posteaquam per annos jam quinque Ruperto Romanorum Regi contumaces, inobedientes atque rebelles exstitissent, & multa propterea sustinuissent incomoda, videntes quòd in concepta rebellione sua diutius non possent subsistere, maximè cùm Wenceslaus apud Bohemos otio torpens deseruisset omnes, qui ejus sequebantur partes, pœnitentiâ ducti sunt, & veniam postulantes per medium Friderici Archiepiscopi Colonienſis in gratiam suscipiuntur.

In Moguntinenses Comitum, Baronum & Nobilium conspiratio.

Anno prænotato, Comites, Barones, Milites ac Nobiles multi Rhenenses, Franci Orientales, Buchones, Wetteravij, Hassij, Thüringi & Saxones cum alijs propter necem Friderici Ducis Brunsuicensis apud Fridislariam ante quinquennium, ut supra diximus, insidiosè perempti, & quasdam alias causas, ut ipsis videbatur, rationabiles, in unum conspirantes post Dominicæ Resurrectionis Festa, Moguntinensium se hostes Civium & inimicos publicos pronuntiârunt, multáque illis mala fecerunt, vias & aquarum commeatum ex omni parte observantes, ne quis ex eis exire vel intrare posset, nec unde viverent, alimenta inferri. Necessitate igitur coacti Cives Moguntini, stipendiarios mercede plures conduxere soldatos: quorum lustratione & metu hostium incursiones, & machinamenta destruerent insidiarum; & quia diutius ista duravit adversitas, pecuniam cives non modicam stipendiario exposuere conductui, aliásque impensas facere necessarias oportebat, ad extremam paupertatem & inopiam cum tempore paulatim devenerunt, quoúsque tandem Regni libertate amissâ, servi sunt facti Ecclesiæ. Nocte quâdam hostes in unum adunati cum silentio in manu valida ad portam Civitatis venerunt, quam gravi portam nuncupant, simulantes se Urbis soldatos; præmiserant enim pauciores ceteris in insidijs latitantibus. Cúmque decepti narratione custodes aperuissent portas, mox ab hostibus interfecti sunt, atque dato signo his, qui latuerant, omnes convenerunt in unum, positóque in portis & turribus præsidio cum potentia, nullo resistente, intraverunt Civitatem. Deinde currentes ad ædes divitum, & eorum qui fuerunt de Senatu, fractis januis intraverunt, plures natu majorum in ipsa nocte, truncatis capitibus, occidentes; timor autem irruit in cives propter horrorem tenebrarum tantum, quòd egredi domum nullus audebat. Hostes verò turmatim incedentes per Urbem illorum domos & ædes duntaxat infringebant, quos aut divites esse

Audax nobilium facinus in Moguntinos.

Cives Moguntini potiores necantur in domibus nocte.

tes esse noverant, aut in consulatu potentes. Cæde peractâ, & multis in civitate secretè peremptis, à nullo prohibiti, hostes cum præda multa per ejusdem portas civitatis, per quas intraverant, exierunt sani & incolumes.

Innocentius Papa VII. moritur.

Eodem anno Innocentius septimus, qui propter seditiones Romanorum jam pridem urbe digressus Viterbij resederat, precibus senatorum, & populi victus, Romam revertitur, & plures de novo creat Cardinales. Inter quos fuit Angelus Carrarius Patriâ Venetus, quem fecit ad titulum S. Marci presbyterum Cardinalem, habuítque in Pontificatu immediatum Successorem Gregorium XII. nuncupatum. Petrus quoque Philardi natione Cretensis Basilicæ XII. Apostolorum presbyter Cardinalis, qui postea Pontifex Alexander V. Otto etiam de Columna, ad velum aureum Diaconus Cardinalis, qui postea in consilio Constantiensi factus Papa Martinus V. nuncupatus est.

Gregorius Romæ fit Papa XII. contra Benedictum XIII.

His factis eodem anno Innocentius Papa non diu post moritur. Quo mortuo atque in Ecclesia S. Petri cum honore sepulto, Cardinales ingressi conclave iterum se juramentis obligarunt, ut quicunque in Pontificem fuisset electus, ad tollendum schisma & unionem Ecclesiæ procurandam, omnem velit possibilem adhibere laborem. Confirmatis jurejurando decretis Angelus Carrarius patriâ Venetus tituli sancti Marci Presbyter Cardinalis, in Papam eligitur, & Gregorius XII. in sua obedientia nominatur, & præfuit annis duobus, mensibus septem: vir bonus, sapiens, doctus, moribus & conversatione sincerus. Ordinatus autem Pontifex, quod prius juraverat cum alijs, denuo spontaneâ voluntate, juramento, & propriæ manus subscriptione confirmavit. Deinde satis benignè scripsit Benedicto Antipapæ, qui tum apud Gallos in Avenione Pontificem gerebat, exhortans eum ad Papatus abdicationem, offerens se idipsum indubitanter esse facturum. Benedictus in dolo tantisdem ferè syllabis quasi consentiens Gregorio rescripsit: pro conveniendi loco urbs Saona decernitur, tempus nominatur. Gregorius ut agnus in simplicitate sua venit ad locum determinatum: cui Benedictus, ut dolosa vulpes paravit insidias, volens eum capere, si potuisset. Quibus cognitis retrocessit Gregorius, & deinceps perverso homini non confidit. Irati sunt Principes Galliæ contra Benedictum, videntes manifestè, quòd unionem non quæreret, nec pacem Ecclesiæ optaret, sed potius divisionem: quorum ille potentiam veritus palatium armis & commeatu munivit, in quo per aliquot menses obsessus, tandem paratis ad fugam navibus in Cataloniam, unde fuerat oriundus, adnavigavit, habitóque in Perpiniano consilio suorum, quo tutior esset, ad castellum Pamschole locum munitissimum confugit: ubi diutius immoratus est, & novos Cardinales creavit, quia priores pro majori parte recesserant ab eo ad Pisanum Concilium, ut in sequentibus post triennium dicemus, eo quòd noluit obedire Principibus.

Benedictus insidiatur Gregorio, unde Galli recedunt ab eo.

MCCCCVII.

Anno Friderici Abbatis septimo, Indictione Romanorum xv. Cives in Colonia ædificare & construere cœperunt novum illud magnúmque & sumptuosum in illa urbe Prætorium, quod vulgariter civium nuncupant domum, & in septem annis consumaverunt. Hujus impensæ Prætorij, ut ferunt, quinquaginta florenorum millia constant, dum singula exposita in id ædificij per septennium computantur.

Cler⁹ Wormatienſis cum Civibus inivit concordiam.

Eodem anno in menſe Julio circa feſtum ſancti Jacobi Apoſtoli concordia inter Clerum & Cives Wormatienſes facta eſt per medium Ruperti Regis Heidelbergæ commorantis, & Ludovici filij ejus, Comitis Palatini Bavariæque Ducis, & ſic intraverunt Civitatem Canonici, poſteaquam biennio ferè exulaverant, multáque litigando & placitando cum Civibus conſumpſerant.

Dux Auſtriæ contra Abbacellenſes procedens ad bellum fugatur.

Anno prænotato Abbacellenſes adjutorio Suitenſium, quibus erant conjurati, reſumptis viribus in Marcham Ducis Auſtriæ ducunt exercitum, quam obſidione preſſam diutius tandem capiunt, ac Suitenſibus dono concedunt. Ab eo tempore Marcha omnino ab Auſtriæ Domo defecit; quamvis antè multis annis ſe viriliter ab incurſione conjuratorum omnium defenderit. Dux igitur Domus Auſtriæ contractis mille ducentis viris Abbacellam obſidione vallavit, quod cùm vidiſſent Abbacellenſes, de monte præcipiti, quem prius conſcenderant, curſim deſcendentes contra aſcendentes hoſtes ex alpium præcipitio lapides mittunt ingentes, quorum occurſione Auſtrales perterriti fugiunt, quinquaginta eorum atque trecentis ſaxorum volubilitate peremptis, & ſic obſidione ſolutâ receſſerunt.

MCCCCVIII.

Abbacellenſes à Comite Brigantij ſuperati occiduntur.

Anno Friderici Abbatis octavo, Indictione Romanorum primâ, idibus Januarij, conjurati Abbacellenſes una cum Suitenſibus iterum tentârunt obſidere Brigantium. Unde Comes Wilhelmus auxilio ſociorum armatus venit conſtanter liberare obſeſſos: congreſſione factâ cum Abbacellenſibus victor extitit, & penè omnes occidit. Erat in exercitu Comitis Brigantij nobilis quidam de Landenberg, nomine Berengerus, qui voce magnâ clamavit: *Sic ſocij ſic: interficite omnes viros & mulieres, lactentes & parvulos ſimul; ne forte viventes in perniciem nobilium conſpirent, quemadmodem fecerunt patres eorum.* Cœteri tamen qui aderant nobiles, interficere parvulos, aut mulieres minimè conſenſerunt; quamvis per continuos ſeptem annos à conjuratis Abbacellenſibus damna ſuſcepiſſent graviſſima: multorum etiam caſtra deſtruxerunt.

Leodienſium contra Epiſcopum ſuum atrox belli principium.

Eodem anno facta eſt Leodienſium ſtrages magna tali occaſione. Adminiſtrabat per id tempus Leodienſem Eccleſiam, ut ſupra diximus, Joannes filius Alberti & frater Wilhelmi Ducum Bavariæ Comitúmque Palatinorum Rheni, Hannoniæ, Hollandiæ, Seelandiæque, & cùm annis fermè ſedecim fuiſſet Epiſcopus, electus, confirmatus, & Subdiaconus, ad ulteriora tamen procedere contempſit, nullóque die rem divinam fecerat, ſuæ nobilitati detractum iri forſitan ratus, ſi Presbyterum ſe gereret. Recuſantem igitur ſatisfacere juramento, & Pontificum ſubire munus, cujus occupabat locum, & nomen portabat otiosè, Leodienſes in oppido Trajecti ſuperioris, quod ab adfluente flumine vulgariter Maſtrich nuncupamus, commorantem obſederunt, magnum fortem & copioſum habentes exercitum. Erant eis & aliæ cauſarum diverſarum rationes contra Pontificem, quæ juſtæ fuerint ſive injuſtæ, noſtrum non eſt judicare. Notum eſt penè omnibus, qui nomen Leodij audiverunt, quàm ſit populus in turbatione furioſus, & ſuper conſilio inops, qui nihil ratione agat, ſed omnia tumultu in perniciem ſui, & frequentem ſubverſionem.

Leodienſes Epiſcopum in Trajecto obſident.

Wilhelmus igitur ut fratri ſubſidio eſſet, contractis ex ſua gente copijs,

Burgundiæ

Burgundiæ Ducem per nuntios orat, ut in auxilium venire festinet, Wilhelmi námque uxor filia Burgundi fuit. Non aspernatus orantem Joannes Dux, copijs abundè contractis, Wilhelmo se pugnaturus contra Leodienses consociat. Præmittuntur in agrum Leodiensem levis armaturæ milites, qui sata vicósque incendant, ut hoc damno permoti Leodienses (cõmunibus Patriæ incommodis) obsidione solutâ succurrere cogerentur.

Leodiensium in bello sedecim millia perempti esse feruntur.

Flagrantibus passim vicis Leodienses intermissâ obsidione acies moverunt in hostes, quibus congressi vincuntur, superantur, & eorum plus quàm 16000. in uno die occiduntur, Deo vindictam illis, quam meruerant, retribuente. Cùm enim obsiderent memoratum Ecclesiæ oppidum Mastrich, nimiam exercebant crudelitatem in mulieres & virgines, quæ propter inopiam ab ipso fuerunt oppido expulsæ, abutentes eis, & posteà præscindentes eorum ubera, & vestes usque ad pudibunda. Sunt qui scribant, Leodiensium in eo conflictu 35000. occubuisse; ex parte verò Ducum Hollandiæ & Burgundiæ, qui exercitum adduxerant centum millium pugnatorum, decem duntaxat ceciderunt. Facta sunt hæc vicesimâ die mensis Septembris anno memorato, & sic Joannes victis Leodiensibus, ut prius fine ordinatione permansit.

Concilium Pisanum ad annum futurum à Cardinalibus indicitur.

Anno item prænotato Cardinales tam Gregorij, quàm Benedicti videntes periculum Ecclesiæ pertinaciâ & contentione Pontificum quotidie augeri, & ambos in executione juramentorum negligentes, missis remissisque inter se litteris, quemadmodum videretur succurrendum negotijs, cœperunt habere consilium. Placuit igitur postremò, ut in annum proximè tunc futurum Generale apud Pisas indiceretur Concilium, ad cujus citati examen ambo Pontifices, quicquid ratione vel auctoritate Concilij juberentur, subirent. Mittuntur ab utráque obedientia solemnes Nuntij oratoréque ad Pontifices, per quos cujúsque partis rogavêre Cardinales, ut venire ad indictum Concilium ambo dignarentur. Benedictus ad se missis respondit: *Controversiam non de fide, sed de Pontificatu inter eum versari & Gregorium, nihilque ad Cardinales pertinere negotium, ipse cum adversario tempore suo esset acturus.* Irridens ergo & contemnens nuntios Benedictus, inanes abire permisit. Gregorius verò: *Non ad Cardinales*, dixit, *congregationem pertinere Concilij, se Romanum esse indubitatum Pontificem, suæq; solius fore auctoritatis, Generale indicere Concilium, vel revocare, membraque caput, non caput membra debere sequi.* Ad Forum igitur Julij secessit metu Cardinalium Gregorius & Principum, qui jam in utriúsque conspiraverant depositionem Pontificis, inde ad Ariminum, ubi positis insidijs habitu transmutato vix manus capientium evasit. Cardinales cum eo remanserant pauci, quibus novos creando superaddidit plures. In tot verò adversis semper animo fixus erat & immobilis, ut nunquam à sua potuerit opinione revocari.

Gregorij Constantia.

Conventus fit Principum in Constantia.

Anno præscripto Rupertus Germaniæ Rex Conventum Principum Regni magnum apud Constantiam indixit, quibus ad nutum Regis convenientibus multa pro utilitate Reipublicæ in communi fuerunt tradita. Inter alia Rex jussit adesse Cunonem Abbatem Monasterij S. Galli, simul & rebelles subditos Abbacellenses, qui paulò ante ut supra diximus, in bello juxta Brigantium per Wilhelmum Comitem de Werdenberg, de Montfort, & de Monte sancto parum confusi ad aliqualem videbantur humilitatem

Concordia fit inter Abbatem S. Galli, & suos Abbacellenses.

humilitatem esse compulsi. Rex igitur & Principes auditis propositionibus & querelis memorati Abbatis, & nobilium totius Sueviæ, quos conjurati penitus delere, si potuissent, & extirpare cogitaverant, simul & Abbacellensium responsis, suas studiosè interposuêre vices, & concordiâ inter eos reformatâ Abbacellenses Domino suo Abbati Monasterij S. Galli fecerunt obedientes.

Hiems anno memorato fuit & longa & frigidissima; incipiens enim frigus intensum cum nivibus & glacie multa in Festo S. Martini duravit usque ad solemnitatem Purificationis Beatæ Mariæ semper Virginis. Posthæc pluviâ superveniente & multâ & aliquantulum calidâ glaciem, simul & nivem dissolvit, & inundatio aquarum secuta est maxima, quæ pontes Rheni & aliorum fluminum fregit multos, domos & ædificia subvertit.

MCCCCIX.

Concilium Pisanum per Cardinales & Episcopos celebratur.

Anno Friderici Abbatis nono, Indictione Romanorum secundâ, Concilium Generale magnum in Civitate Pisana, præterito anno per Cardinales Regis & Principes indictum, sub ingenti solemnitate fuit celebratum. Ad quod utriúsque Pontificis Gregorij videlicet & Benedicti Cardinales penè omnes cum multis Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prælatis, Principibus, absentiúmque oratoribus convenerunt, animo & intentione succurrendi Ecclesiæ, ut schismate sublato unitas reformaretur Christiana.

Inprimis igitur Pontifices ambo de Papatu contendentes Gregorius & Benedictus à Concilio citati, vocati, & expectati non comparentes, neque per se, neque per legitimos quoscunque procuratores, ut contumaces, rebelles, & Spiritui Sancto inobedientes reputati sunt, & propterea per definitivam Concilij sententiam à Pontificatu, & ab omni, si quod habuissent, jure depositi, & consequenter, ut Hæretici & Schismatici declarati, condemnati, & publicati sunt. Omnibus quóque per orbem Christianis interdictum est sub pœnis & censuris Ecclesiasticis, ne quempiam eorum Pontificem credant, teneant, aut dicant Romanum, néque mandatis ipsorum obediant, nec timeant censuras. Post abrogationem duorum Pontificum utriúsque Cardinales, quotquot erant in Concilio præsentes, in unum conveniunt, & intrantes ex more Recluforium, Petrum Philardi natione Cretensem Ordinis FF. Minorum dictum de Candia, Tituli Basilicæ duodecim Apostolorum Presbyterum Cardinalem unanimiter in Romanum Pontificem elegerunt, qui vocatus Alexander V. præfuit mensibus duntaxat XI. vir certè in Theologicis doctissimus, qui multa scripsit volumina ante Papatum.

Alexander fit Papa v. Ordinis FF. Minorum.

His autem non obstantibus, quæ in Concilio fuerant concluſa, memorati duo Pontifices abrogati sua in sententia perstiterunt, & uterque verum se & indubitatum Christi Vicarium, & legitimum Petri successorem credidit, gessit, & pronuntiavit, novos sibi constituentes Cardinales. Chronographi tamen omnes Pontificatum utriúsque hoc anno finitum denuntiant, licèt non cesserint, sed permanserint usque ad Constantiense Concilium.

Schisma continuatur.

Anno prænotato vigesimâ primâ die mensis Maij, obijt Blanca Maria Henrici Anglorum Regis filia, & uxor Ludovici Comitis Palatini, de quorum

quorum nuptijs dictum est anno Friderici Abbatis secundo, unicum relinquens ei filium nomine Rupertum, sextum annum ætatis agentem, qui & ipse vigesimo ætatis suæ anno matrem secutus sine liberis obijt. Ludovicus autem secundam duxit uxorem nomine Mechtildem filiam, ut supra diximus, Amedei Ducis Sabaudiæ, fœminam magnæ pietatis & Religionis, de quâ genuit Ludovicum Patrem Philippi, qui succeſſit in principatu; Fridericum, qui postea tutor Philippi fuit: Rupertum Archiepiscopum Colonienſem, & duas filias, quarum altera Monialis fuit in Gandavo cum sanctâ Coletâ; altera in alio quodam Cœnobio, tertia autem filia nupsit Alberto Duci Austriæ, qui frater erat Friderici Imperatoris III. prius verò nupserat Comiti Wirtenbergenſium, posteà Alberto. Iste Ludovicus Comes Palatinus Rheni Bavariæque Dux Ruperti Regis filius piæ devotionis instinctu sepulchrum Domini Hierosolymis visitavit. Reversus in Patriam, barbam, quam peregrinantium consuetudine nutriverat, nunquam posteà permisit abradi, & propterea suo tempore Dux vulgo dicebatur Barbatus. In senio visu deficiens, Dux cæcus nominatus est, & postremò depositus à regimine, ut infra.

Wilhelmus Dux Bauariæ Hollandiæque Comes moritur.

Eodem anno mortuus est Wilhelmus Dux Bavariæ, Comes Palatinus Rheni, Hollandiæ, Hannoniæ & Seelandiæ, unicam relinquens filiam, nomine Jacobam, quæ Patrem cupiens in memoratis sequi Comitatibus Hollandiæ, Hannoniæ & Seelandiæ, contendénsque principatum omnem ad se jure devolutum ad ejus venire possessionem, non potuit Joanne patruo Leodienſium supra dicto Episcopo prohibente, qui mox fratre mortuo potenter omnia ejus Dominia obtinuit, & usque ad mortem, violenter occupavit, non obstante, quòd filia fratris contradixit. Denique idem Joannes, cùm esset Subdiaconus & Leodienſem Ecclesiam electus & confirmatus in annum jam ut Episcopus sextumdecimum, ut supra diximus, tenuisset, amore Posteritatis Pontificatum ipsum resignavit, & dispensante cum eo Constantienſi Concilio, uxorem duxit, de quâ tamen, sicut speraverat, neque filiam, neque filium susceptit.

Joannes dimisit Episcopatum, duxit uxorem, occupat Comitatum.

Jacoba verò defuncti Comitis filia, cùm se à patruo cerneret paterno privatam dominio, speránsque maritali subsidio posse consequi, quod imbecillitas denegabat fœminea, primò nupsit cuidam ex Delphinatu, Galliæ Principi. Quo sine liberis mortuo Duci Brabantiæ nupsit; & illo sine prole vitâ defuncto fratrem Regis Angliæ maritum accepit. Illo etiam absque liberis viam universæ carnis ingresso, quartum duxit nomine Franconem cujusdam Comitis filium, qui & sterilis sterilem invitus deserens, etiam ipse obijt brevi sine liberis. Post hæc mulier jam viris nobilibus propter quatuor conjugum velociorem interitum aliquantulum suspecta & contemptibilis, compellitur vidua permanere, cùm nullus eam postularet uxorem. Vitam deinceps egit vidua, dives admodum ex dotibus maritorum, & in oppido Lutzenburgi Treverenſis Diœcesis mansionem usque ad mortem continuavit. Ex illo tempore Ducatus Lutzenburgi ad Brabantios pervenit.

Vicarius Austriæ Ducis devastare cœpit Cives Basilienses?

Anno item præsignato circa Festum S. Archangeli Michaëlis Joannes Comes de Lupfen, & Hermanus Comes de Sulza, qui erat Vicarius seu vicem tenens Friderici Ducis Austriæ, in Suevia, in Prisgavio, in Suntgavio, & in Ergavio, contractis copijs in manu validâ fines Basileenſium, ingressi

ingreſſi ſunt, & venientes uſque ad civitatem omnia in circuitu devaſtarunt, incendia & deprædationes hoſtiliter exercentes, & munitiones quaſdam capientes, igne ſuppoſito funditus deſtruxerunt. Joannes quóque Dux Burgundiæ Friderico Auſtriæ Duci affinitate junctus multa Baſilienſibus intulit damna, parúmque abfuit, quin res bello videretur terminanda. Rebus autem ſic in turbatione male diſpoſitis, Ludovicus Comes Palatinus Rheni Bavariæque Dux amator pacis & quietis cupiens inter diſſidentes reformare concordiam, diem ad ſe conveniendi feſtum omnium Sanctorum in oppido Mülhuſen conſtituit: in quo & ipſe venturum ſe fore promiſit. Feriâ igitur ſecundâ poſt omnium Sanctorum ſolemnia convenerunt ad locum determinatum vocati: ubi Princeps memoratus cauſas & querelas diſſenſionum cùm audiſſet, ſtudiosè laboravit pro pace: ſed illâ vice diverſos in unam non potuit revocare ſententiam. Igitur ſine concordiâ diſceſſerunt ab invicem: gravioribus malis & turbationibus cauſam relinquentes. Baſileenſes autem in ſua reverſi, confeſtim auxilio Bernenſium in manu validâ civitatem exeuntes cum Machinis & Bombardis oppidum Rheinfelden nuncupatum obſidione cinxerunt. Verum his qui erant in oppido fortiter agentibus, ſine effectu, obſidione ſolutâ, receſſerunt. In die verò S. Martini oppidum aliud Yſtein nominatum obſederunt, expugnaverunt, & ceperunt. Iterùm poſteà Ludovicus ſæpè dictus Comes Palatinus Bavariæque Dux, in die S. Nicolai Epiſcopi vocatis ad ſe partibus in oppido Keiſersberg pacem & concordiam inter diſſidentes tandem reformavit. Interea Baſilienſes non expectato fine tractatus in Keiſersberg contractis iterum copijs dominium Badenvveiler nuncupatum hoſtili incurſione devaſtant, ferro & igne magnam villanis atque pauperibus inferentes deſolationem. Hujus facti occaſione violatur concordia per Ludovicum in Keiſersberg, ut diximus, concluſa: licèt Rudolphus Marchio de Hochberg Dominus in Rötlen ſummâ diligentiâ cum Palatino Comite pro concordiâ laboraſſet. Unde necdum pace reformatâ, diſſenſiones, devaſtationes, & incurſiones ab utrâque parte duraverunt uſque in ſequentem annum, ut dicemus.

Ludovicus Comes Palatinus tentat pro concordando.

Baſilienſes armati obſidione cingunt Yſtein & capiunt.

Ludovicus Comes Palatinus iterum agit pro concordiâ.

MCCCCX.

Anno Friderici Abbatis decimo, Indictione Romanorum tertiâ, Alexander Papa quintus Bononiæ moritur, & ibidem in Eccleſia Ordinis ſui, Fratrum Minorum S. Franciſci, cum honore debito ſepelitur. Qui, cùm moriturus ageret in extremis, omnia in Piſano facta Concilio, ut bona & ſancta collaudavit: aſſerens conſcientiam ab omni ſcrupulo eſſe incontaminatam. Ultima ejus verba cum difficultate ad Cardinales, qui circumſtabant, lachrymantes, prolata ità fuerunt: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis:* Quibus dictis expiravit. Quo mortuo atque ſepulto Patres conclave apud Bononiam intrantes Baltaſarum de Coſſa Neapolitanum tituli S. Euſtachij Diaconum Cardinalem in Pontificem elegerunt: qui Joannes viceſimus tertius in ſuâ obedientiâ dictus præfuit annis quatuor menſibus decem uſque ad Concilium Conſtantienſe, in quo ſe Pontificatu abdicavit, ut ſuo inferius loco dicemus. Eo gerente Pontificatum adhuc Gregorius & Benedictus in ſuâ obedientiâ perdurabant Romanos ſe Pontifices nominantes. Et hi tres Eccleſiam Dei confundebant, de Papatu contendentes uſque ad memoratum Concilium.

Alexander Papa v. moritur.

Jonnes fit Papa viceſimus tertius annis fere quinque.

Eodem

Eodem anno viceſimâ primâ die menſis Maij, obijt Rupertus Germaniæ Rex, & Imperator deſtinatus Romanorum, in oppido Regali Oppenheim, anno Regni ſui decimo: cujus corpus Heidelbergam relatum, in Eccleſia Sancti Spiritus medio in choro ſepelitur. Super cujus tumulum hoc epitaphium cernitur eſſe ſcriptum: Rupertus Bavariæ Dux, Comes Rheni Palatinus, Romanorum Rex, juſtus, pacis & religionis amator, dignus Deo viſus, qui pro juſtitiâ pateretur, hujus ſacræ ædis & collegij inſtitutor, hic cum caſtiſſimâ conjuge Eliſabetha, Norici Montis Burggravia quieſcit. Iſte Rupertus Comes Palatinus, ſicut ex epitaphio patet, inſignem illam Sancti Spiritus Eccleſiam in oppido ſuo Heidelberg juxta Neccarum flumen Wormatienſis Diœceſis à fundamentis novam erexit, fundavit, & conſtruxit: ad cujus miniſterium Canonicos poſuit, quibus de hujus vitæ neceſſarijs copioſè providit. Filium reliquit Principatus ſui hæredem nomine Ludovicum, de quo plura diximus; qui genuit alium nominis ſui Ludovicum. Ille autem genuit Philippum: Philippus autem genuit Ludovicum, qui hodie annos habens ætatis quinque & triginta principatur. Idem Rex memoratus Rupertus, antequam ſublimaretur in Regnum, anno Godfridi Abbatis Hirſaugiæ ſexto, qui fuit Dominicæ Nativitatis milleſimus, trecenteſimus, octogeſimus ſextus, Gymnaſium univerſale in oppido præſcripto Heidelberg inſtituit, fundavit, & copioſè providit, quod Urbanus Papa ſextus conceſſis privilegijs conſuetis approbavit. Cujus Gymnaſij Rector primus, & litterarij certaminis inſtitutor fuit à ſcholâ Pariſiorum rogatu principis evocatus, Marſilius de Ingen. Doctor in divinis ſuo tempore multum eruditus, de cujus lucubrationibus mentionem fecimus in eo volumine, quod de Eccleſiaſticis ſcriptoribus compoſuimus.

Rupertus Rex Germanorum, & Imperator Romanorum obijt.

Univerſitas Heidelbergenſis à quo, & quando ſit inſtituta.

Joannes Papa viceſimus tertius auditâ morte memorati Regis Ruperti ſtatim oratores miſit ſolemnes cum litteris ad principes Regni electores, magnis viribus exhortans, monens, & orans, ut Sigismundum Ungariæ Regem filium Caroli quondam Imperatoris quarti, & fratrem Wenceslai Regis Bohemiæ, originem ex Comitibus ſive Ducibus Lutzenburgij Theutonicis habentem, in Germaniæ Regem dignarentur eligere, per cujus aſſiſtentiam ſe non dubitabat ſubſidium contra Gregorium & Benedictum habiturum. Principes verò electores Papæ litteris receptis, oratoribúſque auditis ad regale oppidum Frankenfurt juxta Moganum conveniunt, & cùm inter ſe multa conſultaſſent & varia, non invenientes illâ vice meliorem, Sigiſmundum Ungariæ Regem prædictum ad preces Romani Pontificis in Regem Germaniæ concorditer elegerunt, virum ſtrenuum, & ad omnia peragenda promptiſſimum. Fuit enim princeps ſingulari prudentiâ inſignis, conſtantiâ, magnanimitate, pietate, religione, beneficentiâ, & liberalitate nulli ſuo tempore ſecundus. Corporis quóque diſpoſitione Majeſtatem præſeferebat imperialem, doctrinâ & eruditione ſcripturarum, cum notitiâ multarum linguarum idoneus ad omnia videbatur. Sæpius cum Turcis infidelibus pugnavit, quorum regulos captos in prælio duos & triginta ſecuri percuſſit. Ejus induſtriâ, labore, impenſiſque magnum illud Conſtantienſe Concilium indictum & celebratum fuit, ſchiſma quóque pernitioſiſſimum, quod annis duraverat non minus ſex & triginta, ejus fuit induſtriâ & cooperatione ſublatum. Miſſis etenim

Sigiſmundus Ungariæ Rex ad imperium eligitur.

nuntijs per totam Italiam, Galliam, Hispaniam, Angliam, Daciam, & Poloniam omni consensu nationum, divisam in unum revocavit Ecclesiam, quemadmodum inferius loco suo plenius per ordinem dicemus. Regnavit igitur Sigismundus ab hinc annis septem & viginti, coronámque Imperij accepit.

Inter Duces Austriæ & Basileenses est facta concordia.

Anno præscripto mediante Rudolpho Marchione de Hochenberg facta est concordia inter Duces Austriæ, & Cives Basileenses in oppido Ensen, de quorum dissensionibus guerris & bellis anno transacto breviter diximus. In ea reformatione pacis Castellum Ysstein, quod Basileenses anno præterito ceperant, eorum fuit potestati concessum, quod mox cauti futurorum speculatores, ne quid ex eo paterentur mali, ut ante, funditus destruxerunt.

MCCCCXI.

Dissensio inter Ludovicum Palatinum & Comitem in Spanheim.

Anno Friderici Abbatis undecimo, Indictione Romanorum quartâ, dissensiones gravissimæ inter Ludovicum Comitem Rheni Palatinum Rupertiquondam Regis filium, & Joannem Comitem in Spanheim ultimum, exortæ fuerunt super divisione Comitatus; mortuo enim sine liberis Comite Simone, qui frater Joannis fuerat, Elisabetha relicta uxor ejus jam vidua, contentiones pro dote suâ cum Joanne fratre Simonis incurrit: cujus potentiam habens suspectam, prædicti Comitis Palatini se suaque tuitioni commisit. Joannes rem non armis, sed judicum cognitione dirimendam committens, victoriam obtinuit. Interveniente tamen concordiâ mulier jus suum omne Palatino Comiti resignat, atque per talem occasionem pars una Comitatus memorati Spanheimensis ad jus cessit Palatinatus ab illo tempore usque ad præsentem diem. Et notandum, quòd Comites Spanheimenses ab olim duos habuere Comitatus, quorum primus dicebatur anterior, & hic titulo de Spanheim propriè insignitur, habens oppida & vicos Crüzenach, Sprendlingen, Kirchberg, Gamundiam, Spanheim cum alijs multis. Alter verò Comitatus dicebatur vulgò posterior, titulum habens de Starckenburg, castello videlicet Cis-Mosellano, in quo sunt oppida Thranerbach, Castellum, cum villagijs multis simul atque castellis. In divisione autem præscriptorum Comitatuum, post mortem Joannis ultimi Comitis, multæ factæ sunt variationes, & unius termini alterius interpositione confusi, ut pauci reperiantur hodiè, qui fines noverint singulorum. Quatuor sunt enim, qui nostris diebus Comitatum possident memoratum. Ludovicus Comes Palatinus Bavariæque Dux, & Princeps elector in anteriori Comitatu de Spanheim habet partem. Alexander Comes Palatinus Bavariæque Dux, & Comes Veldentiæ similiter in anteriori partem habet. Joannes, qui moratur in Simeren Comes Palatinus Rheni Bavariæque Dux & Comes in Spanheim partem habet in utróque Comitatu. Christophorus Marchio in Baden & Hochenberg Dominus in Rötlen partem habet in Comitatu Starckenburg & in Winterburg cum proximè adjacentibus.

Ludovicus Palatinus partem Comitatus Spanheimensis obtinet.

Comitatus Spanheimensis in partes quatuor divisus.

Quod si placet scire, quomodo ad ipsum Marchionem sit devoluta ista Comitatus portio, notandum, quòd Joannes ultimus Comes supra dictus in dissensione, quam olim habuit cum Henrico patruo, & Simone fratre Comitibus, post obitum patris metu amborum ad tempus apud Marchionem Rudolphum exulavit, cujus ope & vitæ necessaria habuit, & patruo vitâ

Marchio Badensis quomodo ad Comitatum Spanheim pervenerit.

vitâ defuncto ad paterni Comitatus portionem pervenit: Simone autem fratre postea mortuo sine liberis, cùm & ipse filios non haberet, nec se habiturum speraret, hospiti suo volens esse gratus, Marchionem ad partem Comitatus admisit, & contra Palatini vim socium fecit.

Anno prænotato in principio mensis Maij, Thuricenses, Lucernenses, Suitenses, & cæteri Helvetiorum conjurati copijs sociorum contractis in Longobardiam traduxerunt exercitum, & Cumam oppidum Dominij Mediolanensis obsidione vallantes expugnant & capiunt, positisque in eo præsidijs, circumcirca vagantur, omnia hostiliter devastantes. Turrim in valle, quam Eschental nuncupant, subfodientes, dejiciunt, in qua non pauciores, quam homines quinquaginta ipso casu perierunt.

Conjurati Suitenses devastant Lombardiam.

Regressis posthæc ad propria Helvetijs, Cumani ab eorum fide promissâ resiliunt, & necato præsidio rursus Mediolanenses intromittunt. Quod ubi ad conjuratorum pervenit notitiam, resumptis iterum armis in Longobardiam revertuntur, & quidquid demoliri poterant, igne ferróque hostili incursione devastant, Bellenzona oppidum capiunt, cujus incolas in sua verba jurare compellunt. Contra quos Mediolanenses ad pugnam veniunt, recuperatóque oppido Bellenzona simul & arce, Helvetios cædunt, fundunt, & confusos in propria redire compellunt.

Eodem anno Sigismundus Germaniæ Rex noviter, ut dictum est, paulo ante institutus, Romam iturus pro suscipiendâ Imperij coronâ, cùm Veneti, gens impatiens Domini, iter transituro conarentur interdicere, iratus duodecim in eos peditum millia, equitum octo millia præmisit, & capto primo inpetu Foro Julio, Tarvisium obsidione vallavit. Huic verò tanto exercitui Carolus Malatesta quidam à Venetis objicitur, qui cunctando magis, quàm dimicando imperiales milites remoraretur.

MCCCCXII.

Joannes de Egloffstein Herbipolensis Episcopus moritur.

Anno Friderici Abbatis duodecimo, Indictione Romanorum quintâ, nonâ die mensis Januarij, mortuus est Joannes de Egloffstein Episcopus Herbipolensis, Francorúmque Dux Orientalium, anno Principatus sui nono, vir per omnia modestus, amator Cleri, & subditorum suorum propugnator acerrimus. Obijt autem in oppido Vorcheim Bambergensis Diœcesis, veneno, ut fertur, nescio cujus peremptus. Quo mortuo atque sepulto, mox in Episcopum & Ducem Ecclesiæ memoratæ fuit electus Joannes de Brunn Canonicus, unanimi consensu Canonicorum, & præfuit annis octo atque viginti, mense uno, & sex diebus, vir sumptuosus nimium, qui pauperem Ecclesiam suo tempore fecit, & reliquit pauperiorem: cujus inopiæ materiam simul & causam dedit non ultimam, quòd Concilio interesse Constantiensi diutius, & multa consumere oportuit: nec minus quia pauperrimam Ecclesiam omnino invenit.

Joannes de Brunn fit Episcopus Herbipolensis, præfuit annis XXVIII.

Eodem anno conjurati Suitenses contracto suorum non parvo exercitu superatis montibus iterum Bellenzona oppidum Mediolani obsidione vallarunt. Erat in oppido ipso Capitaneus quidam cum nonnullis armatis & incolis, tanto silentio res quasque agentes, ut conjurati oppidanos timore perculsos oppidum deseruisse putarent. Cùm igitur securos se existimarent Suitenses, & sine ordine hinc inde licenter discurrerent, hoc ipsumque latentibus innotuisset, mox erumpens Capitaneus super eos irruit, centúmque & mille conjuratorum cædens interfecit, cæteri salu-

Suitenses Lombardiam intrantes, superantur confusi.

tem fugâ quærentes, non ſine confuſione ad ſua redierunt. Claruit his temporibus in Gymnaſio Viennenſi Auſtriæ juxta Danubium Thomas de Haſelbach natione Theutonicus Theologiæ in eâdem ſcholâ Lector Ordinarius, vir quidem doctus, ſed nimiâ prolixitate ſpernendus. Nam ut ferunt uno & viginti annis commentarios legit, quos comportaverat in Iſaiam Prophetam, & ad finem primi capitis non pervenit. Scripſit etiam in ſententias Petri Lombardi commentariorum libros quatuor, de præceptis decalogi librum unum. De quinque ſenſibus hominis librum unum. Orationes quoque ſermones, & varias Epiſtolas ad diverſos cum quibusdam alijs, quæ non vidi. Thomas de Kempis Regulæ S. Auguſtini Canonicus in Cœnobio montis Divæ Agnetis prope oppidum Svvollenſe Trajectenſis Diœceſis, homo devotus, & multæ lectionis multa ſcripſit hâc ipsâ tempeſtate, de quibus vidi ſubjecta. De Contemptu mundi libros IV. Sermonum ad Novitios libros III. Dialogum ad Novitios lib. I. Sermonum ad fratres lib. I. De vitâ ſolitariâ lib. I. De tribus Tabernaculis lib. I. De verâ conjunctione lib. I. Hortulum Roſarum ſpiritualium lib. I. Alium, quem prænotavit vallem liliorum lib. I. Alphabetum Monachi lib. I. Conſolatorium Pauperum lib. I. De qualitate Monachorum lib. I. Manuale parvulum ſive parvulorum lib. I. Doctrinale juvenum lib. I. De vanitate mundi lib. I. Cætera, quæ ſcripſit, ad notitiam meam non venerunt.

Thomas de Haſelbach Doctor Viennenſis.

Thomas de Kempis Canonicus S. Auguſtini multa ſcripſit.

Joannes quoque Brammart Carmelita Conventus Aquenſis, & multo tempore inferioris Germaniæ Prior Provincialis. Michaël Herbrand ex Duren Prior Conventus Crüzenacenſis in Comitatu Spanheimenſi ejuſdem Ordinis. Petrus de Spina Ordinis S. Auguſtini Eremitarum. Jordanus ejuſdem Ordinis. Rheinhardus de Fronthoffen Ordinis S. Dominici. Henricus de Hachenberg ejuſdem Ordinis cum quibuſdam alijs natione Germanis hæc ipſa tempora, docendo & ſcribendo varia, illuſtrarunt: de quorum lucubrationibus jam dudum in Catalogo illuſtrium virorum Germaniæ fecimus relationem.

Claruerunt alij multi ſcriptores Germaniæ ſuis temporibus.

MCCCCXIII.

Anno Friderici Abbatis Hirſaugiani XIII. Indictione Romanorum VI. Sigiſmundus Imperator tædio nimio ferens atque graviſſimè, quòd ſancta Mater Eccleſia ſub tribus de Papatu contendentibus tam diu miſerabiliter in periculum animarum ſcinderetur, ductúſque Zelo Religionis Chriſtianæ communis, nec ſe potens ulterius continere, quin tentaret ſerioſius, quod animo conceperat, Joanni Papæ XXIII. iterum atque iterum ſæpius atque importunè ſcripſit, monens, rogans, & conteſtans eum per diſtrictum Dei futurum examen, ut juramento ſatisfaciat: locum & tempus celebrandi Concilij generalis ſine dilatione ulteriori ſtatuat: & naufraganti Eccleſiæ ſuccurrat.

Sigiſmundus Imperator Papam ſolicitat pro Concilio celebrando.

Pontifex ergo, qui maluiſſet Concilium in Italiâ celebrari, quàm extra, nimiâ Cæſaris importunitate victus, duos ad eum miſit Cardinales, cum plena atque irrevocabili poteſtate nominandi locum, & determinandi tempus Concilij celebrandi, jurans, promittens & ſubſcribens, ſe rata & grata habiturum omnia, quæ Imperator cum duobus illis Cardinalibus pro Concilio indicendo convocando & habendo concluſiſſet. Igitur Cardinales illi duo miſſi conſideratis cauſis, rationibus, & circumſtantijs multis, poſt diuturnam conſultationem de loco & tempore celebrandi

brandi universalis Concilij, tandem Spiritu Sancto inspirante cum Sigismundo Cæsare in unam convenêre sententiam, pro loco nominantes Constantiam urbem Sueviæ, tempus verò annum proximè futurum cum sequentibus deputantes, quæ deputatio Imperatori multum complacuit. Quod ubi Pontifex intellexisset, quantum doluerit, nemo facilè dixerit. Maluisset enim habere Concilium, sicut diximus, in civitate aliquâ Italiæ potius, quàm Germaniæ, & in eâ potissimum, ubi plus juris habebat Imperator, quàm ipse vel Romana Ecclesia. Sed non est mihi dubium, quin omnipotens Deus ita omnia fieri ordinaverit, quo divisa & periculosissimè scissa Mater Ecclesia post longam calamitatem suam aliquando sibimetipsi unita coalesceret: habuerat enim Pontifex in voluntate, sicut prius dixerat apertè, quasdam in Italia sibi placentes duntaxat nominare Civitates; ex quibus unam Imperator cum Legatis mittendis pro celebrando Concilio, & non aliam teneretur eligere. Mutavit posteà sententiam, & fortè non suâ voluntate, sed nutu potius divino: contulítque mittendis Cardinalibus ad Cæsarem, priorum oblitus, de nominando Concilij loco plenam omnimodo & liberam potestatem. Quâ necessitate compulsus, quod per missos Cardinales cum Imperatore fuit concluſum, ulterius revocare non potuit. His auctoritate non minus Joannis Papæ XXIII. quam Imperatoris Sigismundi, omniúmque pene Cardinalium tractatis, conclusis, & munimentis necessarijs abundè roboratis, Nuntij & Oratores cum litteris auctoritate memoratâ per universum orbem mittuntur ad Reges & Principes, ad Archiepiscopos & Præsules, ad Abbates & Prælatos, ad Gymnasia & liberas Civitates: quibus futurum anno tunc proximo celebrandum intimatur Concilium, ad quod omnes & singuli vocantur, invitantur, & citantur, qui Comitijs interesse generalibus de jure, vel ex introductâ consuetudine tenentur.

Constantia Sueviæ Civitas nominatur pro Concilio celebrando.

Quod semel placuit, displicere non debet amplius. Ita fiat.

Anno prænotato Stephanus Comes Rheni Palatinus Bavariæque Dux filius Ruperti quondam Regis Germanorum, & frater Ludovici Comitis Barbati uxorem duxit filiam ultimi Comitis in Veldenz unicam, cum quâ ipsum Veldentiæ Comitatum sibi & suis obtinuit hæredibus. Et notandum, quòd Veldenz Castellum vetustissimum, à quo Comites nomen & titulum habuerunt, in Diœcesi est Trevirorum haud procul à Mosella flumine situatum, quatuor aut quinque à Spanheim Castello vel Monasterio versus Treverim directè pene distans milliaribus. Ex hac muliere Stephanus memoratus Comes hos genuit filios: Fridericum Ducem Bavariæ & Comitem in Spanheim patrem Joannis, qui morabatur in oppidulo Simmeren tribus à Cœnobio Spanheim milliaribus: Ludovicum Ducem cognomento nigrum, Patrem Alexandri, qui in Meysenheim oppido manere consuevit: quod duobus à Spanheim distat milliaribus. Rupertum, qui postea factus est Episcopus Argentinensis: Stephanum qui fuit Canonicus, & multo tempore Decanus Ecclesiæ Colonienſis: Joannem, qui primò fuit Episcopus Monasterienſis, postea Primas & Archiepiscopus Ecclesiæ Magdeburgenſis in Saxoniâ, virum omni sanctitate conspicuum. Porrò Fridericus & Ludovicus patre mortuo principatum ejus satis inæquali, ut multis videbatur, partitione diviserunt. Fridericus enim præter Simmeren oppidum & Castellunam unà cum dominio in Bolanden Wormatienſis Diœceſis, cum pertinentibus ad ea, nihil consecutus est proprij, sed

Stephanus Dux in Simmeren apud Cynonotos uxorem duxit.

Quinque filij Stephani Palatini Ducis Bavariæ, Comitis in Spanheim.

sed in anteriore Comitatu Spanheim cohæredes & participes habet indivisibiles, Palatinum videlicet, & Marchionem de Baden. In posteriori verò Comitatu Starckenburg omnia cum eodem Marchione habet in communi. Ludovicus autem duos obtinuit integros Comitatus, Gemini pontis, id est, Zvveybrucken, & Veldentiæ, de quo dictum est, in quibus nemo, præter filium ejus Alexandrum & fratres ejus hodie quidquam habet commune.

MCCCCXIV.

Concilij Constantiensis initium.

Anno Friderici Abbatis XIV. Indictione Romanorum VII. post octavas Dominicæ Resurrectionis Concilium generale magnum anno præterito, sicut diximus, indictum auctoritate Joannis Papæ XXIII. per industriam & cooperationem Imperatoris Sigismundi inchoatum est in Civitate Constantiensi, & triennio duravit. Principium habuit lentum & tardum: progressum verò meliorem, & multorum Principum, Episcoporum, & Prælatorum frequentiâ celeberrimum, finem quoque in executione negotiorum omnium felicem & optatum. Primus omnium ex Cardinalibus Constantiam intravit Jordanus Episcopus Hostiensis vir doctus & magnæ auctoritatis, die videlicet XIII. mensis Augusti anno prænotato, præmissus à Papa Joanne XXIII. ut præpararet, disponerétque omnia, quæ ad vitam necessaria videbantur.

Jordanus Cardinalis Episcopus Hostiensis primus intravit Concilium.

Eodem anno in mense Octobri Joannes Papa XXIII. cum sua comitiva movens à Bononiâ per agrum Veronensem & Vallem Tridentinam, alpibúsque transmissis iter versus Constantiam direxit. Cúmque venisset ad Montem Arlesberg nuncupatum, currus quo vehebatur, nivis & glaciei lubricitate motus cecidit, & Papa collapsus in terram cum furore murmuravit. Accurrentes subitò familiares, & metuentes, ne læsus Pontifex esset à casu, ad jacentem in curru dicebant: *Quomodo res agitur, Beatissime Pater? sanáne sunt omnia?* Quibus irâ commotus ille respondet: *Hic jaceo in nomine diaboli: quare Bononiæ non mansi?* Consurgens à terrâ familiarium manibus cum curru levatus captum iter continuavit irâ plenus atque furore. Cúmque venissent ad summitatem montis, unde Constantiam videre jam potuit, ingemiscens ad familiam dixit: *Sic vulpes capiuntur.* Audientibus dare volens intelligere paucis, quantum cæpti operis eum pænituerit, quòd videlicet Concilium indixisset. Igitur XXVII. die mensis Octobris anno memorato appropinquans Constantiæ Papa Joannes, illo die non intravit: sed mansit in Cœnobio, Crüzlingen dicto, extra portas Civitatis, donec paratis omnibus à Clero & populo die posterâ cum solemnitate debita introduceretur.

Pænituisse indicti Concilij Joannem, ejus dicacitate probatur.

Joannes Papa XXIII. cum suis intrat Constantiam.

Anno igitur Dominicæ Nativitatis præsignato XXVIII. die mensis Octobris, quæ fuit festivitate Sanctorum Simonis & Judæ Apostolorum solemnis, Joannes Papa XXIII. cum processione à Clero & populo honorificè, ut verus Christi Vicarius ante portam susceptus intravit Constantiam, & Orationibus in Ecclesia Cathedrali præmissis datáque solemni benedictione aulam Episcopalem pro mansione accepit, novem Cardinalibus eum comitantibus, & alijs multis prælatis.

Eodem quoque anno VII. die mensis Novembris, venerunt & alij sex Cardinales de Obedientia Papæ Joannis sæpè dicti, qui & ipsi cum honore debito fuerunt susceptí, & per singula hospitia dispositi. Post hæc XIV. die

die Novembris iterum de obedientia ejus venerunt & alij Cardinales quinque, & auctus est brevi numerus eorum.

Anno prænotato XII. die mensis Novembris, priusquam prænominati quinque advenissent Cardinales Pontifex sæpe dictus curiam fieri mandavit, in quâ convenerunt Cardinales quatuor & viginti, Patriarchæ duo, Archiepiscopi & Episcopi plures: quibus simul adunatis Pontifex in tertium diem mandavit fieri solemnem in urbe processionem, ordinavitque preces communes, & alia, quæ ad promerendum Spiritus Sancti gratias ex more necessaria esse videbantur. His ritè peractis nihil restare putabatur, nisi exordiri Concilium, & causam tractare seriosiùs, propter quam fuerat indictum; sed omnium consensu Imperator Sigismundus videbatur expectandus, qui primus & maximus post Deum auctor Concilij fuit.

Processio fit per Civitatem solemnis.

Igitur XXIV. die mensis Decembris anno prænotato, hoc est, in vigiliâ Dominicæ Nativitatis Imperator Sigismundus unà cum Ludovico Saxonum Duce oppidum Regale Uberlingam (quod uno duntaxat à Constantia milliario distat) ingreditur, quem Barbara ex Comitibus Ciliæ uxor ejus, Elisabet quóque Regina Bosniæ, & Anna ex Burggravijs Norici Montis Comitis de Wirtenberg coniux cum honesta & splendida suorum comitiva sequebantur.

Misit ex Uberlinga Imperator confestim nuntios ad Pontificem, suum denuntians adventum, & rogans, ut sui præsentiam ad medium noctis Missale Officium præstolari dignaretur. Erat autem frigus satis intensum. Ad secundam itaque noctis vigiliam Cæsar intrat Constantiam, sine pompâ solemnitatis diurnæ, armísque in hospitio exutus, vestimentis cultioribus reinduitur, móxque ad Curiam Episcopi Constantiensis Papam salutaturus properat, cum quo intravit Ecclesiam.

Rex Sigismundus nocte Nativitatis Domini intrat Constantiam.

Ad medium verò noctis Papa Joannes indutus ex more Pontificalibus ad majus Altare in principali Basilicâ, divina, hoc est, primam celebraturus Missam, processit; ad quam Sigismundus Rex ornatus habitu Diaconatûs, cappáque chorali & coronâ Regali gladium tenens in manu dextera, Evangelium legit: *Exÿt edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis.* Alias quóque duas missas, in aurora videlicet simul atque in die, idem Papa Joannes cum solemnitate magnâ cantavit, in quarum fine populum benedixit.

Anno prænotato XIX. die mensis Novembris, post medium noctis horâ septimâ, minuto XXXI. in Onolzbach natus est Patre Friderico tunc Burggravio Norico, brevi posteà Brandeburgensium Marchione Albertus, pater Joannis, & avus paternus Domini Joachim, qui hodie Marchiam sapientissimè regit memoratam; vixit autem Albertus iste annis LXXII. de quo posteà.

MCCCCXV.

Anno Friderici Abbatis Hirsaugiani XV. Indictione Romanorum VIII. primâ die mensis Januarij, in quo nos annum in progressu hujus operis exordimur, inceptum est Concilium Constantiense, & deinceps per triennium duravit. Duo etenim anni, qui hunc immediatè præcesserunt, ad Concilij quidem rationem, non autem ad ejus celebrationem pertinent: quorum primus fuit intimationis; secundus convocationis; tres verò duntaxat celebrationis, sessionis, & executionis negotium extiterunt.

Concilium Universale in Constantiâ hoc anno cæpit celebrari.

S. Brigitta in Concilio canonizatur à Joanne Papa.

Eodem anno secundâ die mensis Februarij, quæ fuit Beatæ Mariæ semper Virginis Purificatione solemnis, Joannes Papa XXIII. in principio Concilij generalis apud Constantiam ad preces multorum tam procul tunc absentium, quàm etiam in Concilio præsentium, B. Brigittam Suediæ Principis olim filiam viduam Sanctorum catalogo adscripsit. Huic S. Brigittæ Canonizationi præsentes interfuerunt Cardinales novem, & viginti, Patriarchæ IV. Archiepiscopi XLVII. Episcopi CLX. Sæcularium verò Principum, Ducum, Comitum, Abbatum, Doctorum, atque Nobilium ingens erat numerus.

Eodem anno, v. die mensis Februarij, venerunt ad Constantiam v. Cardinales de obedientia Gregorij Papæ XII. inter quos fuit Joannes Archiepiscopus Ragusinus, vir græcè & latinè, ac in varietate scripturarum doctissimus, quem Gregorius Legatum unum de Latere creaverat; unde post dies paucos idem Cardinalis Ragusinus Concilium auctoritate mittentis se Gregorij Papæ ratificans confirmavit. Miserat idem Gregorius ad Concilium Carolum Malatestam virum prudentem & insignem, quem Procuratorem constituerat irrevocabilem ad resignandum Papatum, si tamen & reliquos duos cedere contingeret.

Petrus de Luna, Benedictus XIII. neminem misit ad Concilium.

Petrus autem de Lunâ, qui Benedictus XIII. in sua obedientia dicebatur, neque per se ad Concilium venit, neque Procuratorem aut Nuntium aliquem misit, sed perseverans in pertinacia, contemnénsque admonitiones, preces & citationes Concilij, finem rei expectavit, & confidens in Castello Paniscolæ munitissimo, neminem se timere confirmavit.

Sigismundi autem Cæsaris frater Wenceslaus Bohemiæ Rex, quem etiam administratione Imperij, propter ignaviam suam depositum supra jam diximus, rogatus, monitus, atque citatus ad Concilium venire contempsit, indignitate animi laborans forsitan, quòd à Germaniæ Regno fuerit dejectus. Certum & manifestum est, eum schismatis & hæresis Bohemorum causam præstitisse non ultimam, qui & hæreticis favit, & veros Christianæ fidei cultores persecutus fuit. Intuitu Fratris dissimulatum est. Metu tamen, ut opinio fuit, censurarum misit ad Concilium nomine suo & Regni Bohemiæ Joannem Huss virum quidem ingenio & eruditione scripturarum insignem, sed multis erroribus plenum, & pessimum, de cujus hæresibus multa diximus anno Friderici Abbatis secundo. Qui cùm animadverteret, quòd Patres in Concilio verba simul & opera cæperunt aliquantulum habere suspecta in ipsius moribus & conversatione, timuit, & metuens suam non posse latere hæresim, occultè fugit ex urbe.

Joannes Huss Hæresiarcha mittitur ad Concilium à Bohemis.

Notum erat omnibus, quòd ipse Joannes Hæresiarcha esset, qui Bohemiam Wiclefistarum maculasset errore, & propterea Patres de Concilio, verborum ejus simul & operum inquisitores occultos posuerunt. At posteaquam Hæresiarchæ fuga senatui urbis Constantiensis innotuit, miserunt post eum milites, qui repertum secundo fermè à Constantiâ milliario in quâdam tabernâ blasphemantem Concilium rusticorum proditione ceperunt, & in Civitatem reduxerunt invitum. Reductus verò in urbem Joanni Papæ primò traditur, deinde apud Prædicatores carceri mancipatur.

Joannes Papa jurat, se renuntiaturum Papatui.

Anno prænotato primâ die mensis Martij, Joannes Papa XXIII. ad instantiam

instantiam Regis Sigismundi & Patrum de Concilio, promisit, juravit, & scripsit in hunc modum, qui sequitur: *Joannes Episcopus servus servorum Dei universis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis salutem & Apostolicam Benedictionem. Universitati & vestrum singulis innotescat, quòd propter quietem totius Populi Christiani profiteor, promitto, spondeo, voveo & juro Deo & Ecclesiæ, & huic sacro Concilio, sponte & liberè dare Pacem Ecclesiæ per viam meæ simplicis Cessionis Papatus, & etiam facere & implere cum effectu juxta deliberationem præsentis Concilij, si & quando Petrus de Luna, Benedictus XIII. & Angelus Corrarius Gregorius XII. in suis obedientijs nuncupati, Papatui quem prætendunt, per se vel Procuratores suos legitimos similiter cedant. Et etiam in quocunque casu cessionis aut alio, in quo per meam cessionem poterit dari unio Ecclesiæ ad extirpationem præsentis schismatis. Acta sunt hæc in Constantia anno Domini 1415. primâ die Martij, Pontificatus nostri anno quinto.*

Joannes Papa in die Palmarum Rosam benedictam dat Regi.

Anno præscripto in Dominica Palmarum Joannes Papa memoratus Officium Missæ in Ecclesia Cathedrali solemniter decantans, Rosam ex more benedixit, quam Sigismundo Regi donavit. Missarum verò solemnitate peractâ, Pontifex Regem, Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Pontifices, & Principes, qui aderant omnes, suam invitavit ad mensam, quibus epularum diversa genera copiosè fecit ministrari.

Sessio in Concilio Constantiensi prima est habita alterâ Palmarum.

Alterâ verò die post Palmas convenit universa multitudo Prælatorum, Cardinales 34. Patriarchæ 4. Archiepiscopi 47. Episcopi 160. & Principes omnes ad Ecclesiam Cathedralem, in cujus choro prima sessio Concilij habita est. Tres in superiore chori loco erant positæ sedes cæteris eminentiores & magis ornatæ, in quarum una sedebat Joannes Papa XXIII. in alia Carolus Malatesta vice ac nomine Domini sui Gregorij Papæ XII. tertia Benedicti Papæ XIII. absentis & contumacis vacabat.

Sedentibus in ordine suo Prælatis atque Principibus inchoata est sessio, in cujus principio visum est omnibus utile fore atque necessarium, ut Ecclesiæ SS. de uno imprimis provideretur Capite, quatenus unus Christus unum haberet Vicarium, unum Ovile, unum Pastorem, atque unum totius populi Christiani fidelis Concilium unum intueretur Præsidentem. Data est posthæc omnibus potestas libera, quâ unusquisque circumsedentium licitè posset in medium proferre, quidquid putaret conducibile ad universalis Ecclesiæ utilitatem. Auditi sunt per ordinem singuli, & unusquisque, Notarijs dicta excipientibus, quod sibi videbatur bonum, proferebat.

In Joañem Papam XXIII. præsidentem plura dicta sunt crimina.

Itaque datâ libertate loquendi, multa crimina, scelera, & mala in ipsum Pontificem Joannem XXIII. Concilio Præsidentem dicta sunt à multis, qui se probaturos omnia sub pœna talionis ipso audiente publicè obligârunt. Quadraginta, nec minus, facinorum capitula in eum dicta sunt, quorum aliqua Christianæ fidei erant contraria, reliqua si non damnarentur, grave Christianis omnibus videbantur scandalum paritura. Cupit deliberandi tempus Pontifex graviter accusatus, & liberâ voce pollicetur, omnia sibi objecta scelera & posse, & velle se cum veritate revellere.

Joannes Papa XXIII. de Constantia fugit in Schaffhausen.

Sessione illâ tandem solutâ Pontifex malè sibi conscius de suo in Concilium adventu doluit, & ne Papatui cedere invitus cogeretur, fugam si posset subire cogitavit. Consilio igitur & auxilio Joannis Archiepiscopi Moguntini & Friderici Ducis Austriæ, mutato habitu cùm paucis è familia

griſeo indutus veſtimento, equum conſecutus parvulum aufugit. & clanculò de Conſtantia, neſciente Concilio, receſſit. Conſcensâ deinde naviculâ Friderici Ducis præparatâ miniſterio, per fluenta Rheni ad oppidum ipſius Ducis Schaffhauſen incognitus omnibus deſcendit: inde ad Neukirchen, ulterius ad Friburg iturus, & exinde in Burgundiam. Fugit autem de Conſtantia xx. die menſis Martij anno prænotato.

Fridericus Auſtriæ Dux privatur à Rege bonis.

Cognito Rex Sigiſmundus, quòd Pontifex Joannes Friderici Auſtriæ Ducis fugiſſet auxilio, cunctis eum bonis, feudis, caſtris, urbibus, oppidis, villis, agris & poſſeſſionibus per ſententiam privat, proſcribit, & omnes ei ſubjectos à juramento & fidelitate ipſius abſolvit, & quidquid in Regno habuerat, aliorum poteſtati & manibus diripiendum conceſſit.

Quibus Duci Friderico renuntiatis extimuit, & ſalvo conductu per Nuntium impetrato, ad Regem mox perſonaliter venit, gratiam petijt, & veniam ſub conditione. Die igitur 27. menſis Martij, anno præſignato, Dux Fridericus & ſe & ſua omnia Majeſtati Regiæ ſubjecit, & reducturum ſe Pontificem publicè juravit. Joannes verò Moguntinus Archiepiſcopus, qui Conſtantiam intraverat cum Equitibus quadringentis, eo quòd in fugam Joannis Papæ conſenſerat, à Patribus de Concilio pœnitentiam ſuſcipiens, veniam impetravit.

Joannes Papa XXIII. à Concilio capitur & carceri mancipatur.

Die autem poſterâ Dux Fridericus Auſtriæ ſatisfacturus juramento, quod Regi Sigiſmundo præſtiterat, Joannem Pontificem inſequitur, captúmque ac multum renitentem ad Conſtantiam reduxit. Concilio itaque decernente Pontifex in proximam Rheni inſulam ducitur, & in Monaſterio S. Marci Evangeliſtæ noſtri Ordinis Augiæ majoris, quod Richenau dicitur, cuſtodiæ mancipatur.

Intereà Patres de Concilio viros quoſdam graviſſimos atque doctiſſimos in Judices delegerunt, qui crimina Joanni Papæ jam memorato objecta diligentiſſimo examine diſcuterent: accuſationum capita ſimul & confirmationes teſtium audirent, & quidquid conſtaret certiſſimè probatum, ad Concilij notitiam referrent. Quid opus rem differre circuitu? pluſquam quadraginta ſcelerum capitula fidelium teſtimonio audita & probata ſunt contra Joannem Pontificem, quæ nec ipſe quidem reus potuit revellere.

Relatis verò ad Concilium Papæ Joannis erroribus atque ſceleribus, ſufficienti imò & ſuperfluo teſtimonio fide dignorum probatis, omnes qui audierunt, mirabantur ingemiſcentes, quòd homo tantus, & in tali dignitate poſitus Eccleſiaſtica, tot in fide Chriſtiana errores admittere potuit, tot crimina, tot ſcelera, & enormitates contra bonos mores fidelium commiſit. Probatum námque fuit contra eum coram deputatis à Concilio judicibus, quòd in fide multipliciter eſſet erroneus, & in moribus ultra modum vitioſus. Miſsâ deinde ad eum relatione compertorum per viros ſolemnes, ubi in Augia majore detinebatur in carcere, non ſolùm non negavit objecta, ſed ultro confeſſans indignum ſe omni Pontificatus honore proclamavit. Unde omnibus, qui erant in Concilio præſentes, in eandem ſententiam concordantibus, Joannes ipſe Pontifex viceſimus tertius à Papatu ſolemni proceſſu deponitur, & ſecuriore cautelâ & pace fidelium ad carcerem damnatur. Aderat Protector electus Concilij Ludovicus Comes Rheni Palatinus, Bavariæque Dux vir magnanimus & fidelis Eccleſiæ, qui Conſtantiam cum quadringentis equitibus pridem intraverat, &

Joannes Papa XXIII. per Concilium Conſtantienſe à Papatu deponitur.

rat, & in his, quæ pertinebant ad arma, promtissimus Patrum advolabat defensor. Lecta & pronuntiata coram omnibus Joannis à Papatu depositionis sententia, jam non Joannes, non Papa, non Pontifex, sed Balthasar Cossa, ut prius, vocabatur. Depositionis quóque ad eum sententia per Notarios in carcerem mittitur; quam ut legit, confirmans & lachrymans dixit: *Justè hæc patior, justè mecum agitur, qui nomine solo Pontifex, moribus fui semper iniquus.*

Balthasar olim Papa Heidelbergam ducitur.

Concilij autem decreto Balthasar Cossa jam à Pontificatu depositus, Ludovico Comiti Palatino committitur: à quo ductus ad oppidum Heidelberg usque ad ulteriorem Concilij deliberationem in Castello juxta Rheni fluenta Manheim nuncupato custodiæ per triennium honestæ, sed tamen firmissimæ mancipatur. Fuit autem ejus à Papatu facta depositio in Vigiliâ seu profesto Corporis Christi. Miserabilis jam homo ex supremo factus omnium infimus incarceratus & captivus, unum id modicum nullis precibus obtinere à Concilio potuit, ut linguæ Italicæ vel unicum haberet ministrum. Ad eum nullus permittebatur ingredi, præter ministros linguæ Theutonicæ pauculos, quorum nec ipse intellexit sermones, nec loquens intelligebatur ab illis, sed nutibus loquebatur ad nutus.

Gregorius Papa XII. renuntiat per Procuratorem.

Nec diu postea eodem anno quartâ die mensis Julij, Carolus Malatesta vir certè ut supra diximus, eruditione simul & experientiâ rerum insignis, quem Gregorius Papa XII. Vicarium suum miserat ad Concilium cum plena potestate resignandi ejus nomine Papatum, si reliqui ambo vel alter eorum suo similiter Pontificatui renuntiaret, sedens in sede Domini mittentis, cùm videret omnium Patrum unam eandémque esse sententiam, ut se Pontificatu etiam abdicaret Gregorius, dixit: *RR.mi PP. pro unienda sancta Matre Ecclesia, prô dolor! pluribus jam annis miserabiliter scissa atque divisa, paratus sum facere, quod à Domino meo Gregorio XII. ut scitis, accepi in mandatis. Video enim, quòd unitas Ecclesiæ fieri non possit, nisi tres isti Pontifices de Papatu contendentes jus suum, si quod habeant, omnes simul resignent.* His dictis mandatum suum coram omnibus legi publicè fecit, ac deinde nomine Gregorij Papæ XII. ut procurator, Pontificatum resignavit. Hanc renuntiationem Papatus Gregorij, qui deinceps Angelus Corrarius, sicut ante Papatum dictus est, per Carolum Malatestam procuratorio nomine factam sponte, voluntariè, liberè ac sine omni metu vel coactione. Patres de Concilio summis præconijs extollentes gratanter acceptarunt, & ne cedenti tantis honoribus viderentur ingrati, ipsum Angelum Corrarium renuntiantem, auctoritate Spiritus Sancti Cardinalem, & Agri Piceni Legatum designavêre perpetuum. Sed non diu supervixit, animi, ut opinamur, languore consumptus, quòd ex Domino factus fuerit servus.

Hieronymus Bohemus hæreticus intravit Constantiam.

Interea dum hæc agerentur Constantiæ, audientes Bohemi hæretici, quòd Joannes Huss eorum Princeps erroris detineretur captivus, ejus compatriotam, atque discipulum Hieronymum de Praga virum certè doctum & latino sermone promptissimum occultè miserunt ad Constantiam, ut si quovis posset ingenio, captum liberaret magistrum. Venit ergo Constaniam Hieronymus paucis cognitus, vel nullis, nisi forsitan suæ gentis hominibus. Multa secretius ingeniosè tentavit, pecunijs plura industriosè præsumpsit, sed neque ad magistri colloquium venire, neque liberare captivum potuit.

Verùm ubi conatus suos videret inanes, ne nihil omnino egisse putaretur, schedulas conscripsit plurimas, in quibus præceptoris sui Joannis Huss captivi vanis argumentis iñocentiam declaravit, asserens eum virum sanctum, doctum, & Catholicæ fidei integritate singulariter præcipuum, parem quoque Apostolis, & propterea innocenter esse captivum. Deinde conscriptas hoc modo singulas papyri schedulas valvis Ecclesiarum singularum nocturno tempore cum cera infixit, & facto manè recessit. Die verò jam adveniente visæ, ac lectæ sunt schedulæ ab intrantibus Ecclesias multis, quæ cùm ad notitiam Patrum de Concilio fuissent perlatæ, non parva de auctore secuta fuit disquisitio, non enim subscripserat nomen suum Hieronymus. Igitur factâ inquisitione per civitatem diligenti, civis quidam pauperculus, cum quo fuerat in hospitio, secretò inventus est, qui dicebat, se Bohemum quendam habuisse in domo, qui oblitus gladij sui manè primo diluculo recessisset. Missi sunt illicò post eum milites, qui magna cum festinatione insequentes eum in nemore Bohemico repererunt sedentem in taberna, & Concilium præsumptuosâ loquacitate damnantem. Captus itaque in taberna Hieronymus ad Constantiam reducitur, & mox præsentatur. Repertæ sunt penes eum litteræ Bohemorum sigillis roboratæ, cum suæ, tum Joannis Huss ad Concilij sessores perseverantiæ præcepta continentes. In carcerem verò positus examini Patrum reservabatur. Captum ferunt clamitâsse: *Regis Sigismundi salvum se habere conductũ.* Quem sive habuerit, sive non habuerit nescio, quòd captus fuerit scio. Ad audientiam Concilij posterâ die ambo sunt ducti Hussones, Joannes videlicet, & Hieronymus, & super causa eorum adventus simul & clandestini ab urbe recessus diligenter examinati. Joannes autem Hieronymo ætate quidem præstantior, doctrinâ tamen & facundiâ inferior primus est auditus, deinde Hieronymus, & quò paucis multa concludam, post examen articulorum de fide inventi sunt ambo in hæresi pertinaces, ac multis pernitiosisque infecti erroribus. Moniti ergo & rogati multipliciter à multis, ut resipiscentes ad Ecclesiasticam redirent unitatem, contemnentes ad carcerem remissi sunt, usque ad pleniorem Concilij deliberationem.

Hieronymus occultè fugit de Constantiâ.

Hieronymus de Praga in nemore captus Constantiam reducitur.

Intereà Patres super fidei rationem à Concilio generaliter ordinati, cupientes captivos revocare ab errore, si possent, quotidiè submiserunt ad eos in carcerem viros quosdam in omni scientiâ scripturarum peritissimos, ut disputarent, & loquerentur cum eis. Si fortè resipiscerent, ac reverterentur ad sanctæ Matris Ecclesiæ unitatem. Sed cùm multi ad eos intromissi fuissent præstantissimi, & magnæ auctoritatis viri, nihil cohortando profecerunt, illis in opinione reprobâ manentibus. Erant enim immobiliores truncis, & nullâ poterant vel auctoritate vel ratione persuaderi, sed in suo steterunt errore pertinaces; nam sæpius victi argumentationibus, ratione quóque & testimonijs concluſi scripturarum, se nunquam fatebantur superatos: se in doctrinâ veraces, se in conversatione sancti Evangelij veros esse imitatores dicebant, sinceróque Christi discipulos & Apostolorum sequaces. Romanam verò Ecclesiam carni & sanguini esse deditam, & cæteras per orbem dispersas multum à traditionibus aberrare Apostolorum inferebant, propterea quòd opes, divitias, honores, & voluptates sectarentur. Multis, ut supra, dictum est, erroribus

Joannes & Hieronymus reperti sunt in hæresi pertinaces.

erroribus ambo infecti totam ferè Bohemiam suis hæresibus macularunt, in quibus perstiterunt usque ad mortem pertinaces, nec persuaderi ab aliquo poterant, ut malè dicta revocarent.

Joannes & Hieronymus ut hæretici ad ignem sunt judicati.

Relatione ad Concilium factâ, quòd Hussones ambo Joannes & Hieronymus in hæresi sua perstarent fixi & pertinaces, decreverunt Patres concordi sententiâ, membra Ecclesiæ putrida & insanabilia, quæ à senipectis prudenter submissis recusassent recipere medicinam, ne reliquum corpus inficerent, rescindenda. Igitur publico in consessu omnium decernitur, igne cremandos Hæresiarchas esse, qui doctrinam Ecclesiæ spernerent, fidem contumaciter flocci penderent, & salutis monita irriderent. Unicum hoc fore cunctis remedium visum est, per quod Wicleffistarum pernitiosa hæresis de medio Bohemorum auferri posset, & extingui, quanquam secus accidit, incinerationem eorum infinitis malis sequentibus.

Joannes Hus Bohemus Hæresiarcha Constantiæ comburitur.

Anno igitur Dominicæ Nativitatis prænotato, sexto die mensis Julij, quæ fuit Octava Petri & Pauli Apostolorum solemnitate memorabilis, decreto Concilij Joannes Hus Bohemus Hæresiarcha pertinax impœnitens, extra Constantiam ligatus ducitur, & maximâ hominum inspectante catervâ, ignibus crematur, formidabilem cunctis vivendi, cum alacritate magna ut videbatur, suscipiens finem. Nam sicut litteris eorum, qui dum ureretur, astiterunt, comperimus adnotatum, animo constanti suscepit mortem, & quasi ad epulas invitatus properavit ad ignem, nullum præseferens tristitiæ signum, quale miseris familiariter solet adesse cremandis. Tantum confidentiæ dedit opinio non æstimati perfidiæ erroris, ut lætus moreretur, Martyrem se credens veritatis, cùm pro impietate pateretur. Cineres exusti ne à Bohemis raperentur hæreticis, in lacum sunt projecti aquarum. Hieronymus autem de Praga, ætate quidem junior, sed facundia & eruditione, sicut antea diximus, longè præstantior, Joanne combusto, adhuc detinebatur in carcere, hæresi plenus & pertinax, quem Patres summis conatibus reducere ad saniora laborabant varijs modis, & documentis, sed non potuerunt. Videntes tandem, quòd post vincula, carceres, & tot pientissimas admonitiones in sua pertinacia persisteret obstinatus, mortis in eum sententiam dari permiserunt, qualem præceptor, imò seductor ejus Joannes accepisset. Anno itaque memorato 17. die mensis Septembris Hieronymus de Praga Bohemus in hæresi Wicleffistarum pertinax obstinatus, & ad ignem sententialiter condemnatus extra urbem Constantiensem, in eum locum, in quo Joannes fuerat exustus, ducitur, & lætus intrepidúsque, ac cantans Salve Regina, concrematur, homo certè doctus facundus & eloquens, cui similem eruditione non habuit Bohemia, si fidem non temerâsset Sacrosanctam atque Catholicam. Cineres ejus lictores in lacum vicinum projecerunt.

Hieronymus à Praga in hæresi pertinax Constantiæ comburitur.

Hic Hussitarum amborum finis extitit, hanc mercedem impietatis suæ uterque accepit. Accesserunt posthæc amborum discipuli, quo secretius potuerant, incinerationis locum, & subfodientes terram, pro reliquijs in Bohemiam deportaverunt, quam & ostendunt, & venerantur usque in præsentem diem. Bohemi verò schismatici, doctrinam Joannis & Hieronymi sequentes, Martyrij palmam eis concesserunt non minorem, quam Romani Petro & Paulo Apostolis contribuunt Jesu Christi, quottannis eorum cum suis laudibus memoriam religiosâ uti existimant festivitate in templis venerantes.

Verùm

Multa Christianorum millia perimuntur à Bohemis hæreticis.

Verùm posteaquam Bohemi Hussitanæ factionis perditissimi homines audiverunt suorum Hæresiarcharum apud Constantiam interitum, irati & commoti sunt, & in Ecclesiasticos ac sanæ doctrinæ viros nimis crudeliter sævientes, multos gladijs, igne, præcipitio, & fustibus necaverunt. Monasteria & Ecclesias in Praga & extra speciosissimas igne submisso funditus destruxerunt; Monachos Sacerdotes & Clericos sine judicio innumeros perimentes. Wenceslao quoque mortuo, Hussitarum multitudo nimis invaluit, & veros in Regno Christianos gravissimè persecuta fuit; nam Monasterium illud famosissimum, Aula Regia dictum, eorum rabies in fundamentis delevit; in cujus quidem Cœnobij Ambitu vetus & novum Testamentum litteris majusculis in tabellis parietibus affixis sumptuosissimo opere integrum fuerat scriptum; convenerunt námque Hussitarum plus quam triginta millia, Ecclesiam Dei persequentes, Templa omni ornatu spoliantes & destruentes: Sacerdotes Monachos & Laicos sine commiseratione occidentes. Patentibus in campis ornatas posuêre mensas, super quibus à Sacerdotibus suis in contemptum Sacramenti sacrum Corpus & Domini sumentes Sanguinem susceperunt. Quanta malorum scaturigo facta sit populo Christiano hæc Hussitarum impietas, nemo scribere sufficit, nemo forsitan non expertus credit. Verum ad præsens de his satis diximus, jam nunc ad alia properemus.

Hussitarum triginta millia communicantes sub utraque specie conveniunt.

Anno præsignato vicesimâ primâ die mensis Septembris horâ septimâ minuto tricesimo nono post meridiem, nascitur Fridericus postea Imperator, ejus nominis tertius, patre genitus Ernesto Austriæ Duce. Vixit annis novem & septuaginta, de quo inferius ordine suo plura dicemus.

Theodoricus de Moers fit Archiepisc. Coloniæ annis 48.

Eodem anno mortuus est Fridericus ex Comitibus de Sarvverda, Colonienſium Archiepiscopus anno Pontificatus sui quadragesimo quinto, & in majori Ecclesia Coloniæ sepelitur. Post quem Theodoricus ex Comitibus de Moers in Archiepiscopum eligitur, & per Concilium Constantiense confirmatur, Sede Apostolica vacante per biennium à Renuntiatione Joannis atque Gregorij, ut paulò ante diximus. Ordinatus in Archiepiscopum Theodoricus præfuit annis fermè octo & quadraginta, & Ecclesiam valde locupletavit.

MCCCCXVI.

Tuicium à Montensibus incenditur in odium Archiepisc.

Anno Friderici Abbatis sexto decimo, Indictione Romanorum nona durante Concilio Generali apud Constantiam, facta est inter Theodoricum Archiepiscopum & Cives Colonienses gravis dissensio. Colonienſium verò defensor & auxiliator contra Archiepiscopum fuit annuo conductus stipendio Dux Montensis, qui missis equitibus villam Tuicienſem, quæ ad Rheni fluenta in oppositio urbis Coloniæ sita est, incendio fecit cremari, ne præsidium in eam locaret Archiepiscopus ad expugnationem Civitatis.

Monasterium Eyfaliæ fractâ nube totum fere desolatur.

Eodem anno nubes quâdam nocte in aëre divisa, sive resoluta subitò cecidit super oppidum Monasterij Eyfaliæ dictum in Territorio Ecclesiæ Treverensis cum impetu, dormientibúsque cunctis aquarum incursus portas cum muro & ædificijs plúribus dejecit, domos cum hominibus multis subvertit, majorémque oppidi partem cum inhabitantibus delevit.

Anno prænotato Sigismundus Rex in Concilio generali apud Constantiam personaliter existens, crematis jam igne Hæresiarchis Joanne Huſs

Huſs & Hieronymo; metuénſque ne Huſſitarum error, quem per Bohemiam contra divitias & honores Cleri ſimul & Eccleſiaſticam dignitatem prædicaverant, in omne tandem Germaniæ ſerperet Regnum, ſummis conatibus laborabat, ut novam Cleri quandam introduceret reformationem. Sunt qui ſcribant, eum non ſatis in hac reformatione ſynceram pro Sacerdotibus mentem habuiſſe ad finem, quod ex eo patet libello, quem Fridericus quidam ejus miniſter Huſſita potius quam Chriſtianus, Cleri hoſtis & adverſarius in lingua theutonica nomine ipſius Sigiſmundi Regis compoſuit, & reformatorium Cleri prænotavit, in quo modum deſtruendi Eccleſiam & Clerum omnem potiùs, quam reformandi commendavit. Verùm Patres & Domini Cardinales, Epiſcopi & cœteri fidelium Rectores, qui aderant, conſiderantes, quòd propoſitus reformandi modus, omni Clero & maximè Prælatis utrámque Jurisdictionem habentibus eſſet in omnimodam deſtructionem citò & indubitanter futurus, unanimi conſilio Regis contradixêre propoſito, qui ex abundantibus ſub reformationis prætextu intenderet facere mendicantes, quaſi non fuerint olim in Eccleſia ſancta Dei plures & ſine numero Pontifices, Epiſcopi, Abbates, Prælati, Sacerdotes & Clerici, quorum ſanctiſſima vita & converſatio in medio, ut ita dicam, divitiarum relucens, Evangelicam populo fideli oſtenderit perfectionem. Ut verò importunitatem Regis vincerent ratione, dixerunt reformationem Cleri non poſſe fieri, niſi prius & Presbyteri Papam, & caput haberet Eccleſia. Fuerunt multi ſæculares & laici, quorum corda incenderat avaritia, qui ut bona Clericorum, Huſſitarum exemplo, ſuis applicare uſibus potuiſſent, magnis apud Regem precibus inſtabant, conſulentes, ne inchoatum opus Reformationis intermitteretur. Mallent enim hi petrones iniqui miniſtros Eccleſiæ mendicos eſſe, quàm divites, non Deum ſed bona Clericorum avidè ſitientes. Unde ſicuti ex memorato reformationis clarè patet libello, Regis intentio fuit, S. Pontifici, Cardinalibus, Epiſcopis, Abbatibus, Monachis & Clericis legem ad neceſſaria hujus vitæ poſſidenda reſtrictam conſtituere, & unicuique pro conditione ſui ſtatûs certam pecuniarum ſummam in annuos ſumptus aſſignare. Quicquid autem ſupereſſet Eccleſiæ reddituum, fiſco importaretur communi, & in uſus ſervaretur bellicos contra Turcas Chriſti adverſarios pugnandi.

Modus reformandi à Rege propoſitus non placuit Concilio.

Laicorum Avaritia Clericorum bona rapere concupivit.

Anno igitur prænotato videns Rex Sigiſmundus, quòd Concilium in ejus ſubdolam Reformationem non vellet præbere conſenſum, donec novus crearetur Pontifex, cujus auctoritate fierent omnia, neceſſariò duxit negotium differendum. Sublatis autem duobus de Papatu contendentibus, Joanne & Gregorio, tertius in quo major apparebat in abrogando difficultas, reſtabat Petrus de Luna, Benedictus tertius decimus in ſua obedientia nuncupatus. Sigiſmundus igitur tollendi ſchiſmatis, atque uniendæ pacis Eccleſiæ ardentiſſimus ſollicitator, aſſumptis aliquot Oratoribus Concilij ad Reges Hiſpaniæ, Arragoniæ, Galliæ, & Angliæ Benedictum ſequentes in propria perſona vadit, ſingulos per Ordinem rogat, ut abdicent Benedictum, Concilium ſequentes.

Rex Sigiſmundus pro ſchiſmate auferendo pluri ma peragravit Regna.

Reges Regi conſentientes rogati, cùm audiſſent Benedictum in ſua opinione pertinacem, qui nullâ poterat ratione moveri ad cedendum, licet prius juraverit, quòd alijs duobus renuntiantibus, & ipſe ſine mora

cedere vellet, adhærent Concilio, & illum ut schismaticum abjurant. Hujus Rei nuntius cùm ad Concilium à Rege missus Sigismundo pervenisset, mirum in modum Patres lætificavit, qui Deo gratias magnificè retulerunt. Ipse autem Rex aliquandiu post hæc in Gallia & Anglia remoratus est, cupiens ad concordiam revocare, quamvis non potuit, Reges dissidentes. Interea nihilominus continuabatur Concilium non obstante Regis absentiâ, sessionésque publicæ in Ecclesia celebrabantur, & fiebant omnia, quæ necessaria negotiorum expeditio requirere videbatur in nomine & virtute Spiritus Sancti.

MCCCCXVII.

Anno Friderici Abbatis Hirsaugiani septimo decimo, Indictione Romanorum decima, Constantiæ adhuc durante Concilio tricesima die mensis Januarij, Sigismundus Rex, peragratis pro unione facienda Ecclesiæ, Regnis Galliæ, Hispaniæ, Arragoniæ, Angliæ, alijsque provincijs multis peracto feliciter negotio Constantiam reversus ingreditur, & à Concilio magnâ susceptus reverentiâ simul & ingenti lætitiâ collaudatur. Et merito quidem omni laudandus est tempore, qui tantos itinerandi labores, totque impensas, quales ante eum nullus fecit, pro Ecclesiæ bono Catholicæ ac reformanda unitate communi, subire minimè unquam recusavit.

Negotium Petri de Luna olim Papæ, tractatur in Concilio.

Posterâ die Rex ingressus Concilium, legationis se prosperum habuisse iter, litteras adhæsionis Regum firmissimæ in medium reposuit, oratorésque eorum brevi ad Concilium venturos prænuntiavit. Omne Concilium in quinque fuit nationes divisum, quarum auctoritate cuncta gerebantur. Postquam igitur Benedictus antea in Concilio Pisano depositus, pertinax in sua rebellione permanere compertus est, gerens se Papam cùm non esset, perduránsque in sua sententia immobilis, cæperunt Patres de Concilio negotium ejus maturius discutere, & de abrogatione iterum tractare.

Papa Benedictus in Concilio iterum deponitur & Schismaticus declaratur.

Anno igitur Dominicæ Nativitatis prænotato, decimo octavo die mensis Martij, in quadragesima, posteaquam Patres in Concilio materiam & negotium Petri de Luna quandam Benedicti tertij decimi Papæ, dudum ut diximus, in synodo Pisana Generali abrogati, cum summa diligentia examinando discusserunt, nationum omnium consensu sententiam in eum protulerunt. Accensis ergo & extinctis in majori & singulis Constantiæ templis ex more candelis pulsatisque campanis, rejectis rationibus omnium, qui cum eo sentire videbantur (erant autem pauci) Petrus de Luna iterum privatur Pontificatu, auctoritate totius Concilij, & veluti Schismaticus & Hæreticus condemnatur, anathematizatur & publicè denuntiatur. Nihilominus Apostolica Sedes, ab illo die adhuc vacavit mensibus septem, atque diebus viginti, usque ad festum S. Martini, ut per ordinem dicemus.

Omnes nostri Ordinis Abbates Provinciæ Mogunti næ à Concilio citantur.

Eodem anno Patres de Concilio Constantiensi memorato, considerantes sacrosanctum Ordinem nostrum sub norma Divi Legislatoris Monachorum Benedicti (de quo sancta Mater Ecclesia tot olim habuit Romanos Pontifices, tot Cardinales, Archiepiscopos, Episcopos Prælatos & Monachos doctrina & sanctitate insignes) nimiâ vivendi licentiâ collapsum, & totum penè miserabiliter in utróque statu desolatum, ex eo maximè

mè quòd à multis retro annis Capitula provincialia jure præcepta celebrari de triennio in triennium fuerint intermissa, neglectæ Visitationes, & nonnulla in Monasterijs Observantiæ Regularis servata integritas. Consulentes igitur Ordini Patres, & cupientes monasticam reformare Observantiam diu nimis collapsam, diem celebrandi Capituli in Cœnobio Petri domus Constantiæ determinarunt ultimam Februarij, ad quod omnes & singulos Abbates memorati Ordinis Provinciæ Moguntinæ citarunt sub pœna privationis Abbatialis & cujuslibet alterius dignitatis, ni comparerent.

Nomina Diœcesium & Monasteriorum nostri Ordinis Provinciæ Moguntinæ.

Hæc autem sunt nomina Diœcesium Provinciæ Moguntinæ simul & Monasteriorum Ordinis, quæ sub eis constructa noscuntur, quorum Abbates ad Capitulum auctoritate Concilij fuerant citati. In Diœcesi Moguntina illo tempore ista fuerunt Cœnobia; Hirsfeldia, Selgenstatt, S. Jacobi prope Moguntiam, Spanheim, S. Joannis Baptistæ in Ringavia, Reinhausen, Bursfeldia, Northeim, Breittenavve, Steina, Hasungen, S. Petri in Erfordia, Salfeldia, Reinharzpronna, Homburg, Gerode, S. Jacobi Scotorum in Erfordia, Cella Paulina, Oldesleven, S. Albani prope Moguntiam, in quo modo sunt Canonici, Blidenstatt, quam nunc etiam inhabitant Canonici.

Moguntina Diœcesis.

In Diœcesi Spirensi sunt Hirsaugia, Wissenburg, Lympurg nunc exustum, Gozavve, Odenheim, in quo Monachi apostatarunt ab Ordine nostrâ ætate, & postea in oppidum Bruchsal translati sunt, Hunsheim jam sunt Canonici, Clingenmünster, cujus Monachi abjecto habitu similiter apostatarunt ab ordine.

Spirensis.

In Diœcesi Herbipolensi Monasteria sunt ista. Sancti Stephani in Civitate, Sancti Jacobi in Suburbanis, cui hodie præsum inutilis, Schvvarzach, Theris, Murhart, Uraugia, Scluchtern, Amerbach, Fulda, Neustatt, Pantz, Veiolstorff, Steinach, Monichaurach, Monichroten, S. Burchardi, jam sunt Canonici, Camberg similiter abjecto habitu recesserunt ab Ordine.

Herbipolensis.

In Diœcesi Augustensi. Sancti Udalrici in Civitate, S. Crucis in Werdea, Elchingen, Lorch, Dekingen, in Faucibus, Ottenbeüren, Neresheim, Dierhaupten, Yrse, Fultenbach, Prenzahausen, Benedictenbeüren, Bezelspronna, Elvvangen, quod apostatantibus Monachis hodie Canonici occupant.

Augustensis.

In Diœcesi verò Constantiensi Monasteria sunt Ordinis, S. Galli, S. Gregorij in Mure, Campidonense, S. Blasij, Alperspach, Sanctæ Mariæ ad Eremitas, Duplicis aquæ, id est Zvvifalten, Sanctorum Petri & Pauli in nigra sylva, Rinaugia, Isne, Steina, S. Ruperti, S. Marci in Augia majore, Petri domus in Constantia, Bregantium, Schaffhausen, Ochsenhausen, Wiblingen, S. Joannis in Turtal, in Truba, in Fischingen, Blaubeüren, Weingarten, Montis Angelorum, in Walseinhausen, Cœnobia sunt Ordinis nostri numero sex atque viginti.

Constantiensis.

In Diœcesi Argentinensi, Schutera, Schvvarzach, Gengenbach, Sanctæ Walpurgis, Mauri Monasterium, Ebersheim Monster, Ettenheim Monster, Altorff, Hugshoffen, Selz apostatæ nunc, Neuvviler similiter apostatæ.

Argentinensis.

In Diœcesi Eichstatensi quinque sunt Ordinis nostri Monasteria, Castellense, Wilzburg, Blankenstetten, Heidenheim, Wernizahusen similiter.

Eichstetensis.

Curiensis Diœcesis. In Diœcesi Curiensi, Monasterium Dissertinense, Monasterium Fabariense vulgariter Pfeffers, sanctæ Mariæ in Vinstgavve, S. Joannis.

Halberstattensis. In Diœcesi Halberstattensi Saxoniæ, S. Ægidij in Brunschvvig, in Luthera Regali, Husburg, Isenburg, Hildensleben, Eltersdorff, nunc Cella Mariæ, Rynsdorff, Wimelburg, Göseck, Ballenstetten, Conradisberg, quod nunc inhabitant Carthusienses, illo tempore adhuc Ordinis nostri fuit.

Verdensis. In Diœcesi Verdensi juxta Verderam fluvium in Saxonia duo sunt Ordinis nostri Monasteria tantum S. Michaelis in Lünenburg & in Oldenstatt.

Hildesheimensis. In Hildesheimensi quatuor sunt. S. Michaelis in Civitate, & Gerardi, Ringelheim & Clusense.

Padelbronnensis. In Diœcesi Padelbronnensi Abtinhoffen in Civitate, Corbeia, Hulmershausen, Mariæ Monasterium, Flechtorff, numero Cœnobia sunt quinque.

Bambergensis. In Diœcesi Bambergensi exempta, Monasteria sunt quatuor tantum, quæ Provinciæ nostræ per Benedictum Papam XII. in Extravagante, quæ incipit, summi Magistri dignatio, dudum sunt adjuncta; Mons Monachorum, Michelsfeld, S. Ægidij Norinbergæ, Wissenau.

Wormatiensis. In Diœcesi verò Wormatiensi, Moguntino similiter Archiepiscopo, ut Metropolitano subjecta, nullum habemus Monasterium, præter duo Monialium.

Igitur per Concilium Generale citati ad Constantiam omnes præscriptorum Monasteriorum Ordinis nostri Abbates pro celebrando Capitulo Provinciali, quod multis annis in Moguntina provincia, sicut & in alijs Germaniæ omnibus neglectum fuerat & intermissum, Abbates qui potuerant, proprijs convenerunt in personis; qui autem legitimo detinebantur impedimento, procuratores suâ vice miserunt sufficientes.

Capitulum Ordinis in Constantia celebratum est. Anno itaque prænotato, ultima die mensis Februarij Sede Apostolica vacante, Constantiensi durante Concilio, in unum convenientes Moguntinæ Provinciæ Abbates in Monasterio Petri domus in Civitate ipsa Constantiensi, diu intermissum celebravere Capitulum. Pro cujus initio præsidentes quatuor à Concilio fuerunt Abbates deputati, Ludovicus videlicet Trenorchiensis Cœnobij Abbas Cabillonensis in Gallia Diœcesis, & Thomas Eboracensis Monasterij Abbas, cujus & Diœcesis erat. Hos duos alienigenas Concilium præposuit nostratibus propterea, quòd ex longa consuetudine in celebrandis Capitulis fuerunt experti, ut formam nostris darent & modum, quemadmodum & Innocentius olim Papa III. in Concilio statuerat generali, ut libb. III. *De statu Monachorum, capitulo:* In singulis mandans, ut Ordinis nostri Abbates, in principio hujus Novitatis, duos advocarent de Ordine Cistertiensium, à quibus modum & formam discerent celebrandi Capitulum. His à Concilio fuerunt adjuncti è nostris Sifridus Abbas in Elvvangen Augustensis Diœcesis, & Joannes Abbas Monasterij S. Georgij Constantiensis Diœcesis. His quatuor præsidentibus inchoatum celebratum & consummatum fuit Capitulum Ordinis nostri primum in Constantia.

Abbates S. Georgij & in Elwangen fuerunt Compræsidentes.

In hoc Provinciali Ordinis nostri Capitulo Abbates multi fuerunt præsentes, inter quos nonnulli Zelum Dei habentes, summo studio & maximâ diligentiâ, pro institutione Regularis observantiæ laborantes desudarunt,

darunt, quibus Patres de Concilio assistentiam ad omnia necessariam præstiterunt. Per modum igitur Constitutionum imprimis multa providè satis & utiliter decreverunt, quæ non minus ad Reformationem statûs Monasteriorum temporalis, quam spiritualis accomoda videbantur; Regulam námque S.P.N. Bendicti per singula Capitula inspicientes ubicúnque Abbatum & Monachorum vitam, & mores invenerunt esse contrarios, novis Constitutionibus necessaria apposuerunt remedia. Quas quidem Constitutiones dudum jussu Præsidentium à tempore memorati Capituli usque ad annum Dominicæ Nativitatis 1493. per Capitula Ordinis Provincialia XXVIII. annis septuaginta sex celebrata in diversis locis abbreviantes, in unum volumen comportavimus; conjungentes ei & visitandi formam, & modum celebrandi Capitula, quæ sunt impressa.

Forma Reformationis datur omnibus per modũ Constitutionis.

Joannes Trithemius Abbas abbreviat statuta.

Edictis autem in memorato Capitulo statutis pro reformatione Ordinis necessarijs, & Concilij auctoritate confirmatis, omnes tunc præsentes in eo Abbates jurare in animas suas, Procuratores verò absentium in eorum animas, quorum erant substituti, similiter Concilij auctoritate jurare & promittere compulsi sunt, quòd propositam, conclusam & litteris commendatam in eodem Concilio simul & Capitulo, Regularis observantiæ Reformationem in se & Monachis suis infra annum admittere, & fideliter deinceps custodire & practicare, nec ab ea temere in perpetuum recedere velint & debeant, sub pœna depositionis ab omni Jure & dignitate Abbatiali.

His & cœteris omnibus de consuetudine agendis in Capitulo memorato ritè præmissis apud Constantiam in Monasterio Petri domus nuncupato trans pontem in suburbio Civitatis, post editionem statutorum, præscriptámque datam & juratam ab omnibus reformationis formam intra annum suscipiendam, & cum effectu prædicandam in singulis Monasterijs sæpè nominatis, per omnes memoratæ Provinciæ Diœceses, certi sunt deputati Visitatores ex Abbatibus Zelum Dei & observantiæ habentes, qui commissa sibi perlustrantes Cœnobia, status singulorum Capitulo referant futuro. Deinde Præsidentes mandato Concilij Generalis decreverunt, celebrationem futuri Capituli non differendam in triennium, sed proximo anno immediatè tunc sequente, apud Moguntiam in Monasterio S. Albani Mart. fore anticipandam, ad videndum, qui Abbates juramento non satisfecerint de suscipienda reformatione infra annum, & ut negligentes ad eam per Censuram compellerentur Ecclesiasticam. Nominati sunt etiam in ipso Capitulo Abbates, qui debeant in futuro præsidere videlicet Abbas Fuldensis Herbipolensis Diœcesis, Campidonensis Constantiensis Diœcesis, S. Udalrici in Augusta, ejusdem Diœcesis, & Abbas in Reichartsbronna Moguntinæ Diœcesis, nec minus & alij Officiales in Capitulo deputati, ut sunt Missæ cantator solemnis, Concionator sermonis, Promotor Ordinis, & quis absentium debeat recipere ac justificare procurationes, quem nunc Thesaurarium Capituli usitato vocabulo nuncupamus. Posthæc in promulgatione culparum eorum, qui comparuerunt, Charitatis Ordine servato, injunctisque pro modo culpæ satisfactionibus cum absolutione Jurisdictionis Ordini concessa, Benedictio data est, à Præsidente vocali pro itinerantibus consueta, & in sua singuli redierunt.

Visitatores per singula Monasteria Provinciæ deputantur.

Moguntia pro loco futuri Capituli deputatur à Concilio.

Fridericus Abbas Hirsaugiæ fuit in Concilio Constantiensi.

Fridericus Abbas hujus Monasterij Hirsaugiensis à præfato Concilio Constantiam vocatus, ut antiquæ & famosissimæ Abbatiæ Princeps multo tempore interfuit non sine impensis magnis; qui cùm interesset celebrationi Provincialis Capituli, audirétque novas Concilij simul & antiquas Patrum Constitutiones, nec non sermones exhortatorios plures doctissimorum virorum, qui præcepto Concilij verbum Reformationis in medio loquebantur Abbatum, non mediocriter corde compunctus, supra assumenda infra annum Reformatione concluſa non invitus, sed spontaneâ voluntate, atque libenter cum alijs juravit.

Erat enim homo convenientiæ bonæ, Deum timens, & cupidè audiens monita salutis. Duabus igitur movebatur caussis sive rationibus, quòd concluſam in Capitulo, atque juratam ab omnibus Reformationem animo susc ipere delectabatur volente atque promptissimo: quarum prima fuit; consideratio periculi animæ propriæ: secunda verò memoria Hirsaugianæ reformationis antiquæ. Sed reversus ad Hirsaugiam post finem Concilij Reformationem concluſam & juratam, suis Monachis sæpiùs cum lachrymis ingemiscendo proposuit; qui unâ sententiâ omnes pertinaciter restiterunt, unde nihil potens proficere cum subditis, se reformans Deo negotium commisit; veruntamen non fuit ex toto infructuosus pro Reformatione Ordinis nostri labor iste Concilij, quamvis non reduxerit ad observantiam Monachos omnes. In tribus etenim Monasterijs observantia disciplinæ Regularis ab illo tempore multum convaluit: & plura per succeſſum Monasteria reformavit. Nam ut supra diximus, anno Friderici Abbatis quarto, Reformatio Castellensis incæpta per Abbatem Ottonem, vires & robur magnum susc epit à Constantiensi Concilio, & in multa per succeſſum temporis Monasteria succrevit, licet & in Castello, & in alijs iterum pene tota defecerit.

Castellensium Reformatio sumpsit initium à Concilio.

Notandum verò, quòd Concilium Constantiense non solum Abbatibus Moguntinæ Provinciæ celebrationem triennalis indixit Capituli, sed mandavit id ipsum cunctis alijs etiam Abbatibus omnium provinciarum Germanici Regni. Cœperunt & illo tempore in omnibus Germaniæ provincijs intermissa diu iterum celebrari Capitula, visitationes Monasteriorum frequentari, & plura in diversis Diœcesibus reformari Cœnobia. Est Monasterium nostri Ordinis Mellicense juxta Danubium in Austriæ Ducatu, non ultimæ reputationis & formæ, cujus instauratio disciplinæ multa per Austriam & Bavariam Monasteria laudabiliter reformavit, licet postea cum tempore plura eorum ut hodie cernimus, in pristinam sint relapsa deformationem. Reformatio autem quæ nomen ex loco primordij sumpsit, Bursfeldensis omnium celeberrima, quale his temporibus habuerit initium, quàm breviter & veraciter poterimus ad notitiam posterorum, scripturæ testimonio referemus. Cùm anno prænotato sicut diximus, omnes Provinciæ Moguntinæ Abbates à Concilio fuissent citati ad Constantiam, affuit inter procuratores absentium, Monachus quidam nomine Joannes de Monasterio Rheinhausen Moguntinæ Diœcesis à suo Abbate missus ad Concilium. Is cùm vidisset Zelum & diligentiam non minus quorundam Abbatum præsentium in Concilio quàm Patrum ipsius synodi generalis, atque labores, quos pro reformatione Ordinis nostri faciebant, audisséque sermonibus multis à doctissimis

Et Mellicensium.

Et Bursfeldensium.

mis Viris, quam periculosum sit Monachos contra Regulam Claustralium usque ad mortem in deformitate vivere, & jurâsset in animam sui Abbatis Rheinhausensis, à quo fuerat missus, de suscipienda infra annum, contremuit, & mente compunctus illustratione divinâ, nihil magis quàm satisfacere promissis cogitavit. Reversus post celebrationem Capituli ad Monasterium suum, quæ & qualia fuissent apud Constantiam dicta, ordinata, & concluſa simul atque jurata, per ordinem Abbati & Confratribus suis cuncta singillatim aperuit, & viribus totis ut Reformationem assumerent, intensius rogavit. At illi hominem in primis cœperunt irridere; posteà verò perseverantem in proposito etiam contumelijs & opprobrijs afficere: *Quid* inquiunt, *ad nos tua pertinent juramenta? si multa promisisti aut juraſti, nihil ad nos; tu videris quomodo satisfeceris.* Cúmque hæc multis continuarentur diebus, cernerétque Monachus ille devotus, quòd nihil omnino posset efficere, pro sua solicitus anima, remedium aliud cœpit mente cogitare.

Joannes Monachus de Rheinhausen pro Reformatione, Ducis implorat auxiliũ.

Dux erat illo in tempore Brunschvvicensis, nomine Otto, cujus uxor fuit soror Landgrafij Thüringiæ, mulier Christo multum fidelis atque devota, non procul à Rheinhausen in oppido Gamundiæ suo cum Duce. Hanc Monachus ille præfatus accedens, omnia quæ habebat in corde suo, coram ea exposuit, & ut cooperari dignaretur ad juratam in Concilio Reformationem propter Deum, quàm humillimè rogavit. Cujus desiderio sancta mulier congratulans, omnia se pro viribus acturam promisit, quæcunque postulavit. Contigit intereà Monasterij Abbatem in Cluſa mori, quod mox ut mulier devota cognovit, egit apud maritum suum Ducem Ottonem, quòd sæpe dictum Joannem Monachum de Rheinhausen Abbatem præfecit Monasterio Clusensi Hildesheimensis Diœcesis. Ordinatus Abbas Joannes pauper Monasterij penè desolati, omne studium adhibuit, quo & Fratres, & locum in utróque statu ad Regulæ puritatem informare potuisset. Sed grave nimis est, in mente consueta vitijs, semina plantare virtutis sine gratia Dei speciali: non ferentes austeritatem Rectoris Monachi perversi, omnes paulatim ab eo recesserunt. At ille collectis Novitijs paucis (plures enim nutrire non potuit) & se & illos ad Regulæ puritatem instituit, & in magna paupertate conversatus, Deo in omni sanctitudine ministravit. Vacabat interea Monasterium S. Thomæ Apostoli, prope villam, quæ Bursfeld ab olim fuerat nuncupata (sed hodie non comparet) Moguntinæ Diœcesis, extremâ inopiâ & pauperie desolatum, in quo unicus tantùm erat Monachus, cui ut ferunt, vacca unica ministrabat victum, censibus cunctis ab antea per Monachos turpiter distractis. Ecclesia straminibus male contecta, stabulum fuit adventantium pecorum, quæ anno Dominicæ Nativitatis millesimo nonagesimo octavo ab Henrico Northeimensi Comite erat fundata, Deo canentium lucidus in ipso Chorus Monachorum. Verum quia locus est in solitudine, aquis & nemoribus dives, placuit Joanni memorato Abbati de Cluſa, quietis amore transire ad Bursfeldiam, & inchoatam deinceps ibidem continuare sanctam Ordinis Reformationem. Accedente igitur consensu Ducis Ottonis, Monasterio Clusensi relicto, ad Bursfeldiam Joannes Abbas cum paucis Monachis suis se contulit, & ibi sanctam, quam apud Cluſam inchoaverat, Reformationem in maximâ paupertate usque ad mortem laudabili perseverantiâ

Monasterium Bursfeldense illo tempore fuit pauperrimum.

Joannes Abbas Cluſam dimittit, & venit ad Bursfeldiam cum suis.

rántiâ continuavit; erant enim ambo Clusa videlicet simul & Bursfeldia, in extrema paupertate constituta, in tantum, quòd nemo spem Restitutionis eorum habere videretur. Sed ubi Regnum Dei primum in veritate quæritur, omnia hujus vitæ necessaria divinâ ordinante Providentiâ copiosè adijciuntur. Fuit in diebus illis Abbas Monasterij S. Matthiæ apud Treviros, Joannes Rode, vir doctus & magnæ Religionis, quem Otto Trevirorum Archiepiscopus de Carthusia extractum, nostri Ordinis induerat habitu, in eum scilicet finem, ut præfatum utróque in statu reformaret Cœnobium. Hic inprimis Monasterium suum præfatum S. Matthiæ, non sine maximis laboribus, periculis & insidijs eorum Monachorum, quos deformatos in eo reperit, ad Regularis vitæ observantiam reformare studuit, constitutiones non minus laudabiles, quam necessarias edidit, & receptis ad Ordinem Novitijs, Conventum optimè reformatum brevi adunavit.

Joannes Rode Abbas S. Matthiæ Trevirensis reformator.

Hujus præstantissimi viri reformationem vitam & famam audiens Joannes supradictus Abbas Bursfeldensis, ad eum pedibus Trevirim venit cum litteris supplicatorijs Ducis Brunschvvicensis Ottonis; à quo est magno susceptus gaudio, & quidquid voluit impetravit; veniens enim vir sanctus ad Treverim, laudabilem Joannis Rode Abbatis institutionem palam vidit; vitam quoque tam pastoris quam subditorum Regulæ conformem atque sanctissimam experimento didicit: constitutiones & ceremonias ab eo conscriptas pro conservatione Regularis Observantiæ legit & collaudavit. Rogavit itaque Abbas Abbatem, Joannes Joannem pauper divitem, Bursfeldensis Trevirensem, litterarum Ducis auxilio suffultus, ut sibi pro novæ Reformationis complemento fratres quatuor bonæ constitutionis adjungeret, & eas quas prudenter fecerat constitutiones rescriptas communicaret. Cujus sancto desiderio venerabilis Abbas Joannes Rode favorabiliter consentiens, suas ei constitutiones libentissimè contulit, & fratres quatuor adjunxit. Ex eo tempore paulatim observantiæ Regularis disciplina in Bursfeldiam à S. Matthia Trevirorum transfusa, mirabiliter crescere & augmentari cœpit, atque in paucis annis multa Ordinis nostri Monasteria, per Saxoniam, Franciam Orientalem, Türingiam, Sueviam, Treverenses, Argentinenses, Rhenenses, Colonienses, Frisiam, Westfalliam, & alias Germaniæ Provincias reformavit. Audientes enim tam sæculares quam spirituales per Germaniam totam Principes, devotam atque sanctissimam Bursfeldensium Monachorum conversationem, & inprimis maximè per Saxoniam, omnes subjecta sibi Monasteria nostri Ordinis ad imitationem eorum sanctam fecerunt reformari. Crevit in brevi numerus Monasteriorum ex Bursfeldia reformatorum, & in cunctis Germaniæ finibus eorum sancta conversatio laudibus erat celebrata, nec quisquam de eis malè poterat loqui, nisi reprobus esset, quippiam mali. Primum ex Bursfeldia Monasterium est reformatum Clusa, deinde Rheinhausen, postea Northeim & quædam alia; quorum ordinem vel tempus reformationis enarrare per singula, nihil conducit historiæ, quorum si quis vel nomina & seriem scire voluerit, acta Capitulorum annalium revolvat, in quibus omnium denotantur Monasteriorum Capitulo Incorporationes.

Quatuor Monachi à S. Matthiæ ad Bursfeldiam missi.

Ex Bursfeldia reformantur paulatim multa Monasteria.

Reformatione

Reformatione autem de Bursfeldia per certa Ordinis nostri Monasteria paulatim diffusâ Patres illorum Abbates, viri sanctissimi, timentes, ne cum tempore in pristinas Monachi successores relaberentur difformitates, de remedio maturâ deliberatione habuerunt consilium. Placuit ergo in communi omnibus, ut unam inter se confœderationem seu unionem facerent fraternæ ac mutuæ charitatis, cui se Abbates reformati simul & in futurum reformandi subijcerent, & sub juramento fidelitatis perpetuò unirent. Hujus unionis sanctæ institutionem Pius confirmavit Papa II. & multis eam privilegijs ac libertatibus, Apostolicâ auctoritate cumulavit. Constitutione quoque perpetuâ sanxerunt primi Ordinis nostri sub unione memorata Bursfeldensium ferventissimi Reformatores, quòd singulis annis in unum debeant convenire locum ipsius unionis cuncti Abbates, ad celebrandum annale Capitulum pro conservatione sanctæ Reformationis memoratæ. Hujus quóque annalis Capituli necessariam celebrationem Pius Papa prædictus, simili auctoritate confirmavit. Ab eo tempore celebratio Capitulorum annalium cæpit, & continuatur usque in præsentem diem.

Unio Bursfeldianæ Reformationis confirmatur à Papa.

Itaque Joannes memoratus ex Rheinhausen Monachus Abbas in Bursfeldia, divinâ sine dubio Providentiâ factus vir magnæ Religionis & sanctæ conversationis, primus sub hac unione reformator, collapsum in Saxonia Ordinem nostrum mirificè instaurans sublevavit. Eo tandem feliciter mortuo, successit in Abbatia Bursfeldensi Joannes de Hagen, vir & ipse non minus Religiosus, quàm doctus, qui Reformationem inchoatam laudabiliter continuavit, & plura Cœnobia reformavit. Moritur autem undecimo die mensis Augusti anno Domini MCCCCLXIX. Post quem Theodoricus in Abbatia succedens præfuit annis XVI. Cui successit Joannes, & præfuit annis similiter sedecim, homo senex, Zelosus pro regulari disciplina, & Christo multum devotus. Post hunc in Abbatia Bursfeldensi successit Henricus, qui hodie præest in annum duodecimum, Zelator prudens Ordinis, pius & integerrimæ conversationis.

Abbates Bursfeldenses, numero quinque ab initio Reformationis.

Nomina Monasteriorum Ordinis nostri, quæ per annos jam ferè nonaginta ex fonte Religionis Bursfeldianæ sunt reformata, huic operi nobis placuit inserere, propterea quòd posteritati eorum cognitio aliquid posse conducere videatur. Tempus & Ordinem, quibus unumquodque reformationi colla submisit, annotare non potui. Sed in genere ut occurrebant memoriæ quæque assignavi, principium sumens à Diœcesi Moguntinensi. Primum igitur omnium in Moguntina Diœcesi Monasterium reformatum Bursfeldia fuit, ex cujus institutione sequentia observantiam susceperunt. Monasterium Rheinhausen, Monasterium in Clusa, Monasterium in Northeim. Monasterium S. Petri in Erford, Monasterium in Homburg, Monasterium S. Jacobi prope Moguntiam, Monasterium S. Joannis in Ringavia, Monasterium S. Martini in Spanheim, Monasterium B. Mariæ in Gerode, Monasterium in Oldesleven, Monasterium in Selgenstatt, Monasterium in Reinharzpronna, Monasterium in Staina, Monasterium in Breydenavve. Monasteria reformata Moguntinæ Diœcesis sunt XIV.

Nomina Monasteriorum ex Bursfeldia reformatorum.

In Diœcesi Moguntina sunt quatuordecim.

In Diœcesi verò Spirensi tempore primum est reformatum hoc præsens Monasterium Hirsaugiense, de cujus instauratione suo tempore di-

In Spirensi quatuor.

cemus. Monasterium S. Mariæ in Golzavve, Monasterium in Wissenburgo, Monasterium S. Crucis in Lympurg, quod Comes de Liningen ante hoc septennium incendio subvertit, & ideo in Wachenheim resident Monachi.

In Diœcesi Herbipolensi septem.

In Diœcesi Herbipolensi reformata sunt ista. Monasterium S. Proto-Martyris Stephani in Civitate, Monasterium S. Jacobi transpontem in suburbanis, Monasterium Schvvarzach, Monasterium Uraugiense, Monasterium in Monichaurach, Monasterium S. Michaëlis prope Veiolsdorff. Monasterium Monichroten, sunt reformata numero septem.

In Bambergensi unum.

In Diœcesi Babenbergensi exemptâ, reformatum est sub unione Bursfeldensi, unicum duntaxat Monasterium S. Michaëlis Archangeli in Monte Monachorum extra mœnia Civitatis, in quo S. Otto Episcopus jacet.

In Constantiensi unum.

In Diœcesi Constantiensi reformatum est unicum tantum Monasterium S. Benedicti Abbatis in Alperspach, in quo Caput ejusdem Sanctissimi Legislatoris nostri habetur, & facit multa miracula super dœmoniacis hominibus.

In Argentinensi tria.

In Diœcesi Argentinensi reformata sunt institutione Bursfeldensium Monasterium B. Mariæ semper Virginis in Schuttera, Monasterium in Hugshofen, & Monasterium in Eberstein. Hæc duo Cœnobia reformavit anno præterito Joannes Wedel ex Monacho hujus Monasterij Hirsaugiensis primus in observantia Bursfeldensi Abbas in Schuttera.

In Halberstatiensi novem.

In Diœcesi Halberstatensi reformata sunt, Monasterium in Husburg, Monasterium in Luthera regali, Monasterium in Usenburg, Monasterium in Hildesleven, Monasterium Cellæ Mariæ prope Eltersdorff. Monasterium Reinsdorff. Monasterium in Wimelburg, Monasterium in Ballenstatt, & Monasterium in Gőseck, numero Cœnobia IX.

In Werdensi unum.

In Diœcesi autem Werdensi provinciæ Moguntinæ unicum est reformatum Ordinis nostri Monasterium Aldenstatt, seu Vetus Ulsen nuncupatum sub unione, Capitulo & observantia memorata Bursfeldensium.

In Hildesheimensi quatuor.

In Diœcesi Hildesheimensi reformata sunt ista. Monasterium S. Michaëlis in Civitate, Monasterium S. Godhardi prope Civitatem, Monasterium in Ringelsheim, & Monasterium in Clusa, sunt numero IV.

In Padelbronnensi quatuor.

In Diœcesi Padelbronnensi reformata sunt, Monasterium Abdinckenhoffen in ipsa Civitate, Monasterium B. Mariæ, dictum Mariæ Monster. S. Viti Martyris in nova Corbeia, Monasterium in Ilechdorff, numero sunt quatuor.

In Trevirorum novem.

In Diœcesi Trevirorum sub Capitulo & unione Bursfeldensium sunt reformata, Monasterium S. Matthiæ extra muros Urbis Trevirorum, quod olim S. Eucharij dicebatur, à quo Bursfeldensis reformatio robur, & constitutiones ut supra diximus, necessarias accepit. Monasteriũ S. Mariæ ad Martyres extra Civitatem, Monasterium S. Martini, contiguum Civitati, Monasterium S. Luttvvini in Mediolacu, Monasterium S. Mauritij in Tholeia, Monasterium S. Mariæ in Lacu, Monasterium S. Florini Martyris in Schönavve, Monasterium S. Mariæ prope Ducale oppidum Luzenburg. Monasterium S. Mariæ in Gronavve, ubi caput S. Sebastiani Martyris ostenditur.

In Coloniensi quatuordecim.

In Provincia simul & Diœcesi Colonienſi reformata sunt, Monasterium S. Martini Coloniæ, Monasterium S. Pantaleonis in Colonia, Monasterium

rium S. Heriberti in Tuitio, Monasterium S. Nicolai in Bruvviler, Monasterium S. Ludgeri in Werthina, Monasterium in Grafschafft, Monasterium S. Pauli in Civitate Trajectensi, Monasterium S. Laurentij in Oesbruck prope Trajectum, Monasterium S. Adelberti in Eckmunda, Monasterium in Stauria, Monasterium Lisbornense, Monasterium in Iburg, Monasterium in Civitate Myndensi, quæ sita est juxta fluvium qui Wessera dicitur. In alijs diversis provincijs atque Diœcesibus Magdenburgensi & Bremensi reformata sunt sub unione Bursfeldensium plura Cœnobia, videlicet: Monasterium S. Joannis prope Civitatem Magdenburgensem. Monasterium in Gladbach Colonienſis Diœcesis. Monasteriū in Hulmershausen, Padelbronnensis. Monasterium in Civitate Bremensi, Monasterium in Amesleven, Monasterium in Cismaria, Monasterium SS. Petri & Pauli prope Civitatem Mersburgensem, Monasterium S. Jacobi Apostoli in oppido Pegavienſi, Monasterium in Monichen Nüenburg, Monasterium S. Georgij prope Nüvvenburg Civitatem. Monasterium Bosavienſe haud procul ab urbe Cizicenſi. Monasterium Oratorij S. Nicolai in Dacia, Monasterium in Siloe. Monasterium Schynna. Monasterium in Rastetten prope Mare. Monasterium in Burgele. Monasterium in Hasungen Moguntinæ Diœcesis. Monasterium in Herzfeld ejusdem Bremensis Diœcesis. Monasterium Gemblacense. Monasterium Præpositurę in Clara Aqua. Hæc sunt nomina Monasteriorum obsevantiæ & reformationis de Bursfeldia, cujus institutio sancta ex Concilio Constantiensi, ut supra diximus, sumpsit exordium, & adhuc singulis annis incrementa capit. Numerus itaque Monasteriorum Abbates habentium, quæ cum Bursfeldia hodie sunt reformata, summam complectitur 88. Prælatos, & unum in Clara aqua. Monialium etiam ex hac unione plura sunt reformata Cœnobia, quorum recensere nomina superfluum judicavimus.

In diversis provincijs.

Nonaginta sunt Abbatiæ Reformatæ.

Anno Dominicæ Nativitatis prænotato, hoc est, Friderici Abbatis Hirsaugiensis XVII. in urbe Constantiensi adhuc generali durante Concilio; Sigismundus Rex Germanorum, & tunc futurus Imperator, qui Marchiam Brandeburgensem per Carolum IV. patrem ejus emptam à Ducibus Bavariæ, ut supra diximus, anno primi Wichardi Abbatis X. possidebat, cùm gentem illius potius indomitam cerneret, quàm voluntariè subjectam, consilio Principum habito, Fridericum Burggravium, qui morabatur in Onolsbach, virum bellicosum in Marchionem Brandeburgensium sublimavit, conferens ei cum principatu Electorio, quidquid ad Marchiam pertinebat, in suam & filiorum ejus perpetuam possessionem. Fridericus autem in Marchionem Brandenburgensem solemniter creatus, propter ferocitatem gentis non potuit habere pacificum ingressum; Nobiles enim terræ, potentioresque in oppidis Cives, Villas, Castella, oppida, proventus meliores ad principatum pertinentes impignorata possidebant, & ideò totis viribus obsistebant, ne principi novello ad Marchiam pateret introitus. Conspirantes ergo in unum Cives & Rustici cum Nobilibus, conductisque, undecunque poterant, militibus ad resistendum venienti se præpararunt. Fridericus autem novellus Marchio contractis copijs per Turingiam, & Mysnensem Marchionatum, contra inobedientes atque rebelles intrat: cujus adventum incolæ terræ audientes, armati contra eum processerunt ad bellum. Congredientes igitur, &

Fridericus Burggrafius Noricus fit Marchio Brandeburgens.

Marchionitæ Fridericum recusabant admittere.

tur, & diu ancipiti certamine pugnantes, ab utraque parte plures in ore gladij ceciderunt: postremò tamen Exercitus Friderici Marchionis fusus est, dánsque terga salutem fugâ quæsivit. Verùm quia ut vulgo dicitur, pecunia nervos præstat in prælio, Marchioni fuit necessaria commutatio rerum, quâ mediante pecuniâ Exercitum repararet fortiorem, cujus tandem viribus populum subjugaret recalcitrantem. Cùm ergo domi tantum pecuniarum quod sufficeret, non haberet in promptu, coactus fuit hinc inde mutuare, maximè à Nürenbergensibus vicinis suis, quibus propterea quosdam proventus annuos & Jurisdictiones in ipso Nürenbergensium oppido simul & nemora haud parvi pretij aut impignoravit, aut venditione perpetuâ contradidit. Contracto autem denuo Exercitu pugnatorum magno atque prævalido, rursus Marchiam pugnaturus ingreditur, & jam vel acquirere omnia simul, vel perdere etiam acquisita meditatur.

Fridericus Burggrafius potenter obtinuit Marchiam omnem.

Videntes Marchionitæ potentiam principis, & quòd viribus jam inferiores congredi tutò minimè possent, arma deponunt, se Friderico subijciunt, & ut Domino unico & proprio in perpetuum submittunt, licet postea filio ejus Alberto similiter, & Joanni, aliquoties inobedientes extiterint atque rebelles.

Iste Marchio Fridericus ex Norici Montis Burggravio primus genuit Albertum Marchionem, Albertus autem genuit Joannem, & Fridericum. Hi duo fratres paternum inter se principatum diviserunt. Joannes obtinuit Marchiam Brandeburgensem totam solus cum titulo & principatu electorio; Fridericus autem Burggraviatum Norici Montis totum & quidquid ad eum pertinet, consecutus est solus, in quo Joannes præter titulum nihil juris habuit, sicuti & frater ejus, titulo excepto, nihil in Marchia possidet Brandenburgensi, sed divisi sunt principatus. Joannes Marchio genuit Joachim, Albertum, Annam & Ursulam. Joachim duxit uxorem Elisabeth, filiam Joannis Daciæ Regis, quæ sterilis in annum ferè quintum postea concepit & peperit filium nomine Patris ejus Joachim, & duas filias, qui omnes hodie supersunt. Albertus Canonicus & presbyter vivit cum fratre Moguntinæ & Treverensis Ecclesiarum. Anna nupsit Friderico Duci Holsatiæ, hoc est, Holstein, fratri Joannis Danorum Regis. Ursula verò Duci de Megelnburg, & ante biennium obijt.

Divisio inter fratres Joannem & Friderici facta est.

Anno item prænotato vicesimâ octavâ die mensis Aprilis Sigismundus Rex apud Constantiam existens tempore Concilij universalis Adolphum Comitem Clivensem de consensu principum, qui tunc erant præsentes, in Ducem creavit, adijciens ei titulum Comitatus de Marca. Ex illo tempore Comitatus Clivensis in Ducatum sublimatus perseverat usque in præsentem diem.

Adolphus Comes Clivensis à Rege creatur in Ducem.

Eodem anno in mense Augusto Adolphus Dux Montensis, in contentione perseverans cum Duce Lotharingiæ pro terra Barensi, quam uterque sui Juris esse dicebat, Lotharingiæ tamen Dux erat in possessione, sicut & hodie est, contracto non parvo suorum exercitu, venit in ipsum Comitatum Barensem, qui Ducatui Lutzenburgensi contiguus est. Verùm nihil memoriâ dignum fecit, sed consumptis victualibus in sua confusus est reversus. Quid verò postea sit gestum pro eodem Comitatu, dicemus inferius, anno Friderici Abbatis Hirsaugiensis vicesimo quarto historiam continuantes.

Anno

Anno item præscripto, Joañes ex Comitibus Palatinis Rheni, Dux Hollandiæ, Hannoniæ, Seelandiæ, Bavariæque, filius Alberti, & frater Wilhelmi, de cujus morte dictum est anno Friderici Abbatis nono, posteaquam annis pluribus Leodiensis Ecclesiæ Pontifex electus & confirmatus extitisset, simul & Subdiaconus, impetratâ dispensatione à Constantiensi Concilio, dimisit Episcopatum, & duxit uxorem sperans se liberos habiturum, per quorum successionem Comitatus Hollandiæ maneret in potestate Bavarorum. Sed fefellit eum spes, quia octo annis supervixit, & sine liberis mortuus fuit.

Joannes Leodiensis Episcopus dimissa Ecclesia ducit uxorem.

Eodem anno Constantiensi durante Concilio, fuerant in ipsa Civitate præsentes inter multos alios duo principes Bavariæ Duces, Ludovicus & Henricus diuturno sese odio persequentes. Die quâdam Henricus insidijs paratis irruens super Ludovicum gravissimo eum vulnere sauciavit & fugit. Confestim Rex Sigismundus ad capiendum illum equites misit, qui celeri cursu rapti post eum, fugientem comprehendere aut noluerunt, aut nequiverunt. Dux iste Henricus postea in anno Jubilæo per terram suã edicto prohibuit publico sibi omnes subjectos, ne pro indulgentijs pergerent Romam, veritus, quòd Provincia evacuaretur pecunijs. Sed eodem anno moriens nullum deinceps vel usum pecuniarum habere potuit, vel curam. Filium reliquit nomine Ludovicum, cognomento divitem, qui duxit uxorem Saxoniæ Ducis filiam, de qua genuit Georgium Ducem, qui ante hoc ferme decennium obijt, & Margaretham uxorem Philippi Comitis Palatini.

Henricus Dux pater Ludovici cognomento divitis.

Anno memorato cùm in Concilio Constantiensi de restituenda unitate Ecclesiastica, emendandisque moribus Clericorum frequens haberetur Tractatus, visum est omnibus id fieri non posse Apostolicâ Sede vacante. Unde de novo Pontifice eligendo habitus est sermo, quo decreta Concilij majorem deinceps auctoritatem haberent. Cùm igitur hac de re verbum haberetur, placuit ex unaquaque Natione viros sex deputare doctos, qui unà cum Cardinalibus Conclave ingressi, Romanum & summum deligerent Pontificem. Erant autem deputatæ in Concilio quinque Nationes, quarum suffragijs negotia gerebantur universa, videlicet Italica Germanica, Gallica, Hispanica & Anglicana. In his comprehendebatur omne Concilium.

Anno igitur Dominicæ Nativitatis prænotato millesimo quadringentesimo septimo decimo, die verò Novembris octavâ, quæ fuit quatuor Coronatorum Martyrum festivitate solemnis, conclave deputati ex Nationibus cum Cardinalibus duobus & triginta ingressi, præter omnium spem & opinionem, cùm jam quadriennio vero Pontifice caruisset Ecclesia, multique schismatici eam graviter turbâssent, undecimâ die mensis memorati, hoc est in festo S. Martini Episcopi horâ diei tertiâ, Otto de Columna, patriâ Romanus, sancti Georgij ad Velum aureum Diaconus Cardinalis, Pontifex creatus est, qui propterea quòd in die S. Martini fuit electus, nomen Martini quinti accepit, & præfuit annis tredecim, mensibus tribus, vir bonus & justus. Nec diu postea sacro approbante Concilio Ademarum patriâ Florentinum, virum doctissimum, sancti Eusebij Presbyterum Cardinalem Legatum à latere suo in Arragoniam mittit, qui sub pœnis & Censuris Ecclesiasticis Petrum de Luna, qui se

Martinus fit Papa quintus & præfuit annis XIII. & mensibus III.

Benedictum nominabat tertium decimum, admoneret, ut se Pontificatu abdicaret. Cardinales autem qui cum Petro sentiebant, intelligentes ultimam Concilij & Pontificis sententiam, Petrum ipsum adeunt, rogántque, ut exemplo & Gregorij & Joannis ob salutem & sui & Ecclesiæ, cedere velit, quo tandem schisma tollatur è medio, quod tot annis duravit. Petrus de Luna in sua obstinatione pertinaciter permansit. Respondit Petrus cavillationibus quibusdam, id sibi nequaquam integrum esse, ut Pontificatum abdicet, se tamen cum Martino conventurum, si vera sint, quæ de hominis integritate & humanitate dicerentur, sinerent sibi id negotij, nec ea de re amplius solliciti essent. Ex quatuor Cardinalibus, qui cum eo remanserant, duo videntes pertinaciam ejus ad Martinum defecerunt. Duorum verò qui cum eo manserant alter fuit Carthusiensis, alter Julianus dobla vocabatur. Martinum secuti sunt omnes deserto & contempto Petro de Luna, præter eos solos, qui cum ipso erant in Panischala munitione ejus.

MCCCCXVIII.

Monachus Apostata Bohemorum suâ prædicatione auxit perfidiam. Anno Friderici Abbatis octavo decimo, Indictione Romanorum undecimâ, surrexit quidam pseudo Monachus Præmonstratensis Ordinis nomine Joannes in Civitate Pragensi, plenus errorum & hæresum Joannis Huss & Hieronymi de Praga, apud Constantiam incineratorum. Qui in memorata Civitate sermones faciens ad populum, sanctam fidem Catholicam multiplici pravitate fœdavit, hæreses docens manifestas, & Wicleffistarum perversa dogmata populi auribus inculcans. Quæ res cùm ad Archiepiscopum fuisset delata, prædicationis ei officium interdixit. At ille munitus Hæreticorum auxilio, Ecclesiam Carmelitarum amplissimam simul & altitudinis mirandæ invasit (Fratres enim prius à schismaticis fuerant expulsi) & in ea speluncam sequacium suorum constituit, ibi publicè prædicavit Hæreticis, & Romanam Ecclesiam, Pontificem ejus, Cardinales quoque, Episcopos, Abbates & Claustrales omnes impiâ loquacitate taxavit. Ad ejus persuasionem hæretici singulis ferè diebus in contemptum Christianorum, Dominici Corporis Sacramentum per plateas in patulo fecerunt portari, & quotidie sub utraque specie non confessis publicè communicabant.

Erat autem Nicolaus quidam Imperij Schismaticorum Princeps, quo ductore hæretici Wenceslaum Regem accedunt, postulantes sibi & Ecclesias quasdam concedi Christianorum. Tunc Wenceslaus in amaritudine constitutus, & quid faceret ignarus, secluſis vulgi turbis & ad Nicolaum conversus dixit: *Tu, quâ me Regno ejiceres, orditus es telam; ego laqueum ex ea faciam, quo te brevi continget strangulari.* Quod audiens malorum incentor abijt, & populares tumultus contra Regem & fideles magis ac magis concitavit.

Rex interdicit hæreticis Dominicum Corpus circumferre in urbe. Continuò Rex inter mortis & vitæ periculum constitutus, resumpto utcumque animo, ne ulterius Corpus Dominicum ab hæreticis publicè portari sinerent per plateas, Consulibus novæ Civitatis Pragensis imperavit. Sed hæretici ad Ecclesiam Carmelitarum concurrentes, Eucharistiam per multas in Civitate plateas armati publicè circumtulerunt. Erat quidam Catholicus Presbyter in urbe, ante cujus domum cùm transirent Sacramentum portantes armati, de fenestra illa clamabat: *Quid facitis ô viri? cur sanctum Domini Corpus in despectum circumfertis quotidie? cessate precor, cessate*

essate, non est res bona, quam facitis. At illi mox impetu facto domum ejus infringunt, ingredientésque omnia diripiunt, & furentes insanè domum subvertunt.

Deinde concurrentes cum ingenti clamore prætorium obsidione vallarunt; Consules verò timore perculsi fugâ sibi quæsivere salutem. Septem autem qui remanserunt in prætorio, & cum eis Judex raptim intercepti, ex altissimis in forum fenestris projecti sunt, quos inferius stantes lanceis & verubus insaniens & furiosus populus excepit, dirum cernentibus spectaculum præbentes. Quidam verò à secretis Wenceslai Regis, ubi ad sedandum cum trecentis Equitibus tumultum occurrisset, furentémque populum inspiceret, non ausus appropinquare sævientibus, in fugam conversus est, & vix manus eorum aufugit. Hæc ubi ad Regem fuissent relata, hæreticorum detestabatur insaniam, & non mediocriter rebus etiam metuebat suis. Tum astans Pincerna Regis coram omnibus dicit: *Ego hæc omnia præsciveram esse futura.* Iratus Rex surrexit cum impetu, & apprehensum manibus Pincernam, suis eum pedibus subjecit, extractóque pugione conabatur eum occidere. Sed retractus ab his, qui propius stabant, ægrè vitam concessit jacenti. Nimio autem pavore correptus Pincerna, dissolutione paralysis obriguit, & infra XVIII. dies è vita discessit. Joannes verò apostata ministrare populo Sacramentum sub utráque specie non cessavit.

Consules septem & Judex in Praga trucidantur ab hæreticis.

Pincerna Regis cum hæreticis Pragensibus conspirare visus.

Joannes Monachus.

Eodem anno postquam Concilium Generale non sine gravissimis impensis & damnis Prælatorum in quintum jam annum durasset, nihilque amplius in eo tractandum restaret, nisi Reformatio morum Cleri simul & Laicorum, esséetque tempus adhuc breve nimis & inconveniens, placuit Martino Pontifici, sacro comprobante Concilio, Reformationem ipsam in aliud differre tempus. Unde concordi sententiâ statuerunt proximè futurum Generale Concilium in Papia celebrandum post annos quinque, in quo Reformatio hujusmodi tunc ageretur.

His in Concilio factis, ordinatis & conclusis, literisque Apostolicis ritè confirmatis, posteaquam triennio duraverat sessionibus XLIV. in eo per ordinem celebratis dissolvitur, hæc verba mandante Pontifice ab Ibaldo S Viti in Matello Diacono Cardinali, audientibus cunctis in Ecclesia dictis: *Domini ite in pace.* Abeundi potestate omnibus concessâ, singuli redierunt in sua, anno prænotato videlicet circa finem mensis Aprilis.

Concilium generale in Constantia finem accepit.

Anno præscripto in principio mensis septembris, hoc est, primâ die, celebratum est Provinciale Capitulum Ordinis nostri secundum, cum continuatione dierum sequentium, ut moris est, Moguntiæ, in Cœnobio Fratrum Eremitarum S. Augustini; in quo præsederant Fuldensis, Campidonensis, Udalrici Augustensis, & Reinhartsbronnensis Monasteriorum Abbates, in præcedente Capitulo apud Constantiam celebrato, anno proximè transacto, ut supra diximus, deputati. Et quia Generale Concilium in Constantia celebratum ante menses quatuor, ut diximus, fuit dissolutum, plures nostræ provinciæ Abbates jam metu liberati, & juramentorum suorum obliti, Reformationem conclusam & juratam contempserunt.

Capitulum Ordinis Provinciale secundum, celebratur Moguntiæ.

Primus omnium contemptor Dei, Ordinis & Juramenti solemnisque voti Regularis impius transgressor fuit Abbas Monasterij S. Albani propè Moguntiam,

Monasterium S. Albani transfertur in Ecclesiã Collegiatam.

Moguntiam, qui ſpiritus Apoſtaticos atque malignos ſecutus, ne reformationem, quam in Concilio juraverat, cogeretur aſſumere, maluit cum ſuis reprobis Monachis ab Ordine apoſtatare; miſſis enim ad Romanum Pontificem nuntijs ac litteris falſitate plenis, ab ordine ſancto quærit recedere, & falſis Papam narrationibus non metuit circumvenire. Credidit Pontifex pro veris falſa narrantibus, & indulſit poſtulantibus, narratione deceptus, quòd negaſſet indubiè, ſi cognoviſſet veritatem. Omnium itaque primi apoſtatantium ab Ordine ſacro Monachorum poſt Conſtantienſe Concilium Abbas & Monachi fuerunt S. Albani, ex malis Clauſtralibus facti Canonici pejores. Quorum perfidiam & alij plures poſtea fuerunt ſubſecuti.

Et hæc fuit cauſa, quòd Provinciale Capitulum apud S. Albanum non poterat celebrari, quemadmodum in Conſtantia ultimò fuerat conſtitutum, quia jam tunc Monachi cum Abbate ſuo in translationem conſpiraverant, & negotium publicè agebatur. Ideóque Patres neceſſitate compulſi, præter conſuetudinem Capitulum extra locum Ordinis apud Auguſtinenſes, ut diximus, celebrârunt. Præfuit eo tempore Monaſterio S. Jacobi prope Moguntiam Anſelmus de Dirmſtein Abbas in ordine XXIII. qui & ipſe cum Monachis ſuis apoſtatâſſet, niſi eum prohibuiſſet inopia.

Monaſterium S. Jacobi propter inopiam manſit in ordine.

Anno item memorato inter Carolum Galliæ Regem ejus nominis VI. & Henricum Regem Angliæ, graviſſimæ diſſenſiones ortæ ſunt, quæ per annos quatuor cum maximo Gallorum incommodo uſque ad mortem utriúſque duraverunt. His nonnulli Gallorum Principes in unum vel etiam in diverſa contra Regem Carolum conſpirantes malum auxerunt.

Joannes Burgundiæ Dux Galliam devaſtat hoſtiliter.

Joannes quoque Dux Buugundiæ contractis copijs in manu valida Galliam ingreditur, igne ſimul & ferro cuncta per circuitum hoſtili furore demolitur. Pariſienſem deinde Civitatem obſidione circumdans poſtremò violenter obtinuit, cujus ſpolia militibus in prædam conceſſit. In eo tumultu per milites Ducis plures in Civitate fuerunt occiſi, forſitan propterea, quòd ritè jam victi ſe conarentur defendere: inter quos Pontifices, Presbyteri, Clerici, & ſtudentes, ut tum ferebatur, plures occubuerunt. Poſtremò intervenit concordia, cujus finem anno dicemus ſequenti.

Inter Archiepiſcopum & Cives Colonienſes diſſenſio.

His etiam temporibus inter Theodericum Archiepiſcopum, & Cives Colonienſes magnæ fuerunt diſſenſiones, ex quibus multa acceperunt ambæ partes incommoda. Exitus nuſquam patuit Civibus tutus; nec inferri quidquam permittebat Archiepiſcopus; milites enim non ſolum per terras diſpoſuerat, ſed etiam ad omnia littora Rheni, quorum cuſtodia interdiceret omnem commeatum, quamquam non ſine gravamine magno inutilium, quas ob id facere debuerat, impenſarum. Tandem poſt utrínque data & accepta incommoda principum interpoſitione concordati ſunt.

Otto fit Archiepiſcopus Trevirorum & præfuit annis XII.

Anno prænotato IV. die menſis Octobris moritur in oppido Confluentia Wernherus de Falckenſtein Archiepiſcopus Trevirorum anno Pontificatus ſui XXX. ibidem in Eccleſia S. Caſtoris cum honore conſueto ſepultus. Poſt quem Otto de Comitibus Ziegenhaim majoris Eccleſiæ Præpoſitus in Archiepiſcopum Trevirorum concorditer à capitulo fuit electus, & præfuit annis XII. vir optimus, amator & reformator Clauſtralium, Pater pauperum, & ſtrenuus defenſor omni tempore ſubditorum.

Hic

Hic mox ut est Archiepiscopus ordinatus Judæos omnes Civitate Trevirorum fecit expelli cum rebus & parvulis eorum, quorum nullus Trevirim reversus est usque in præsentem diem. Erant autem eo tempore in Civitate Trevirorum abundantes Judæi, propriam & clausam haud procul à foro habentes plateam, quæ & hodie extans nomen habet Judæorum. Causam eorum expulsionis breviter annotamus.

Quæ fuerit causa indignationis Archiepisc. contra Judæos.

Cùm junior esset memoratus Otto, & simplex Ecclesiæ Trevirorum Canonicus, nullâ tenacitate ligatus, plura quàm solvere potuit aliquando, fortassis mutuò accepit. Quâdam igitur vice indigentiâ pressus pecuniarum, Judæorum petivit auxilium, promittens eis fideliter omnia mutuata redditurum. Judæi autem, qui prodigalitatem hominis noverant, nihil ei mutuare voluerunt, iratus ille juravit dicens: *Juro per Deum, si eam potestatem aliquando assecutus fuero, Judæos de Civitate expellam.* Post plures igitur annos, cùm jam ut diximus in Archiepiscopum esset electus, Judæi & suæ denegationis & juramenti illius non immemores, aureorum nummorum non modicum pondus in sportula fusum, pomis, nescio qualibus, opertum ad eum pro congratulationis officio miserunt, rogantes, ut illud benigno acceptet animo, brevi recepturus ampliora, quibus ille respondit: *Ite ad patibulum cum donis & muneribus vestris, quoniam ego, quod mente statui, Deo miserante perficiam.* Post paucos deinde menses omnes Judæos expulit è Diœcesi tota.

Martinus Papa rogatur pro captivo Joanne XXIII.

Eodem quoque anno, postquam Martinus Papa V. soluto Constantiensi Concilio pervenisset ad Florentiam, biennióque moraretur in ea, Balthasar quondam Joannes Papa XXIII. adhuc in Manheim Castello à Ludovico Palatino Comite in annum jam tertium tenebatur captivus. Rogabant Florentini Martinum Pontificem, & maximè Cosmus de Medicis, ut eum liberare de captivitate dignaretur. Quod ei se facturum Pontifex promisit. Nec mora, Legatum mittit in Germaniam Palatino scribens Comiti, ut hominem liberatum à carcere mittat Florentiam.

Interea Balthasar Cossa moræ impatiens cùm audisset dissolutum esse Concilium, & se datum in oblivionem, rogavit ad se venire Ludovicum, & persolutis in manus ejus xxx. millibus florenornm libertatem impetravit. Fuerunt qui dicerent, ipsum Palatinum tantam auri mensuram non satis justo titulo suscepisse à captivo, multis opinionem suam rationibus confirmantes, & propterea divinam postea ultionem subivisse. Constat quidem eum in senio cæcum, claudum & surdum effectum, atque à filio à Principatu dejectum fuisse, ut infra dicemus; utrum verò divinâ id ultione sit factum, an non, nostræ non est facultatis judicare.

Liberatus à carcere Joannes XXIII. venit ad Martinum Florentiam.

Balthasar autem liber factus, intravit Italiam habitu peregrino, & ab amicis cum gaudio susceptus aliquamdiu latuit, cum quibus multa & varia consilia tractavit, alijs suadentibus, ut securo receptus loco iterum se gereret Pontificem: alijs verò in contrarium sentientibus. Tandem ipse divino inspiratus consilio, nullâ pactione sive cautione receptâ Florentiam venit, ad pedes Martini cecidit; ipsúmque ut Canonicè electum & verum Christi Vicarium salutavit. Cujus infelicitati compatiens Pontifex, & quia spontaneus ad obedientiam venit, eum Cardinalem fecit, & Tusculanum Episcopum, summâ usus humanitate ad eum semper. At verò Balthasar de summis ad inferiora detractus dietim se consumens tri-

Ibidem moritur.

stitiâ, & mærore animum post paucos menses defecit: & moriens Florentiæ cum pompa solemni sepelitur in templo S. Joannis: cui memoratus Cosmus de Medicis honorificentissimum construi fecit sepulchrum tali epitaphio inscriptum: *Balthasaris Cossæ Joannis XXIII. quondam Papæ corpus hoc tumulo conditum est.* Et iste finis fuit ipsius Papæ Joannis.

Cosmus de Medicis thesauros Joannis XXIII. Papæ obtinuit.

Fama & opinio fuit eo tempore hominum, quòd Cosmus de Medicis, qui prius obscurior erat, nec multum abundans, pecuniâ memorati Balthasaris opes suas in tantum auxerit, ut & primarius apud Florentinos Cives, & ditissimus omnium apud Italos, ac fortâsse apud exteras nationes deinde sit habitus ipse, & filij filiorum ejus usque in præsentem diem.

MCCCCXIX.

Wenceslaus Rex Bohemiæ Sigismundi frater moritur.

Anno Friderici Abbatis XIX. Indictione Romanorum XII. Wenceslaus Bohemiæ Rex moritur, cujus Regnum Sigismundus ejus frater obtinuit, jam trium Regnorum potentissimus Rex, Germaniæ, Ungariæ, Bohemiæ, atque Romanorum Cæsar, & Imperator. Verumtamen ad Bohemiam non statim potuit habere ingressum, propter multitudinem rebellantium hæreticorum, sed in Ungaria se continuit. Erat in curia Regis Wenceslai nobilis quidem genere, sed impius actione, cui nomen fuit Joannes Zischka, vir in rebus bellicis satis exercitatus altero carens oculo, quem in prælio amiserat, infectus Hussitarum veneno, cædis & rapinæ semper avidissimus, qui mortuo Rege collectâ prædictorum hominum multitudine in Ecclesias impetum fecit: imagines Sanctorum dejiciens fregit delevit, & ignibus cremandas injecit; asserens templa & Ecclesias non sanctis, sed Soli Deo esse consecrandas.

Joannes Zischka Hussitarum Princeps sceleratissimus.

Venerunt eo tempore ex montibus Pragam 400. viri leprâ Hussitarum infecti, quos Zischka collaterales sibi faciens ad locum quem crucem appellant, profectus est. Convenerunt ad Zischkam in eo loco supra 40000. virorum, qui omnes fuerunt hæretici, qui fiduciam habentes in multitudine sua non in Deo, ad omne facinus animum relaxârunt. Multa post hæc mala per Zischkam in Bohemia facta sunt; dissidia, lites contentiones, seditiones, supplantationes, vastationes, homicidia, incendia, & variæ in Regno desolationes. Hujus maligni hominis malefacta, tot ac tanta fuerunt, ut horrorem inferant auditoribus. Multa millia hominum interfecit: Sacerdotes quoque Catholicos mille sexcentos per tempus omne suæ tyrannidis propriâ manu interfecit; omnes enim Clericos ad se duci jussit captivos, non permittens, ut ab alio quoquam interficerentur, dicens: *Scriptum est: nolite mittere manus vestras in Christos Domini* deridens Presbyteros. Nec multo post oppidum Tabor, cùm aliud præsidium non haberet, firmissimis ædificavit mœnijs, & Commilitones sui Thaboritæ deinceps nuncupati sunt: qui posteà circa Danubium diffusi multa viatoribus & populo terræ mala intulerunt. Nam sepes plures & altas in campis, terrâ usque ad summum implentes, fortalitia inexpugnabilia construxerunt: in quibus & tutò latere potuerunt, & ubique exercere rapinas.

Thaboritarum nomen & principium unde provenerit.

Adamitarum hæresis pessima resuscitatur in Bohemia.

Erant illo tempore in Bohemia hæresis Adamitarum stolidissimi sectatores, protoparentem Adam nudum, ut ipsi gloriabantur, imitantes. Seniorem unum quempiam sequebantur, quem pro reverentia sectæ Adam nuncu-

nuncupabant. Omnes incedebant nudi, connubia habentes promiscua: seniorem suum Adam Filium Dei nominantes in magno honore habuerunt, sine cujus permissione, atque licentia mulierem cognoscere nullus præsumebat. Nam ut quisque libidine incensus, in quamcunque mulierem, filiam, sororem, neptem vel matrem exarsisset, manu apprehensâ ducebat ad seniorem dicens: *In hanc concaluit spiritus meus.* Respondebátque senior: *Crescite & multiplicamini, & replete terram.* Quo dicto licenter ille matrem cognoscebat. Cœteros omnes homines contemnebant, servos nuncupantes, se verò solos nobiles & liberos esse gloriabantur, propterea quòd non essent de coacto meretricionatu (sic enim appellabant matrimonium) sed in omnimoda libertate, prout spiritus patrem & matrem uniuscujusque incitâsset ad coitum. In fossis & secretis domibus convenientes (sicut dictum est anno Friderici Abbatis secundo) sacra quædam sua peragebant, post quorum finem extinctis lucernis se tenebris credebant. Cúmque senior dixisset: *Crescite & multiplicamini, & replete terram*; mox absque discretione consanguinitatis vel ætatis mutuos ruebant in amplexus turpitudinem exercentes.

Spurcissima opinio Adamitarum de libertate & matrimonio.

Erat & alia hæresis pernitiosa eo tempore in Bohemia, quam Orebitarum nuncupabant: cujus auctor fuit quidam Rodericus Presbyter natione Moravus; qui Religione contemptâ publicè duxit uxorem: quâ mortuâ secundam accepit: docens exemplo Apostolorum, Presbyteros debere uxoribus uti. Contra hunc Hæresiarcham Martinus Papa quintus Crucem nominatim fecit prædicari: quamvis hæc hæresis in pluribus annis vix tandem potuerit extirpari. Hujus detestandæ sectæ homines, quoties Catholicos deprehendissent Sacerdotes, aut igne cremabant, aut nudos rigente hyeme super glaciem colligatos, donec morerentur, dimiserunt. Eos verò, quos parvi æstimavere momenti, defectis virilibus abire permiserunt dicentes: *Ad quid vobis testiculi, qui non vultis uxoribus uti?*

Hæresis Orebitarum uxores concessit habere Sacerdotibus.

Joannes verò Zischka patronus hæreticorum, ut omnia tumultu agerentur à Pragensibus Christianis simul & hæreticis vocatus in auxilium contra Sigismundum Regem, contractis copijs, priùs suorum consilio Sacerdotum templa, & Monasteria destruxit, asserens Soli Deo & nulli Sanctorum Ecclesiam esse dicandam. Hinc uno impetu Ecclesiæ pretiosissimæ plures, & multa Claustralium utriusque sexus sumptuosa Cœnobia miserabili vastatione hæreticorum funditus destructa fuerunt. Quam ob rem magna tandem inter Pragenses & Zischkam fuit exorta dissensio: quia nimis temerariè & contumaciter pro suo libitu omnia faciebat. Reversus ergo ad suos Taboritas multa contra Regem Sigismundum, & in circuitu Catholicos omnes, mala commisit, rapinas, incendia, & crudelissimas hominum neces. Captis enim oppidis, vicis atque Castellis, omnes Sacerdotes cum populo, & infantibus igne cremavit. Contra cujus sævitiam Christiani sæpiùs pugnaverunt, sed ab eo semper sunt victi, & interfecti. Postremò tandem ubi Sigismundus Rex pacem facere cum eo constituisset, peste correptus in itinere mortuus est, & apud inferos perpetuò sepultus.

Joannes Zischka destruxit Ecclesias & Monasteriam.

Impijssimus Zischka tandem peste consumitur.

Anno prænotato vicesimâ tertiâ die mensis Septembris, obijt Joannes ex Comitibus de Nassavv, Archiepiscopus Moguntinus anno Pontificatus sui vicesimo quarto: cujus Cadaver in Ecclesia Moguntina principali jacet humatum.

Joannes Archiepisc. Moguntinus moritur.

humatum. Hic præsul staturâ brevis, sed ingenio valdè fuit astutus. Unde proverbium vulgare dicebatur: *Bischoff Henschin, ist ein beschissen Menschin.* Bene rexit Ecclesiam, & bona plura fecit. Huic in Archiepiscopatu successit electione Canonicâ Conradus ex Comitibus Rheni de Lapide nuncupatis in Gudelsheim villa, electus decimâ die mensis Octobris post mortem prædecessoris sui die septimâ decimâ: Et præfuit annis fermè quindecim, amator cleri, & studiosus defensor populi.

Conradus Rheingraff fit Archiepiscopus Moguntinus annis quindecim.

Eodem anno facta est concordia inter Carolum Regem Galliæ, & Joannem Ducem Burgundiæ post multas devastationes in Regno factas, tam per Angliæ Regem, quàm per ipsum Ducem memoratum. In signum verò pacis firmissimæ Rex unà, & Dux Corpus Domini nostri Jesu Christi Hostiâ per Sacerdotem in duas partes divisâ susceperunt, ille unam & iste aliam partem communicans. Litteris etiam necessarijs, & juramentis oportunis pax illa sufficienter, ut apparebat, confirmata extitit, & omnia transacti temporis gesta veniam acceperunt. Nec diu Dux postea memoratus, nihil suspicans mali, nihil metuens, & nihil de pacis firmitate dubitans, in præsentia Regis à quodam milite peremptus est; quod Regis ordinatione factum fuerit, nec ne, mihi satis non constat. Major tamen fuit numerus eorum, qui Ducem Regis machinatione crederent occisum, quàm illorum, qui sentirent contrarium. In signum verificatæ opinionis fuit, quòd homicidam Ducis non solum Rex non punivit, sed etiam in curia sua, ut prius liberum introitum habebat & exitum. Meru tamen insidiarum idem miles postea quandiu vixit, semper & ubique armatus incessit, loricam sub veste indutus, gladium portans à latere, & fustem à balthéo dependentem.

Joannes Dux Burgundiæ in fidiosè occiditur astante Rege.

Hanc Ducis mortem Philippus ejus filius mox ut audivit, vindicare cæpit. Assumpto itaque Rege Anglorum Henrico in auxilium, Galliam totam igne & ferro per annos 4. hostili incursione devastavit, Parisium & plures munitiones alias expugnavit, obtinuitque ac funditus subvertit, Regem de Gallia in Civitatem Bituricensem fugavit, incluśitque, ut quoquam egredi non auderet; unde jam non Galliæ, sed Bituricensis Rex appellabatur Carolus, propterea quòd Philippo vastante Galliam præter eam Civitatem nullam haberet aliam, & nullibi esset securus. Post annos 4. concordia inter eos facta est.

Philippus Dux Burgundiæ necem patris vindicat in Gallos.

MCCCCXX.

Anno Friderici Abbatis XX. Indictione Romanorum XIII. quintâ die mensis Maij, celebratum fuit in Monasterio Fuldensi, tertium Ordinis nostri Provinciale Capitulum, in quo præsederunt isti: Fridericus Abbas hujus Monasterij Hirsaugiensis, Lampertus Abbas Montis Monachorum, Babenbergensis, & Henricus Abbas S. Godhardi prope Hildesheim. In eo Capitulo Patres multa & varia pro reformatione Monasteriorum & personarum Ordinis tractaverunt, omnia quoque statuta præcedentium duorum capitulorum denuo produxerunt in medium, pauca de novo adijcientes. Sed monachorum nimis inveterata deformatio non admisit disciplinam, donec tandem Bursfeldina convaluit institutio, quæ mediantibus Episcopis & principibus multos reformavit invitos, qui suâ sponte ad Regulam ambulare contempserunt.

Capitulum Provinciale Ordinis nostri tertium in Fulda celebratur.

Eodem

Eodem anno Martinus Papa V. ad instantiam Sigismundi Regis Cardinalem Anglicum Regiâ stirpe natum misit in Germaniam Legatum prædicare Crucem contra Bohemos Hæreticos, qui Monasteria & Ecclesias Dei temere succendentes, fidelem ubique populum unà cum Sacerdotibus Monachis & Clericis crudeliter occiderunt. Rex igitur Sigismundus Legati confortatus præsentiâ litteras per totam Germaniam ad Principes terrædestinavit, monens & rogans, ut armati venirent quantocius in auxilium sibi contra gentem rebellem hæreticam schismaticam & perversam. Ad cujus mandatum convenit maxima pugnatorum multitudo, quam in tres diviserunt exercitus. Primum exercitum ducebant Saxoniæ Duces, Comites 2. Barones, & Cives urbium Stagnalium, quæ vulgariter Seestätt nuncupantur. Secundum constituerunt Franci Orientales, quorum Dux erat Fridericus Marchio Brandenburgensis. Tertium duxit Otto Archiepiscopus Trevirorum, quem sequebantur Rhenenses, Bavari, & Regni Cives Alemanniæ. Nemore transmisso Bohemico in unum convenerunt, castra in planitie camporum per ordinem collocantes.

Prima Christianorum expeditio contra Bohemos.

Quod hæretici audientes collecto raptim milite in occursum fidelibus contendunt. Catholici autem, nescio quo metu perculsi, cùm audissent contra se venire schismaticos, necdum viso hoste relictis papilionibus bellicísque instrumentis, & quidquid habuerant, omnibus fugerunt. Quibus properè fugientibus occurrit Legatus & attonitus interrogavit, cur fugerent; quo audito multum hortabatur, ut pedem sisterent, & contra schismaticos viriliter certarent. Quod cùm frustra niteretur, turpis fugæ socius necessariò factus est. Nec destiterunt Catholici prius fugere, quàm persequi cessassent hæretici, quibus prædam non modicam reliquerunt.

Catholici nemine persequente fugerunt de Bohemia.

Claruit his temporibus in Bavaria Joannes Monachus Ordinis nostri Cœnobij Castellensis in Diœcesi Eichstatensi homo studiosus, doctus, & multæ lectionis, qui scripsit in Regulam sanctissimi P. N. B. duo magna volumina. Breviarium Bibliæ librum unum, de Passione Domini sermones XL. De illustribus viris Ordinis nostri, librum unum, sermones quoque multos & varios non inelegantes ad Monachos. Cœtera quæ lucubravit, necdum vidimus.

Joannes Monachus Castellensis scribit super Regulam.

Joannes quoque oriundus de Erfurdt hæc tempora lucubrationibus suis reddidit clariora. In magno quippe Concilio Constantiensi scribendo & disputando contra Hussitarum errores facilè obtinuit Principatum. Scripsit inter alia super sententias Petri Lombardi libb. IV. Commentariorum quoque in Genesim lib. I. In exodum librum unum. In Leviticum lib. I. In omnes Epistolas Pauli libb. XIV. Alia insuper scripsit, quæ non vidimus.

Joannes Zacharias Erfurdensis Theologus plura scripsit.

Nicolaus de Dinckelspül, patriâ Suevus, divinarum scripturarum Doctor insignis, unus ex quinque nationibus deputatorum de sex nationis Germanicæ ad eligendum Romanorum Pontificem in Concilio Constantiensi, magno his temporibus in Austria pretio habebatur apud Viennenses, legendo, & scribendo, de cujus lucubrationibus vidi subjecta. In IV. libros sententiarū Petri Lombardi libb. IV. Quæstiones sententiarum. lib. I. De VII. donis Spiritus Sancti. lib. I. De decem præceptis lib. I. Super oratione Dominica. lib. I. De octo beatitudinibus. lib. I. De tribus pœnitentiæ partibus lib. I. De vitijs capitalibus libb. II. Sermones de Tempore

Nicolaus de Dinckelspül Theologus multa composuit.

& de SS. composuit plures. Alia quoque multa lucubrasse dicitur, quæ ad notitiam meam non venerunt.

Petrus de Rosenheim Monachus Mellicensis Poëta plura scripsit.

Petrus de Rosenheim Monachus Mellicensis ad ripas Danubij fluminis in Austria Ordinis S. Benedicti, homo in divinis scripturis studiosus, & non parum eruditus, scripsit his ferme temporibus metro & prosâ haud spernendæ lectionis opuscula, è quibus extant subjecta. Hortatu Nicolai de Dinckelspül Doctoris supra dicti scripsit ad Brandam Cardinalem Papæ Clementis Legatum per Austriam metricum opus super totius Bibliæ capitula, quod prænotavit, Roseum memoriale divinorum eloquiorum. Historiam quoque sui temporis brevem, sermones, & epistolas varias composuit, & alia quæ non vidi.

MCCCCXXI.

Conventus cum Rege fit principũ Nurenbergæ contra Bohemos.

Anno Friderici Abbatis XXI. Indictione Romanorum XIV. Sigismundus Rex Conventum indixit Principibus Regni omnibus, apud Nürenberg oppidum, in quo multi comparuerunt, alij per se, alij per suos procuratores: aderat in eo conventu missus à Papa Martino ejus nominis V. Julianus Cardinalis S. Angeli Apostolicus Legatus. Consensu igitur Principum, Episcoporum, Ducum, Marchionum, Comitum & Civium Regni secunda in Bohemos expeditio decernitur, rursúmque Fridericus Marchio Brandenburgensis Dux belli primus & principalis declaratur.

Secunda Christianorum expeditio contra Bohemos.

In hanc expeditionem Otto Archiepiscopus Trevirorum, Conradus Archiepiscopus Moguntinensium, Theodoricus Archiepiscopus Coloniensium, Joannes Episcopus Herbipolensium, Franciæque Dux Orientalis, Episcopus Babenbergensis, Episcopus Augustensis, Episcopus Eichstattensis, & alij plures Episcopi & Abbates, Ludovicus Comes Palatinus Rheni, Fridericus Dux Saxoniæ, Albertus & Christophorus Duces Bavariæ; Joannes & Albertus Marchiones Brandenburgensium; societas magna Suevorum, quam S. Georgij eo tempore nuncupabant, Cives, Principes & Communitates Regni omnes præcepto Regis auxilia miserunt.

Exercitus Christianorum LXII. millium intravit Bohemiam.

Convenerunt ergo ex diversis Regni partibus in eam expeditionem supra quadraginta equitum millia, numerus verò minor fuit peditum. Fridericus igitur Marchio Brandenburgensis Dux & Capitaneus belli, habens in latere Cardinalem & quosdam alios Principes cum valido Christianorum exercitu intravit Bohemiam, villásque mox Hæreticorum incendit, oppida subvertit, in quibus non solum avaritia, sed etiam nimia crudelitas militum Christianæ humanitatis mensuram excessit, qui obvios sine discretione sexûs vel ætatis necabant quoscunque, aliáque exercentes turpia, quæ non decebant Christianos. Hæretici verò mox ut cognoverunt Christianorum adventum, contractis copijs tumultuariè, ut poterant, in eorum properabant occursum. Quod ubi Christianis innotuit, omnium rursus pavor mentes invasit, & priusquam hostem cernere possent vel audire, turpem illam fugam subiverunt. Hortabatur quóque Julianus Cardinalis forti animo exspectare hostem, dicens: geri bellum pro Christiana Religione, ideóque turpissimum fore Germanis, quos metuit orbis terrarum, hosti necdum viso tergum dare & fugere, sed frustra omnis adhortatio fiebat, apud eos maximè, quorum metus pudorem evicerat. Inter fugiendum projecta sunt signa, multi quoque ut ad fugam essent promptiores, arma sua projecerunt in terram & fugerunt,

Iterum Catholici fugam ineunt nemine persequente eos.

runt, ac si hostis, qui adhuc longè aberat, nec videri poterat, astaret in dorso. Videns autem Cardinalis, quòd omnes rapido cursu fugerent, invitus fugit & ipse. Altera Christianorum turpis ab auditu schismaticorum fuga describitur.

Maleficio fugavit Zischka Christianos.

Quòd nostri toties fugam iniere turpem, non à facie, sed auditu Bohemorum, causam, seu verius opinionem causæ, quam à senioribus accepimus dudum, qui fuerant fugarum participes, simul & metus, breviter dicemus. Joannes Zischka, de quo plura jam diximus, capitaneus Princeps & defensor Hæreticorum mulierem quandam habuit sibi familiarem, cujus maleficia permittente Deo, simul & diabolo cooperante mirandæ habebantur virtutis & efficaciæ. Nam quotiescunque bellum in schismate movissent Catholici, ad eam Zischka uti ad Apollinem suum, habebat recursum, quæ mox arte diabolicâ Christianis maximum immisit pavorem, nec destitit ab operatione maleficij, donec suos intellexisset esse victores, & Christianos omninò fugatos. Certum est, quod Zischka multa cum nostris bella commisit, & victor semper evasit.

MCCCCXXII.

Concilium Generale apud Papiam celebrari cæptum est.

Anno Friderici Abbatis vicesimo secundo, Indictione Romanorum xv. Martinus Papa V. juxta quod pronuntiari fecerat in Concilio Constantiensi cum suis Cardinalibus ad Papiam se contulit, & indictum Concilium celebrare cœpit. Expectabantur Nationes, cùm ecce Papiam pestis subitò invasit; unde præsidentes Concilij & locum & tempus mutare coacti sunt. Placuit ergo cunctis ex sententia Pontificis Senas migrare, quo major ex omni natione multitudo, quàm ad Papiam potuit convenire. Nec diu post propter subdolas in Pontificem machinationes Alphonsi Regis Arragoniæ dissolutum est Concilium, approbatis, quæ ad fidem pertinent constitutionibus. Verùm ne Conventum Christianorum Martinus Pontifex subterfugere putaretur, Concilium aliud generale post annum sextum proximè sequentem apud Basileam Germaniæ Civitatem celebrandum indixit: de quo tempore suo, quod occurrit, loco dicemus. Atque hoc modo schismatum, & discordiarum jacta semina per quosdam improbos, Pontificis prudentia suo tempore extinxit.

Concilium Basileense per Martinum Papam V. indicitur.

Capitulum Provinciale Ordinis quartum celebratur in Selgenstatt.

Eodem anno tertiâ die mensis Maij cùm trium dierum continuatione sequentium celebratum est Ordinis nostri quartum Provinciale capitulum in Monasterio sanctorum Marcellini & Petri Martyrum in oppido Selgenstatt Moguntinæ Diœcesis. In quo præsederunt, Albertus Hirsfeldensis, Georgius Castellensis, & Theodericus in Amorbach Monasteriorum Ordinis nostri Abbates. In eo Capitulo multa fuerunt pro reformatione Ordinis utiliter statuta, quæ habentur.

Anno prænotato Sigismundus Rex convocatis Episcopis & alijs Principibus Germanici Regni ad Ratisbonam Bavariæ Civitatem plura cum eis habuit consilia super expeditione denuo movenda in Bohemos rebelles atque schismaticos. Aderat in eodem conventu Principum Branda Cardinalis Apostolicæ Sedis Legatus, qui jussione Martini Papæ V. veniam & remissionem pollicebatur omnium peccatorum cunctis arma in Bohemos moventibus. Ejus hortatu, & petitione simul Sigismundi Regis, concluserunt Principes jam tertiò impios debellare Bohemos.

In

Inter Bavariæ Duces fit concordia.

In eodem Conventu Principum mediante Sigiſmundo Rege facta eſt concordia, & reformata pax inter diſſidentes Bavariæ Duces, qui per decem & octo menſes in magna diſſenſione concertantes, non ſine oppreſſione, & injuria ſubditorum ſibi mutuò hinc inde igne ſimul & ferro plura intulerant damna. Igitur Principes & Cives juxta condictum in memorato Ratisbonenſi conventu miſſis & acceptis undecunque auxilijs, magnum pugnatorum contraxerunt exercitum, & Legato comitante prædicto in Bohemiam moverunt. In primo quidem introitu, ſicuti anno tranſacto fecerant, crudelitérne dicam, an fortiter, neſcio, ſævientes, villas & munitiones quaſdam obtinuerunt: interfectíſque habitatoribus cunctis ſine diſcretione ſexus vel ætatis, ſubverterunt: cupiditate poſtea & avaritiâ nimium ſuccenſi milites fortunam ſenſere contrariam. Contractis enim Schiſmatici copijs in Catholicos aciem dirigere ſtatuunt, Joanne Ziſchka ſæpe dicto ducente exercitum, qui non minus præfatæ mulieris pugnabat maleficio, quàm lanceâ vel gladio. Denique Sigiſmundus Rex cùm videret milites Catholicos plus ad prædam voluntarios, quàm ad pugnam, iratus eſt, metuénſque totius Regni ſubverſionem Bohemiæ, cæpti pænitere cæpit, nam ſine ordine hinc & inde turmatim vagantes, nihil aliud quàm ſpolia quæſieruut. Intereà Bohemi audacter cum exercitu appropinquantes alios Catholicorum occiderunt, alios jam tertiò turpem verterunt in fugam. Actum tunc de ſchiſmaticis omnino fuiſſet, ſi Catholici fidem & Religionem avaritiæ præpoſuiſſent.

Tertia Chriſtianorum expeditio in Bohemos ſchiſmaticos facta eſt.

Univerſitas Lovanienſis in Brabantia fundatur.

His temporibus Joannes Dux Brabantiæ univerſale Gymnaſium in oppido ſuo Lovanienſi fundavit, quod Martinus Papa quintus confirmavit, permittens in eo fieri omnium lectiones facultatum, præterquam in Theologia. Ejus tamen in Pontificatu ſucceſſor Eugenius quartus indulſit etiam Theologiæ lectiones

Caſtrum Hohenzolra deſtruitur.

Anno prænotato poſt mortem Comitis de Wirttenberg relicta uxor ejus vidua comitatum per annos aliquos ſtrenuè gubernabat. Quo tempore Comes de Zolren in ſuperbiam elatus deſpexit mulierem, quaſi regimini principatus indignam, eam ſubſannando his inter alia verbis: *Num vulva hujus mulieris fætulenta me vult, aut poterit denuò abſorbere?* Mulieri nuntiata ſunt hæc Comitis verba: ad quem ita ſcripſit: *Non ſolum te, ſed etiam Caſtrum tuum Hochenzolra, & omnia quæ ad jus tuum pertinent, mea devorabit vulva; ut diſcas te non mulierem inertem irritâſſe ſed principem tuam.* Igitur contractis mulier copijs auxilio Civium Regni terram Comitis memorati hoſtili apparatu intravit: omnia per circuitum igne ferróque devaſtans; deinde Caſtellum Hochenzolra nuncupatum ſitu & munitione fortiſſimum per annum ferè totum continuâ obſidione vallavit, quod tandem violenter capiens anno videlicet præſcripto funditus deſtruxit, & adhuc redijt victrix.

Scholaris puer à Judæis Auguſtæ in arbore ſuſpenditur.

Eodem anno perfidi Judæi, qui morabantur in Auguſta Rhetiorum, Juvenem quendam ſcholarem nomine Ludovicum Etterin ex Bruk in Ergôvv oriundum blanditijs & promiſſionibus extra Civitatem in proximum nemus ſeducentes, ſuſpendio necaverunt. Omnipotens autem Dei juſtitia innocentis pueri mortem latere non ſuſtinens miraculosè manifeſtavit: ut & fidelibus per ſigna & beneficia ſanitatum conferret remedia, & ſceleratiſſimis homicidis, quæ meruerant in utróque ſæculo tormenta.

Puer

Puer enim coruſcans miraculis in Auguſta cum honore ſepultus eſt: Judæi autem ignibus combuſti.

MCCCCXXIII.

Anno Friderici Abbatis viceſimo tertio, Indictione Romanorum primâ, poſt mortem Rudolphi & Alberti Ducum Saxoniæ ſine virili ſemine, Sigiſmundus Rex contulit Ducatum unà cum Principatu ſeu titulo electionis Friderico Miſnenſium Marchioni, contra quem ſe Fridericus Marchio Brandenburgenſium potenter oppoſuit, aſſerens Saxoniæ Ducatum ſibi de jure competere; verùm ubi ſuis conatibus intellexiſſet Regem & quoſdam Principes eſſe contrarios, admiſit concordiam, acceptiſque à Marchione Miſnenſium Thüringiæ Landtgravio florenorum millibus, juri quod habere videbatur renuntiavit. At ſuperſtes adhuc erat Henricus frater prædictorum Ducum Rudolphi, & Alberti; quem renitentem Sigiſmundus Rex Ducem fecit, & intitulavit Lövvenburgenſem, id eſt, de Burgo leonis cum hæredibus ſuis, ablato ab eis titulo Ducatus Saxoniæ ſimul & electionis Regni uſque in præſentem diem.

Ducatus Saxoniæ Marchionibus Miſnenſium conceditur.

Eodem anno in vigilia Nativitatis ſancti Joannis Baptiſtæ obijt Rheinhardus Dux Juliacenſis & Geldrenſis ſine liberis. Poſt cujus mortem Arnoldus Comes de Ekmunda Geldriæ Ducatum obtinuit non minus favore incolarum, quàm juris patrocinio ſuffultus. Pro quo quidem Ducatu multis jam annis etiam temporibus noſtris inter Maximilianum, & Reinhardum contentio duravit. Ducatum verò Juliacenſem Adolphus Dux Montenſis auxilio Theodorici Archiepiſcopi Colonienſis potenter obtinuit: quem ſimul Ruperto filio ſuo donavit. Iſte Rupertus mortuo jam dicto patre Adolpho, utrúmque Ducatum Juliacenſem videlicet & Montenſem obtinuit, qui ſimul conjuncti ſic permanent uſque in præſentem diem.

Arnoldus Comes de Ekmunda fit Dux Geldrenſium.

Anno prænotato, Carolo Rege Gallorum ejus nominis ſexto viam univerſæ carnis ingreſſo, & apud S. Dionyſium ſepulto, Regnum Gallorum filius ejus Carolus ſeptimus accepit, cujus mater fuit Eliſabeth Bavariæ Ducis filia. Regnum eo tempore Gallorum hinc à Burgundionibus, inde ab Anglis, nec minus ab his, qui ſe rebus conſulere dicebant, miſerabiliter laceratum jacebat, & in tantam pervenerat deſolationem, ut Carolo memorato Regi ſeptimo Bituricenſes tantum parerent; & Bituricenſis Rex ipſe ab hoſtibus vocaretur; eodem námque anno paulo ante matrem Caroli ſexti ſupradicti Regis obierat Heinricus Rex Angliæ, cui Heinricus filius in Regno ſucceſſit, ſeverus homo & magnarum rerum audax & cupidus, qui ſe Regem Franciæ, Angliæque publicis atque privatis litteris, & forenſi ſigillo, monetáque quam cuderat, novâ, appellabat. Itáque Henricus cum ex vetuſtiſſima Eduardi Regis tertij querela, tum ea, quam dicturus ſum ex cauſa, Regnum Galliæ ſuum eſſe dicebat; nam dum Catharina Caroli ſexti filia Henrico hujus Henrici Regis genitori daretur uxor, conditiones iſtæ fuerunt interpoſitæ, litteríſque & ſigillis utriuſque confirmatæ: *Si præ Henrico vitâ defungeretur Carolus, Galliæ Regnum Henricus adiret: ſin autem Henricus ante Carolum decedens filium relinquceret, ipſe Regnum poſſideret.* Nullâ de Caroli filio, ſi forſan naſceretur aliquis, ut contigit, mentione habitâ.

Carolus ſeptimus fit Rex Gallorum.

MCCCCXXIV.

Anno Friderici Abbatis vicesimo quarto, Indictione Romanorum secundâ, mortuus est Ernestus Dux Austriæ pater Friderici postea Imperatoris tertij, vir mitis & mansuetus, cultor Dei, amator Cleri, & pauperum singularis defensor, nec minus bello strenuus, quàm in pace glorioſus.

Quintum Ordinis nostri capitulum Provinciale Herbipoli celebratur.

Eodem anno quartâ decimâ die mensis Maij, celebratum fuit quintum Ordinis nostri Provinciale capitulum in Monasterio S. Stephani Proto-Martyris apud Herbipolim, in quo præsederunt Baldevvinus Luneburgensis, Theodoricus Northeimensis, Appello Sunsheimensis, & Helfridus sancti Joannis Rinckaugiensis Monasteriorum ejusdem Ordinis Abbates. In eo capitulo plura fuerunt pro reformatione Monasteriorum statuta, quæ in actis habentur ejusdem.

Anno prænotato Adolphus Dux Montensis in manu suorum valida contra Ducem Lotharingiæ intravit denuo Comitatum Barensem, & in paucis diebus magnam ejus partem obtinuit; verum postea cùm jam remissior factus in Monasterio quodam monialium voluptatibus carnis nimium indulgeret, nocte quâdam captus est, & in manus Ducis Lotharingiæ præsentatus, apud quem anno toto permansit captivus, nec prius liberari potuit, quàm ipse cum filio suo Ruperto Duce Juliacensi omne jus, quod ei competere videbatur ad prædictum Comitatum de Bare, in perpetuam possessionem detentori suo resignavit. Itaque Lotharingiæ Dux terram Barensem obtinuit usque in præsens.

Inter Episcopum & Cives Wormatienses renovatur dissensio.

Eodem quoque anno inter Episcopum & Cives Wormatienses magna fuit suborta dissensio, propter certas in Civitate jurisdictiones Ecclesiæ, quas ad jus suum Urbani vocare laborabant. Ludovicus autem Comes Palatinus Rheni, Bavariæque, qui morabatur in Heidelberg, justas Episcopi partes tuebatur contra Wormatienses, cui cùm resistere possent minimè, tandem Episcopo sua reddere, pacem & concordiam petere, factámque suscipere & servare coguntur.

MCCCCXXV.

Joannes Hollandiæ Comes olim Episc. moritur.

Anno Friderici Abbatis vicesimo quinto, Indictione Romanorum tertiâ, mortuus est Joannes Comes Palatinus Rheni, Bavariæque natus Dux, nepos quondam Ludovici Imperatoris quarti, filius autem Ducis Alberti sine liberis. Iste fuit Joannes ille, qui relicto Episcopatu, quem electus confirmatus & Subdiaconus non minus sedecim annis tenuerat, uxorem duxit dispensante cum eo Constantiensi Concilio, post obitum Wilhelmi fratris sui, ut diximus, anno Friderici Abbatis nono, Comitatus Hannoniæ, Hollandiæ & Seelandiæ contradicente Jacoba fratris filia, ut supra dictum est, occupavit.

Burgundiæ Dux obtinuit Hollandiam Hannoniã & Seelandiam.

Post mortem hujus Ducis & Comitis memorati Joannis, Jacoba filia fratris ut proximior hæres, iterum se de Comitatibus paternis cæpit intromittere, cui Dux Burgundiæ Philippus filius sororis quondam Ducis Alberti restitit, & armatâ manu Hollandiam, Hannoniam, Seelandiam intrans, omnem terram illam sibi potenter subjecit. Et ita prædicti tres Comitatus, quos Bavariæ Duces per annos ferme octoginta possederant, in deditionem Ducum Burgundiæ pervenerunt usque in præsentem diem. Primus ex Burgundionibus possessor fuit Dux Philippus, post quem Carolus filius ejus, qui filiam suam unicam nomine Mariam dedit Maximiliano

no Archiduci Austriæ, postea Regi Germanorum, uxorem; qui tertius possedit Hollandiam, post quem filius eorum Philippus Rex Castellæ quartus. Quo in Hispania mortuo, Carolus filius ejus hodie Principatur in Hollandia.

Eodem anno Dominus Otto Archiepiscopus Trevirorum piæ devotionis igne succensus mare cum patientia & humilitate non modica transijt, & sanctum Domini in Hierusalem sepulchrum visitavit, secum deferens pretiosa ornamenta altaris, armis insignita Pontificalibus, quæ pro ministerio cultus divini fratribus Minoribus in Monte Sion in memoriam suæ peregrinationis donavit.

Tornea-mentum Nobilium.

Anno prænotato convenit magna militarium sive nobilium multitudo in regali oppido Sueviæ Eslingen dicto, ferales quasdam exercitationes inter se facientes in medio fori, quas torneamentum usitato vocabulo nuncupant.

MCCCCXXVI.

Ludovicus Comes Palatinus Rheni visitat Domini sepulchrum.

Anno Friderici Abbatis vicesimo sexto, Indictione Romanorum quartâ, Ludovicus Comes Palatinus Rheni Bavariæque Dux, ac Princeps Elector filius Regis quondam Ruperti, qui morabatur in Heidelberg, homo pius & inclytus, pro suorum remissione delictorum, mare devotus transijt, & sepulchrum Domini Hierosolymis visitavit: inde feliciter ad patriam reversus, barbam quam ex more nutrierat in peregrinatione, deinceps radi non permisit, sed in memoriam itineris sancti perpetuò servavit. Unde nomen Ducis barbati consecutus deinceps apud vulgares quandiu vixit non amisit.

Joannes Comes in Spanheim ultimus.

In eadem peregrinatione fuit socius itineris atque laboris Joannes ultimus Comes in Spanheim, vir non indoctus, & arcanorum naturæ valde cupidus, qui non modicam pecuniarum quantitatem professoribus secretarum artium, ut sunt Alchimistæ, Astronomi, Aruspices, magi & necromantici, exposuit; semper enim habuit in curia sua homines aliquos talibus vanitatibus intentos, à quibus etsi deciperetur sæpiùs, etiam manifestè, nunquam tamen persuaderi potuit, ut eos à se repellere consentiret. Nam usque adeò curiositati vanæ consensit, ut se posse intelligere speraret latratus canum, & voces avium.

Fridericus de Domneck fit Episcopus Wormatiensis annis xix.

Anno prænotato mortuus est Joannes de Fleckenstein Episcopus Wormatiensis octavâ decimâ die mensis Maij, anno Pontificatus sui sexto decimo, ante quem Episcopus fuit Matthæus de Cracovia Polonus, qui obierat anno Friderici Abbatis circiter nono in majori Ecclesia Wormatiensi sepultus. Hinc verò Joanni de Fleckenstein in Pontificatu Wormatiensi successit Fridericus de Domneck majoris Ecclesiæ præpositus, & præfuit annis decem & novem in paupertate Ecclesiæ.

Joanna puella admirabilis pugnat pro Rege Gallorum.

His quoque temporibus per continuum fermè septennium Angli cum Burgundionibus Galliam devastantes intollerabiliter clade affecerunt, ut paulo ante diximus. Erat illis diebus apud Valliconem in Gallia puella quædam viginti annorum nomine Joanna, quæ supra sexum & ætatem sapiens mirabilia aggredi non timebat. Nescio enim quo instinctu venit ad Regem Carolum septimum, asserens se missam à Deo, quatenus illi Regnum Gallorum restitueret ablatum. Vestem ergo simul & animum muliebrem deposuit, virilem utrúmque assumpsit, accingénsque

gladio latus armata caballum ascendit, séque exercitus Ducem exhibuit: multa cum Anglis & Burgundionibus prælia gessit, & sæpius triumphavit, quoúsque tandem ab Anglis capta, ut suo loco dicemus, cremata ignibus fuit.

Capitulum Ordinis Provinciale septimũ Erfordiæ celebratur.

Anno prænotato vicesimâ primâ die mensis Aprilis, celebratum fuit sextum Ordinis nostri Provinciale Capitulum Erfurdiæ apud sanctum Petrum, in quo præsederunt Joannes sancti Laurentij Martyris in Uraugia, Henricus sancti Ægidij in Brunschvvich, Georgius sancti Ægidij in Nürenberga, & Nicolaus in Brenzahausen Monasteriorum Ordinis nostri memorandi Abbates. Plura in eodem conventu patrum pro reformatione Ordinis laudabiliter instituta fuerunt, quorum tenores in actis capituli de verbo ad verbum continentur.

MCCCCXXVII.

Inter Mediolani Ducem Philippum & Venetos fit concordia.

Anno Friderici Abbatis vicesimo septimo, Indictione Romanorum quintâ, inter Ducem Philippum Mediolani, & Venetos, qui Florentinis confœderati multa in Longobardia constituerant prælia, pax & concordia reformata est; nec aliter Veneti in concordiam consentire voluerunt, nisi Bergomum à Duce Mediolani, quasi pro impensis belli habitis, in suam prius recepissent potestatem. Brixiam verò anno præterito violentâ manu ceperunt. Plures deinde Civitates, oppida & castella insatiabilis Venetorum dominandi libido non solùm à Mediolanensibus, sed etiam ab Austriæ Ducibus, atque vicinis in circuitu principibus partim dolo & fraude, partim violenter est consecuta, quorum occasione his etiam nostris diebus multa oriuntur bella.

Inter Episc. Spirensem Rhabanum & Cives pro libertate contentio.

Eodem anno Rabanus de Helmstatt Episcopus Spirensis pro libertate privilegiorum, libertatum atque bonorum tam Cleri, quàm Ecclesiæ memoratæ, gravem & diuturnam cum Civibus suis habuit dissensionem, non sine magno utriúsque partis incommodo. Hujus causâ discordiæ memoratus Pontifex in Clerum suum non eatenus consuetum exactionis pondus imposuit, per quod non minus Clerum, quàm antea Cives in odium sui provocavit.

Cúmque & à Monasterijs maximè nostri Ordinis, quæ tunc in ejus Diœcesi erant septem, & verbis mollibus & minis charitativum postularet subsidium, omnes uno ore, unáque sententiâ restiterunt, dicentes se ab omni exactione ejus liberrimos.

Fridericus hujus Monasterij Abbas defensor libertatis.

Fridericus quoque hujus Monasterij Abbas inter Prælatos Ecclesiæ Spirensis non ultimus, sed antiquâ & longâ consuetudine non minus quàm Apostolicæ Sedis gratiâ Primas, singulari pulsabatur instantiâ, ut Episcopi precibus consentiret, qui cùm esset vir prudens, & monasticæ amator puritatis, optimè intellexit, quorsum hæc petitio nova Episcopi protenderet caudam: unde & postulantibus inconsueta respondit. *Ego Monasterium Hirsaugiæ ab omni precaria exactione cujuscúnque Principis & Episcopi reperi liberrimum, & à sacro sancta Sede Apostolica singulari gratiâ privilegiatum, cujus libertates insuper & manutenere ac defensare juravi, quod pro viribus etiam facturus sum usque ad mortem. Nihil dederunt antecessores mei Episcopo, & ego nihil ei dabo. Si vim inferre perrexerit, Judicem habemus communem, qui & illi & mihi superior est, Pontificem Romanum, ad cuius pedes contra injuriantem deponam necessariò querelam.* Tacuit Episcopus, & Abbatis constantiam admirans laudavit.

Hirsaugia libera dat nulli tributum.

MCCCCXXVIII.

MCCCCXXVIII.

Anno Friderici Abbatis XXVIII. qui & ultimus fuit, Indictione Romanorum VI. Sigismundus propter continua in Bohemos bella pecunijs, ut dicebat, exhaustus à Martino Papa V. litteris impetravit consensum, ut sicut à Civibus & Rusticis Regni Germaniæ, ita & ab omni Clero per latitudinem ejus, pecuniarum posset levare subsidium. Exactio itaque gravis tam Clero, quàm populo per omne Regnum indicitur, à qua liber nemo habebatur. Qui mille florenorum possessionem habebat, ad fiscum Regium pendebat duos, qui verò centum, quartam floreni partem dare cogebatur. Reliqui omnes & singuli viri, & mulieres, filij & filiæ, servi & ancillæ, mercenarij, & familiares, quicumque & cujuscunque, quotquot annum impleverant ætatis XV. nullo penitus excepto tredecim obulos Hallenses, quorum duodecim faciebant unum album rotatum, & viginti quatuor albi tunc temporis florenum unum Rhenensem, solvere ad instantiam Regis compellebantur.

Sigismundus Rex contributionem exegit à Clero & populo.

Hanc magnam & insolitam pecuniarum contributionem Rex Sigismundus, ut pugnaturus contra Bohemos Schismaticos, ab omni Clero & populo totius Regni Germanici satis importunè exegit, quamvis eam non ab omnibus impetraverit. Militaris etenim Ordinis homines per Sueviam & Franciam Orientalem, & simul pauperes suæ jurisdictioni subjectos huic exactioni se submittere nullatenus consenserunt, dicentes se liberos esse à tributo, corpore tamen non pecuniâ, si necesse fuerit, libenti animo pro Ecclesia, & regno pugnaturos. Major autem pars reliquorum Germaniæ hominum impositam sibi collectam à Rege solvebat; cujus nihil aut parum contra Schismaticos fuit expositum.

Suevi & Franci Orientales Nobiles non consenserunt Regi.

Æstas fuit anno prænotato nimis humida, & aquarum inundatio frequens & multa, quæ intulit mortalibus multa incommoda, in agris, frumentis, pratis, hortis, & vinetis, & primò famem & caristiam magnam, ac deinde pestilentiam per universum penè Germaniæ Regnum horribilem induxit.

Anno prænotato XIII. die mensis Novembris, Fridericus Wifflinger hujus Monasterij Abbas XXXVII. jam senio & morbo plurimum gravatus moritur, anno Regiminis sui vigesimo octavo. Cujus corpus ante altare Catharinæ Virginis & Martyris debito cum honore sepelitur. Vir certè memoriâ dignus, & in sua conversatione optimus, quamquam subjectos sibi Monachos ad regularis vitæ observantiam reducere minimè potuerit. Gravatum ære alieno Monasterium reperit, quædam solvit, sed omnino reddere liberum à debitis, sicuti voluisset, nequaquam prævaluit.

Fridericus II. Abbas Hirsaugiensis XXXVII. moritur.

De Wolfframmo, hujus Monasterij Hirsaugiensis Abbate XXXVIII. qui præfuit annis XXXI. mensibus IX. diebus VIII. & gestis illius temporis.

ANno igitur Dominicæ Nativitatis prænotato MCCCCXXVIII. currente, Indictione Romanorum præscriptâ, XVI. die mensis Novembris, Prior & Conventus hujus Monasterij Hirsaugiensis in unum convenientes de ordinatione Novi pastoris necessarium

Wolfframmus Mayser fit Abbas XXXVIII.

sarium cæperunt habere tractatum. Præmissis itaque Orationibus consuetis, Missarúmque celebrationibus adjunctis, Wolfframum cognomento & familia Mayser unanimi consensu Abbatem elegerunt, virum providum & regularis observantiæ præcipuum Zelatorem: qui confirmatus & benedictus juxta morem per Rhabanum de Helmstatt Spirensem Episcopum præfuit huic Monasterio in utróque statu satis utiliter annis xxxi. mensibus ix. diebus octo, non sine multis laboribus & tribulationibus magnis.

Præfuit annis xxxii.

Patriâ Suevus erat honestis parentibus ortus; cujus & nomen familiæ Mayser & genus inter Nobiles Alemanniæ notum permanet usque in præsentem diem, qui & ipse puer Monasterio huic à parentibus oblatus, sub magisterio seniorum vivendi modum didicit, & observavit inventum. Nam & Fridericus Abbas, cujus historiam per seriem annorum digessimus, singularis devotionis affectu Monachos suos libenter ad regularis observantiæ integritatem reduxisset; unde sæpius ad eos piæ exhortationis verbũ tam in quotidiano capitulo culparum, quam extra fecit; quod in ore Wolfframi Spiritus Dei reposuit, & in corde ejus fructuosè plantavit.

Wolfframmus Abbas patria fuit Suevus.

Factus enim Abbas verba sanctæ admonitionis, quæ toties à bono præceptore Friderico audierat, opportunitatem nactus convertit in opera, & eam Regularis vitæ observantiam, quæ à Mellicensi in Austria Cœnobio nomen habere cæpit, de cujus exordio supra diximus, anno Friderici Abbatis xvii. primitus huic Monasterio introduxit; quæ parvo durans tempore, malitiâ hominum causante rursus evanuit; diximus enim anno Friderici Abbatis memorato, quòd Mellicensium reformatio in multis Cœnobijs feliciter cæpit, sed in paucis valdè permansit. Considerans Wolfframus, quòd in observantia Mellicensium non esset constantia, sed paulatim in pristinam laberetur deformitatem, propterea quòd ipsi Mellicenses Provinciali Capitulo de triennio in triennium essent contenti: & suæ reformationis nullum omnino celebrarent Conventum, neque visitationis officium debita & necessaria cum diligentia exercerent; cupiénsque posteritati non minus consulere ad salutem, quàm illis, qui tunc vivebant sub eo in humanis, observantiam unionis, & reformationis Bursfeldianæ, de qua supra diximus, anno Friderici Abbatis xvi. introduxit, sicut anno regiminis sui xxix. plenius dicemus.

Abbas Wolfframmus observantiam Mellicensem assumpsit.

Abbas Wolfframmus observantiam Bursfeldensium introduxit.

Erat autem Wolfframmus Abbas, quantum ad corporis dispositionem pertinebat, staturâ bene proportionatus, plus crassus, quàm macilentus, capite rotundus, facie pulcher & decorus, incessu tardus & quâdam gravitate venerandus, eloquio dulcis & singulari facundiâ haud mediocriter dissertus, plus tamen vernaculâ linguâ, quàm sermone latino. Ingenio tamen vigebat subtili, & vivace memoriâ; unde & in rebus agendis sive disponendis consilio prudentissimus habebatur, & omnia quæ ad curam sui regiminis pertinebant magnâ prudentiâ gubernavit.

Moribus & conversatione fuit integerrimus, regularis quoque observantiæ, quam introduxerat, non solum amator, sed custos quoque & operator tam in se quàm in subditis suis omni tempore vigilantissimus. Summo studio semper curabat se dignum omnibus Christi exhibere pastorem, pro quibus nullum timuit unquam subire, aut ferre laborem. Verbis utebatur paucis atque rationabilibus; & sermo vanus de ore ipsius rarissimè

rarissimè procedebat. Mitis erat bonis; severus indisciplinatis, & quidquid verbis boni docuit, operibus in se verum & sanctum demonstravit.

MCCCCXXIX.

Joannes Episcopus Herbipol. Castellum ædificare cæpit.

Anno Wolfframmi Abbatis primo, Indictione Romanorum VII. Joannes Episcopus Herbipolensis Orientalisque Franciæ Dux unicus, rursus ædificare cæpit castellum in ipsa Civitate Wirzburgensi, quod olim Gerhardus de Schvvarzenburg Episcopus inchoaverat, sed neuter eorum perfecit.

Capitulum Provinciale Ordinis septimum Bambergæ celebratur.

Eodem anno x. die mensis Aprilis, quæ fuit Dominica secunda, post festum Dominicæ resurrectionis, celebratum fuit septimum Ordinis nostri Provinciale Capitulum in Cœnobio S. Michaëlis Montis Monachorum propè Bamberg. In quo præsederunt Georgius Castellensis, Ortt vvinus S. Petri Erfurdensis, Henricus de Gulpen S. Ægidij Nürenbergensis, & Hugo S. Benedicti in Alberspach Monasteriorum Ordinis nostri Abbates.

Joannes Rhode Abbas S. Matthiæ reformator apud Treviros.

Claruit his temporibus apud Treviros Joannes Rhode Abbas Monasterij S. Matthiæ Ordinis nostri, patriâ Mosellanus ex urbe Trevirorum oriundus, vir æternâ memoriâ dignus, vitâ & conversatione religiosissimus, qui regularis observantiæ celeberrimus instaurator extitit, ex cujus laborioso fundamento nostra Bursfeldensis reformatio non parvum incrementum accepit, quemadmodum supra diximus, anno Friderici Abbatis XVII. Hic quondam litteris dedit operam in Heidelberg, Gymnasio, ubi Doctor Decretorum factus, jam tunc mente & corpore mundum videbatur contemnere, & ad tantæ Religionis introitum aspirare.

Joannes Rhode factus ex divite Canonico est Monachus.

Inde reversus in patriam cùm esset Metensis Ecclesiæ Canonicus ac S. Simeonis Trevirensis Decanus, atque Curiæ Episcopi Officialis Judex, tandem pro Christi amore contempsit omnia, ingressúsque sanctam Congregationem Monachorum Carthusiensium prope Trevirim non sine admiratione multorum cunctis validum S. conversationis exemplum reliquit. Nec diu postea contra voluntatem suam à fratribus in Priorem domus unanimi consensu eligitur, & in tanta conversatione perseverat.

Joannes fit Abbas S. Matthiæ ex Monacho Carthusiæ.

Postremò ad instantiam Ottonis Archiepiscopi Trevirorum præcepto Martini V. Papæ de Carthusia invitus extrahitur, & Abbas memorati Cœnobij S. Matthiæ prope Trevirim ordinatur. Factum est hoc non ambitionis intuitu, nec avaritiæ causâ, sed Christianæ studio pietatis. Cernens enim Otto memoratus Archiepiscopus regularis disciplinæ observantiam in omnibus suæ Diœcesis Ordinis nostri Monasterijs penitus collapsam, & cupiens mores ad puritatem Regulæ reformare claustralium, sæpedictum virum, quo meliorem habere non potuit, ad reformationis hujusmodi officium judicavit idoneum, quem & scientiâ litterarum & moribus sanctis optimè noverat imbutum.

Joannes Rhode Abbas factus reformavit Monasterium S. Matthiæ.

Ordinatus autem Abbas imprimis Monasterium S. Matthiæ, sibi commissum reformare studuit, propter quod multis laboribus, & infinitis se periculis constanti animo subjecit. Nam Monachi contra puritatem S. Regulæ in laxitate nimia conversantes, cùm dolerent assueta relinquere, multis modis & varijs insidijs de morte sancti Reformatoris cæperunt cogitare. Sed auxiliante altissimo Joannes veluti alter Helias pro Domo Dei Zelatus in spiritu tanto prævaluit, & Monasterium suum S. Matthiæ Apostoli & quædam alia vicina reformavit.

Introductâ

Joannes Rhode Abbas verbo & exemplo reformator optimus.

Introductâ postremò reformatione sanctâ, & improbis ejectis foras claustralibus, qui colla sua regulari subijcere observantiæ recusaverant, Joannes reformator studiosissimos quósque introduxit Novitios, quibus non minus exemplo sanctæ conversationis, quàm verbo sedulæ admonitionis viam regularis observantiæ ac puritatis omni tempore ostendit. Et ne sanctum Reformationis, quod inchoaverat opus, per ignorantiam posteritatis, temporis interiret successu, novas ex collatione Veterum constitutiones edidit, in quibus observantiæ regularis per singula capita, juxta proprietatem regulæ sanctissimi Legislatoris nostri Benedicti pulcherrimâ ratione simul & copiosissimè providit.

Constitutiones Bursfeldensium ex Trevirensibus prodierunt.

Ex quibus constitutionibus, ut supra diximus anno Friderici Abbatis XVII. Joannes Abbas & primus reformator Monasterij Bursfeldensis, & modum vivendi secundum puritatem regulæ assumpsit congruum: & instituta nostra, quibus nomen Patres nostri postea Ceremoniale dederunt, cum tempore acceperunt fundamentale documentum. Scripsit etiam de vita & regimine Abbatis librum non abijciendum. Moritur autem primâ die mensis Septembris anno Wolfframmi Abbatis XI. Abbatiæ suæ Trevirensis xx.

MCCCCXXX.

Otto de Ziegenheim Archiepiscopus Trevirorum moritur.

Anno Wolfframi Abbatis secundo, Indictione Romanorum VIII. mortuus est Otto ex Comitibus de Ziegenheim Archiepiscopus Trevirorum ex morbo calculi, quo diu laboravit in oppido Confluentiæ. Cujus corpus Trevirim relatum in Principali Basilica sepultum est ante Chorum ad latus dextrum introitus coram Altari Beatissimæ semper Virginis Mariæ, quod ipse de novo erigens dotaverat, humili sepulchro. In cujus memoriam quotidie manè post matutinas, Missa canitur una de Beatissima Virgine Maria per Chorales, sicut ipse adhuc vivens instituerat in altari memorato juxta ejus tumulum cum organis & debita solemnitate.

Caput S. Matthiæ Apostoli à Confluente transfertur in Trevirim.

Fuit autem vir optimus, & benè rexit Ecclesiam Trevirensem annis XII. pacem conservans in terra, & Cleri non minus reformator quàm Monachorum. Caput sanctissimi Apostoli Matthiæ, quod multis annis in Castello Montis, qui dicitur Herbilstein trans Rhenum prope Confluentiam oppidum, inter Archiepiscoporum thesauros latuerat, ad majorem suam Ecclesiam Trevirensem cum ingenti devotione donavit, in qua debito cum honore servatur usque in præsentem diem. Sunt qui dubitant ipsum caput esse S. Matthiæ Apostoli, asserentes quòd caput sit potius cujusdam sancti Matthiæ Jerosolymorum Episcopi. Sed mihi satis curioso hujus rei inquisitori persuasum confiteor, ipsum esse verum caput Matthiæ Apostoli; quod sancta Helena mater Constantini cum integris ossibus ejus quondam ab Jerusalem cum alijs sanctorum reliquijs multis ad Trevirim transferens apud S. Eucharium extra muros collocaverat; qui locus nunc Monasterium S. Matthiæ Apostoli nuncupatur.

Jacobus de Sirck ab una parte capituli in Archiepisc. eligitur.

Ottone autem Reverendissimo Præsule mortuo atque sepulto, Canonici discordantes in electione, cladem Ecclesiæ Trevirorum irrecuperabilem suscitarunt. Una siquidem pars eorum, quæ & major erat numero, & sanior consilio, Jacobum elegit de Sirck majoris Ecclesiæ Trevirorum Canonicum atque scholasticum & Herbipolensis Ecclesiæ præpositum,

positum, virum optimum, vitâ & conversatione honestissimum, prudentiâ & consilio nulli Canonicorum suo tempore secundum.

Udalricus de Manderscheid ab alia parte in Archiepiscopum eligitur.

Contra quem Fridericus de Crovia præpositus, Henricus de Pittingen Canonicus cum quibusdam alijs paucis elegerunt Udalricum de Manderscheid, cui ut consanguineo & amico adhæserunt Comites de Wirtenberg una cum nobilibus terræ. Unde non jure, sed armis Jacobo potentior factus, mox oppida, castella, & munitiones Ecclesiæ Trevirensis per totam Diœcesim in suam accepit potestatem, & subditos Ecclesiæ omnes in sua verba jurare coëgit. Quanta hinc mala fuerint subsecuta, nobilis illa Trevirorum sensit Ecclesia, quæ tunc ære gravata alieno, deinceps manet onerata usque in præsentem diem.

Jacobus igitur necessitate compulsus cùm auxiliantem non reperiret in patria, Romani Pontificis adjutorium invocavit. Papa igitur Eugenius ejus nominis IV. citatis ad se partibus, post longam concertationem, electionem amborum cassavit, & ad instantiam Ludovici Comitis Palatini Archiepiscopatum Trevirorum Rhabano de Helmstatt Spirensi Episcopo donavit. Hinc iterum nova præcedentibus adjuncta sunt mala, & Ecclesia Trevirorum plusquam in quadringentis florenorum millibus detrimentum substantiæ temporalis sustinuit. Totius enim patriæ Comites, Barones & Nobiles, Udalrico adhæserunt, & Apostolica mandata contemnentes admittere Rhabanum in Archiepiscopatum recusarunt. Jacobus autem Papæ obediens de Ecclesia se non amplius intromisit.

Rhabanus Episcopus Spirensis fit Archiepiscopus Trevirensis.

Cives autem Trevirenses ob reverentiam Apostolicæ Sedis Rhabano, ut vero Archiepiscopo suo adhæserunt. Unde commotus indignatione magna Udalricus, contractis undique copijs amicorum, Civitatem ipsorum obsidione biennali obsedit, machinis, & multis insidijs eam capere gestiens, si potuisset. At Cives auxilio Ludovici Comitis Palatini, qui stabat pro Rhabano, fortiter agentes, hostium incursus omnes cassaverunt. Biennio tandem elapso non sine confusione solverunt obsidionem, plus incommodi passi, quàm intulerant obsessis.

Romanus autem Pontifex posteaquam intellexisset mandata contemni, Udalricum ut invasorem Ecclesiæ cum omnibus adhærentibus sibi excommunicavit; & omnem terram Diœcesis (exceptâ Civitate Trevirorum, quæ sequebatur partes Rhabani) Ecclesiastico interdicto supposuit. Quod quidem interdictum annis plus quatuor duravit, non sine animarum periculo plurimarum.

Udalricus per concordiam cessit Rhabano contentionis anno IV.

Postremò Archiepiscopus Conradus Moguntinus, Archiepiscopus Colonienſis, & Fridericus Episcopus Wormatiensis, jussione Romani Pontificis vices interposuere suas; & inter dissidentes pacem & concordiam sub certis conditionibus reformarunt, ita videlicet, quod Rhabano cessit Udalricus; verùm priusquam ista fieret inter dissidentes concordia, & anni præteriere plures, & mala patriæ infinita, quæ summatim optimâ isthìc ratione paucis concludimus, ne per annos singulos in eis occupari specialiter compellamur.

Rhabanus à Civibus Trevirensibus ut verus Archiepiscopus suscipitur.

Rhabanus itaque confirmatus in Archiepiscopum Trevirorum, superatóque per concordiam adversario, post quintum contentionis annum, Trevirim ut Archipræsul ingreditur, & à Civibus amicis honorificè salutatur. Concordia enim facta est anno Wolfframmi Abbatis XI. sicuti per

ordinem suo dicemus loco; cessit Jacobo de Sirck ante ipsum præelecto. Veruntamen Comes de Wirtenberg etiam post concordiam, ut præmissimus factam non cessavit armis & insidijs molestare Rhabanum, inferens Ecclesiæ sanctæ Trevirorum igne simul & ferro multa incommoda, præsertim in eo pago, quem Engensgavium nuncupant Incolæ, inter Confluentiam, Andernacum & Monasterium nostri Ordinis, quod à proximo stagno Lacum nuncupamus. Nec quiescere potuit ista Comitis in Rhabanum persecutio, quo usque tandem pro impensarum refusione, quas contra eum pro Udalrico fecerat, Castella quædam & villas, Schönek videlicet in Euphalia, Dunam quóque, Schönberg, Kempnich, Hammerstein, & quædam alia, pro quadraginta quinque florenorum millibus in pignus accepisset cum usufructu annuo, donec ab Ecclesia Trevirorum redimantur. Interea Udalricus amicorum consilio usus Romam ire statuit, delaturus contra æmulum querelas nescio quas, sperans se ad minus impetraturum, ut in Archiepiscopatu Trevirorum saltem Rhabano succederet. Qui cùm venisset ad oppidum Thuregum Helvetiorum, morbo corripitur, & moriens ibidem sepelitur. Rhabanus ergo jam in Archiepiscopatu securus & quietus solâ vexabatur inopiâ, & qui paucis Spiræ potuisset esse contentus Episcopus, apud Treviros multis jam Archiepiscopus indigebat. Episcopatum Spirensem annuente Papa Eugenio usque in ultimum vitæ suæ annum cum Archiepiscopatu Trevirorum retinuit, quem ante mortem suam Nepoti Reinhardo resignavit, quemadmodum suo inferius loco dicemus anno Wolfframmi Abbatis X.

Bona Ecclesiæ Trevirorum data in pignus.

Udalricus in Itinere Romano apud Thuregum moritur.

Iste Præsul Rhabanus, multas, ut supra dictum est, contentiones habuit cum Spirensibus pro libertate Ecclesiasticâ. Unde Pontificatus sui anno XXII. qui fuit Friderici Abbatis Hirsaugiensis XVIII. publicum se Civium Spirensium hostem scripsit, & denuntiavit inimicum, contractísque undecúnque pugnatorum copijs magnâ eos clade affecit, Ludovico Palatino Comite non segniter ferente auxilium. Vias omnes armatorum custodiâ præclusit, ut nihil omninò Civitati posset inferri necessariorum, & nec egredi quisquam, nec ingredi ad eos aliquis permittebatur.

Rhabanus hostem se Civium Spirensium scripsit publicum.

Cives tamen metuentes obsidionem urbis, ut litteras Episcopi diffidationis accepissent, mox armati Civitatem egressi Ecclesiam S. Germani & omnes in circuitu habitationes Canonicorum igne submisso funditus destruxerunt. Concordiâ tandem factâ per Sigismundum Regem inter Episcopum & Spirenses, coacti fuerunt Ecclesiam & domos Canonicorum omnes, quas impio furore destruxerant, reædificare, & omnia in integrum restituere. Deinde post annos XLIV. Fridericus Comes Palatinus Rheni bellum gerens contra Joannem Episcopum, ipsam eandem Ecclesiam denuo destruxit, quæ nunc in Civitatem translata, ac nova constructa cernitur.

Ecclesia S. Germani extra urbem per Spirenses destruitur.

Anno prænotato Martinus Papa V. Julianum Cardinalem S. Angeli misit in Germaniam, ut Concilium Generale inchoaret apud Basileam, & suo in nomine præsideret, cœteráque faceret omnia, quæ ad illius consummationem pertinerent. Qui veniens Basileam intimavit Concilium futuro tunc anno proximo celebrandum: dispositísque rebus in Ungariam ad Sigismundum Regem Legatus Sedis Apostolicæ profectus est, in causâ

Julianus Cardinalis pro Concilio ad Basileam à Papa mittitur.

causâ videlicet Bohemorum, quos per Regem compelli rogavit, ut veniant ad Concilium.

Hyems hoc anno fuit humida, & calida & ver temperatum: in die autem Joannis ante portam Latinam, quæ fuit 6. mensis Maij, vis tanta frigoris erupit, ut vineta penè omnia destruxerit, non solum in Sueviâ, sed per totam fere Germaniam. Unde paucitas vini pretium auxit in tantum, quod ama vini una quatuor Hallensium libris in Suevia vendebatur. Die quoque ejusdem mensis duodecimâ iterum frigus inhorruit, & quod reliquum fuit in vitibus, per universam Orientalem Franciam destruxit. Vineta in principio Maij frigore pereunt.

Eodem anno Bohemi Schismatici Hussitæ collectis in unum viribus cum ingenti turmâ pugnatorum Bohemiam egressi, Marchionatum Misnensium intrârunt numero, ut ferebatur, non pauciores octoginta virorum millibus, incendio & rapinâ omnia devastantes: Marchio autem Misnensium contra eos magnum adunavit exercitum, sed tamen cum eis congredi non audebat, quanquam in exercitu centum quinquaginta millia virorum produxisse diceretur. Unde Bohemi liberè diripientes omnia ingentem abduxere prædam. Hussitæ Bohemi Schismatici terras fidelium devastant hostiliter.

Inde contra Marchionem Brandeburgensem sive Burggravium Nürenbergensem Fridericum faciem dirigentes, oppida illius nonnulla ceperunt, ac funditus destruxerunt, videlicet Plavven, Barreut, Kurpfenberg, Kulenbach, & Villas in circuitu plures, quarum nomina ignoramus. Contra Burggravium Nürenberg.

Posthæc intrârunt cum potentiâ & furore terram & dominium Episcopi Babenbergensis, cui multa intulerunt mala, villas & oppida sine cujusquam resistentiâ subvertentes non pauca, & omnia diripientes. Contra Bambergenses.

Inter alia verò mala, quorum non est numerus, etiam insigne illud Ordinis nostri Monasterium Michelfeld memoratæ Babenbergensis Diœcesis, sublatis omnibus, incendio funditus everterunt, quod postea restitutum est. Michelfeld Ord. nostri Monasterium à Bohemis incenditur.

In omnem Franciam Orientalem exivit Bohemorum terror, qui mentes Clericorum & Civium Babenbergensium usque adeò concussit & perturbavit, quòd relictâ Civitate penè omnes fugerunt vel ad nemora, vel ad alias urbes tutiores, Clenodia sua, quæ secum portare nequiverant, vel in domibus vel in campis suffodientes in terram, quæ terris pace redditâ sæpius quæritantes usque in præsentem diem non omnia reperererunt. Episcopus autem cum suis Civibus consilio habito, cùm Bohemos de terra expellere armis non possent, astutiâ tentârunt. Ad unius igitur anni spatium treugas sive pacem ab Hussitis pro duodecim florenorum millibus emerunt, quibus Bohemi acceptis à Babenbergensibus recesserunt, quamquam eis multa prius mala incendio & prædâ intulissent. Inde faciem verterunt contra Nürenbergenses, & in ipso itinere Graffenberg incendio subverterunt. Nürenbergæ Cives cùm vidissent, quòd eorum furori ex æquo non possent resistere, de pace cæperunt consultare. Missis igitur nuntijs ad exercitum Schismaticorum pacem petunt, & mediante pecuniâ impetrant. Veruntamen plura in circuitu Monasteria, oppida, & villas igne concremârunt, homines interfecerunt, & cum prædâ multâ in sua redierunt. In reversione quoque Aurbach oppidum igne submisso destruxerunt; incubuerat enim timor eorum super multas terræ Gentes & nationes, propter nimiam eorum crudelitatem, cùm nemo esset, qui furori eorum auderet resistere. Præ nimio autem timore A facie Schismaticorum Christiani relictis Civitatibus fugerunt.

Homines Franci & Bavari Saxones & Thüringi, Misnenses & eorum vicini relictis, ut dictum est, Castellis & urbibus ad nemora vel ad remotiora loca plurimi fugerunt. Cives quóque Herbipolenses audito Bohemorum excursu, de consensu Episcopi fossata & muros urbis, quos Gerhardus de Schvvartzenburg Præsul quondam dejecerat, restituere & ædificare cæperunt nimio terrore perterriti.

Joannes de Baden postea Trevirorum Archiepisc. naicitur.

Anno prænotato XIV. die mensis Junij, horâ quintâ minuto 53. post medium noctis manè natus est Joannes postea Trevirorum Archiepiscopus Patre Jacobo Marchione Badensium genitus, qui vixit annis novem & sexaginta, mensibus quóque duobus & sex diebus, de quo plura suo inferius tempore & loco, si annuerit Dominus, dicenda erunt.

MCCCCXXXI.

Eugenius IV fit Papa sedet annis XVI.

Anno Wolfframmi Abbatis III. Indictione Romanorum IX. Martinus Papa die XXVI. mensis Februarij Romæ apoplexiâ tactus moritur, & apud S. Joannem Lateranensem sub æneo tumulo sepelitur. Cui Gabriel Candelmerius patriâ Venetus in Pontificatu successit, qui dictus Eugenius IV. præfuit annis XVI. electus anno prænominato XIII. die post Martini obitum, hoc est, V. nonas Martij.

Carolus Dux Lotharingiæ moritur.

Eodem anno primâ die mensis Maij obijt Carolus Dux Lotharingiæ, post cujus mortem inter Ducem Barensem & Comitem de Widmont gravis est subsecuta dissensio, quorum uterque jure hæreditatis se proximum ad Lotharingiæ Ducatum confirmabat, nec eos quisquam renovare ad concordiam potuit, quo minus bellum atrocissimum ex dissensione oriretur.

Bellum fit atrox in Ducatu Lotharingiæ.

Anno igitur prænotato die 2. mensis Julij, quæ Festo Visitationis Beatissimæ Mariæ semper Virginis in Ecclesia Dei erat solemnis, factum est prælium magnum inter memoratos principes in Regno sive Ducatu Lotharingiæ prope novum Castrum, in quo multi Comites & Nobiles fuerunt ex Provinciâ Cis-Rhenana cum Duce Barensi mercede conducti: Marte ambiguo satis diu pugnatum est, & multi ab utráque parte ceciderunt, plures tamen ex parte Ducis de Bare, qui amisit in eodem conflictu sexcenta & duo millia virorum. Postremò tamen Comes de Widmont obtinuit victoriam. Sol eodem die ac per sequens biduum sanguinolentus ibidem apparuit.

Comes de Widmont obtinet victoriam.

Quarta Expeditio Christianorum in Bohemos Schismaticos.

Anno item prænotato XIV. die mensis Augusti factum est quartum inter Christianos & Schismaticos Hussitas bellum in Bohemiâ, de quo nostri parum laudis reportarunt propter eorum superbiam, & inordinatum modum præliandi. Habebant Christiani, ut tum ferebatur, in suo exercitu centum millia pugnatorum & tredecim millia curruum. In principio certaminis Christiani fortiter pugnârunt, sed rumore in exercitu, quasi plures advenissent in auxilium Bohemorum, excitato subitò nostri fugere in proximos montes, & nemora cæperunt, quos insecuti Hussitæ decem eorum millia occiderunt, & sex millia curruum cum multa præda comprehenderunt. Julianus Cardinalis S. Angeli Sedis Apostolicæ Legatus pro Fide Christi Zelator integerrimus, videns fugam Christianorum, compulsus fugere & ipse lachrymans dixit: *Heu peccata nostra persequuntur nos.*

Eodem

Eodem anno in die S. Mariæ Magdalenæ, tempestas aëris magna est suborta, quâ nimium horribiliter insonante fulgur de Cœlo cecidit, & Ecclesiam S. Catharinæ in Oppenheim succendit, in qua duo homines ex nimio terrore subitò fuerunt mortui, & sex alij pro semimortuis deportati. Quicquid in agris frumentorum aut fæni remansit, in totum perijt eâ tempestate.

Ecclesia S. Catharinæ in Oppenheim fulgure incenditur.

Anno præscripto Anglis & Burgundionibus oppidum in Gallia, quod Compendium nuncupatur obsidentibus, Joanna admirabilis illa puella de qua diximus anno Friderici Abbatis XXVI. subsidium ferens obsessis, cùm oppidum ingressa esset, paulo post eruptione in hostem factâ, in medium illorum concluditur, nec redire ad oppidum permissa est, licet multum conaretur. Capta igitur ab Anglis in Rothomagum ducitur, & tanquam malefica ignibus crematur, dato ei pro crimine, quòd virili veste usa fuisset Fœmina. Prius tamen quàm sententiam acciperet mortis, frequenti foro & crebris consultationibus puellam hostis tentavit, de fide atque Religione Christi multa scrutatus. Arbitrabatur enim, mulierem magiâ aliquâ edoctam à Carolo Rege assumptam esse, & propterea illum à Catholicâ veritate aberrantem Regno penitus indignum. Combustam anno prænotato in mense Majo puellam Rupertus Gaguinus refert.

Joanna mirabilis puella ab Anglis capta comburitur.

Hoc ipso anno Sigismundus Rex Germanorum unà cum Legato Sedis Apostolicæ Juliano Cardinale S. Angeli profecturus ad Basileense Concilium Generale inchoandum, venit ad oppidum Comitis de Wirtenberg Tübingen cum mille ferme equitibus, quos Comites omnes splendidè in Tübingen, Balingen & Schorndorff susceptos hospitio aluerunt, nihil ab eis recipientes. Eugenius autem IV. mox Pontificatum ut fuerat adeptus, Julianum supradictum Cardinalem S. Angeli, quem Martinus Papa V. Legatum miserat priori anno ad Basileam pro Concilio celebrando, confirmavit.

Sigismundus Rex cum Legato Apostolico venit in Tübingen.

Anno item prænotato in mense Novembri die 19. subitò nix magna frigus maximum subsecutum fuit, hyems asperrima fuit in tantùm, quòd omnia penè flumina Germaniæ usque ad diem Conversionis S. Pauli glacie cooperta molendi hominibus magnam fecere difficultatem.

Eodem anno mense Decembri, Julianus Cardinalis S. Angeli Apostolicæ Sedis Legatus Generale, quod Martinus indixerat, Concilium apud Basileam Civitatem Germaniæ inchoavit, Rege Sigismundo & multis Episcopis præsentibus; quod fælicem & jucundum habuit introitum, sed finem sive exitum debilem & confusione plenum. Mox etenim confluunt ex omni natione totius Europæ ad Concilium Pontifices Prælati & Principes, Germani, Galli, Anglici, Hispani, & Ungari, & in brevi tempore maxima hominum multitudo convenit. Imprimis Patres de Concilio Eugenium Papam per litteras & solemnes nuntios rogaverunt, ut venire ad Concilium dignaretur, propterea, quòd morum reformatio sine eo fieri non posset. Quo negligente, ne dicam, contemnente, secundò, & tertiò citatur, ac postremò tanquam rebellis & inobediens à Papatu auctoritate Concilij deponitur, & Amadeus quondam Sabaudiæ Dux tunc Monachus Carthusiensis in Pontificem eligitur, & Fœlix ejus nominis IV. in sua obedientia nominatur.

Basileense Concilium incipitur.

Concilium Basileense primo confirmatur à Papa, sed postea revocatur.

Verum quia hæc per seriem decem annorum, quibus duravit Concilium, facta sunt, singula suis locis atque temporibus per ordinem notanda reservamus.

Multitudo Rusticorum obsedit Wormatiam propter Judæos.

Anno item prænotato 20. die mensis Decembris, coadunata multitudo trium millium Rusticorum Wormatiam inopinatè cinxerunt vociferantes & clamantes: *Tradite nobis Judæos, alioquin incendemus Civitatem.* Senatus de muris faciens verbum bonis eos sermonibus abire persuasit. Imaginem Crucifixi Jesu Christi præferebant in vexillo, & more rusticorum incedebant armati. Duces eorum sive Capitanei fuerunt pro majore parte sculteti ex vicinioribus in circuitu villis, qui omnes nimio in Judæos odio propter usuras laborabant.

MCCCCXXXII.

Inundatio aquarum maxima fuit.

Anno Wolfframmi Abbatis IV. Indictione Romanorum x. hyems fuit asperrima multis nivibus abundans; quibus tandem cum glacie resolutis tanta vis aquarum erupit, ut domos, Ecclesias & villulas juxta Rhenum plures funditus everteret, & multa hominibus damna inferret.

Capitulum Provinciale Ordinis nostri VIII. in Augusta celebratur.

Eodem anno XI. die mensis Maij, quæ fuit Dominica tertia post Pascha, celebratum fuit Ordinis nostri octavum Provinciale Capitulum apud S. Udalricum in Augusta, in quo præsederunt Ortvvinus S. Petri in Erdfordia, Joannes in Steina, & Henricus in Amorbach Moguntinensis, Constantiensis, & Herbipolensis Diœcesium, nostri Ordinis Monasteriorum Abbates.

Sigismundus Rex pro Imperio intrat Italiam.

Anno prænotato Sigismundus Rex Germanorum magno cum exercitu in Italiam profectus, duplicem causam itinere uno expedivit, quorum altera fuit Corona Imperij, altera verò Basileensis confirmatio inchoati Concilij; Eugenius námq; Papa sicuti prius dictum est, Concilium in principio confirmavit, quod cùm anno præterito fuisset inchoatum, cernerétque omnes ad illud confluere nationes, pœnitentiâ ductus non diu posteà revocavit, quem informaturus, ut revocationem cassaret, Sigismundus Rex in Italiam profectus est. Audiens Eugenius Sigismundi Regis in Italiam adventum territus est, & per nepotem suum Franciscum occultè sollicitavit Florentinos, ut introitum venienti prohibentes intercluderent. Ad quos missi Camerarij nepotis nuntij Florentinos in Papæ sententiam traxerunt. Rex autem Sigismundus invitis Eugenio & Florentinis agrum Senensem Germano stipatus milite intravit, & sex mensibus ibidem commoratus est. Veneti quóque Florentinis confœderati Sigismundo iter præcludere, ne Romam peteret, conabantur, sed frustra: quia Philippus Mediolani Dux partes sequebatur ejus, quo auxiliante fastum eorum contempsit.

Eugenius Papa Regis adventum impedire conatur.

Rex in agro Senensi moratur sex mensibus.

Eodem anno in mense Octobri Rege Sigismundo in Senensi agro moram, ut diximus, faciente unà cum Philippo Duce Mediolani, dolosi Veneti viginti millibus equitum & peditum versus Mediolanum procedentes Civitatem ipsam Duce absente per insidias & traditionem capere nitebantur. Quod mox ut Regi Sigismundo innotuit & Duci (erant non procul à Mediolano) in manu Germanorum validâ persecuti sunt eos, & inopinatè inventos decem ex eis millia occiderunt, pluribus eorum captis, reliqui turpiter fugientes hinc inde fuère dispersi, quos Germani usque ad Civitatem Cumanam persecuti sunt.

Venetorum 10000. perimuntur.

Operæ

Operæ pretium fore existimo, si familiare Venetis unum è pluribus veneficium eo tempore contra Sigismundum tentatum, ad notitiam posteritatis litterarum firmitate perduxero: prænoniti discant Germani & Reges & Principes in periculis nunquam Venetis esse credendum, qui ut suam possent ampliare Rempublicam, contradicenti etiam S. Petro non parcerent, quin veneno interire cogeretur, si manifestum forsitan in illum non auderent patrare homicidium, de quorum dolis & fraudibus plura suo loco dicemus. Superati, victi, & confusi à Rege Sigismundo Veneti ad fraudes convertuntur occultas. Duos è suis submittunt, qui corrumpant pecuniâ Archistabularium Regis, ut scelus, quod erant facturi, silentio tegat. Consensit ille amore pecuniarum seductus, dedítque Venetorum subordinatis, sicut petierant sellam, super quam Rex equitaturus sedere consueverat, quam illi veneno artificiosè circumlitam in locum reposuere consuetum. Jacebat in stramine puerulus dormiens cujusdam domicelli minister, qui ex strepitu intrantium suscitatus, audivit omnia verba veneficorum, quæ habuerant cum Archistabulario, viditque illos veneno Regiam inficere sellam, stabularium quóque à submissis acceptare pecuniam, & continens se cum timore in abdito, ne perciperetur ab eis, omnia diligenter considerabat. Egressis tandem cum Archistabulario veneficis surrexit de latibulo etiam ipse puer, & omnia, quæ viderat, suo domino nuntiavit. Quid plura? ad Cæsarem puerulus introducitur, Archistabularij in dominum suum traditio secretè aperitur. Puero imperatur silentium, mandatúrque Domino ejus, similiter ut negotium teneat secretum. Posterâ mox die Cæsar vocat Archistabularium, & dissimulans omnia, præcepit ut equum Regium, similiter & suum præpararet ad spatiandum. Fecit ille, quod jussus erat, & ornatum equum scilicet Regium sellâ venenatâ duxit ad Cæsarem. Cui Imperator: *Tu* inquit, *meum ascende Caballum, & præcede ante me, ego intereà tuum ascendo, ut videam, quàm convenienter meus incedat.* Respondit Archistabularius: *Absit, ut ego servus pauper & modicus equum vestræ Majestatis ascendam.* Cæsar urgebat ut ascenderet, excusabat ille multis & varijs modis recusans ascendere sellam Regiam, quam veneno noverat intoxicatam. Prævaluit tamen imperium Regis, & Archistabularius post multas tergiversationes vanè consumptas sellam ascendere mortiferam compulsus est. Cæsar equum traditoris ascendens cum alijs ministerialibus suis cursum direxit in Campum, & agitato caballo hinc inde semper stabulario nunc à latere, nunc verò præcedente in fronte quasi in modum exercitij Tyronum sese in horam longam omnes fatigare coacti sunt. Faciebat hoc Rex Sigismundus de industria, ut veneno diuturnâ exercitatione calefacto citius operaretur in traditorem. Cúmque post longam exercitationem & cursum equorum plurimum ex industria diutius continuatum, Sigismundus Rex stabularium examinandum super veneficio fecisset assistere, consilio totius Curiæ adstante, & convictum atque confessum jussit custodiæ mancipari. Quem etsi omnes unâ sententiâ ignibus judicarent cremandum, tamen Cæsar illum interficere noluit, sed dixit: *Pœnas sustineat, quas meruit longas, & mortem, quam nobis paravit, diu cruciantem ipse patiatur.* Nec diu posteà tibia & crura ejus cæperunt intumescere, & paulatim caro computruit, quo usque tandem ad interiora corporis venenum serpens vitam

Venetorum facinus nefandum contra Sigismundum Regem.

Puerulus dormiens in stabulo vidit Venetorum veneficia.

Imperator stabulariũ super Sellam venenatam sedere compulit.

Archistabularius veneno perijt, quod Cæsari parari consensit.

vitam extinxit. Plura Veneti his præsumpserunt similia, & quasi paternum sequentes vitium, quos ferro interimere nequeunt, veneno occidunt.

Rex Sigismundus Romæ Imperialem suscepit Coronam.

Igitur Sigismundus Rex superatis Alpibus, victísque dolosis Venetis & jure contemptis Florentinis Romam in manu validâ gloriosus ingreditur, susceptúsque cum ingenti honore tam à Clero quàm à populo, Imperij Coronâ per Eugenium Pontificem donatur, anno Regni sui in Germania secundo atque vigesimo, & imperavit deinceps annis quinque. Regrediens de Vaticano ad Lateranum plures in ponte Adriani tam ex Germanis quàm ex Italis juxta consuetudinem milites creavit.

Posthæc Imperator Sigismundus Romam egressus cùm suis per Flaminiam iter fecit, ad Ferariam deinde viam continuans ad Mantuam pervenit, ubi Joannem Franciscum Mantuæ Dominum in Marchionem sublimavit, & ejus filio nomine Ludovico Barbaram Joannis Marchionis Brandeburgensis filiam dedit uxorem, ex qua nata est Barbara Eberhardo Comiti Wirtenbergensi, ac primo postea Duci uxor sterilis copulata, de quibus infra suis temporibus & locis pleniorem faciemus mentionem.

Eugenius Papa ad instantiam Imperatoris iterum confirmat Concilium Basileense.

Imperator Sigismundus Romæ cum Papa Eugenio existens ab eo precibus & multis rationibus impetravit, quòd Concilium Basileense iterum confirmavit, & se ad illud in propria persona venturum repromisit. Unde & quosdam è Cardinalibus Imperatori abituro conjunxit, qui eum ad Basileam præcederent, & necessaria pro ejus adventu præpararent. Sed post Imperatoris à Roma discessum, iterum mutavit propositum, & non solùm venire ad Concilium renuit, sed etiam illud nondiu posteà denuo revocavit.

Conventus Principum in Argentina ob regale subsidium.

Anno prænotato in festo sancti Matthiæ Apostoli Conventus Argentinæ factus est multorum Principum, Episcoporum, Abbatum, Ducum Comitum, Nobilium & Oratorum Civitatum Regni Germanici, Sigismundo Rege adhuc in Lombardia existente & bellum cum Venetis agente. Et hæc erat eorum Conventus causa, ut mutuò inter se tractarent, quid Regi memorato responderent, pecuniarum à subditis Regni postulanti subsidium, quatenus aucto militibus stipendio iter sibi tutum pararet ad urbem contra Venetos. Post multos tractatus tandem finaliter concluserunt, ut multitudinis est proprium, nihil pecuniarum Regi mittendum. Unde & nomine omnium rescripserunt excusationes varias, multa se contra Bohemos exposuisse præteritis temporibus asserentes, inopiáque pressos non habere, quam mitterent pecuniam, ideóque precarentur Regiam Majestatem, ut negatam non malè ferret petitionem. Responso tali Sigismundus accepto tacuit, & postea Imperator coronatus non communiter omnibus, sed singulariter singulis scripsit in hac forma verborum: *Princeps dilecte, noveris nos Omnipotentis Dei gratiâ superatis & confusis adversarijs Romæ nuper Imperiali Coronâ fuisse de more insignitos, quod tibi, ut nobis congaudeas, minimè voluimus esse celatum. Scias quòd bellico apparatu necessariò multa consumpsimus, & ære alieno gravati sumus; cupientes autem sumo honore in Germaniam reverti, necessarium duximus primò satisfacere Creditoribus, quibus nostra constant Clenodia obligata. Quapropter dilectionem tuam serioſius requirimus, & monemus, ut nobis omni excusatione postposita decem millia florenorum expendere in subsidium non graveris, quo & tuam erga nos bonam agnoscamus Voluntatem, & in veniendo ad te pro his personaliter, si postulata negaveris,*

Imperator industriosè multam exegit pecuniam à Regnicolis.

non

non gravemur. In hunc modum pluribus scripsit singulariter, cœteris ignorantibus rem, ab uno postulans florenorum triginta millia, ab alio plus, & ab alio minus, secundum quod unumquémque posse arbitrabatur. Similiter fecit cum inferioribus Regni Civibus. Et quia seorsum postulabat à singulis, & tali quidem industriâ, quòd omnes in unum pro deliberando, ut prius convenire non poterant, magnam summam pecuniarum brevi comportavit, cùm unusquísque metueret vel solus esse, vel ultimus, qui subsidium non præstaret Imperatori postulanti.

Imperator vincit industria contumaces.

Anno prænotato Feria 2. post Dominicam Oculi in Quadragesima, Rhabanus de Helmstatt Episcopus Spirensis ab Eugenio Papâ quarto de Archiepiscopatu Trevirorum litteras provisionis suæ contra Udalricum de Manderscheidt, & ejus defensorem Henricum Comitem de Virnburg, Moguntiæ, Spiræ, atque Wormatiæ, in valvis Ecclesiarum per Notarios publicari fecit.

Rhabanus Spirensis Jus suum ad Ecclesiam Trevirorum publicat.

Eodem anno 27. mensis Junij obijt Bernardus Abbas Spanheimensis XVIII. anno ætatis suæ 78. assumpti verò Regiminis 42. necdum completo, de cujus gestis in historijs dicti quondam Cœnobij mei latam satis feci mentionem. Post quem Gobelinus de Cruzenach ordinatus Abbas præfuit annis septem.

Gobelinus fit in Spanheim Abbas XIX.

Anno præscripto inter Episcopum Joannem de Brunn, & Cives Herbipolenses, magna iterum fuit suborta dissensio. Duravit hæc discordia plusquam ad triennium, quo Cives continuè ducentos equites in urbe habebant stipendio conductos, quorum Capitaneum similiter mercede constituerant Ottonem Palatinum Comitem Bavariæque Ducem, qui eodem tempore morabatur in oppidulo Mosbach. Episcopus autem cum suis in Castro, quod Dominæ nostræ appellatur consistens, quotidie Bombardis & machinis lapides mandavit in urbem jactari. Præceperat autem Jaculatoribus, ut Ecclesijs omnibus parcerent..

Inter Episcopum Joannem de Brunn & Cives Herbipolenses discordia.

Eodem anno Rex Poloniæ confœderavit se cum Bohemis Schismaticis contra Basileense Concilium, & universam nationem Teutonicam, exceptis Austriæ Ducibus tantùm, sed nihil memoriâ dignum aut fecerunt aut tentârunt.

Rex Poloniæ confœderatur Bohemis.

Hoc ipso anno Conradus Archiepiscopus Moguntinus auxilio Francofurtensium obsidione vallavit Hattstatt. Quod post multos labores, & diuturnam impugnationem tandem in die S. Laurentij cepit.

Anno prænotato 9. die mensis Septembris nova Civitas Pragensis ex nimiâ inundatione aquarum pro majore parte cum lapideo ponte cecidit, & multos homines in horâ prandendi oppressit. Per circuitum quoque terram in longitudine viginti quatuor milliarium, & in latitudine quatuor aqua totam operuit: Urbes Villásque & domos sine numero subvertit, & multam cladem habitatoribus importavit.

Aquarum inundatio subvertit Pragam.

Eodem anno in mense Novembri Procopius Presbyter Bohemus cum ducentis Equitibus Hæreticis venit ad Basileam nomine totius Regni Hussitarum auditurus, quæ media Concilium proponeret, quibus pax in Ecclesia & unitas jam diu confusa, tandem reformari potuisset. Erat autem Procopius Presbyter Dux exercitus Thaboritarum, & in omnibus malis imitator & successor Joannis Zischæ, de quo plura diximus, supremus Hæreticorum Capitaneus, Ecclesiæ Romanæ hostis acerrimus, &

Procopius Hussitarum Princeps cum suis in Bohemiam revertitur.

omnium Catholicorum persecutor extremus. Qui cum audisset propositionem Concilij suis opinionibus adversam, 20. die mensis Decembris Basileam exijt, & relationem facturus genti suæ auditorum, reversus in Bohemiam fuit.

Fratres in Richenbach contra Hirsaugiensem se erigunt.

His temporibus facta est dissensio inter Wolfframmum Abbatem hujus Monasterij Hirsaugiensis, & Fratres in Prioratu de Richenbach, Monasterium námque Richenbach à primâ fundatione suâ usque in præsentem diem pleno semper Jure fuit & est Abbati Hirsaugiensi subjectum, & ad ipsum pertinet instituere simul & destituere in eo Priorem, quoties sibi utile fuerit visum & oportunum. Anno autem prænotato post mortem Prioris Fratres loci non requisito Abbate (quod prius nunquam fuerat præsumptum) ex se alium constituerunt. Quod posteaquam Abbati innotuit, Electores præsumptuosos correcturus properavit, quos omnes in rebellionem conspirasse invenit. Cùm autem se Jure nescio quo conarentur defendere (sequebantur enim consilia quorundam, à quibus fuerant decepti) & nullâ possent ratione induci, ut piè monentem sequerentur Abbatem, à Wolfframmo citantur ad Generale Concilium Basileense, ubi cùm advenissent, Judices acceperunt, qui sententiam pro Abbate tulerunt, ista, quæ dicimus auctoritativè decernentes. Imprimis videlicet, quòd Abbas Hirsaugiensis pro tempore existens, sicut ex antiquo semper habuit, ita deinceps perpetuò sit habiturus omnimodam super Monasterio in Richenbach & plenariam Jurisdictionem, in ipsiúsque sit potestate solius, instituendi, ordinandi, continuandi, destituendi, deponendi, vel mutandi Priorem ejusdem Cœnobij, quando & quoties sibi visum fuerit expedire, sine contradictione Fratrum ibidem vel alterius cujuscunque. Simile judicium de reliquis ejus loci Officialibus fuit promulgatum, quos Abbas instituere & destituere potest, quotiescunque, & quando voluerit.

Privilegia Monasterij Hirsaugiensis.

Deinde Judices deputati à Concilio privilegijs Monasterij Hirsaugiæ diligenter examinatis recognoverunt, statuerunt, & confirmarunt, quod Abbas, quoties in memorato Cœnobio Priorem voluerit instituere, non de ipsâ Congregatione, sed de Conventu Hirsaugiensi assumat idoneum, ne Fratribus in Richenbach superbiendi detur occasio aut materia infidelitatis. Tertio nihilominus decreverunt, quod plenum dominium ejusdem Cœnobij, sicut diximus, resideat penes Abbatem pro tempore existentem juxta privilegium & constitutionem primæ fundationis beati Wilhelmi Abbatis; & quod Priores in Richenbach quolibet futuro tempore existentes neminem sine scientiâ & voluntate Hirsaugiensis Abbatis ad Ordinem suscipiant. Quarta Judicum Concilij fuit Constitutio, quod Prior in Richenbach quolibet ævo existens Abbati suo Hirsaugiensium in præsentiâ Fratrum singulis annis de receptis & expositis plenam dare & facere teneatur rationem, sicuti à temporibus beati Wilhelmi quotannis factum est, nemine recalcitrante. His per Comitium determinatis Fratres de Richenbach conpulsi fuerunt se Abbatis obedientiæ subjicere, & Actioni temerariæ quam inceperant renuntiare.

MCCCCXXXIII.

Inter Archiepiscopum Moguntinum & Ducem Hassiæ contentio.

Wolfframmi Abbatis quinto anno Indictione Romanorum undecima inter Conradum Archiepiscopum Moguntinum & Ludovicum Hassiæ

siæ Landtgravium gravissimæ dissensiones exortæ belli causam dederunt. Præcesserunt autem congressum, ut fieri solet, incursiones, deprædationes, & incendia, quo usque tandem animis concitatis Landtgravius hostem sese, & inimicum Ecclesiæ Moguntinæ publicum declaravit. Contra quem Archiepiscopus contractis hinc inde copijs processit ad prælium, & commisso diu ancipiti bello tandem Ludovicus obtinuit Campum multis ab utraque parte cadentibus. Ex parte verò Archiepiscopi ducentos (alij dicunt sexcentos) Landtgravius abduxit captivos, qui libertatem non sine incommodo Archiepiscopi, & Ecclesiæ Moguntinæ pecuniâ multâ comparare coacti sunt.

Archiepisc: in bello superatur à Landtgravio.

Eodem anno Udalricus de Manderscheidt Decanus Colonienſis & Canonicus Ecclesiæ Trevirorum, qui, ut supra diximus, contemptor mandatorum Eugenij Papæ, cum Rhabano de Helmstatt Spirensium Episcopo contendebat de Arhiepiscopatu Trevirensi, contractis undique copijs civitatem Trevirorum auxiliante Comite de Virnburg Henrico per biennium obsedit, Castra ponens in montibus vicinis, de quibus machinis & lapides projecit in urbem & ignem; Cives autem Ludovici Palatini Comitis auxilio, qui Rhabani partes plurimùm fovebat & tuebatur, cautissimè custodiebant Civitatem. Unde cernens postremò Udalricus, quod nihil posset proficere, obsidione solutâ recessit, plus damni reportans & incommodi, quàm suis intulerat adversarijs.

Civitas Trevirorum biennio fuit obsessa propter Rhabanum.

Anno prænotato Hyems fuit asperrima & frigidissima: Sabbatho namque post Circumcisionem Domini Rhenus nimium exundans Wormatiæ ad forum pene ascendit. Moganus Herbipolim usque ad forum piscium penetravit: 12. mensis Januarij nix multa subitò cecidit, quam pluvia subsecuta fuit, & post biduum frigus intensum, quod omnia flumina congelavit.

Eodem anno Feria sexta ante Pentecosten Conventus fit Principum in oppido Regali Franckfurt juxta Moganum, sed quia plures fuerunt absentes, nihil memoratu dignum actum fuit aut concluſum: nam, ut paulò ante diximus, Cæsar plurimorum consilia, ut contribuerent, industriâ prævenerat.

Conventus Principum.

Hoc ipso anno in die Pentecostes, quæ fuit trigesima prima & ultima mensis Maij, Sigismundus Rex Germaniæ, quod supra jam per anticipationem diximus, Romæ apud S. Petrum Coronam Imperij Romani de manu Eugenij Papæ susscepit, præsente Regina, Regibus Hispaniæ, Arragoniæ, & Portugalliæ simul & Duce Mediolani Philippo astantibus. Deinde Pontifex mediantibus Regibus memoratis, inter Sigismundum Imperatorem, Philippum Mediolani Ducem, Januenses, Venetos & Florentinos pacem reformavit ad annos quinque duraturam. Concilium quoque Basileense ad Imperatoris instantiam iterum confirmans, iterum postea revocavit, quemadmodum supradiximus, & ordine congruo dicemus.

Sigismundus Rex Romæ fit Imperator.

Anno item præscripto mense Junio circa Festum sanctæ Trinitatis inter Ducem Montensem & Ducem Geldrensem fit bellum, & ab utráque parte non pauci ceciderunt. Capitaneus Ducis Montensis fuit Rupertus Comes Junior de Virnburg: cui Senatus Colonienſis ut defensori suo contra Geldrensem octingentos miserunt armatos, obtinuitque Victoriam.

Inter Ducem Montensem & Geldrensem factum prælium.

Inter Ducem Burgundiæ & Regem Galliæ.

Eodem quoque anno durante adhuc bello, quod Philippus Burgundiæ Dux in Vindictam paternæ necis per annos jam plures cum Anglis contra Gallorum Regem Carolum VII. continuaverat; egressus de Gallia Rex ipse memoratus, cum triginta, ut ferebatur, millibus pugnatorum, totam Burgundiam occupans hostiliter devastavit. Quod ubi Philippo Duci innotuisset, qui tunc erat in Brüssel oppido Flandriæ contractis armatorum viginti millibus tam ex suis, quàm ex Anglicanis expeditionem movit contra Gallum in Burgundiam; & facta congressione victoriam obtinuit, ac plus quàm duodecim (ut ferebatur) millia Gallorum interemit. Inde progressus denuo Galliam infinitis cladibus affecit, & Regem fugere coëgit.

Carolus Burgundiæ Dux hoc anno nascitur.

Eodem anno 10. mensis Novembris horâ quartadecimâ post meridiem minuto 29. in Brabantiâ natus est Carolus Philippi Ducis memorati Filius, qui multa cum Gallis & alijs gentibus bella constituit in vitâ suâ. Vixit annis 44. & in bello, quod contra Ducem Lotharingiæ habuit, prope Nanse à conjunctis Suitensibus interemptus interijt.

Ludovicus Palatinus Comes cum Rhabano tendit ad Trevirim.

Anno etiam prænotato Feria quarta post Festum SS. Apostolorum Petri & Pauli Ludovicus Comes Palatinus Rheni Bavariæque Dux & Princeps Imperij Elector mandante imò & orante Papâ Eugenio, cum mille ducentis Equitibus & tribus fere millibus ex ordine pedestri Heidelbergam exiens iter versus Trevirim direxit, introducturus Rhabanum Archiepiscopum in Civitatem si posset, aut certè ad minùs Civibus obsessis ab Udalrico laturus auxilium. Venit usque ad Tholeiam nostri Ordinis Cœnobium pervetustissimum, à sancto Pirminio Episcopo Dolensi Divi Mauri discipulo quondam constructum, & ibidem triduo substitit, cernénsque, quod illâ vice Archiepiscopum introducere non posset, missis Trevirensibus auxiliarijs retrocessit. Post hæc nihilominus Feria tertia post Festum S. Jacobi Rhabanus Trevirim furtivè ingressus est nesciente Udalrico, & possessionem Archiepiscopatus accepit.

Bellum Teutonicorum in Prussia cum Polonis atque Bohemis.

His quoque temporibus Rex Poloniæ habens in auxilium Procopium Presbyterum Schismaticum, de quo præcedente anno mentionem fecimus, cum viginti millibus Hussitis de Bohemiâ terram Teutonicorum militum in Prussia hostiliter devastare cœpit. Contra quem dicti Ordinis milites ad prælium cum suis venientes atrociter pugnârunt, & victoriam consecuti Procopium nefandissimum Hæresiarcham cum viginti millibus, tam ex Polonis, quàm ex Bohemis interfecerunt, pluribus eorum in captivitatem abductis.

Inter Clerum & Cives Moguntinos dissensio.

Inter Clerum & Cives Moguntinos hac tempestate magna fuit dissensio pro conservatione privilegiorum Ecclesiæ, quibus illi continuè violentiam intulerunt. Unde totus Clerus Moguntiam egressus habitabat in Altavilla, & in Rhingaugia, ut potuit hinc inde dispersus, quo usque tandem intervenit concordia. Anno autem prænotato Feria quinta post Festum S. Jacobi Apostoli, convenerunt in oppido memorato Altavilla Conradus Archiepiscopus Moguntinus, Theodoricus Archiepiscopus Colonienſis; & cum eis Episcopus Leodienſis commissionem habentes à Basileensi Concilio, ut inter dissidentes concordiam reformarent. Aderant ex parte Cleri Comites decem & septem cum nobilibus multis: ex parte verò Civium missi quidam ex Spirensibus, Wormatiensibus, &

Fran-

Frankenfurtenſibus, verùm in illa diæta non fuit inter eos reformata Concordia.

Latrones & prædones devaſtant Regnum.

Fuerunt his temporibus circa Rhenum in Suevia, in Francia Orientali, & in eorum confinibus multi Latrones ex eorum ordine, qui de generis nobilitate ſine virtutum operibus gloriantur: qui vias itinerantium obſidebant in inſidijs latitantes, & ſpoliabant omnes, quotquot poterant invadere prætereuntes.

Imperator Sigiſmundus ex Italia veniens intravit Concilium

Anno præſcripto undecima die menſis Octobris intravit Baſileam Sigiſmundus Imperator ex Italiâ reverſus cum viginti duntaxat Equitibus, exercitu poſt ſe relicto. Patres autem de Concilio tunc laborabant ſuper depoſitione Eugenij à Papatu, propterea quòd tertiò & quartò citatus venire contemneret. Quibus Imperator totis viribus reſtitit, metuens Eccleſiæ turbationem, quæ & brevi poſt ſubſecuta fuit, aſſerens & litteris comprobans manifeſtis, quia Concilium approbans confirmaverit, & ſe perſonaliter venturum promiſerit.

Eodem quoque anno duodecima die menſis Novembris, quæ fuit quinta Feria poſt Feſtum S. Martini Sigiſmundus Imperator ſedens apud Baſileam in ſede Majeſtatis Jacobum Marchionem de Baden conſuetis Regalibus infeudavit. In ea pompâ ſolemni Wilhelmus Comes Palatinus Bavariæque Dux Imperialem globum tenebat manibus; Conradus de Winſperg ſceptrum, & Marſchalcus de Pappenheim in dextrâ ferebat gladium.

Conventus Principum apud Baſileam.

Eodem tempore memoratus Imperator Sigiſmundus litteras & nuntios per Regnum Germaniæ deſtinavit univerſum, quibus omnes Principes Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates Regales, Duces Baronéſque & Regni Cives ad Baſileam vocans Civitatem, Imperiali citavit edicto ad reformandam in terris pacem, & reformandos non ſolùm mores Laicorum, ſed etiam Cleri. Cujus mandato plures conſentanei & obedientes venerunt, multi etiam manſerunt abſentes. Unde Imperator aliam indixit regnicolis diætam conveniendi Baſileæ ad Feſtum Epiphaniæ Domini anno ſequente proximo, ad quam omnes citavit ſub amiſſionis pœna Regalium, & omnium privilegiorum.

MCCCCXXXIV.

Conradus Archiepiſcopus Moguntinus moritur.

Anno Wolfframmi Abbatis Hirſaugiani VI. Indictione Romanorum duodecimâ mortuus eſt Conradus ex Comitibus Rheni Archiepiſcopus Moguntinus 10. die menſis Junij anno Pontificatus ſui XV. in Eccleſia principali Moguntina ſepultus cum honore, Clero, ut ſupradictum eſt, à Civibus expulſo, & in Ringaugiâ exulante.

Judæi Moguntinenſes ab Imperatore capiuntur.

Hujus tempore Pontificis multi fuerunt in Moguntiâ Judæi, quos omnes Rex Sigiſmundus neſcio quam ob cauſam præceperat carceribus mancipari, à quibus magnam auri quantitatem pro mercede libertatis extorſit, Cives etiam Moguntini hujus Epiſcopi temporibus Clerum omnem præter Fratres quatuor Mendicantium Ordinum & Monachos S. Jacobi in Monte ſpecioſo de Civitate violenter expulerunt, fractíſque domibus eorum ſpoliarunt. Poſt mortem verò Archiepiſcopi Conradi convenerunt in oppido Bingen Canonici majoris Eccleſiæ, quia Moguntiam intrare non permittebantur, & præmiſſis Jure præmittendis Theodoricum Schenck de Erbach unanimiter in Archiepiſcopum elegerunt, virum

Theodoricus Shenck de Erbach fit Archiepiſcopus annis xxv.

bonum,

bonum, mansuetum atque pacificum, qui præfuit annis quinque atque viginti, & multa bona fecit Ecclesiæ. Ipse reformationem unionémque nostram Bursfeldensem simul & Annale Capitulum primus in suâ Diœcesi Moguntinâ collaudavit, & privilegijs uti Apostolicis concessit.

Anno prænotato signum circa principum mensis Aprilis in Cœlo mirabile apparuit multis. Videbantur enim Circuli septem in modum Arcus Iridis contra Arcum mirabili ordine dispositi, ut ab vero Iridis arcu septem alij minores viderentur oriri.

Hyems etiam hoc anno fuit asperrima, cujus frigus & horror nimis diu perseverans homines & jumenta graviter affligendo tribulavit.

Bohemi per Imperatorem vocantur ad Basileense Concilium.

Eodem anno in Concilio Basileensi proficiente numero Principum & Prælatorum, Sigismundus Imperator scripsit Bohemis monens & exhortans eos benignissimè, ut qui se de Religione audiri cuperent, ad Concilium quantocius properarent, nec plus saperent, quam Universalis Sacrosancta Mater Ecclesia; quin potius cum Synodo sancta in his, quæ ad fidem pertinent, fideliter consentirent. Quòd si rationes in contrarium haberent legitimas, benignam eis pollicebatur audientiam, litterásque securi misit salvi conductus, promittens eis sub Fide Imperiali, néque in veniendo ad Concilium néque in stando ibidem, néque in redeundo ad propria quidquam fore timendum. In eandem formam Synodus sacrosancta scripsit Bohemis, securitatem Itineris, & quæcunque vellent dicendi & proponendi omnimodam promittens facultatem. His litteris Bohemi receptis legationem trecentorum equitum rursus mittunt ad Basileam, cujus Principes fuerunt Wilhelmus Costa non tam dignitate equestri quam Ecclesiarum direptione & destructione famosus, Joannes Rockenzana Pragensium Pseudo Episcopus, Nicolaus Galerus Taboritarum Sacerdos iniquus, & Petrus Anglicus patriâ multitudine scelerum commissorum jam dudum proscriptus. Sunt, qui scribunt etiam cum his advenisse Procopium Holi, id est, rasum, quem superius in Bello Polonico cecidisse & legimus & scripsimus. Postridie autem in Concilium vocati Bohemorum Legati venerunt, quos Julianus Cardinalis Præsidens Concilij benignè allocutus est, & luculentâ oratione ad ea, quæ pacis & Catholicæ unitatis erant, sapientissimè adhortatus est. Oratione finitâ Cardinalis libertatem loquendi, quicquid vellent, indulsit Bohemis, qui pauca responderunt, necessariam non habentes facundiam: nihil tamen ea vice dixerunt Evangelio & sacræ Scripturæ non conforme. Postulabant autem sibi audientiam dari in publicâ sessione, ubi & eorum Laici cum nostris interessent, quo innocentiam suam Universali patefacere possent Ecclesiæ, & se veros Christi Evangelij sectatores publicè demonstrare. Auditi sunt in publicâ sessione, uti petierant, & eorum articuli, quibus ab Ecclesiâ dissentiunt, patenter coram omnibus recitati. Deinde selecti sunt ex Bohemis quatuor, & ex Catholicis totidem viri ad examinandum & disputandum per singulos articulos, si & utrum sancto convenirent Evangelio. Disputatum est continuè diebus quinquaginta, & postremo in singulis victi articulis Hussitæ, cùm se victos minimè fatererentur, ad tractatus mutuos negotium transtulerunt, si fortè amicè possent ad meliora induci. Sed obscuratum est insipiens cor eorum, & ideo in suis vanitatibus obdurati sicuti advenerunt Schismatici, sic in sua quoque redierunt.

Bohemi cum trecentis equitibus venerunt ad Basileense Concilium.

Bohemi cum magna benevolentia uscipiuntur à Concilio.

Disputatione vincuntur Bohemi sed converti recusant.

Anno

Anno item prænotato non multò post discessum Bohemorum à Concilio Basileensi memorato, Sigismundus Imperator contractis iterum copijs in Hussitas movit exercitum, cui Meinhardum Baronem Catholicum præfecit Capitaneum. Aderant in eadem expeditione Duces Austriæ & Misnenses cum multis Christianorum millibus. Factâ autem congressione cum Thaboritis pugnatum est acriter, & ceciderunt uno die in exercitu Schismaticorum plusquam duodecim millia virorum, cæteri fuga sibi consuluerunt. Nec tamen potuerunt nostri semen pessimorum extinguere, usque in præsentem diem. Ex Catholicis autem in eo bello tria millia virorum ceciderunt.

Expeditio Christianorum quinta in Bohemos Schismaticos.

Eodem anno sexta die mensis Octobris in nocte Ventus horribilis & validus à mari Anglico veniens subitò, simul & à parte Aquilonis per ascensum Rheni, & omnes illi adjacentes Regiones usque in Longobardiam, tam in aquis, quam in aëre maximam excitavit tempestatem, quæ turres domos, & arbores fortissimas absque numero subvertit, homines & Jumenta inopinatè plura allidens oppressit, & infinita mortalibus damna intulit. Nam in totâ Civitate Herbipolensi in fenestris, & domorum tegulis plusquam trium millium florenorum attulisse damnum Civibus invenitur.

Ventus, qui turres & domos subvertit.

Anno etiam præscripto in die Festo S. Marci Evangelistæ subitò frigus inhorruit, quod Vinetorum vim per totam pene Franciam Orientalem destruxit: unde parùm vini crevit hoc Anno; Præpositus namque majoris Ecclesiæ, qui singulis annis septuaginta tria vini plaustra reponere pro Canonicorum præbenda ex statuto compellitur, hoc anno ex omnibus decimationibus Marchiæ Herbipolensis undecim plaustra duntaxat levavit.

Vineta frigore læduntur in die S. Marci.

MCCCCXXXV.

Anno Wolfframmi Abbatis VII. Indictione Romanorum XIII. hyems per tres menses duravit asperrima, cujus intenso frigore sementa, Vineta & arbores in multis locis graviter læsa perierunt. Unde & parùm vini crevit eo anno, tam in Orientali Francia, quàm in partibus Cis-Rhenanis. In solâ verò Alsatia læsionem Vineta non senserunt.

Hyems trium mensium fuit asperrima.

Eodem anno 26. die mensis Junij, quæ fuit Dominica post Festum S. Joannis Baptistæ proxima, celebratum fuit Ordinis nostri Capitulum Provinciale nonum Basileæ apud Prædicatores mandato Concilij Generalis. In quo præsederunt Ortvvinus S. Petri in Erpfurdia, Fridericus S. Marci Evangelistæ in Augiâ majore, Joannes S. Gregorij in Steyna, & Henricus in Faucibus Monasteriorum Ordinis nostri venerandi Abbates. Ad hoc Ordinis nostri Capitulum citati fuerunt omnes Provinciæ Moguntinæ Abbates, quemadmodum olim ad Constantiam auctoritate Generalis Concilij, & multa pro reformatione status Monastici seriosius pertractata, quæ mentes non penetrabant omnium. Aderat in Concilio Joannes Rhode Abbas S. Matthiæ Trevirorum vir sanctus & regularis disciplinæ instaurator vigilantissimus, quem Patres de Concilio Generalem Visitatorem & reformatorem Ordinis per Moguntinam & alias Diœceses constituerunt. Aderat etiam Wolfframmus hujus Monasterij Hirsaugiensis Reverendissimus Abbas, & cum magna devotione mentis, quæ pro reformatione Ordinis tunc à Concilio proponebantur Abbatibus, audivit.

Capitulum Provinciale Ordinis nostri IX. Basileæ habitum.

Wolfframmus Abbas Hirsaugiensis fuit Basileæ in Concilio,

Consilio

Consilio denique memorati Abbatis S. Matthiæ Trevirorum Joannis Rhode inductus, reformationes, institutiones & consuetudines observantiæ sæpius dictæ Bursfeldensis, repudiata Mellicensium infructuosa plantatione, Hirsaugiæ postmodum senex introduxit, ut infra suo loco dicetur.

Eugenius Papa Concilium celebravit Florentiæ cum suis.

Anno prænotato Eugenius Papa Concilium Basileense, quod prius approbaverat de consensu omnium Cardinalium, revocans transfert Ferrariam, ad quod ipse cum omni Curia sua se contulit à Bononia Civitate, in qua eatenus consueverat residere. Verùm congregata multitudine hominum apud Ferrariam, subitò pestis invasit urbem, unde compulsus necessitate Papa Eugenius ad Florentiam transfert Concilium. Interea Patres, qui apud Basileam fuerant congregati, non attenta revocatione Papæ, inchoatum ritè continuavere Concilium, & per Censuras Ecclesiasticas usque ad privationem Papatus contra Eugenium tanquam Schismaticum procedere statuerunt. Imperator autem Sigismundus unà cum Juliano Cardinale S. Angeli, qui Concilio tum præsidebat, se Patrum decreto constanter opposuit, & ne Papa deponeretur Eugenius, multis modis & rationibus impedivit. Enimverò ad memoriam revocare studuit, quanta in Ecclesia Dei mala protulerit Schisma tunc præteritum, quod cùm infinitis laboribus, impensis atque periculis vix tandem in Constantiensi Concilio fuerat ablatum: se quoque daturum operam Cæsar ipse promisit, ne Papa impediret Basileense Concilium, sed ejus acta probaret confirmaretque, & revocaret malè prolatam sententiam.

Concilium Basileæ contra Eugenium per Censuras agere voluit.

Miserabilis puellæ submersæ Historia.

Anno item prænotato Ernestus Dux Bavariæ, qui morabatur in Oppido Monacensi, 12. mensis Octobris die puellam quandam speciosissimam cujusdam Barbitonsoris sive Balneatoris in Straubingen filiam, quam filius ejus Dux Albertus nimio dilexit amore, habuitque loco uxoris Concubinam, de ponte apud Straubingen ligatis manibus & pedibus, absente tunc filio, in Danubium fecit præcipitari & submergi, rem peragens indignam Christiano Principe, ut sui generis intuitu juvenculam perderet innocentem. Quid enim si filius (cessante omni maleficio) dilexit in tantùm puellam, ut ejus amore nobilem recusaret desponsare uxorem quamcumque? nec primus inter principes fuit, nec ultimus, qui nobilitati præposuit pulchritudinem: Aut si rusticam, pulchram, & moribus virtutibusque decoratam etiam desponsâsset in occulto sibi uxorem, quia complacuit, erátne propterea tanquam malefactrix puella innocens aquarum submergenda fluctibus? Plures legimus nobilissimos principes humili ex genere sibi placentes elegisse uxores. Albertus igitur Dux cùm facinus paternum in amantissimam sibi puellam primùm audivisset commissum, præ nimio dolore cecidit in mentis defectum, & qui vivam ultra debitum amaverat, pro mortua cadens in terram, ut mortuus jacebat. Resumptis demum viribus in se reversus, & lachrymans nimium in ira perturbationis cum furore juravit, se capiti suo non daturum requiem, nisi mortem innocentis sibíque dilectissimæ puellæ in patrem suum & in omnes, qui consilium vel auxilium tantæ impietati dedissent, vindicasset. Contractis ergo hinc inde pugnatorum copijs Dux Albertus bellum patri filius indicit, villas incendit, Rusticos capit, spoliat & occidit, tantáque genitori damna inferre studuit, ut quolibet hoste sævior esse videretur. Tandem post multa, quæ sustinuit mala, Pater à Filio petit concordiam,

Innocens puella per Ducem submersa.

Jurat Filius necem puellæ se vindicaturum in Patrem.

cordiam, quam sub hac obtinuit conditione, ut videlicet Ecclesiam super Sepulchrum innocentis puellæ construere faceret, Beneficium Sacerdotale instituens in eadem Capellâ dotaret, ita ut pro ejus anima, quæ innocenter perijt, singulis diebus perpetuò Missa una legeretur. Et sic reformatur Concordia.

Inter Episc. & Cives Herbipolenses dissensio XVIII.

His temporibus inter Joannem de Brunn Episcopum Herbipolensem & Cives suos magna fuit suborta dissensio, Civibus avitam rebellionem contra Clerum suscitantibus. Anno igitur Dominicæ Nativitatis prænotato 25. die mensis Aprilis, quæ fuit solemnitate S. Marci Evangelistæ Festiva, Joannes memoratus Præsul cum magno suorum exercitu obsedit Herbipolim, & quinque in circuitu Molendina Civitatis incendio concremavit. Cernens autem quod urbem obtinere non posset, soluta obsidione ad Oxenfurt Oppidum duxit exercitum, quod fortissima obsidione per dies duodecim impugnans tandem expugnavit, & violenter cepit.

Cives Herbipolenses superantur ab Episcopo juxta Cellam.

Eodem anno in Vigiliâ Nativitatis Beatissimæ Mariæ semper Virginis, quæ fuit septima die mensis Septembris, Cives prædicti Herbipolenses contra Episcopum suum rebelles & inobedientes de Civitate ad pugnam egressi sunt, & consertis manibus haud procul à Monasterio Cellensi Præmonstratensis Ordinis juxta Moganum siti, quo itur ad Wertheim, in monte malè perierunt. Nam alij per milites Episcopi, gladio fuerant occisi, alij capti, atque pecuniâ redempti, & alij fugâ turpi mortem evaserunt. Postremò inter eos concordia facta est.

Ludovicus Barbatus Comes Palatinus à Principatu deponitur.

Anno etiam prænotato 25. die mensis Maij, Ludovicus Comes Palatinus Rheni Bavariæque Dux & sacri Princeps Elector Imperij jam senex, semicæcus, claudus & surdus suo regimine spoliatus est, per Ludovicum filium, Ottonem Fratrem, Comitem quoque de Liningen Emichonem, & totum Curiæ suæ Consilium, qui deinceps in amaritudine animi vixit annis fermè duobus, & obijt anno Wolfframmi Abbatis Hirsaugiensis nono. Ludovicus igitur Patri abrogato in principatu succedens præfuit annis XIV. uxorem habuit Margaritam filiam Amadei Sabaudiæ Ducis, qui postea factus Papa contra Eugenium, Felix in sua Obedientia nuncupatus est, de qua genuit Filium unicum nomine Philippum, paternæ virtutis simul & principatus Hæredem, de quo latiùs suo tempore loquemur. Fuit autem Ludovicus iste Pater Philippi vir bonus, pius, justus atque benignus, ab omnibus præceptoribus optimè institutus, amator Cleri, defensor pauperum, & Judex æquus omnium subditorum. Fratrem habuit nomine Fridericum tutorem postea Philippi justissimum & optimum principem, qui plura in Palatinatu reformavit Cœnobia, & ad Regularis observantiæ tramitem reduxit, de cujus magnificè gestis ordine suo inferius quod restat eloquemur.

Genealogia Palatinorum Comitum à Ruperto Rege usque ad nos.

Verùm, ut Genealogia Comitum Palatinorum scire cupientibus fiat manifesta, placuit nobis sermonem à Rege Ruperto altius repetere. Igitur Rupertus Germanorum Rex, de quo supra diximus anno Friderici Abbatis primo & secundo, Palatinus Comes Bavariæque Dux habuit uxorem nomine Margaritam Burggravij Nürenbergensis Filiam, de qua genuit Filios sex & tres Filias, quorum ista sunt nomina. Rupertus Pipan, Fridericus Amberg, Ludovicus Barbatus, Princeps Elector, Joannes in

Neuenburg, Stephanus in Zvveienbrucken, latinè, Gemini pontis, & Othonem in Mosbach. Filiarum verò nomina ista fuerunt. Agnes, Margarita, & Elisabeth numero tres.

Rupertus Pipan Comes Palatinus sine liberis mortuus est.

Rupertus primogenitus Ruperti Regis Germanorum, qui ut supra diximus anno Dominicæ Nativitatis XCIV. supra MCCC. contra infideles pugnaverat Turcas non satis fœliciter unà cum Joanne Burgundionum Duce & multis alijs principibus, vix evadens in magna paupertate cum paucis venit in patriam, & non multò post uxore carens sine liberis moritur, cujus Cadaver in Amberg oppido sepelitur.

Fridericus Amberg Comes Palatinus sine liberis moritur.

Fridericus Amberg secundo genitus Ruperti Regis ante patrem juvenis etiam sine liberis moritur, & similiter in prædicta Ecclesia Ambergensi tumulatur, & sic principatus Electorius ad tertio genitum Jure devolvitur.

Ludovicus Barbatus tertio genitus Ruperti Romanorum Regis Comes Palatinus Rheni Bavariæque Dux & Princeps Elector duas habuit uxores, quarum prima fuit Regis Anglorum Filia nomine Blanca, de qua filium genuit nomine Rupertum cognomento Engelland, qui ante Patrem sine liberis moritur, nec diu post mortua est & mater ejus Blanca Henrici Regis memorati filia. Qua mortua Ludovicus alteram duxit uxorem Mechtildem Ducis Sabaudiæ filiam, de qua genuit tres filios, Ludovicum Pium Patrem Philippi, de quo jam plura diximus, genitoris in Principatu successorem, Fridericum Philippi, ut dicemus postea Tutorem, & Rupertum Archiepiscopum Colonienscm.

Joannes Comes Palatinus Pater Christophori Regis Danorum.

Joannes quarto genitus Ruperti Regis Comes Palatinus Rheni & Dux Bavariæ duas habuit uxores, prima fuit Catharina filia Ducis Pomeranorum, ac Stetinensium, quæ peperit ei sex filios: Christophorum Regem Daniæ, Suediæ & Norvvegiæ, Othonem quóque, Joannem, Joannem alterum, Fridericum, & Adolphum, hi quinque omnes in pueritia sine liberis objerunt. Altera fuit uxor ejus filia Ernesti Ducis Bavariæ in Monaco, de qua liberos non habuit. Dux iste Joannes multa pro unitate fidei Catholicæ patravit contra Schismaticos in Bohemia, & plures ab eis insidias simul & damna perpessus est. Moriens tandem in senecture bona sepultus est in Neuenburg Bavariæ cum Patribus suis.

Stephanus Palatinus Gemini pontis Frater Friderici Cynonoti.

Stephanus quinto genitus Ruperti Germanorum Regis Comes Palatinus Rheni & Dux Bavariæ uxorem habuit Sophiam ultimi Comitis in Veldenz & Zvveibrucken filiam, cum qua & duos Comitatus prædictos Veldenziæ & Gemini Pontis obtinuit, & filios ex ea quinque suscepit; quorum ista sunt nomina: Fridericus primogenitus, qui dictus est Cynonotus, id est, Hundtsrucken, propterea quod partem Comitatuum in Spanheim & in Starkenburg consecutus morabatur in Symeren Oppido in paganis, qui Hundtsrucker dicuntur, situato. Hic duxit uxorem Ducis Geldriæ filiam nomine Margaritam, quæ peperit ei tres filios & duas filias apud Trevirim Moniales. Primus fuit Joannes patris successor in principatu, qui genuit Joannem hodie in Symeren principantem ex filia Comitis de Salm, & uxor ejus filia Christophori Marchionis Badensis. Rupertus secundo genitus Friderici Episcopus fuit Ratisbonensis. Fridericus autem tertio genitus hodie adhuc vivens Canonicus est Treverensis, Moguntinensis, Colonienscis & Argentinensis, vir moribus & vita honestissimæ conversationis. Secundo genitus Ducis Stephani Ludovicus

Fridericus Bavariæ Dux Cynonotus.

Joannes Dux Cynonotus.

fuit

fuit cognomento Niger, qui Ducatum Veldenziæ simul obtinuit & Gemini pontis. Uxorem habuit Gallicanam, quæ peperit ei duos filios, & unam filiam nostri Ordinis juxta Bopardiam Monialem. Primogenitus Ludovici nomine Caspar ducta uxore cùm esset impotens & inutilis adgenerandum, testiculos sibi patre nesciente fecit præscindi. Unde commota uxor ab eo discessit ad genitorem suum reversa, & Dux Caspar pro fatuo habitus dolo fratris custodiæ mancipatus est usque in præsens. Secundogenitus nomine Alexander fratri captivo succedens in Ducatu hodie claudus ex morbo pustularum & valetudinarius terram gubernat suam. Genuit autem Ludovicus Dux Niger & alios filios ministerio dicatos Ecclesiastico, quorum mihi ignota sunt nomina. De præscriptis suo tempore latius dicemus.

Ludovicus Dux Niger.

Alexander Dux.

Otho Sextogenitus Ruperti Regis cognomento Mosbach, propterea, quod ipsum Oppidum Mosbach cum alijs ad illud pertinentibus à Patre acceperat in hæreditatem, & morabatur in eo, habuit uxorem filiam Ducis Bavariæ in Landtshuta commorantis, de qua genuit Othonem Mosbach, qui nostris temporibus sine uxore permanens etiam sine liberis est mortuus, & sic Mosbach cum omnibus pertinentijs suis ad manus Philippi Comitis Palatini iterum revolvitur, Rupertum quoque Episcopum Ratisbonensem, Joannem Canonicum, & Albertum Episcopum Argentinensem; & in istis Genealogia Ducis Othonis memorati defecit.

MCCCCXXXVI.

Concilium Ferrariæ celebratur à Papa Eugenio contra Basileense.

Anno Wolframmi Abbatis VIII. Indictione Romanorum XIV. durante Basileensi Concilio Eugenius Papa suum apud Ferrariam urbem, ut supra diximus, Concilium inchoavit.

Intereà Græci venerunt navigio usque Venetias, facturi unionem cum Ecclesiâ Romanâ, sed cùm tutò propter pestem Ferrariam accedere non possent, aliquandiu ibidem substiterunt. Laboratum est haud mediocriter per Patres tunc apud Basileam congregatos, ut ad eorum Concilium accederent Græci pro unione facienda, quod nisi Papa Eugenius cautè prævenire studuisset Concilium transferendo, suum libenter illi feciissent.

Dux Bavariæ Albertus filius Ernesti duxit uxorem.

Eodem anno Albertus Comes Palatinus Rheni Bavariæque Dux filius Ernesti, filij Joannis, filij Stephani, filij Ludovici Imperatoris IV. de quo paulò ante fecimus mentionem, duxit uxorem Annam Ducis Brunschvicensis filiam, nuptijs in oppido Mönchen cum ingenti pompâ celebratis, de qua genuit plures filios & filias. Quorum primogenitus nomine Albertus uxorem habuit filiam Friderici Imperatoris III. Maximiliani Cæsaris nostri Sororem, quæ inter plures liberos Wilhelmum peperit primogenitum, qui hodie patris obtinet Ducatum.

Fridericus Austriæ Dux sepulchrum Domini visitavit.

Anno prænotato Fridericus Dux Austriæ postea Imperator Romanorum ejus nominis III. filius Ducis Ernesti annum ætatis habens primum atque vicesimum, de cujus nativitate supra diximus anno Friderici Abbatis Hirsaugiensis XV. piæ devotionis instinctu sanctum Domini sepulchrum cum multa nobilium comitiva visitavit in Hierosolymis, militiámque suscepit.

Canonici Herbipolenses Duces fiunt exercitus.

Eodem anno tertia die mensis Augusti, Richardus Mosbach Decanus majoris Ecclesiæ Herbipolensis & Fridericus Schæderer Canonicus exercitum Ecclesiæ duxerunt contra Cives Herbipolenses, Ochsenfurt oppi-

dum occupantes, quo potenter recuperato secum nonnullos abduxere captivos, inter quos fuerunt Eytelvvolfus de Wernberg, de Hain, de Gich milites, cum alijs nobilibus multis.

Vineta frigore læsa per Franciam Orientalem.

Anno item prænotato in principio Maij frigus Germanica Vineta per totam Franciam Orientalem graviter læsit, unde parùm vini crevit, Præpositus námque majoris Ecclesiæ Herbipolensis, qui communibus annis ducenta vini plaustra consuevit habere, hoc ipso anno ex omnibus decimis suis uno tantum plaustro vini cogebatur esse contentus. In alijs tamen plerísque regionibus Germaniæ multum vini crevit, maximè in Alsatiâ, Cis-Rhenum, & circa Mosellam.

MCCCCXXXVII.

Anno Wolfframmi Abbatis IX. Indictione Romanorum XV. obijt Joannes ultimus in Spanheim sine liberis in Castello suo Cis-Mosellano Starckenburg nuncupato, & in Ecclesia Parochiana oppidi Tranerbach sepultus est. Cujus ambo Comitatus Spanheim videlicet anterior dictus, & Starckenburg, sicut hodie manent, fuerunt divisi inter Ludovicum Palatinum Rheni Comitem Bavariæque Ducem, ac Principem Electorem Heidelbergæ commorantem, Stephanum quóque Palatinum Rheni Comitem, Bavariæ Ducem, Gemini pontis & Veldenziæ Comitem, qui morabatur in Zvveienbrucken, & Jacobum Marchionem de Baden inferiori, ubi & habitandi residentiam faciebat. De hac divisione Comitatuum præscriptorum plura notavimus anno Friderici Abbatis XIII. ubi Stephanum Comitem Palatinum Rheni Bavariæque Ducem Ruperti Regis filium, Sophiam ultimi Comitis Gemini pontis & Veldenziæ diximus accepisse uxorem, cum qua utrúmque comitatum obtinuit, simul & Spanheimensem unà cum Starckenburg, quia propinquitatis Jure hæres fuit unica quatuor præscriptorum Comitatuum; nam quicquid Palatinus Comes, aut Marchio Badensis in Comitatibus Spanheim & Starckenburg, hodie Juris habent, non ex genere propaginis, sed ex donatione possident inter vivos.

Comitatus Spanheim inter Palatinos & Badenses dividitur.

Eodem Anno Feria quinta post Festum SS. Philippi & Jacobi Apostolorum in principio mensis Maij, iterum frigoris & grandinis horrenda tempestas Vineta circa Herbipolim devastans vini copiam destruxit, licet non in tantùm, sicut præcedenti anno, nàm mensura vini octo novémque vendebatur denarijs apud Herbipolenses. Denique panis inopiâ laboratum est apud eosdem per totum annum usque ad Festum Paschatis anni sequentis.

Sigismundus Imperator in Moravia constitutus ægrotare cæpit.

Anno prænotato Sigismundus Imperator senio confectus graviter ægrotare cæpit, qui vocatis ad se primoribus Regni Ungariæ ultimam voluntatem suam, ut animo disposuerat, ordinavit: Successorem sibi designans in utroque Regno, Bohemiæ scilicet & Ungariæ, Albertum Ducem Austriæ generum suum virum strenuum, justum, & regio honore dignum: quem ut concorditer se promitterent suscepturos, precibus evicit. Ad Bohemos item, ut idem facerent, se mortuo, litteras præordinavit vivens, atque Oratores, qui testamentum ejus pro susceptione Alberti ad Regnum Bohemiæ aperirent.

Imperator Sigismundus septuagenarius in Moravia moritur.

His rite ordinatis simul & Sacramentis Ecclesiasticis præmunitus Imperator Sigismundus diem clausit extremum anno prænotato, octavo die

die Decembris, anno ætatis suæ septuagesimo: Regnorum Ungariæ quinquagesimo primo, Bohemiæ decimo septimo, Germaniæ vigesimo septimo, & Imperij Romani anno quinto, & in Ecclesia Waradinensi honorificè sepultus est.

Albertus Austriæ Dux fit Rex Ungariæ, nota.

Mortuo Imperatore Sigismundo Regnum Germanorum cum Imperio Romano vacavit in annum sequentem. Ungari autem, ut rogati fuerant, generum Sigismundi Cæsaris defuncti Albertum Austriæ Ducem susceperunt in regem, sed eâ conditione juramento firmatâ, quod nec Germanorum, nec quodcunque regnum susciperet; sed unicè Ungariæ regno deberet esse contentus, quod tamen minimè servavit. Posteaquam enim Ungariæregnum fuerat assecutus, legatos à socero deputatos misit in Bohemiam, ut ejus defuncti ultimam publicarent voluntatem Bohemis, & regnum peterent sibi testamentario jure delegatum. Bohemi legatorum oblatâ oratione persuasi Albertum in regem suscipiunt anno Wolfframmi Abbatis Hirsaugiani decimo, die mensis Maij sexta.

Adolphus Dux Montensium & Juliacensium sine liberis moritur.

Anno etiam præscripto in mense Septembri moritur Adolphus Dux Juliacensis & Montensis sine liberis, justo DEI judicio, ut qui proprium peccarat in patrem, Pater esse non mereretur, cujus corpus in absside meridionali Ecclesiæ S. Pantaleonis nostri Ordinis in Colonia sepultum est. Qui continuis in vita bellis nimium exhaustus inops penè ac pauper decessit. Principatum suum ære alieno gravatum relinquens Gerhardo nepoti de Ravenspurg fratris sui filio, quem & pacificè intrans obtinuit.

Fames hoc anno magna fuit in terris, & frumentum in charo pretio præcipuè circa Rhenum & Mosellam, in Hollandia quoque, Seelandia & Hannonia & Francia Orientali, ut paulo ante diximus, quæ mortales graviter afflixit: nec solum homines multos, sed etiam plura jumenta peremit.

Ludovicus Barbatus Comes Palatinus Rheni & Dux Bavariæ obijt.

Anno prænotato ultima die mensis Decembris, obijt Ludovicus Barbatus, Comes Palatinus Rheni Bavariæque Dux & Princeps Elector, filius quondam Regis Germanorum: Ludovicum Pium ex Mechtilde filia Ducis Sabaudiæ Amadei, papæ postea Felicis, legitima filium relinquens hæredem. Cujus frater secundogenitus Ludovici Barbati Fridericus non duxit uxorem, ne principatus iteraretur divisio: genuit tamen ex nobili quadam fœminâ filium nomine Ludovicum, qui hodie Comes est in Lövvenstein, cujus matrem, ut ferunt, priusquam moreretur, in facie Ecclesiæ duxit uxorem. Rupertus autem tertiogenitus Ludovici Barbati Archiepiscopus fuit Colonienſis post Theodoricum, & ante Hermanum: de quo suo tempore latius dicemus. Filias reliquit etiam tres, quarum una Gandavi fuit monialis cum sanctâ Coletâ. Secunda similiter fuit Monacha Coloniæ. Tertia primò nupsit Comiti de Wirtenberg, & postea Duci Austriæ Alberto fratri Friderici Imperatoris tertij.

Uxor Comitis Wirtenberg Palatina Mechtildis.

MCCCCXXXVIII.

Sexcentesimus Hirsaugiensium annus hic est.

Annus iste Wolfframmi Abbatis decimus sub Indictione Romanorum prima, ab introitu fratrum primo de Fulda in Hirsaugiam sexcentesimus, fuit divina miseratione continuatus. In quibus quidem annis sexcentis, quidquid actum circa Monasterium vestrum, ô Fratres Hirsaugienses charissimi, dignum invenire potui, in hoc opus chronicorum comportavi, non sine laboribus multis & vigilijs in noctem sæpe continuatis.

Unde quicúnque Hirsaugianorum hæc legerit fratrum, dicat jam precor mente fideli ad Dominum: *Miserere Domine DEUS animæ famuli tui Joannis Trithemij Abbatis, & omnia ejus peccata remitte per innocentissimam mortem unigeniti Filij tui Domini nostri JESU Christi, qui tecum vivit & regnat in Unitate Spiritus S. DEUS per omnia secula seculorum, Amen.*

Oratio pro Trithemio.

Anno prænotato circa medium quadragesimæ convenerunt Principes Electores, & habitis inter se tractatibus necessarijs vicesimo die mensis Martij, Albertum Ducem Austriæ Sigismundi defuncti Imperatoris generum Regem Germaniæ ad Romanorum Imperium concorditer elegerunt, virum optimum strenuum & pium, qui annis tantum præfuit duobus. Verùm ut paulò ante diximus, juramento se adstrinxerat Ungaris, quod neque imperium deberet assumere Romanum, neque aliud quodcúnque regnum: vix tandem precibus Friderici Ducis Austriæ inducti Ungari consenserunt, ut regnum assumeret Germaniæ cum Imperio Romano sibi Franckfurdiæ oblatum. Quo tandem suscepto ad Aquasgrani ducitur, & per manus Theodorici, Archiepiscopi Colonienſium solemniter in Regem unctus coronatur.

Eugenius Papa Legationem ad Basileense Concilium misit.

Eodem anno ab Imperatore Sigismundo viam universæ carnis in Moravia, ut diximus, ingresso, Eugenius Papa neminem habens quem timeret, Concilium Basileense statuit revocare, sed metuens ne schisma in DEI Ecclesia sequeretur, misit ad illud Nicolaum Abbatem nostri Ordinis de Sicilia Panormitanum Archiepiscopum Monarcham Juristarum, cum alijs quibusdam viris solemnibus, per quos Patres monuit Basileæ congregatos, ut à cæptis desisterent, & sibi, ut vero Christi Vicario in omnibus fideliter obedirent. Qui quidem Archiepiscopus cùm Basileæ in Concilio, tum Ratisbonæ & Franckenfurti in conventu principum, & alibi multas orationes pro Eugenio habuit, & causam ejus fideliter promovit, sed impedire Concilium non potuit. Nam Patres apud Basileam constituti, non obstante Legatione Archiepiscopi Panormitani, Eugenium Papam cum suis Cardinalibus ut ad Concilium veniret citaverunt, quem ut in sua opinione permanentem viderunt, contra eum tanquam schismaticum procedunt, atque postremo deponunt absentem à Pontificatu, & Amadeum Eremitam Ducem quondam Sabaudiæ in Papam elegerunt, Felicem ejus nominis quartum appellantes.

Concilium Basileense Papam Eugenium tertio citavit.

Mechtildis Ludovici Barbati uxor moritur.

Anno prænotato prima die mensis Julij, obijt Ernestus Dux Bavariæ in Ecclesia Monacensi sepultus, filium relinquens nomine Albertum, per quem Genealogia Ducum Bavariæ continuatur, quemadmodum paulo ante diximus.

Eodem anno duodecima die mensis Maij, obijt Heidelbergæ Mechtildis uxor quondam Ludovici barbati Comitis Palatini Bavariæque Ducis, de quo plura in superioribus per ordinem jam diximus, mater pauperum pientissima.

Mons Gigantum ab Joanne Herbipol. Episcopo obsidetur.

Anno item prænotato vicesima quarta die mensis Augusti, Joannes Episcopus Herbipolensis contractis suorum copijs castellum prædonum Rüssenberg nomine, munitissimum obsedit, quod per dies plures machinis & varijs modis impugnans, cùm expugnare non posset, solutâ obsidione recessit, cautione acceptâ, quod hostes Ecclesiæ deinceps non hospitentur.

Eodem

Eodem anno Rhabanus de Helmstatt Archiepiscopus Trevirorum & Spirensis Ecclesiæ antistes jam senio gravatus, quorundam consilio inductus, Joannem Episcopum Leodiensem in Coajutorem suum pro Trevirorum Ecclesia assumpsit. Quod majori parti Canonicorum haud parum displicuit, & damna non parva (sicut plures eo tempore opinabantur) dictæ provenerunt Ecclesiæ.

MCCCCXXXIX.

Armeniaci Galli devastant Alsatiam in odium Concilij.

Anno Wolfframmi Abbatis Hirsaugiani undecimo, Indictione Romanorum secundâ, Patribus in Concilio Basileæ congregatis, per censuras contra Eugenium Papam procedentibus, ipsúmque à Pontificatu deponere instituentibus, quod & eodem anno factum est, Ludovicus Delphinus Viennensis Galliæ & Comes Armeniacus cum viginti quinque millibus pugnatorum ab ipso Pontifice, ut dicebatur, in dissipationem Concilij suscitati venerunt in Alsatiam, & prædas cum incendio ac nece pauperum rusticorum circa Basileam, Argentinam, Colmariam, & Alsatiam totam sine misericordia crudeliter exercebant, villanis ad urbes confugientibus tantum salvis.

Armeniaci superantur à Suitensibus.

Imprimis igitur confœderati Suitenses anno prænotato in mense Augusto, primò feliciter, postea verò infeliciter cum Delphino & Armeniacis pugnaverunt, & plusquam duodecim millia eorum peremerunt, quorum omnia bona rapientes in suos usus converterunt. Ex Suitensibus etiam in secundo congressu pauci remanserunt, sed penè omnes fuerunt occisi, quod eis propterea contigit, quia nec suis obedire Capitaneis voluerunt, nec monitis Basileensium optimis fideliter denuntiatis acquiescere, quin potius unicum à Basileensibus missum, qui eis nuntiavit innumerabilem Armeniacorum multitudinem ultra flumen latere, comprehensum interfecerunt, arbitrantes, Basileenses eorum gloriâ invidiosè torqueri, & contra prohibitionem suorum Capitaneorum amne transmisso succubuerunt. Nihilominus fortissimè agentes in medio inimicorum concluſi, & ab ortu solis usque ad occasum pugnantes, cùm se viderent in mortis articulo constitutos, non pauciores XIII. millibus hostium occiderunt.

Armeniaci dicebantur die arme Jäcken die Schnäcken vel die Schneider.

Biennio & 6. mensibus turba ista malignantium Armeniacorum devastavit Alsatiam, nemini deferens, nemini servans fidem & litteris & Sacramentis confirmatam; nam promissis quoscúnque potuerunt decipientes, ut rebus & corporibus persisterent salvi, posteaquam fuissent munitionibus intromissi, direptis omnibus, nihil promissorum servabant. Sic intromissi fuerant in Walzhuot, in Lauffenburg, in Seckingen, in Reinfelden, & in alijs Helvetiorum, & Alsatiorum oppidis & castellis pluribus. Multa per illud triennium fecerunt incolis mala, diripientes omnia quæcunque potuerunt invenire, pauperes, qui se redimere pecuniâ non potuerunt, infinitis & horrendis cruciatibus affectos sine misericordia in arboribus suspendebant.

Armeniaci per Ludovicum Palatinum Comitem cæsi fugantur.

Postremo anno Wolfframmi Abbatis XIV. Ludovicus Comes Palatinus Rheni, Bavariæque Dux & Princeps contracta multitudine pugnatorum auxilio vicinorum Principum & Civium Regni Germanici, Basileensium, Argentinensium, Schletstattensium, & aliorum haud procul à Basilea in ipsos Armeniacos potenter irruit, & multis eorum peremptis, reliquos in fugam convertit. Delphinus autem cum paucis vix evasit Comitibus

&

& nobilibus suis, quos adduxerat, multis in diversis locis amissis. Non adjecit ampliùs redire in Alsatiam, Germanorum expertus fortitudinem.

Constitutio Basileensis Concilij pro reformatione Ordinis nostri editur.

Anno prænotato, Patres de Concilio apud Basileam congregati ad instantiam quorundam Ordinis nostri Abbatum (quorum DEUS corda inclinaverat ad observantiam regularem) constitutionem unam pro Reformatione Monasteriorum satis utilem edentes, Provinciali capitulo Moguntinæ provinciæ & Bambergensis Diœcesis tradiderunt: quæ incipit: *Inter curas multiplices, quibus in occurrentium rerum & negotiorum, &c. Datum Basileæ x. Calendas Martias, anno à Nativitate Domini MCCCCXXXIX.*

XII. Abbates ordinantur visitatores per Concilium.

Eodem tempore Concilium Basileense memoratum ex Abbatibus Ordinis nostri duodecim visitatores per Moguntinam provinciam deputavit, inter quos erat vita & eruditione præcipuus Joannes Rhode Abbas Monasterij S. Matthiæ Apostoli extra muros Trevirorum, de quo plura diximus. Hi XII. Abbates habebant visitare & reformare auctoritate Concilij Generalis omnia & singula Monasteria per dictam provinciam Moguntinam ubilibet constituta, tam Monialium quam Monachorum. Et notandum, quod juxta constitutionem Benedicti XII. Provincia Moguntina cum Bambergensi Diœcesi exempta, quantum ad Cœnobia pertinet Ordinis nostri, unum facit Capitulum provinciale, Abbatias habens hodiè c. & xx. De qua Provincia ab Ordine translata sunt à tempore Concilij Constantiensis in Ecclesias Canonicorum sæcularium decem Monasteria. Provinciæ autem Colonienſis & Trevirensis pro una computantur, in qua sunt fermè LX. Monasteria, quorum Abbates unum faciunt Provinciale Capitulum. Provinciæ quoque Magdeburgensis & Bremensis in Saxonia computantur pro una, in qua Monasteria nostri Ordinis sunt XV. quorum Abbates similiter faciunt capitulum, cui & Abbates Caminensis Diœcesis sunt incorporati. Provincia Salzburgensis in Bavaria Ordinis nostri clara habet Monasteria, quorum Abbates unum faciunt provinciale capitulum. Harum sex Germaniæ provinciarum Ordinis nostri Abbates, quatuor faciunt Capitula Provincialia, quibus omnibus & singulis in Concilio Visitatores fuerunt Ordinati.

Ordinis nostri sunt provinciæ 82. & faciunt capitula 32.

Sunt autem totius Europæ Provinciæ LXXXII. cum insulis in mari Mediterraneo & Germanico adjacentibus, quarum Ordinis nostri Abbates faciunt capitula provincialia XXXII. Sed hodiè in paucis capitula provincijs servantur propter Abbatum superbiam & nimiam deformitatem Monachorum. Tria in Germania scimus Capitula de triennio in triennium servari, videlicet Moguntinensium unum, Trevirensium & Colonienſium unum, Bremensium & Magdeburgensium similiter unum. In cæteris verò Provincijs, ubi Provinciale Capitulum servetur, aut ubi non servetur, nostram fugit scientiam.

Capitulum Ordinis nostri x. celebratur Nürenbergæ.

Anno item prænotato in Dominica tertia post Festum Dominicæ Resurrectionis, quæ fuit XXVI. die mensis Aprilis, celebratum fuit decimum à tempore Concilij Constant: Ordinis nostri provinciale Capitulum Nürenbergæ apud S. Ægidium. In quo præsederunt Hartungus S. Petri in Erphurdia, Georgius S. Ægidij in Nürenberga, Nicolaus S. Blasij in Nigra Sylva, & Henricus in Amorbach Monasteriorum nostri Ordinis Abbates. In eodem Capitulo Bulla seu Constitutio Basileensis Concilij, de qua paulo ante jam dictum est, præsidentibus, & cætui Patrum

&

fuit exhibita, quam debita cum reverentia suscipientes omnibus mandarunt servandam capitulo subjectis.

Eodem anno Rhabanus de Helmstatt Archiepiscopus Trevirorum suam considerans ætatem senio gravatam, eo quod Ecclesiæ suæ deinceps utiliter præesse non posset, habito suorum consilio, & imprimis Coadjutoris sui Joannis Episcopi Leodiensis, Archiepiscopatum Trevirensem Jacobo de Sirka, qui antè ipsum in dissensione cum Udalrico de Manderscheit, ut supra diximus, anno Wolfframmi Abbatis secundo, electus fuerat, resignavit de consensu totius Capituli, reservata sibi pensione annua, de facultatibus Ecclesiæ, ut posset vivere, quibus ritè peractis ad Ecclesiam suam Spirensem, unde venerat, reversus est.

Capitulum Ordinis nostri x. celebratur Nürenbergæ.

Jacobus autem in Archiepiscopum Trevirorum per Concilium Basileense confirmatus, & in Castro Meyenberg consecratus præfuit annis XVII. Vir optimus, animo præstans, & per omnia magnificus, qui magnanimitate, & prudentia sua omnes sibi, vel Ecclesiæ adversantes potenter superavit: & majoris Ecclesiæ suæ quosdam rebelles ad obedientiam revocavit. Enim verò cùm vitam & mores eorum pravos attentaret corrigere, illi in rebellionem erecti, quò disciplinam pastoris effugerent, se legibus subjecerunt civilibus; quod cùm Archiepiscopus in propria persona detulisset ad Romanum Pontificem, litteras ab eo compulsoriasimpetravit, quibus Papa præcepit eos, aut beneficijs cedere omnibus, aut civilitati, quam temerè assumpserant, renuntiare.

Rhabanus de Helmstatt Archiepiscopus Trevirensis Jacobo resignat Ecclesiam.

In primo suo ad Ecclesiam Trevirorum introitu Jacobus omnia penè reperit desolata, Archiepiscopatum ære alieno nimis gravatum, omnes proventus annuos & census, oppida, Castella, & Telonia creditoribus impignorata ratione bellorum, quibus Rhabanus Archiepiscopatum sibi acquisiverat. Nam ut eo tempore invenimus computatum, ad quatuor centena millia florenorum Ecclesia Trevirensis in primo introitu Jacobi ad Archiepiscopatum creditoribus tenebatur, pro quibus omnia ferè erant obligata. Et quamvis promptuaria cuncta reperisset exhausta & vacua, cogebatur tamen à principio dare Joanni Episcopo Leodiensi, qui fuerat Coadjutor Rhabani, sexaginta florenorum millia, Antecessori suo mutuata.

Jacobus de Syrka fit Archiepisc. Trevirensis annis XVII.

Omnia bona Ecclesiæ Trevirensis impignorata pro 400000. florenis.

Anno autem præcedente Rhabanus priusquam resignaret Archiepiscopatum Trevirorum, hoc est, anno Wolfframmi Abbatis X. die mensis Januarij 8. de consensu Capituli in favorem nepotis Rheinhardi de Helmstatt majoris præpositi, etiam Spirensem Ecclesiam resignavit, cujus Episcopus fuerat annis XXXV. Commendatarius verò quamdiu fuit Archiepiscopus Trevirorum, annis VII. qui simul computati faciunt annos XLII. in tertio Ecclesiæ cessit Trevirorum.

Post resignationem voluntariam Rhabani de Helmstatt in Episcopatu Spirensi nepos ejus Rheinhardus de Helmstatt major præpositus, consensu totius Capituli succedens præfuit annis ferme XVII. homo quietus & tranquillus, sub cujus regimine, ut suo loco dicemus, major Ecclesia Spirensis igne fuit exusta.

Reinhardus de Helmstat fit Episcopus Spirensis annis XVII.

Anno prænotato XIV. die mensis Septembris obijt Gobelinus Abbas Monasterij quondam mei Spanheimensis anno regiminis sui octavo non completo. Huic in Abbatia Spanheimensi successit Fridericus de Nakheim,

Fridericus fit Abbas in Spanheim.

heim, & præfuit annis v. mensibus vii. diebus vi. Monachis in magna deformitate viventibus, & Monasterio in utróque statu spiritualium & temporalium nimis collapso.

Joannes de Brunn Episcopus Herbipolensis capitur in Hirtzhorn.

Eodem anno Joannes de Brunn Episcopus Herbipolensis & Franciæ Orientalis Dux unicus, quam ob causam nescio (nisi forsitan debitorum à Domicellis de Cornu Cervi hoc est Hirtzhorn) capitur, & 3. mensium spatio detinetur captivus. Fuerunt qui dicerent, hunc Pontificem Ecclesiam ære nimium gravasse alieno, & inter multos creditores etiam ab illis de Hirtzhorn summam notabilem mutuo accepisse pecuniarum, quam in tempore non restituerit constituto, ideò manus eorum incidisse captivum, quod veritati satis apparet esse consentaneum.

Anno item prænotato xiv. die mensis Novembris, obijt Rhabanus de Helmstatt quondam Episcopus Spirensis & Archiepiscopus Trevirensis. Spiræ sepultus in medio Ecclesiæ Principalis anno Pontificatus sui xliii. nondum completo. Vir prudentia ingenio consilio & animi constantia singularis, qui pro defensione libertatis Ecclesiasticæ totum libens semper exposuit quod fuit. Ad honestos pro patria labores natus, omnibusque omnia factus veluti alter Machabæus Clerum de injusta servitute Civium prudentia simul & armis potenter liberavit.

Anno Wolfframmi Abbatis præsignato vinum apud Francos nostros Orientales in caro pretio fuit; nam à principio anni usque ad Festum S. Jacobi mensura vendebatur una pro x. denarijs novis. Circa festum autem Archangeli Michaëlis vinum iterum tantum subitò vilescere cæpit, ut una mensura pro uno denario venderetur. Frumenta toto anno in vili pretio fuerunt; nam siliginis maldrum unum duobus talentis, hoc est, decem solidis, quorum xxvii. florenum faciunt, emebatur.

Eodem anno xviii. die mensis Septembris hora prima, minuto quinquagesimo nono post meridiem, natus est Comes Bertholdus Comes in Henneberg, qui postea ex Decano majoris Ecclesiæ factus est Archiepiscopus Moguntinus: vixit annis lxvi. Archiepiscopus fuit annis xxi.

Albertus Rex Germanorum moritur.

Anno item prænotato xxvii. die mensis Octobris, hoc est, in Vigilia SS. Simonis & Judæ, obijt Albertus Rex Germaniæ, Bohemiæ, Ungariæ, Dalmatiæque, Dux Austriæ, & Comes Tyrolis, in Alba Regali sepultus anno regni Germanici susceptí secundo, minus 4. mensibus, & 21. diebus, Princeps magnificentia & liberalitate omnium clarissimus, quo dignus non erat mundus, & ideò in brevi complevit tempora multa, quia placuit Deo anima ejus, propterea citò abstulit eum de medio tenebrarum, ut gaudeat in æternum.

Joannes Rhode Abbas S. Matthiæ apud Trevirim obijt.

Eodem quoque anno prima die mensis Septembris obijt Joannes Rhode Abbas Monasterij S. Matthiæ Apostoli extra muros Trevirorum, anno ætatis suæ lxiv. Abbatialis verò dignitatis xx. vir moribus & conversatione integer & sanctus: qui furores Monachorum carnalium sua prudentia domuit, eorum vitia corripuit, Bursfeldinæ Observantiæ fundamenta primus collocavit; de cujus Opusculis & vita in superioribus plura jam diximus.

Eugenius Papa per Concilium Basileense absens deponitur.

Anno memorato xvii. die mensis Novembris Patres in generali Concilio apud Basileam congregati Eugenium Papam sæpius citatum rogatum & vocatum jamque diu expectatum, sed venire contemnentem, ut

schismaticum

schismaticum atque rebellem Ecclesiæ à summo Pontificatu per sententiam deposuerunt absentem. Quæ præsumptuosa res cùm ad ejus notitiam devenisset, nequaquam animo concidit, sed habito sæpius conventu Cardinalium, discussâque Græcorum & Latinorum dissensione, tandem eo ventum est, ut Græci rationibus victi faterentur, Spiritum S. à Patre simul & Filio procedere, Purgatorium esse, Corpus quoque Dominicum in azymo sine fermento pane triticeo fore dicerent consecrandum. Denique ut infirmaret Concilium Basileense Eugenius, suásque partes roboraret, in publico residens consistorio XVIII. Cardinales de novo creavit, quorum in numero duo Græci fuerunt, Nicænus & Ruthenus, per quos Græcos in fide Romanæ Ecclesiæ sperabat facilius posse contineri, qui tamen brevi postea iterum defecerunt.

Amadeus Monachus fit Papa in Concilio Basileensi Felix V. dictus.

Igitur Eugenio per Concilium Basileense à Pontificatu, sicut diximus, deposito, mox ordinati sunt ex Patribus nonnulli, quibus potestas data fuit, ut novum Ecclesiæ Pontificem eligerent. Qui secedentes à multitudine conclave ingressi sunt, & scrutatis ex more votis, Amadeum Monachum Eremitam Ducem quondam Sabaudiæ in Papam concorditer elegerunt. Mittuntur statim ad Ripaliam Cœnobium, in quo degebat, nuntij & Oratores, qui vocent electum ad Pontificatum, qui consurgens venit ad Concilium, & præmissa Consecratione solemni Pontificium munus libens subivit oblatum. Nuncupatus est in sua obedientia Felix V. & præfuit in ea annis IV. postea cessit Nicolao V. Eugenio jam vita defuncto, quemadmodum suo loco dicemus.

In partes tres Ecclesia dividitur, & tres in cœlo soles videntur.

Eo tempore in cœlo tres soles apparuisse leguntur, divisum in 3. partes statum Ecclesiæ, ut multi opinabantur, significantes. Nam una pars sequebatur Eugenium ut verum Christi Vicarium, in qua fuerunt Itali, Lombardi, Apuli, Galli, & Hispani. Alia verò pars Felici adhærebat, in qua erant Teuthonici, Burgundiones, Sabaudi, & penè Germania tota. Tertia pars eorum hominum fuit, qui neque Felicem sequebantur, neque Eugenium, & ideò se neutrales nominabant, existimantes hanc viam tutiorem, si duobus de Papatu contendentibus, neutrum observent. Sed meo judicio cæteris periculosius erraverunt, cùm præsertim sapienti non sit dubium, alterum ex duobus legitimum fuisse Pontificem, sive Felix fuerit, sive Eugenius. Quomodo ergò neutralis bonâ conscientiâ esse possum, quando non vacat Ecclesia, quamvis nesciam, quis duorum sit Pontifex? satius igitur & tutius in simili casu est, rationis judicio unum sequi & observare, quem verum credas esse Pontificem, quam neutraliter utrumque contemnere.

Periculosius erraverunt neutrales.

De origine vita & moribus Papæ Felicis V.

Quis qualis & quantus fuerit iste Papa Felix, Germanici Regni honor, cui Sabaudia est antiquo jure subjecta, me paucis, ut dicam, impellit. Amadeus igitur, de quo nobis est sermo, Comes fuit Sabaudiæ, quem Imperator Sigismundus olim in Constant: Concilio sublimavit in Ducem, qui non diu post susceptum honoris titulum divino inflammatus amore Ducatum Sabaudiæ Ludovico filio suo reliquit, mundum cum suis delicijs pro DEI honore contempsit, & quibusdam associatus nobilibus, Monasterium Carthusiensis Ordinis, quod Ripalia nuncupatur, ingressus, Domino in magna devotione militavit.

Inde vocatus per Concilium Basileense ad Summi Pontificatus apicem, novem in sua ministravit obedientia justitiam annis: quibus evolutis, & mortuo Eugenio voluntariè cessit Nicolao V. ut suo plenius ordine dicemus. Erat enim vir optimus, vita & conversatione præclarus, ingenio promptus, eloquio dulcis, pius & justus, eruditione quoque scripturarum sufficienter instructus. Ejus filia nomine Margaritha nupserat Ludovico Pio Comiti Palatino Bavariæque Duci Principi Electori, cui peperit Philippum Palatinum, qui ante hoc fermè quinquennium obijt, ut inferius dicitur. Ludovico autem defuncto Margaritham Udalricus Comes de Wirtenberg duxit uxorem, de qua tamen liberos non suscepit.

Felix Papa multos pro sua parte creavit in Concilio Cardinales.

Felix autem in Pontificatum sublimatus, pro confirmatione partium suarum nonnullos apud Basileam Cardinales instituit, inter quos erat Joannes de Ragusio Ordinis Prædicatorum S. Theologiæ Doctor, Græcæ & Latinæ peritus, qui & Basileæ obijt, & Bibliothecam suam valdè raram & pretiosam Conventui sui Ordinis commendavit cum omni supellectili sua in perpetuam possessionem.

Nicolaus Abbas Siculus & Archiepisc. Panormitanus & Cardinalis nostri Ord.

Nicolaus quoque Siculus Abbas Monecensis Cœnobij Ordinis nostri in Sicilia ex Catana civitate oriundus Archiepiscopus Panormitanus, quem Eugenius Papa miserat Basileam ad revocandum Concilium, rationibus & auctoritate victus Concilio adhæsit, & per Felicem Cardinalis honore donatur; fuit enim vir in utróque Jure peritissimus, & multa scripsit, quæ hodiè manifesta sunt omnibus.

Fridericus Dux Austriæ Pater Sigismundi Archiducis moritur.

Anno item prænotato XXIV. die mensis Junij, quæ fuit nativitate S. Joannis Baptistæ solemnis, obijt Fridericus Dux Austriæ, filium relinquens parvulum, nomine Sigismundum, cum thesauro magno, quem ad redimenda Dominia ducatus impignorata non sine labore diuturno vivens congregaverat. Fridericus autem Dux Austriæ postea Imperator III. tulit Sigismundum parvulum cum thesauris magnis, & duxit in Austriam Tutoris peragens officium, ubi sub tutela erat pluribus annis, donec tandem instantibus Tyrolanis & vallis Oeni populis, quorum erat Princeps, suo dominio pleno Jure instituitur.

MCCCCXL.

Monasterium S. Jacobi Moguntiæ à Bursfeldensibus reformatur.

Anno Wolfframmi Abbatis XII. Indictione Romanorum tertia, Monasterium S. Jacobi Apostoli quondam Scotorum in monte Speciosо prope Moguntiam instantia & cooperatione Theodorici Archiepiscopi Moguntini reformatum est, ex Monasterio Bursfeldensi, sub Joanne II. de Bubenheim Abbate, qui in reformationem memoratam consensit anno regiminis sui secundo. Quo tandem anno Wolfframmi Hirsaugiensis vicesimo quarto vita defuncto, successit Lubertus vir omni religione decorus, annis decem. Post quem Eberhardus de Venlo annis 7. Quo ad Montem Monachorum prope Bamberg translato successit Joannes de Itzstein annis 3. Illo etiam cedente, & Abbatiam S. Joannis in Ringaugia sumente successit Hermannus Prüss patria Moguntinus annis 44. minus duobus mensibus, vir optimus & sempiterna memoria dignus. Quo mortuo, & in medio chori sepulto, Joannes de Gerauo major cellerarius in Abbatia succedens hodie tertium Abbatissat annum. Plura Cœnobia ex eodem Monasterio deinceps fuerunt reformata.

Eodem

Eodem anno, Sabbato post Erhardi Festum, in principio mensis Januarij obijt Joannes de Brunn Episcopus Herbipolensis, & Dux Franciæ Orientalis, in Castro montis Dominæ nostræ S. Mariæ, cujus corpus in majori Ecclesia cum honore fuit sepultum. Reliquit Ecclesiam Herbipolensem nimis exhaustam, & multis debitis involutam; nam quidquid habuerat in proventibus, & censibus annuis, totum pro ære alieno fuerat impignoratum, ut vix præsul unde viveret cum difficultate posset acquirere. Miseria fuit insignem tunc videre memoratam Ecclesiam in tanta paupertate constitutam, ut non tantum gloria esset spoliata, quam prius habuerat, sed etiam fidem apud omnes publicam amisisset. Unde parum abfuit, quin propter multitudinem debitorum alienanda in manus Fratrum Ordinis Teuthonici misera venisset. Post Joannem electus fuit à Capitulo Sigismundus Saxoniæ Ducis filius, qui aliquandiu coadjutor ipsius Joannis fuerat: homo pacificis actionibus delectatus: confirmatus autem & ordinatus in Episcopum præfuit annis 3. de quo etsi copiosa sit mihi materia, nescio quid scribam, propter vanam de ipso hominum æstimationem, aliis eum stultum & fatuum, alijs verò prudentem & optimum virum asserentibus. In prima opinione fuerunt Canonici, & penè Clerus omnis, quorum sectatores ita reliquerunt in scriptis, quòd post fatuitates multas pueriliter commissas penè solus aufugerit ad fratres suos Duces in Saxoniam, & ibi manserit usque ad mortem, nec reversus ad Herbipolim deinceps fuerit, fratribus ob verecundiam ne elaberetur, miro illum studio custodiri facientibus. Qui verò sequebantur opinionem memoratæ contrariam, eum propterea exosum atque despectum fuisse à Clero dicunt, quòd civibus nimium assentiens, eorum se fidei potius, quam Canonicorum suorum credidisset, favorémque populi pluris æstimaret, quam devotionem auctoritatem & libertatem omnium Clericorum. Opiniones hodiè vulgatissimas dixi, quorum me scriptorem non judicem exhibui.

Joannes de Brun Herbipolensis Episcopus moritur.

Sigismundus Dux Saxonum fit Episcopus Herbipolensis annis tribus.

Anno item supra dicto circa medium quadragesimæ, convenerunt apud Franckfurdiam principes Electores: Theodoricus Archiepiscopus Moguntinus, Jacobus Archiepiscopus Trevirorum, Theodoricus Archiepiscopus Colonienſium, Ludovicus Palatinus Comes Rheni Bavariæque Dux, Ernestus Dux Saxoniæ, & Fridericus Marchio Brandenburgensis, & habitis inter se tractatibus ex more necessarijs, tricesima die mensis Martij, Fridericum Ernesti filium Austriæ, Styriæ, Carinthiæque Ducem & in Tyroli Comitem unanimi consensu in Regem Germanorum & Imperatorem Romanorum elegerunt, quem ad Aquasgrani ducentes solemni pompa coronarunt. Sex & viginti annorum erat cùm regnare cæpisset, tribus & quinquaginta annis regnavit in Germania, quorum solus expendit quadraginta sex, cum filio autem Maximiliano 7. annis regnavit. Undecim annis sine Imperij corona regnavit, & quadraginta duobus annis imperavit gloriosè coronatus; Erat enim vir optimus, bonarum litterarum studio competenter imbutus, ingenio subtilis, consilio cautus, actione præcipuus, pacificus mansuetus pius justus atque munificus, amator Cleri, defensor pauperum, & virorum omnium cultor & amator Doctorum. Uxorem postea duxit coronatus Imperator Leonoram Lusitaniæ seu Aragoniæ regis filiam, de qua genuit Maximilianum Regem & Cæsarem, filiam quoque unam, quam Albertus Bavariæ Dux habuit uxorem.

Fridericus Dux Austriæ fit Rex Germanorum annis 53.

Leonora filia Regis Lusitaniæ uxor Friderici Imperatoris III.

Eodem tempore, quo Albertus Germaniæ Ungariæ Bohemiæque Rex, de quo paulo ante dictum est, vitam cum morte commutavit humanam, Elisabeth uxorem suam partu gravidam reliquit, quæ non diu post obitum mariti filium peperit nomine Ladislaum. Cùm autem Fridericus Dux Austriæ jam dictus in Regem Germaniæ fuisset electus, venit cum eo mulier jam memorata, Ladislaum filium suum jam pridem apud Albam regalem 4. menses habentem ætatis, in regem Ungariæ coronatum secum adducens, cum regni corona nimium pretiosa; non enim confidebat Ungaris, & ideò filium Regi Frederico educandum prudenter comisit, & coronam regni Ungarici ad tempus servandam commendavit; quod fideliter fecit utrumque. His pro quibus venerat, apud Fridericum regem peractis, Regina cum sua comitiva in Ungariam reversa est, & regnum loco filij aliquandiu prudenter gubernavit. Intereà Bohemi auditâ morte Regis Alberti, qui ut supra diximus, in Moravia obierat, diem statuunt in unum conveniendi pro electione novi regis Bohemi celebranda; nesciebant enim quod Regina peperisset filium. Innotuit autem mulieri consilium Bohemorum, & missis ad conventum Legatis regem prohibuit eligendum, significans se legitimo ex Rege filium regni legitimum peperisse hæredem. His Bohemi auditis in duo scinduntur. Altera decernebat pars Ladislaum pro rege suscipiendum, altera verò non pueris regnum deberi sed viris, qui possint & regere subjectos, & defensare contendens, regem omnino statuit eligendum, satis fore Ladislao, si post 24. ætatis annum vocaretur ad regnum. Et hæc pars invaluit. Scrutatis igitur votis eorum, quibus de rege nominando fuerat delegata potestas, Albertus Dux Bavariæ, qui olim apud regem Wenceslaum enutritus linguam probè noverat Bohemicam, tunc quidem in Bavaria constitutus in Bohemiæ Regem concordi voto eligitur. Placuit electio cæteris, mittuntur confestim nuntij ad electum, atque ut veniat in regnum sibi destinatum à Deo, multis precibus rogatur. Quibus ille gratias egit, imprimis, quod eum ex omnibus unum elegissent in regem, multúmque se idcircò debere Bohemis, Regali boatu proclamans. Sed cùm regis Alberti Ladislaus extet legitimus filius & hæres, sibi non fore decorum asseruit, ut regnum etiam vocatus ab incolis terræ usurpet alienum. Hac responsione Bohemi accepta, honoratíque muneribus ad suos in Bohemiam tristes reversi sunt. Repulsi autem ab Alberto Bohemi, Legatum ad Fridericum regem miserunt, orantes, ut regnum Bohemiæ tutorio nomine suscipiat gubernandum, quoúsque puer adolescat Ladislaus. Renuit Fridericus oblata subire, indignum asserens illius usurpare hæreditatem, cujus tutelam susceperisset corporalem. Sed neque tutorio nomine Regnum Bohemiæ gubernare posse respondit, propterea quod cùm Regno Germaniæ & Romanorum plurimum esset occupatus, ipsi potius regni gubernatores eligerent, donec parvulus ad legitimam perveniat ætatem. Cujus acquiescentes consilio Bohemi, gubernatores quosdam regni constituunt, inter quos non satis firma concordia extitit, & ideo respublica in manus tandem hæreticorum devenit.

Regina Ungariæ filiũ commendavit Regi Friderico.

Bohemi Ducem Bavariæ Albertum Regem petunt sed refutantur.

Bohemi Fridericum Regem petunt sed acceptare contempsit.

Eodem anno quarta die mensis Decembris, quæ fuit solemnitate S. Barbaræ Virginis & Martyris festiva, venit Marchio Brandenburgensis, qui morabatur in Onolspach cum armatorum exercitu, insidiosè capiens nocturno

Albertus Marchio Brandenburgensis tentat Oxenfurt.

ćturno tempore caſtellum & oppidum Eccleſiæ Herbipolenſis Oxenfurt invadere, & expugnare. Præmiſit ergo viros 50. ut muros præoccupantes aſcenderent & venienti exercitui portas oppidi priuſquam dies illuceſceret, aperirent. Sed errante per noćtem in tenebris ducćtore copiarum, & tardius cum exercitu veniente ante oppidum, utpote jam illuceſcente die, innotuêre tradimenta civibus, & correptis armis viros illos 50. qui jam oppidum per muros intraverant, omnes ceperunt, & armis denudârunt. Interea tandem ſupervenit exercitus, foriſque ante muros portarum reſerationem expećtabat, in quem cives è muris, & turribus misêre bombardas, & ſubitò cunćti turpiter diſperſi, fuga quæſivere ſalutem. Cecidit ibi Erckengerus de Sensheim Capitaneus exercitus memorati Marchionis, & bombardarum impulſu etiam alij perierunt.

MCCCCXLI.

Anno Wolfframmi Abbatis tertiodecimo, Indićtione Romanorum quarta, ultima die menſis Aprilis, quæ fuit Dominica tertia poſt Feſtum Reſurrećtionis Domini, & Salvatoris noſtri Jesu Chriſti, celebratum fuit undecimum Ordinis noſtri provinciale Capitulum, in quo præſederunt Hartungus S. Petri in Erfurdia, Georgius S. Ægidij in Nürenberga, Nicolaus S. Blaſij in Nigra Sylva, & Henricus Beatæ Mariæ ſemper Virginis in Amorbach Monaſteriorum Ordinis noſtri Abbates, qui etiam in proximo capitulo præſederunt.

Capitulum Ordinis XI. Nürenbergæ celebratur.

Hyems fuit hoc anno diuturna & aſperrima, nivéſque magnæ ſuper faciem terræ fuerunt & continuæ, à feſto S. Martini Epiſcopi uſque ad Purificationem B. Mariæ ſemper Virginis, quorum frigore incommoditate ſimul & prolixitate non tantum homines pauperes, ſed etiam jumenta afflićtabantur.

Anno prænotato inter Ludovicum Bavariæ Ducem cognomento Gibboſum, & patrem ejus Ludovicum Ducem, qui morabatur in Ingolſtatt, magna fuit ſuborta diſſenſio, quæ tandem plenum dedecore finem accepit. Nam conſilio & auxilio Marchionis Brandenburgenſis Alberti, Patrem in oppido Neuburg juxta ripas Danubij obſedit, cum oppido cepit, & rem perpetuâ infamiâ notandam perpetravit; captum námque patrem in prædam Marchioni Alberto dimiſit, quem ille Henrico Duci Bavariæ in Landtshuta commoranti acerrimo ejus adverſario pro magna vendidit ſumma pecuniarum, quam ſolvere cogebatur, ſi voluit liberari. Sed hæc impietas filij magna in patrem divina dićtante juſtitiâ morte citius eſt vindicata præmaturâ, ut qui genitorem dehoneſtavit proprium, brevi moriens ſine liberis, pater eſſe non poſſet.

Ludovicus Bavariæ Dux Gibboſum patrem ſuum expugnavit.

Eodem anno Theodoricus de Mœrs Archiepiſcopus Colonienſis magno pugnatorum congregato exercitu Suſatum Weſtphaliæ oppidum obſidione vallavit. Cives autem firmitate murorum adjuti ſe fortiter defendebant. Unde cernens poſtremò Archiepiſcopus, quod locum ſicut ſperaverat, obtinere non poſſet, concordiam fecit ut potuit, & ad propria non ſine damno reverſus fuit.

Archiepiſc. Colonienſ. Suſatum obſedit, ſed capere minime potuit.

Anno prænotato, Godfridus præpoſitus in Rote, de promiſſione & cenſenſu Wolfframmi Abbatis Hirſaugiani, ad cujus juriſdictionem Cœnobium ipſum ſine medio pertinet ſemperque pertinuit à prima fundatione ſua, uſque in præſentem diem, præpoſituram ipſam reſignavit, acceptâ

Præpoſitus in Rote reſignat officium ſuum.

acceptâ pensione annuâ florenorum septuaginta, quibus vitam deinceps in privato sustentaret. Iste Godfridus cappam sericam satis pretiosam, & crucem argenteam Hirsaugiæ piâ devotione donavit, quæ ibidem in Ecclesia servantur usque in hanc diem.

MCCCCXLII.

Inter Ungariæ Reginam & Uladislaum Polonum discordia.

Anno Wolfframmi Abbatis quarto decimo, Indictione Romanorum quinta, magni fuerunt in Ungaria tumultus pro regno inter Elisabeth Reginam Alberti quondam Regis relictam uxorem Ladislai pueri matrem, & Uladislaum quondam Poloniæ regem, quem nonnulli ex primoribus Ungariæ contra eam vocaverunt in Regnum. Quibus Eugenius Papa recognitis Julianum Cardinalem Cæsarienſem Legatum misit in Ungariam, quò cùm perveniſſet, multùm pro concordia & pace laboravit, & ecce ubi res optato fini appropinquare videretur, subitò Regina carnis debitum solvit, & Polonus regnum obtinuit, Ladislao sub Regis Friderici manente tutela, ut supra dictum est, lætantibus alijs, alijs verò nimium contristatis.

Fridericus Dux Austriæ Aquisgrani coronatur in Regem Germaniæ.

Eodem anno mense Julio, Fridericus Austriæ Dux, quem anno superiori diximus apud Franckfurt absentem in Germaniæ regem electum, ad Regale oppidum Aquasgrani cum principibus multis proficiscitur, & in Ecclesia B. Mariæ semper Virginis per Theodoricum Colonienſem Archiepiscopum solemni pompa inunctus coronatur. Annis verò undecim post electionem suam ad imperij coronam propter schisma, quod fuit inter Eugenium & Felicem, properare distulit, quam tandem à à Nicolao V. Romæ suscepit.

Vinum crevit in abundantia multa.

Anno prænotato magna per totam Germaniam copia vini crevit, & in tantum viluit, ut cavata vini, quæ duodecim urnas continet apud Francos Orientales, urna vero una mensuras quatuor & sexaginta, pro florenis duobus passim venderetur, & erat vinum non tenue non vile non dumetitium, sed nobile dulce & optimum, quale in multis retro non creverat annis. Fuitque in omni terra Germaniæ vini abundantia magna, frumentorum quoque omnis generis tanta exuberantia, ut horrea deficerent pluribus, in quibus nascentia reciperentur; erat enim totus annus valdè temperatus in singulis quatuor partibus suis, aura quoque messis tempore sereniſſima, quo factum est, quod fruges siccæ domibus introductæ diutius servari potuerunt.

Wolfframmus Abbas Hirsaugiensis in Schonrein renovat.

Eodem anno cùm Prior Monasterij Schonrein Abbati Hirsaugiano immediatè subjectus in Diœcesi Herbipolensi census & proventus ejusdem Cœnobij annuos renovare laboraret sui jussione Abbatis Wolfframmi, Comes de Ryneck, qui locum & fratres tutari debuerat, multipliciter in contrarium nitebatur, rusticis contra æquitatem faciens assistentiam, ne censuum fieri contingeret necessariam renovationem. Unde jure commotus Wolfframmus Abbas post multas contentiones cum Comite habitas ad Schonrein in propria persona descendit, & sicuti patet in registris, ibidem census invitis comitibus renovavit.

MCCCCXLIII.

Hyems longa fuit & multis durissima.

Anno Wolfframmi Abbatis quinto decimo, Indictione Romanorum sexta, hyems fuit longa simul & frigidissima, durans à festo S. Martini penè usque ad medium mensis Maij, defecerúntque in multis locis pabula jumentis,

jumentis, & erat ingens miseria tantam videre inopiam rusticorum. Unde plures cùm nec fænum haberent, nec stramina, ne penitus interirent jumenta, alij denudatis domibus suis, quæ straminibus erant coopertæ, pabula ut poterant cum aqua calida fecere jumentis, alij jumenta sibi mactaverunt in escam: nonnulli etiam non habentes, unde pecora nutrirent sua, præ nimia fame jam semimortua in campos & nemora minantes devoranda lupis concesserunt.

Sigismundus Episcopus Herbipolensis clam fugit in Saxoniam.

Eodem anno Sigismundus ex Ducibus Saxoniæ Herbipolensis Episcopus, posteaquam in tertium annum præfuisset Ecclesiæ, tædio civium aut injuria Canonicorum affectus, nescio, Deus scit, Herbipolim deseruit, & clam fugiens cum paucis in Saxoniam reversus est. Fuerunt qui scriberent, eum innata fatuitate & stultitia concitatum, ut fugeret, nullámque penitus à quopiam susceptisse injuriam; mores enim præferebat nimium pueriles, quibus multum est factus contemptibilis, maximè viris prudentibus, qui nihil in eo dignum Pontifice præter nomen & schema corporis esse judicabant; nam cunctis ut pueris puer affabilis extitit; mulieribus & puellis levem & nimium familiarem se præbuit, inter cives, quasi unus ex eis sine maturitate Pontificia conversatus est leviter. Igitur in Saxoniam reversus ad Fratres, multa querulabatur adversum Canonicos Herbipolenses, metu se mortis Herbipolim asserens deseruisse, sed non resignasse Pontificatum. Quid plura dicam? Fit postremo inter dissidentes concordia, Sigismundus fratrum suorum consilio persuasus & inductus Ecclesiæ memoratæ renuntiat, pensione annuâ sibi reservatâ, unde vivat. Manst autem sub custodia fratrum Ducum in Saxonia, & annis plurimis supervixit. Verum quia ut supra diximus, Herbipolensis Ecclesia fuit illis temporibus ære alieno nimium gravata, pensio hæc annua Sigismundo adscripta per plures annos tam per Godfridum Episcopum, quam per Joannem ejus successorem extitit neglecta, quæ in magnam postremo summam fuit à Ducibus computata; Rudolpho námque de Scherenberg post Joannem de Grumbach ejus successorem in Episcopum sublimato, Duces Saxoniæ restantem pensionis jam dictæ summam ab eo magnam exigebant, quòd aut solvere, aut eos Ecclesiæ inimicos sentire, compelli videbatur. Erant tum, qui consulerent Rudolpho, belli fortunam expectandam potius, quam tantam pecuniarum summam nullo debitam jure Ducibus solvendam. Quibus ille, ut vir pacificus & non improvidus respondebat: *His pecunijs, quæ postulantur à nobis, primum belli apparatum coadunare non possemus, quem etsi haberemus ad manum, nesciremus nihilominus, qui finis pro nobis, an contra nos sequeretur. Unde*, inquit, *meo judicio melius est, pecuniâ comparare pacem, quam bellum fovere incertum.* Dedit ergo Saxoniæ Ducibus interveniente concordiâ florenorum 34000. & sic imminentia sibi mala prudenter declinavit.

Sigismundus resignat Pontificatum reservata pensione annua.

Godfridus Schenck de Lymburg fit Episcopus Herbipolensis.

Post resignationem Sigismundi Godfridus Schenck de Lymburg in Episcopum Herbipolensis Ecclesiæ concorditer fuit electus, & præfuit annis fermè XII. vir magnanimus & prudentiæ singularis, qui primus omnium in moneta & litteris publicis, Friderico rege Germanorum postea Imperatore consentiente, se Ducem Francorum scripsit Orientalium, & Wirzburgensem Episcopum, causam ut hoc faceret, relatione seniorum audivimus hujuscemodi. Albertus Marchio Nürenbergensis

Nürenbergensiúmque Burggravius Princeps bellicosus & semper contra memoratum Pontificem in armis, titulum ducatus Francorum Orientalium usurpare videbatur, propterea forsitan, quod nemo se hujus principatus Ducem scriberet, neminem fore existimans contradicturum. Sed Godfridus Pontifex non ferens hanc injuriam Ecclesiæ suæ intentari, quæ Ducatum Francorum S. Burckhardo ante 690. annos non ab imperio, sed à regno Germaniæ per Pipinum & Carolum Magnum reges donatum jure possedit, quamvis fortè nullus Episcoporum se Ducem antea scripsisse inveniretur, Marchioni Alberto contradixit, & titulum Ducatus malè usurpatum deponere compulit, & ne quis similia tentaret imposterum, se, ut diximus, Episcopum Herbipolensem, & Orientalis Franciæ Ducem, quamdiu vixit in humanis, nominavit & scripsit. Quem secuti per ordinem successores Joannes de Grumbach, Rudolphus de Scherenberg & Laurentius de Bybera, qui hodie octavum decimum Episcopizat in annum, omnes titulum Ducatus memorati suis epistolis inscribunt.

Episcopus Herbipol. Ducem se scribit Orientalium Francorum.

Quo autem jure id faciant, altius quam præsens Chronicon inchoavimus, occurrit repetendum. Anno Dominicæ Nativitatis DCCLI. Indictione Romanorum IV. S. Burckhardus Monachus natione Anglicus per S. Bonifacium Archiepiscopum Moguntinum decimus nonus Herbipolensis Ecclesiæ ordinatur Episcopus, & præfuit in ea annis XL. Eo temporum ordine latissimum erat regnum Francorum, totam penè complectens Germaniam & Galliam, cui præfuit Hildericus solo nomine Rex. Pippinus verò Majordomus, Pater Caroli Magni cuncta Regni negotia disponebat. Igitur Francorum proceres memoratum S. Burckhardum & Folradum Presbyterum Abbatem Romam miserunt ad Zachariam Papam, ut consulerent eum super regno, quid melius in futuro esse putaret.

Unde Ducatus Francorum ad Ecclesiam pervenerit Herbipol.

Romanus Pontifex auditâ legatione missorum, decrevit melius & utilius fore pro confirmatione Regni, ut ille qui facit laborem, sit dicatúrque Rex, quàm Hildericus omni tempore otiosus. Mandavit ergo per eosdem S. Bonifacio Archiepiscopo Moguntino, ut abrogato Rege Hilderico inutili Pipinum Majoremdomus in Regem Francorum ungeret & coronaret. Anno igitur Dominicæ Nativitatis DCCLII. in civitate Suessionum D. Bonifacius Archiepiscopus in præsentia S. Burckhardi & multorum præsulum abrogato & in Monasterium truso Hilderico Pipinum unxit in Regem. Pipinus igitur in Regem Francorum sublimatus, ne S. Burckhardo Episcopo pro suis laboribus & beneficijs videretur ingratus, imo pro Dei Omnipotentis honore totiúsque regni salute Civitatem Wirtzburg & Ducatum Franciæ sæpius dictæ Orientalis, de consensu Caroli Magni postea Imperatoris filij sui, & 100. Principum Regni Franciæ Ecclesiæ memoratæ Herbipolensi liberè tradidit in perpetuam proprietatem. Jure igitur quilibet Episcopus Herbipolensis pro tempore existens Francorum se Ducem scribit unicum, cùm hoc privilegium Ecclesiæ à pientissimis Regibus constet soli concessum.

S. Burckhardus Romam pro Regno à Francis mittitur.

Ducatus Francorum datur Herbipolensi Ecclesiæ per Pipinum Regem.

Anno prænotato in die Nativitatis B. Virginis Mariæ, Bernenses & Solodorenses apud Helvetios contracto suorum exercitu, auxilio Basileensium, Lauffenburg contra omnem justitiam obsidione dura vallarunt, & per dies 14. fortiter obsederunt: & licet muros tam oppidi, quam arcis in plerísque locis impulsu bombardarum dejecerint, intrare tamen

Lauffenburgum obsidetur à Bernensibus, sed non capitur.

tamen neutrum potuerunt, civibus se constanter defendentibus, & machinis lapides continuè dirigentibus in hostem. Postremò considerantes memorati injusti obsessores, quod nihil proficerent contra obsessos, pace datâ & acceptâ, non sine damno suo ad propria redierunt.

Eodem anno Wolfframmus Abbas hujus Monasterij Hirsaugiensis Ecclesiam parochialem in Walse de consensu Cardinalis & Episcopi Augustensis ordinarij loci præposituræ Noth cum omnibus emolumentis suis incorporavit. Præpositura in Noth.

Hoc ipso anno Eugenius IV. Papa Romam ex Florentia reversus, S. Nicolaum Tolentinatem Ordinis FF. Eremitarum D. Augustini Episcopi, de consensu Cardinalium SS. Catalogo adscripsit, virum perpetuâ memoriâ dignum, qui in vita & morte infinitis penè miraculis claruit, & multorum corda sua prædicatione ad Deum convertit. S. Nicolaus Tolentinas canonizatur.

MCCCC XL IV.

Anno Wolfframmi Abbatis XVI. Indictione Romanorum VII. Dominica post Festum Dominicæ Resurrectionis, quarta decima videlicet die mensis Maij, celebratum fuit duodecimum Ordinis nostri provinciale Capitulum, apud S. Petrum in Erpfurdia, in quo præsederunt Abbates Monasteriorum ibidem, S. Galli in Suevia, S. Ægidij in Nürenberga, & S. Protomartyris Stephani in civitate Herbipolensi.

Eodem anno Fridericus Rex Germanorum regni principibus indixit conventum apud Nürenberg oppidum ad Festum Purificationis celebrandum. Convenientes autem paulo tardius circa medium quadragesimæ principes, varios cum rege tractatus habuerunt, quibus Reipublicæ consultum iri sperabant. Invaserat eodem tempore fines Christianorum impudentissima gens Saracenica, & plura fidelibus intulit mala. Contra hanc Rex Fridericus multa tractavit cum principibus, expeditio Christianorum in Turcas magna concluditur, subsidia plurimorum in communi promittuntur, sed conventu principum dissoluto nihil aut parum ex conclusis in effectum deducitur, quin potius ad sua quique reversi promissorum obliti sunt, & privata communibus prætulerunt. Conventus principum cum Rege apud Nürenberg agitur.

Interea Uladislaus Poloniæ Rex, qui sibi Ungariam vendicabat, vir juvenis fortis & audax, habens secum in Ungaria Julianum Cardinalem Cæsareum Apostolicæ Sedis à Latere, ut ante diximus, Legatum, incursionem Turcarum ægrotulit animo, & Christianæ fidei zelo succensus arma in eos movere decrevit. Contractis igitur quotquot potuit ex Poloniæ Regno simul & Hungariæ pugnatorum millibus ingentem contra Saracenos Turcas exercitum duxit, & factâ congressione inter Adrianopolim & Danubium, diu ab utraque parte satis atrociter fuit dimicatum. Magnus impiorum fuit exercitus: de quo nostri adjuvante Deo in Festo S. Martini xxx. millia cum sedecim eorum capitaneis sive principibus occiderunt. Ex nostris etiam plures ceciderunt, inter quos Uladislaus supradictus Rex Poloniæ, Ungariæque, & Julianus Cardinalis Cæsareus Apostolicæ Sedis Legatus vir Deo dilectus cum nobilibus & fidelibus multis pro fide Christiana ceciderunt, quos in Christo vivere credimus. Christianorum expeditio in Turcas prope Danubium. 30000. Turcæ à Christianis cæduntur in bello.

Anno prænotato incolæ Susatensis oppidi in Westphalia repudiato Domino suo Theodorico Archiepiscopo Colonienſium, qui se Ducem scribit Angariæ, protectorem & defensorem sibi assumunt Ducem Oppidum Susatense in Westphalia obsidetur.

Clivensem. Hinc multiplicata sunt mala per universam terram memorati Ducatus Angariæ, in quo etiam oppidum Susatense dignoscitur situatum. Contractis etenim copijs Archiepiscopus, Bohemorum quoque adjutus occursu, magnum adunavit pugnatorum exercitum, & ingressus Ducatum Angariæ, omnia incendio ferro & rapina devastavit, munitiones villas & castella circa Susatum plura subvertit, nobilésque multos & ignobiles comprehendens secum abduxit captivos.

Ducis Juliacensis bellum contra Geldrenses.

Eodem quoque anno factum est prælium atrox & magnum inter Arnoldum Ducem Geldriæ, & Gerardum Ducem Juliacensem, in quo Juliacenses numero pauciores magnam adversariorum multitudinem converterunt in fugam, pluribúsque occisis campum, ut dici solet, obtinuerunt cum triumpho victoriæ.

His etiam temporibus inter Ducem Lotharingiæ & cives Regni Germanici Metenses dissensio fuit exorta gravis, quæ dietim crescens tandem parturijt bellum. Adhæsit Lotharingiæ principi Carolus Gallorum Rex VII. una cum Ludovico filio suo Duce Viennensi Delphino, qui Helvetios non sine detrimento suorum maximo, ut supra jam anticipativè diximus, impugnavit. Convenientes igitur in unum tres isti principes cum ingenti pugnatorum exercitu, Mediomatricum urbem, id est, Metim per gyrum obsederunt. Firmatâ obsidione Fridericus Rex Germanorum, ut Gallus scriptor Gaguinus memorat, de Helvetijs questus, quod suo rebellarent imperio, Carolum orat, quatenus sibi partem militiæ transmittat in gentis correptionem rebellisantis; petitionem Gallus libenter admisit, confestímque Ludovicum Delphinum jam dictum Basileam cum copijs destinavit, bella cum Helvetijs plura gessit, aliquando victor, victus interdum. Postremò tamen superatus confusúsque in toto, & sine honore fugatus, quemadmodum supra dictum est. Alij Delphini Ducis in Helvetios motum Eugenio Papæ adscribunt, per quem Basileense Concilium se posse destruere speraverit, Fridericum Regem excusantes.

MCCCCXLV.

Monasterium Kyrsgarten Wormatiæ datur Regularibus.

Anno Wolfframmi Abbatis septimo decimo, Indictione Romanorum octava, obijt Fridericus Episcopus Wormatiensis, qui Moniales Cistertiensis Ordinis in Cœnobio Kyrsgarten Wormatiæ commorantes, propter inordinatam vitam earum expulit, & Canonicos Regulares S. Augustini de bona observantia Widisheim reposuit. Quod quidem Cœnobium in ultimam devenerat paupertatem, sed Fratrum industria & labore brevi sub bonis constitutionibus restitutum.

Ludovicus de Ast fit Episcopus Wormatiensis diebus 40.

Huic in Episcopatu Wormatiensis Ecclesiæ per electionem Fratrum Canonicam immediatè successit Ludovicus Canonicus & Ludovici Palatini Comitis à secretis sive Cancellarius, vir morum integritate simul & eruditione scripturarum clarus; qui priúsquam confirmaretur vel ordinaretur in Pontificem, amicorum consilio super hoc habito, quadragesima die post electionem suam Episcopatum cum omni jure suo in manus Capituli resignavit, malens in humilitate sua consistere, quam in alto periculum subire. Fuit autem oriundus ex cognatione de Ast, utriúsque Juris Doctor & præpositus.

Rheinhardus de Sickingen fit Episcopus Wormatiensis annis 36.

Post cujus resignationem electus fuit Reinhardus de Sikingen homo non multæ eruditionis, bonus tamen & honestæ conversationis, qui præfuit

fuit annis fermè 36. & satis providè Wormatiensem rexit Ecclesiam. Cujus tempore Cœnobium nostri Ordinis in novo Castro, id est, Neuenburg prope Heidelberg ad observantiam regularem fuit reductum. Ipse etiam reformavit aliud Monasterium ejusdem Ordinis Monialium in Lobenfels, cui plura fecit bona, & semper in observantia manu tenebat.

Eodem anno Concilium Basileense commissionem & auctoritatem dedit Joanni Bursfeldensis Monasterij Clarissimo Abbati, corrigendi & emendandi Ordinarium divinorum officiorum, quem emendatum enucleatum & examinatum Sedes Apostolica pro Monachis reformatis & reformandis, atque capitulo annali unitis, & uniendis in perpetuum confirmavit.

Ludovicus Comes Palatinus filiam Papæ Margarethan duxit uxorem.

Anno prænotato, Ludovicus Comes Palatinus Rheni Bavariæque Dux & Princeps Imperij sacri Elector, filius quondam Barbati & nepos Ruperti Regis Germaniæ, qui morabatur in Heidelberg, uxorem duxit Margarethan filiam Amadei quondam Ducis Sabaudiæ, tunc verò Papæ Felicis IV. & Sororem Ludovici, qui Ducatum paternum Sabaudiæ tunc strenuè gubernabat: de qua genuit filium unicum nomine Philippum, qui ei in principatu Palatino successor fuit.

Conradus Humbrecht fit Abbas in Spanheim.

Hoc ipso anno decima septima die mensis Februarij, Fridericus de Nackheim Abbas Monasterij quondam mei Spanheimensis, in ordine succedentium vicesimus, paupertate inopiáque oppressus, ac senio confectus Abbatiam resignavit anno regiminis sui sexto necdum completo. Huic in Abbatia primus atque vicesimus successit Conradus Humbrecht de Ganiodoro Monachus conventualis, & præfuit annis sedecim, & 20. diebus, qui reperit Monasterium ære gravatum alieno, & Monachos numero paucos, & conversatione nimium deformatos.

Eugenius Papa laborat pro solutione Basileensis Concilij.

Anno etiam præscripto Eugenius Papa IV. misit in Basileam duos Episcopos Thomam & Joannem, viros potentes in opere & sermone, committens eis, ut viribus adhibitis totis navarent operam, si Patribus in eo congregatis possent, quavis ratione, persuadere, quatenus aliquando solverent, quod celebrabant Comitium, tolleretúrque malè præsumpta neutralitas. Venientes ergo ad Basileam duo memorati Pontifices, Legationis suæ munus strenuè peregerunt, & tandem post multos sermones Patribus ut Concilium dissolverent persuaserunt, sub illa tamen conditione, quod Eugenius Papa ratificaret approbaret & confirmaret omnia & singula per Concilium acta & concluſa, toto suæ durationis tempore, sola institutione Amadei Papæ Felicis IV. manifestè excepta.

Patres itaque de Concilio priúsquam ab invicem discederent, oratores quosdam nomine Concilij missis duobus Episcopis adjunxerunt, qui Romam pergentes publicè in consistorio vice ac nomine totius Concilij Basileensis debitam Eugenio Papæ reverentiam, & obedientiam solemniter præstiterunt, ipsum profitentes verum & indubitatum Christi Vicarium, successorem Petri Legitimum, atque Universalis Ecclesiæ Pontificem unicum solum, atque Catholicum. His Romæ feliciter & maturè peractis missarum solemne apud S. Joannem Lateranensem per unum Episcopum Cardinalem fuit decantatum, Cardinalibus & Prælatis omnibus, qui erant in Urbe, adstantibus. Duo autem Episcopi, qui Legationis suæ officium tam faustè peregerunt, pro unitate Ecclesiæ, Cardinales mox facti sunt.

Eugenius Papa à Concilio ut verus Papa salutatur & recipitur.

Verum dum hæc Romæ agerentur, Eugenius Papa corporis languore detentus præsens non erat in consistorio; quapropter necesse fuit Oratores jacentem in Palatio valetudinarium accedere, & quidquid habebant in commissis, prius cum ipso secretius, quam in Consistorio publicè pertractare.

Acta Concilij confirmantur.

Lætatus est Papa Eugenius in his, quæ audivit de Concilio per Legatos, & libenter eorum annuens petitionibus ratificavit approbavit & confirmavit acta & concluſa per Concilium Basileense, in solum Felicem ut Pontificem non consensit.

Mariannæ Conceptionis puritas confessa in Concilio Basileensi.

Nicolaus Papa V. etiam Eugenij successor immediatus memorati Concilij acta confirmavit in omnibus, quamquam sint nonnulli purissimæ Conceptionis Marianæ detractores, qui Concilium ipsum Basileense canino latratu impugnent, propterea quod Patres in eo constituti maturâ deliberatione præhabitâ, consilio & assensu plurium eruditissimorum virorum inducti, & sicuti non dubitamus, à Spiritu S. inflammati dixerunt, B. Virginem Dei Genitricem semper intactam, Virginem Mariam omni laude verè dignissimam, & Evâ primâ matre omnium sub innocentia factâ meritò magis innocentem, nullo unquam subjacuisse originali peccato, sed ejus animam semper puram & innocentem à contagione omni indubitanter præservatam.

Anno prænotato, Carolus Marchio Badensis uxorem duxit Friderici Regis Germaniæ postea Imperatoris III. sororem, nuptijs in oppido Pforzen solemniter celebratis, de qua liberos genuit plurimos, Christophorum scilicet, qui hodiè Marchionatum de Baden cum filijs senior possidet: Fridericum quoque Trajectensem Episcopum. Cæterorum nomina mente non tenemus.

MCCCCXLVI.

Eugenius Papa IV. Romæ moritur.

Anno Wolfframmi Abbatis XVIII. Indictione Romanorum 9. Eugenius Papa IV. post longam ægritudinem 27. die mensis Februarij, Romæ moritur, & in Ecclesia S. Petri Apostolorum Principis sub marmore sepelitur. In cujus tumulo hoc epitaphium legitur.

Epitaphium.

Eugenius jacet hic quartus cor nobile. Cujus
Testantur vitæ splendida factæ suæ.
Istius ante sacros se præbuit alter ab ortu,
Alter ab occasu Cæsar utérque pedes.
Alter ut incipiat fidei documenta Latinæ,
Alter ab aurato cingat honore caput.
Quo Duce & Armenij Græcorum exempla secuti
Romanam agnôrunt Æthiopésque fidem.
Inde Syrij ac Arabes mundique in finibus Indi,
Magna sed hæc animo cuncta minora suo:
Nam valida rursus Teucros jam classe petebat,
Dum petit ast illum sustulit atra dies.

Nicolaus fit Papa V. annis octo.

Vacat tum sedes diebus 12. Huic in Summo Pontificatu successit Nicolaus V. Thomas Sarzanus ante vocatus à Sarzana oppido Lunensis agri oriundus, vir humili parentela procreatus, sed virtute, doctrina, comitate, gratia liberalitate & magnificentia tanto Pontificatu dignus: in quo præfuit utiliter annis octo.

Eodem

Eodem anno 17. die mensis Aprilis, quæ fuit Dominica Palmarum, noctu mare facto aggere in Hollandia haud procul ab oppido, quod Dordracum vocant, subitò, & cum impetu terminos suos egrediens plusquam centum millia hominum cum pecoribus, & rebus omnibus suffocavit. Centum millia hominum in Hollandia submersit mare.

Eâdem quoque die Palmarum in Comitatu Zutphaniæ tonitrua fuerunt magna, & coruscationes nimium horribiles, cecidítque ab aëre fulgur in turrim Ecclesiæ B. Virginis Mariæ, ac tredecim peremit, plures graviter & mirabiliter læsit, cæteros in pavorem maximum concitavit.

Anno prænotato Theodoricus Archiepiscopus Colonienſis iterum contractis copijs pugnatorum expeditionem movit contra Susatenses in Westphaliam. Cives autem ubi exercitum ejus intellexissent jamjam appropinquantem, de oppido turmatim egrediuntur armati, & impetu facto irruerunt in obviam venientes, pugnántque viriliter, & alios occidunt, alios capiunt, alios in fugam convertunt. De captivis quorum plures Nobiles & locupleres erant, Susatenses incliti & divites facti sunt, & plusquam 50. millia florenorum extorserunt, præter spolia multa, quæ tam ab ipsis, quam à fugientibus collegerunt. Theodoricus Archiepiscopus Colonienſ. movet in Susatenses iterum.

Eodem quoque anno, Bastardus Philippi Ducis Burgundiæ Antonius, qui Luzenburgenſem Ducatum vice Genitoris regebat, malignum in Trevirenses animum gerens, cùm armis non posset, insidijs & occulta traditione Trevirim se capturum sperabat. Duos ergo de Senatu Trevirorum viros Belial mercede conduxit, multísque promissionibus in opus propositæ traditionis concitavit. Quorum alter Wigandus Schenck, alter verò Joannes Longus vocabatur. Qui cùm Luzenburgi essent in hospitio, per Bastardum à Treveri secretius vocati, & in stuba soli (ut putabant) de modo traditionis Trevericæ mutuò consultarent ad invicem, Divino contigit nutu, ancillam domus latentem in angulo, eorum audire sermones. Unde avisati per hospitem Treverenses, mox ad se reversos traditores capiunt, tormentis exponunt, confessósque maleficium animi, capitibus truncant, & in quatuor partes divisos ante portas Trevericæ Civitatis membra eorum, ut mos est talibus fieri, suspendunt. Bastardus Burgundiæ Dux Trevirim occupare studet.

Anno prænotato Udalricus de Wirtenberg duxit uxorem Elisabeth filiam Henrici Ducis Bavariæ, nuptiásque Stutgardiæ cum magna pompa celebravit, de qua genuit Eberhardum Comitem de Wirtenberg, postea secundum Ducem, qui cùm Ducatum aliquamdiu rexisset, post primum Eberhardum Ducem Barbatum, sine liberis profugus obijt in terra aliena, sub ditione videlicet Palatini Comitis Philippi. Henricum quoque Comitem idem Udalricus genuit, cujus filius nomine Udalricus hodiè Dux III. terram gubernat Wirtenbergensium.

Eodem anno se fratres Prioratus in Richenbach denuò contra Wolfframmum Abbatem Hirsaugiensem erexerunt in rebellionem, sicuti anno ejus quarto prius fecerunt, ut supra dictum est, sed per industriam Joannis Abbatis in Selsa tunc Ordinis nostri Argentinæ Diœcesis ad concordiam revocati sunt. Fratres in Richenbach rebellant Abbati.

MCCCCXLVII.

Anno Wolfframmi Abbatis XIX. Indictione Romanorum 10. mensis Maij die 7. celebratum fuit Ordinis nostri capitulum provinciale XIII. apud Con- Capitulum Ord. nostri provinciale XIII. in Constantia celebratur.

Constantiam in Monasterio Petridomus, in quo præsederunt ejusdem Ordinis nostri Abbates, Petridomus in Constantia, S. Ægidij in Nürenberga, S. Stephani Protomartyris in Herbipoli, & S. Gotthardi in Hildesheim, & multa utiliter statuerunt.

Theodoricus Archiepiscopus Colonienſ. cum Bohemis obsidet Susatum.

Eodem anno post festum S. Joannis Baptistæ, Theodoricus Archiepiscopus Colonienſis animum adversus Susatenses omnino gerens inimicum, decrevit eos jam tertiò in manu valida potenter invadere, & si potuerit, penitus delere. Conductis igitur ex Bohemia stipendio 26000. pugnatorum, adjutorio quoque Ducum Saxoniæ, Hildesheimenſis Episcopi, & aliorum complurium, magnum in Westphaliam produxit exercitum, & Susatum obsidione fortissima cinxit. Est autem oppidum ipsum muris, turribus, & fossatis optimè munitum: Cives animosi atque fortissimi, & potius interire parati, quam subire jugum servitutis. Desolaverunt hostes in circuitu terram, spoliaverunt pauperes, rusticos interfecerunt, nemini parcentes, oppidum tamen obtinere non potuerunt, civibus fortiter agentibus.

Bohemi sceleratissimi truncati sunt omnes.

Soluta obsidione Bohemi Schismatici & bestijs crudeliores, qui nec Deum timebant, nec homines reverebantur, per Ducatum Montensem & Clivensem diffusi, omnia incendio & ferro desolaverunt, rapinas ubique facientes, Monasteria & Ecclesias omni ornatu & rebus spoliarunt, sacra Dominici corporis vasa, fuso in terras sacramento, rapuerunt, Moniales & Deo dicatas Virgines, quas ornavit senium, ignibus concremarunt, juniores verò & vultu decoras publicè & sine verecundia stuprantes abegêre captivas. Sed non tulit Divina Majestas tantam impietatem hæreticorum diu inultam, nam populus terræ in unum concurrens, & cum impetu super abeuntes irruens, nihil tale suspicantes omnes in impetu furoris occidit, ut nec unus quidem remanserit ex eis, Deo illis reddente mercedem impietatis, quam meruerunt.

Sed etiam Theodoricum Archiepiscopum Colonienſem, qui Bohemos Schismaticos evocari fecerat, & per hoc omnium iniquitatum principium in terris dedit memoratis & causam, multa post hæc mala invenerunt, ægritudines, pericula, damna, incommoda & variæ tribulationes, ut disceret, non decere Christianum Pontificem, fideles tradendos infidelibus ad puniendum, pro inobedientia non fidei, sed dominij temporalis.

Conventus principum in quo Nicolaus Papa verus suscipitur.

Anno prænotato Rex Fridericus convocavit omnes Archiepiscopos, Pontifices, Abbates, Principes, Duces, Marchiones, Comites, Barones, & Cives Regni, ad Aschaffenburg oppidum Ecclesiæ Moguntinæ juxta ripas Mogani. Quibus convenientibus inter multos & magnos tractatus unanimi fuit consensu definitum, Nicolaum Papam V. unicum solum & verum esse Christi Vicarium, ipsique ut Petri legitimo successori fore obediendum. Amadeum verò, quem sui nuncupaverunt Felicem, Antipapam esse atque Schismaticum, & propterea deserendum ab omnibus, nec ei penitus adhærendum. Et ista mandata Regis Friderici per universam fuerunt denuntiata Germaniam.

Henricus Abbas S. Ægidij à Nürenberg, vir doctus.

Claruit his temporibus Henricus de Gulsten Abbas Monasterij S. Ægidij in Nürenberga Ordinis D. P. Benedicti, vir doctus & magnæ reputationis, qui in Concilio Basileensi, & extra multa fecit in favorem Monasticæ reformationis, & observantiam Regulæ, quam aliàs sermone,

docuit

docuit, in sua conversatione laudabilem ostendit, Scripsit excellentis ingenij sui nonnulla opuscula, de quibus tantum invenimus subjecta. Super septimâ distinctione de pœnitentia lib. 1. Item super Distinctione de Consecratione lib. 1. De Passione Domini lib. 1. Cætera me latent.

Joannes de Francofurdia Theologus.

Joannes ex oppido Dicburg, cognomento de Francofurdia, Theologus Gymnasij Heidelbergensis non indoctus, & his temporibus clarus apud Ludovicum Palatinum Comitem multo in pretio fuit. Scripsit & ipse contra Hussitas Bohemos tractatum; contra Feimeros, id est, latentes Scabinos Westphalici Judicij, qui se scitos nominant, brevem & pulchrum libellum. De contractibus lib. 1. Et alia plurima. Hic missus à Palatino Comite ad Ludovicum Ducem Sabaudiæ filium Amadei, sive Papæ Felicis, ut sororem ejus Margaretham Domino suo postularet uxorem, elegantem dixit Orationem sic incipientem: *Verbum mihi est ad te, O. P.*

Wynandus de Stega Canonicus.

Wynandus de Stega Villula Cis Rhenana Canonicus Ecclesiæ S. Joannis in Hengia propè Herbipolim, & Pastor Ecclesiæ Parochialis in Bacharach, quod duobus à Bingen distat milliaribus in descensu Rheni fluminis: vir in Jure & omni varietate scripturarum doctus; hebraicæ linguæ non minus, quàm maternæ, id est, Theutonicæ peritus: causarum advocatus apud Herbipolenses multo tempore fuit. Scripsit in V. libros Moysi Commentarios libros totidem. Interpretationum Bibliæ Correctorium libb. IV. Reliqua non vidi.

MCCCCXLVIII.

Cives de Eslingen & Comite Wirtenberg profligantur.

Anno Wolfframmi Abbatis XX. Indictione Romanorum XI. Cives oppidi Regalis Eslingen, auxilio quorundam aliorum Civium Regni contracto milite, Comitum Wirtenbergensium terras hostili cæperunt incursione vastare. Quibus recognitis Comes Udalricus mox suorum viribus adjutus in hostes irruit, & quasi leo rugiens eorum exercitum violenter dissipavit, occidens alios, & plures capiens, cæteris conversis in fugam.

Luzenburgi Ducatus.

His temporibus cùm præter unicam viduam Ducatus Luzenburgensis nullum haberet legitimum hæredem, & populus terræ Dominam suam, de qua loquimur, jam propter senectutem ejus despiceret, variæ inter quosdam Principes pro ipso disputationes fuerunt subsecutæ. Philippus enim Burgundiæ Dux pro memorato Luzenburgensi Dominio tanquam proximior hæres, totis viribus certabat. Contra quem Wilhelmus Dux Saxoniæ animosè certabat, asserens terram Luzenburgensem sui juris esse propterea, quod eam à Friderico Germanorum Rege III. in pignus pro summa pecuniarum notabili suscepisset. Diu duravit ista contentio, & postremò finem accepit talem.

Wilhelmus Dux Saxoniæ obtinuit Ducatum Luzenburg.

Wilhelmus Dux Saxonum, ut diximus, data Regi Friderico non parva summa pecuniarum, Ducatum prædictum quasi hæredibus carentem, & ob id revolutum ad Regnum, ab eo suscepit in pignus, misitque in eum Comitem quendam de Glichen cum viris armatis compluribus, ut Ducatûs caperet realem sive corporalem possessionem. Qui veniens ad oppidum Luzenburg, in brevi tempore majorem Ducatûs partem obtinuit sine contradictione aliqua: Nobilibus terræ in verba Saxonum facilè jurantibus, propterea quod & Dominam suam contemnerent, & proprijs, non publicis commodis inhiarent. Obtentâ majore Ducatûs

parte, Comes cum paucis residebat in oppido: regionem verò militum Domini sui commiserat dispositioni per loca gubernandam.

Domina Luzenbnrgi contra Saxones invocat Burgundum.

Verùm postquam Saxones jam se per omnia in Ducatu securos existimarent, atque potentes, Domina terræ, quæ fuerat ultima Ducis Wenceslai relicta vidua, & ex stirpe Ducum Bavariæ progenita, videns & dolens se contemptam & desertam à subditis suis, atque Nobilibus simul & Saxonibus infensam, nuntium cum litteris secretò misit ad Philippum Burgundiæ Ducem, scribens ei & promittens, omnem se terram Luzenburgensem ejus imperio subdituram, modo veniat ipse, vel mittat exercitum, qui Saxones potenter expellat.

Philippus Dux Burgundiæ obtinuit Ducatum Luzenburg.

His recognitis Dux Philippus corde læto jucundus mulieri statim secretè rescripsit, omnia se pro ejus arbitrio facturum, datóque & accepto inter se modo, quo tutius atque secretius omnia fierent, dies negotio statuitur, opportunitas exspectatur. Termino instante, quem præfixerant rebus occultè perficiendis, Dux Philippus misit ad oppidum Luzenburg Capitaneum unum cum decem millibus viris armatis, qui nocte venientes ordinatione mulieris, & quorundam Civium intromissi sunt in oppidum, & arcem, & omnia sub silentio in suam receperunt potestatem. Saxones qui erant in Oppido & arce, omnes fuerunt capti paucis exceptis, qui salutem fugâ quæsierunt. Cæteri verò qui erant per Ducatum in diversis munitionibus deputati Custodes, postquam audierunt Luzenburg à Burgundionibus captum, facti pavore desperati omnes fuga lapsi in Saxoniam unde venerant magna cum confusione revertuntur. Et sic Ducatus Luzenburgi devenit ad Burgundos usque in præsens.

Philippus Comes Palatinus moritur.

Anno prænotato XIV. die mensis Julij horâ tertiâ, post meridiem in oppido Heidelberg, moritur Philippus Rheni Palatinus, Bavariæque Dux, Patre Ludovico pio, matre verò Margaretha filia Amadei primi Ducis Sabaudiæ. Vixit annis LIX. mensibus IV. diebus XIII. de quo per temporum ordinem consequenter dicemus reliqua.

Solis defectio fuit.

Eodem anno XXIX. die Augusti, horâ diei sextâ, facta est solis defectio, quam Græco vocabulo Ecclypsin, id est, celationem nuncupant, quam in diversis Regionibus varij motus & multa prælia sequenti anno fuerunt subsecuta, in Anglia, in Gallia, in Apulia, in Flandria, per totam ferè Italiam, & in multis Germaniæ locis; fuitque terra latronibus, raptoribus & sceleratissimis plena homicidis, qui vias, itineráque mercatorum observabant in nemoribus latitantes, & neminem tutò sinebant transire.

MCCCCXLIX.

Pestilentia magna fuit per totam Europam & plures consumpsit.

Anno Wolfframmi Abbatis XXI. Indictione Romanorum XII. magna pestis totam penè Europam occupans, innumerabilem multitudinem mortalium consumpsit. Miranda generis humani calamitas! quàm citò se homo sensit infectum pestilentiæ veneno, sine mora concidit ægrotus, non medicina cuiquam profuit, imò vix tempus dabatur vocandi Medicum; nec si vocatus fuisset, præ timore accedere consensisset infectum. Idem penè fuit punctum sentire adesse, & mori. Aliqui primo die moriebantur statim infecti, alij secundo, tertium verò diem paucissimi supervixerunt infirmi: media pars hominum in Europa Christianorum hanc pestem non evasit.

Eodem

Eodem anno confœderati in unum Theodoricus Archiepiſcopus Moguntinus, Epiſcopus Bambergenſis, Epiſcopus Eichſtettenſis, Carolus Marchio Badenſis, Udalricus Comes Wirtenbergenſis, & Albertus Marchio Brandenburgenſis, bellum quibuſdam Civitatibus Regni indixerunt. Contracta igitur multitudine pugnatorum Albertus Marchio contra Nürenbergenſes (quibus multum erat infenſus) exercitum duxit, & omnia per circuitum hoſtiliter vaſtavit. Cives primo hoſtium occurſu territi, ſeſe in oppido continuerunt, ſed poſtea reſumptis in animo viribus, contractiſque mercede copijs militum, in agros principum, & præcipuè Marchionis Alberti potenter eruperunt, ferro & igne omnia hoſtiliter devaſtantes. Duravit iſta Alberti cum Civibus contentio in annum ſequentem, donec poſtremò exhauſtis burſis & promptuarijs utriuſque partis egeſtas pacem compoſuit.

Confœderatio fit Principum contra Civitates regni.

Anno prænotato Felix Papa IV. in Concilio Baſileenſi quondam contra Eugenium electus, anno Pontificatûs ſui x. nondum completo, precibus Friderici Regis Germaniæ & quorundam aliorum Principum inductus atque perſuaſus, Nicolao cedere ſtatuit, & renuntiare papatui conſenſit certis ſub conditionibus, quas in ſuo procuratorio manifeſtè expreſſit.

Amadeus, qui & Papa Felix Nicolao cedere conſenſit.

Prima Conditio fuit: *Ut Amadeus ipſe poſt reſignationem Pontificatûs ſui mox per Nicolaum inſtitueretur Cardinalis SS. Romanæ Eccleſiæ ſimul & de latere Pontificis Legatus per Germaniam & Sabaudiam ſuam.*

Prima Conditio.

Secunda Conditio fuit: *Ut Cardinales omnes, quos in ſuo Pontificatu crearat, in eorum dignitatibus permanerent, & per Romanam Eccleſiam providerentur ſicut cæteri, erant enim viri in omni ſcriptura doctiſſimi.*

Secunda.

Tertia Conditio fuit: *Ut Papa Nicolaus ratificaret omnes Inſtitutiones, Conſtitutiones, & Ordinationes Epiſcoporum, Abbatum, Prælatorum & Clericorum per Felicem factas, ſimul & Beneficiorum collationes, proviſiones, commiſſiones, & cætera ejus acta omnia, quæcunque in ſua obedientia feciſſet, ut Papa.*

Tertia.

Quarta Conditio fuit: *Ut Papa Nicolaus omnia & ſingula in Baſileenſi Concilio facta, ſtatuta, concluſa ſive decreta, authoritate ſua Apoſtolica ratificaret, approbaret & confirmaret, decernerétque ipſum Concilium in Spiritu Sancto legitimè fuiſſe congregatum, & inter Concilia Eccleſiæ numerandum.*

Quarta.

Itaque Romam venientibus ad Nicolaum Pontificem Amadei Procuratoribus cum plena poteſtate reſignandi, ſalvis Conditionibus præſcriptis, Cardinalium & Prælatorum, qui erant in urbe, adunatur Concilium; in medium Amadei poſtulatio proponitur, Conditiones interpoſitæ reſerantur. Conſultatione habitâ placuit tam Prælatis, quam Summo Pontifici pro bono pacis & unionis Eccleſiaſticæ, Amadeo poſtulata concedere, pernicioſúmque ſchiſma propoſitis medijs aufferre. Conceſſit itaque Nicolaus Papa Amadeo, quæ poſtulaverat: & Procuratores omne Jus ejus, quod habuit vel habere potuit ad Papatum, juxta mandatum, quod acceperant ab eo, in Conſiſtorio publico reſignarunt. Et facta eſt lætitia magna in populo non ſolum Romano, ſed in omni quoque gente totius Orbis Chriſtiani, gaudentibus & lætantibus cunctis timentibus Deum, quod Eccleſiam ſuam à ſchiſmate liberaſſet.

Nicolaus Papa Conditiones Amadei omnes admittit.

Nicolaus Papa confirmat acta & gesta Concilij Basileensis.

Nicolaus ergo Pontifex de consensu & consilio Cardinalium ratificavit, approbavit & confirmavit acta & gesta Basileensis Concilij anno prænotato, XXII. die mensis Junij, sicut patet in Bulla quam dedit.

Ludovicus Comes Palatinus pater Philippi moritur.

Eodem anno XIII. die mensis Augusti, moritur Ludovicus Comes Palatinus Rheni, Bavariæque Dux & Princeps Elector, Heidelbergæ in Choro Ecclesiæ S. Spiritus cum honore sepultus, filium reliquit unicum, undecim menses habentem ætatis, nomine Philippum, quem genuit ex Margaretha Amadei Ducis Sabaudiæ supradicti Felicis Papæ filia, & relicta quondam Ludovici Regis Siciliæ, quæ tertiò postea nupsit Udalrico Wirtenbergensi Comiti.

Fridericus Palatinus Philippi fit tutor annis XXVI.

Moriturus autem ipse Ludovicus Princeps Christianissimus, filium suum memoratum unigenitum Philippum, uxorem quoq; Margaretham, & omnem Principatum suum Friderico fratri suo commendavit, qui non habuit uxorem, sub tali videlicet conditione: ut ipse Tutoris ageret officium, quo usque Philippus decimum octavum compleverit annum: quo, miserante Deo, completo, Tutoris officium exspiraret, & Philippus paternum liberè haberet Dominium. Sed fratre mortuo Fridericus supervixit annis XXVI. & nomen Tutoris non deposuit, nec Principatum, ut promiserat, Philippo resignavit: sed quandiu vixit, officium Tutoris tenuit, & prudenter omnia gubernavit.

MCCCCL.

Annus Jubilæus Romæ celebratur.

Anno Wolfframmi Abbatis XXII. Indictione Romanorum XIII. Nicolaus Papa IV. Jubilæum, id est, annum Remissionis peccatorum Romæ celebravit. Ad quem ex omni Christianorum orbe infinita penè multitudo hominum convenit; quorum tanta copia fuit, ut non solum domos, sed etiam plateas urbis implerent, & nocte sub dio plures dormire compellerentur. Nicolaus autem Pontifex Romanus suâ providentiâ dispo-suerat, ut nihil eorum deesset peregrinantibus in urbe, quæ ad vitæ sustentationem videbantur necessaria. Romam tunc non urbem vidisses, sed orbem, præ nimiâ hominum frequentia, in tantum confluentibus ex omni Europa peregrinis, ut in plateis sese comprimerent, & non facilè nisi per longos circuitus de Ecclesia ad Ecclesiam transirent.

Ducenti homines Romæ compressi multitudine pereunt.

Unde quadam die tanta hominum multitudo ad S. Petrum euntium, & redeuntium in ponte S. Angeli sibi mutuò venit obviam, quod præ nimia pressura sese urgentes, non minus quam CC. homines in Tyberim ceciderunt, fuerúntque submersi. In Ecclesijs etiam tanta compressio intrantium & exeuntium fuit, ut se mutuò collidentes graviter plures læderentur. Unde necesse fuit deputare custodes, qui impetum populi cohiberent.

Eodem anno Jacobus Archiepiscopus Trevirorum, & Conradus Episcopus Metensium cum CXL. Equitibus Romam pro Indulgentijs profecti sunt Jubilæi, quos Papa Nicolaus magnâ susceptos humanitate non sine honore dimisit. Inter plura quæ Archiepiscopus prædictus à Summo Pontifice tunc impetravit, unum fuit, ut Gymnasium generale, sive Universitatem litterariam in Civitate Trevirorum posset instituere, more cæterarum Privilegiatam, in qua omnium facultatum legerentur lectiones.

Anno prænotato contentionibus & bellis inter Principes & Civitates Regni

Regni adhuc durantibus, Comes de Wirtenberg adjutorio suorum per Sueviam satis magna clade affecit Cives & oppida Regni sibi vicina.

Albertus quoque Marchio Brandenburgensis, vir audax, strenuus & bellicosus multorum Principum suffultus auxilio, inimicitias contra Cives Regni & maximè Nürenbergenses animo tenacissimo per biennium continuavit. Novem cum eisdem Nürenbergensibus prælia idem Marchio commisit, in quorum octo victor gloriosus extitit, in uno tantum superatus fuit. Nec prius de pace admisit tractatum, donec exustis villis, destructis agris, interfectisque cultoribus terræ contendentibus pecuniæ defecerunt.

Albertus Marchio contra Nürenbergenses octies victor extitit.

Eodem anno IV. die mensis Novembris, Waltherus de Ehingen Civis Ulmensis, vir prudens & potens inter suos, junctis sibi copijs Civitatum regni, pugnatorum non parvum adunavit exercitum, cum quo terras Comitum de Wirtenberg hostiliter invadens, omnia ferro & igne in circuitu devastavit. Contra quos Comites memorati Udalricus & Ludovicus validum suorum & amicorum miserunt exercitum, simulque propè Eslingen oppidum Regni concurrentes atrox committitur bellum, in quo Civium Regni à Comitibus superatur Exercitus, & victoriam Comites consequuntur. Ex parte autem Civium in eo bello plures ceciderunt, inter quos occubuit etiam Waltherus de Ehingen, Capitaneus Ulmensium, & Hieronymus Baffinger de Nördlingen Campiductor cum alijs multis.

Comitis in Wirtenberg contra Civitates regales bellum.

Anno prænotato quinta die mensis Maij, vel ut alij scripserunt VI. hora circiter post medium noctis prima, per incuriam & negligentiam eorum, qui circa organum laboraverunt in die, ignis magnus in Ecclesia Spirensi accensus, turrim, campanas, organum & tectum Ecclesiæ totum consumpsit, & magnum Capitulo damnum intulit; erant enim Clerici simul & Laici vino æstuantes, qui ventosas organi perungentes, malè custodierunt ignem, quo circa organi locum incenso per funes campanarum (dictu mirum) ad superiora ascendit in turrim, & Ecclesiam devoravit; cujus negligentiæ causa duo Vicarij majoris Ecclesiæ combustæ custodes, & fabricæ magistri Joannes & Christianus in Udenheim captivi ducuntur.

Ecclesia major Spirensis incendio miserabili concrematur.

His temporibus in Civitate Moguntina Germaniæ propè Rhenum, & non in Italia, ut quidam falsò scripserunt, inventa & excogitata est ars illa mirabilis & prius inaudita imprimendi & characterizandi libros per Joannem Guttenberger civem Moguntinum, qui cùm omnem penè substantiam suam pro inventione hujus artis exposuisset, & nimia difficultate laborans, jam in isto, jam in alio deficeret, jámque propè esset, ut desperatus negotium intermitteret, consilio tandem & impensis Joannis Fust æquè Civis Moguntini rem perfecit incæptam. In primis igitur characteribus litterarum in tabulis ligneis per ordinem scriptis, formísque compositis Vocabularium Catholicon nuncupatum impresserunt, sed cùm ijsdem formis nihil aliud potuerunt imprimere, eò quod characteres non fuerunt amovibiles de tabulis, sed insculpti, sicut diximus. Post hæc inventis successerunt subtiliora, invenerúntque modum fundendi formas omnium Latini Alphabeti litterarum, quas ipsi matrices nominabant, ex quibus rursum æneos sive stanneos characteres fundebant, ad omnem pressuram sufficientes, quos prius manibus sculpebant. Et revera sicuti ante 30. fermè annos

Ars impressoria librorum apud Moguntiam reperta est.

Omnis artis prima inventio difficilis.

ex ore Petri Opilionis de Gernsheim civis Moguntini, qui gener erat primi artis inventoris, audivi, magnam à primo inventionis suæ hæc ars impressoria habuit difficultatem. Impressuri námque Bibliam, priusquam tertium complessent in opere quaternionem, plusquam 4000. florenorum exposuerunt. Petrus autem memoratus Opilio, tunc famulus, postea gener, sicut diximus, inventoris primi, Joannis Fust, homo ingeniosus & prudens, faciliorem modum fundendi characteres excogitavit, & artem, ut nunc est, complevit. Et hi tres imprimendi modum aliquandiu tenuerunt occultum, quousque per famulos, sine quorum ministerio artem ipsam exercere non poterant, divulgatus fuit, in Argentinenses primò, & paulatim in omnes nationes. *O fœlix nostris memoranda impressio sæclis! Desierat quasi totum quod fundis in Orbem; omnes te summis igitur nunc laudibus ornant, Inventore nitet utraque lingua tuo. Nunc parvo doctus quilibet esse potest, te duce quando ars hæc mira reperta fuit.* Et hæc de Impressoria mira subtilitate dicta sufficiant, cujus Inventores primi Cives Moguntini fuerunt. Habitabant autem primi tres artis Impressoriæ inventores, Joannes videlicet Guttenberger, Joannes Fust, & Petrus Opilio gener ejus Moguntiæ in domo zum Jungen dicta, quæ deinceps usque in præsens Impressoria nuncupatur.

In laudem artis impressoriæ mensurata exclamatio.

Wilhelmus Præpositus in Roth contra Abbatem se erigit.

Anno item prænotato post obitum Gotfridi Præpositi in Roth, Wilhelmus de Stetten per Wolfframmum Abbatem Hirsaugiensem Præpositus fuit institutus. Qui paulò post in superbiam elevatus Abbatem suum cæpit contemnere, & ejus imperio temerè contraire; volebat enim ipse, si potuisset, Advocatiam præposituræ, quam Comites de Oetingen in feudum recipiunt, alienare penitus, & eis in perpetuam concedere proprietatem. Quod ut mox Wolfframmo Abbati Hirsaugiensi certa relatione innotuit, omnes eorum conatus impedivit. Conspiraverant in unum Comes & Præpositus, alter cupiens advocatiam præposituræ liberam, alter ut à jurisdictione Abbatis fieret absolutus. Sed Wolfframmus non minus jure, quam prudentiâ utriusque conatum repressit.

MCCCCLI.

Fridericus Rex Romanor. pro Corona Imperij Romam pergit.

Anno Wolfframmi Abbatis XVIII. Indictione Romanorum XIV. Fridericus Rex Germanorum III. cum magna Comitiva Principum atque Nobilium & exercitu 12000. pugnatorum pro Corona Imperij Romam proficiscitur, quem Helionora Eduardi Regis Lusitaniæ filia sibi noviter desponsata comitatur. Qui cùm Romam pervenisset 16. mensis Martij, coronam ferream, quam Mediolani propter varios bellorum tumultus suscipere non voluit, in Ecclesia S. Joannis Lateranensis ab uno Cardinalium jussu & authoritate Romani Pontificis Nicolai Papæ V. acceptavit. Deinde 20. die mensis Martij, quæ fuit IV. Dominica quadragesimæ, in qua pro introitu Missarum: *Lætare Jerusalem*, in Ecclesia Dei cantabatur, Nicolaus Papa V. ipsum Regem Fridericum Romæ in Ecclesia S. Petri una cum Leonora, desponsata sibi conjuge Imperatorem solemni pompa coronavit, qui deinceps imperavit annis duobus & quadraginta, vir mitissimus, amator Cleri, & pauperum defensor humanissimus, pacificus, prudens, quietus, & in omnes munificentissimus.

Fridericus Rex à Nicolao Papa coronatur Imperator.

Missam Pontifice cantante, novus Imperator legit Evangelium: *Exiit edictum à Cæsare Augusto, &c.* Tenénsque in manu vibravit gladium, sumpsit

pſit deinde cum Pontifice prandium. Inter prandendum fertur Papa dixiſſe ad Cæſarem: *Multa de te glorioſiſſime fili prænuntiata ſunt mala, quæ ſis facturus Eccleſiæ, ſi fidem adhibere prædictionibus hujuſmodi debeamus.* Cui Imperator reſpondit: *Mea intentio pro Eccleſia Dei bona & recta eſt, ſi Deus aliud de me aut per me ordinare voluerit, in ipſius poteſtate eſt, qui ſolus omnia novit, poteſt & diſponit ſecundum ſuam rectiſſimam voluntatem.* Et notandum, quòd multi ſpiritum ſibi Prophetiæ temeraria præſumptione uſurpantes multa de Friderico Imperatore III. mala prædixerunt eſſe futura, quod videlicet eſſet futurus Eccleſiæ Romanæ perſecutor, Romanorum Pontificum, Prælatorum Eccleſiæ Univerſalis inimicus & deſtructor, Cleri & pauperum oppreſſor, tyrannus impius, crudelis, maleficus, infidelis & fidei Chriſtianæ hoſtis, deſertor & oſor, quæ omnia, frivola, ficta, falſa & mentita fuerunt. Conſtat enim omnibus, qui noverunt eum, quòd cunctis diebus regni ſui ſimul & Imperij per annos 53. in fide Chriſti ſemper princeps fuit Catholicus & Chriſtianiſſimus, nunquam Eccleſiæ moleſtus, nunquam tyrannus, nunquam crudelis. Romanos Pontifices, Cardinales, Epiſcopos, cæteróſque Prælatos Eccleſiæ ſimul & omnem Clerum in reverentia debita unicuique ſemper habuit, & unumquemque pro conditione ſtatûs ejus ut DEI miniſtros honoravit. In omni converſatione ſua manſuetiſſimus ſemper extitit, juſtitiam coluit, pacem dilexit, nulli contumeliam fecit. Manifeſtum eſt ergo prædictiones de illo malas omnes extitiſſe mendaces.

Vaticinia de Friderico III. falſa multa fuerunt prædicta.

Imperator Fridericus ſemper Eccleſiæ fidelis fuit & ſubjectiſſimus.

Coronatione Imperiali ſolemniter peracta, Cæſar Fridericus Roma digrediens cum omni populo ſuo intravit Neapolim, & Rege Alphonſo, qui tum Regnum Apuliæ, Siciliæque occupaverat, Arragoniæ regno paterno interim gubernatoribus credito, amicè ſalutato, nuptias cum Helionora deſponſata ſibi Regis Portugalliæ ſive Luſitaniæ filia ſolemni pompa celebravit, de qua poſtea genuit Maximilianum Cæſarem hodie feliciter imperantem, & filiam unam, quæ nupſit Alberto Duci Bavariæ, ut ſuo loco dicemus. Cæſar itaque peractis in Italia, pro quibus intraverat, redijt in Germaniam.

Imperator Fridericus uxorem ducit Helionoram in Neapoli.

Anno prænotato, Nicolaus Papa V. miſit in Germaniam Nicolaum de Cuſa Patria Moſellanum SS. Romanæ Eccleſiæ Tituli S. Petri ad Vincula Presbyterum Cardinalem, Epiſcopum Brixienſem in Bavaria, Legatum Sedis Apoſtolicæ de Latere cum Indulgentijs Jubilæi. Qui venit ad Treverim nativitatis ſuæ metropolim, ac deinde ad alias regni partes Germanici, & Jubilæi gratiam per ſemetipſum in cancellis prædicans nuntiavit.

Anno eodem 23. die menſis Maij, quæ fuit Dominica quarta poſt Feſtum Dominicæ Reſurrectionis, fuit celebratum quartum decimum Ordinis noſtri Provinciale Capitulum Herbipoli in Monaſterio ſancti Proto-Martyris Stephani: in quo Nicolaus de Cuſa Cardinalis Legatúsque Apoſtolicæ Sedis memoratus cum quatuor Abbatibus præſedit propria in perſona. Nomina verò Abbatum compræſidentium iſta fuerunt, S. Ægidij in Nürenberga, S. Burckhardi prope Herbipolim, S. Petri in Erpfurdia, & S. Gothardi propè Hildesheim, Monaſteriorum Ordinis noſtri Abbates. In eodem Capitulo prædictus Cardinalis in Dominica præſcripta: *Cantate*, Pontificalibus indutus Miſſam ſolemniter decantavit;

Capitulum Ordinis noſtri Provinciale 14. Herbipoli celebratur, præſente Nicolao de Cuſa Cardinali Legato.

vit; post cujus finem omnes & singuli Abbates per ordinem accedentes ad summam memoratæ Ecclesiæ aram sive altare, in manus ipsius Legati ante altare sedentis sub jurejurando promiserunt, quod infra annum concluſam in Capitulis Reformationem sine dilatione vellent assumere, & tam in se, quàm in subditis suis fideliter observare. Simile juramentum fecerunt procuratores absentium in animas eorum, quorum procuratores fuerant constituti. Juraverunt omnes: sed observantiam infra annum pauci acceptarunt: sic ergo plures facti sunt deierantes.

Perjuri plures in deformitate manserunt.

Prædictus Cardinalis Nicolaus Cusanus vir undique doctissimus in sua Legatione multa constituit, ordinavit & fecit per Germaniam pro reformatione, honore & utilitate Ordinis S. P. N. Benedicti, & præcipuè in Diœcesi Moguntina, in qua suo tempore observantia Bursfeldensis magnificè pullulare cæpit: multas in favorem ejus edidit constitutiones: observantiam, unionem & Capitulum annale Bursfeldensium auctoritate Legationis suæ primus approbavit. Quæ omnia postmodum Pius Papa secundus auctoritate Apostolica confirmavit: & privilegia, quæ olim Papa Eugenius IV. observantiæ Congregationis S. Justinæ de Padua contulerat, unitis & uniendis Bursfeldensium Capitulo Monasterijs concessit. Multa scripsit iste Cardinalis Theutonicus, quorum & in libro de scriptoribus Ecclesiasticis jam dudum mentionem fecimus: & in sequentibus anno Bernardi Abbatis quarto, quo ab hac vita migravit ad Christum, latius dicemus.

Cardinalis Nicolaus de Cusa multa fecit in favorem unionis nostræ.

Anno item prænotato pace inter Principes & Civitates Regni necdum plenè firmata, correptus peste Ludovicus Comes de Wirtenberg, frater Comitis Udalrici supradicti, in Urach moritur, & apud Carthusienses in Guttenstein cum honore sepelitur. Uxorem habuit Mechtildem Ludovici Palatini Comitis filiam, de qua genuit duos filios, Ludovicum, qui adolescens sine liberis decessit, & Eberhardum cognomento Barbartum postea Primum Ducem in Wirtenberg, Virum justum, inclytum & prudentissimum. Is in Comitatu Patri succedens uxorem duxit Mechtildem Ludovici Marchionis Mantuani filiam nomine Barbaram, de qua genuit unicam filiam, quæ juvencula mortua est. Reliquit etiam Comes Ludovicus memoratus duas filias, Mechtildem quæ nupsit Landgravio Hassiæ, peperitque duos novissimos Wilhelmos, quorum adhuc senior vivit: & Elisabeth quæ primò nupserat Comiti de Nassavv, & postea Comiti de Stollenberg.

Ludovicus Comes in Wirtenberg obijt.

Eberhardus barbatus filius ei successit.

Nicolaus Papa V. eodem anno D. Bernardinum Patriâ Senensem Ordinis Fratrum Minorum B. Francisci signis & miraculis clarum in vita simul & post mortem, assensu Cardinalium Catalogo Sanctorum adscripsit.

Bernardinus Ord. Minorum Canonizatur.

MCCCCLII.

Anno Wolfframmi Abbatis XXIV. Indictione Romanorum xv. Fridericus Comes Palatinus Rheni Tutor & patruus Philippi, contractis copijs bellatorum contra Comites de Luzelstein processit ad prælium. Cujus adventu perterriti Comites in Castello suo se continuerunt, non audentes cum tanta multitudine dimicare. Unde Fridericus firmata obsidione Luzelstein per septem dies & duos menses fortiter impugnans, tandem in profesto S. Martini Castellum cum oppido violenter obtinuit, &

& omnem Comitatum suo Dominio subjugavit. Comes autem ex Luzelstein prius occultè fugerat, nec Palatino congredi audebat. Causam belli, quantum possumus, breviter dicemus. Ludovico pio Comite Palatino Rheni patre Philippi viam universæ carnis ingresso, sicut anno Wolfframmi Abbatis XXI. dictum est, Fridericus frater, qui erat sine uxore, consensu procerum curiæ Palatinatûs, auctoritate quóque & confirmatione Sedis Apostolicæ Tutor infantis Philippi constitutus est; & cum titulo Electorij Principatus Imperij Romani Palatinum & Principem Electorem se & scripsit, & gessit in omnibus: non Tutorem se nominans, sed Dominum.

Causa quæ fuerit dissensionis inter Palat. & Comites.

Displicuit ista prærogativa, ne dicam potestas, vicinis Principibus, & in primis Theodorico Archiepiscopo Moguntino: Stephano quóque Duci Gemini Pontis, & filijs ejus Friderico & Ludovico, Carolo Marchioni de Baden, & Comitibus quibusdam, præcipuè illis de Luzelstein, qui singulari odio Comitem Palatinum Fridericum prosequebantur, & insequebantur. Unde contractis ut potuerunt latrunculis, frequentes hostilésque incursiones fecerunt in terram ejus, & multas pauperibus clades igne, ferro & rapina intulerunt. Adhæserunt autem prædictis Comitibus de Luzelstein occultè principes memorati, quorum seducti pollicitationibus, quidquid potuerunt mali, semper in Palatinum præsumpserunt. Post multas tandem injurias Comitum, quas terræ pauperibus intulerunt, evigilans Palatinus, qui alioquin Princeps erat mitissimus, diutius eorum tantam insolentiam dissimulare non potuit, sed contracto milite Luzelstein obsedit, cepit, & Comites de terra eorum fugavit usque in præsentem diem.

Comitatum Luzelstein Fridericus Palatinus obtinuit gladio.

Eodem anno, postquam Fridericus Imperator de Italia reversus est in Germaniam, omnia tumultu fieri, maximè in Austria & Ungaria comperit: constitutum námque in Nova civitate, oppido Austriæ, cum Ladislao adolescente duodenne, filio Alberti Regis Ungariæ quondam atque Bohemiæ, obsidione cinxerunt Australes; quibus se Bohemi ducentis Equitibus & mille peditibus adjungunt, Ladislaum memoratum puerum Regem suum importunè postulantes. Sed Fridericus Imperator voces eorum contemnens, dare Adolescentem Bohemis ut minorennem, & necdum idoneum ad regnum non consensit.

Imperator Fridericus in Nova civitate Austriæ à suis obsidetur.

Cunctis igitur, quos secum habuit in oppido, militibus bello aggredi fortiter statuit obsidentes. Commissum est atrox bellum, & Cæsariani tam virtute, quàm fortitudine multitudinis superati terga dederunt, & in oppidum, unde processerant, revertuntur. Tandem mediantibus Sigismundo Archiepiscopo Salisburgensium, & Carolo Marchione de Baden, Cæsar inductus Ladislaum Bohemis tradidit, & pax soluta obsidione reformata fuit.

Bellum fit inter Cæsarem & Australes ante novã Civitatem.

MCCCCLIII.

Anno Wolfframmi XXV. Indictione Romanorum prima, Monasterium S. Joannis Baptistæ in Ringaugia per Monachos Cœnobij S. Jacobi propè Moguntiam reformatum est, & ad unionem Capituli annalis observantiæ Bursfeldensis receptum. Quam quidem reformationem Nicolaus Cusa Cardinalis tunc in Germania Legatus & Rudolphus de vici-

Monasterium S. Joannis in Ringaugia reformatur.

no vico Rüdesheim Episcopus Uratislaviensis consensu Archiepiscopi Moguntini Theodorici, summa diligentia promoverunt: & quia Monasterium ipsum per diuturnam in utroque statu deformationem in magnam devenerat paupertatem, ut Monachi jam tunc reformati non haberent, unde viverent, Archiepiscopus ordinariâ, & Cardinalis Apostolicâ authoritatibus Cœnobium eis, Clusa dictum, in pede montis positum, & jam monialibus vacuum, aut propè vacandum, in perpetuam tradiderunt possessionem.

Constantinopolis ab Imperatore Turcarum capitur.

Eodem anno tricesima die mensis Maij, Mahumetes Turcarum Princeps anno tyrannidis suæ tertio, nobilissimam, famosissimámque Græcorum urbem Constantinopolim maxima vi armorum, terra mariq; impugnans, 50. die obsidionis cepit, & stragem Christianorum in ea miserabilem fecit; omnes enim utriúsque sexus homines, qui excessissent quintum ætatis annum, gladio jussit occidi: sacerdotes Monachos & Clericos omnes quotquot reperit, inauditis tormentis affectos trucidavit. Moniales Virgines & speciosas juvenculas sive mulieres primò spurcissima libidine polluerunt, deinde alias peremerunt, alias duxêre captivas. Constantinum Paleologum Imperatorem Græcorum Mahumetes capite truncavit. O quid mali non præsumit mens impia! Civitate obtenta non satis fuit scelestissimo homini sæviisse in homines, nisi etiam sæviret in Deum & Sanctos. Omnes in Urbe SS. Ecclesias polluit: Reliquias eorum quotquot reperit, ornatu spoliatas in lutum projici, militibus, ut equites desuper decursitarent, in lutúmque calcibus equorum mergerent præcepit. Sed ubi milites tantam ossibus mortuorum contumeliam inferre trepidarent, prior ipse cum equo suo super busta Divorum insiluit, & conversus ad milites impia voce clamavit: *Quisquis vestrum me secutus non fuerit, per magnum Dei nuntium Mahomet juro, quod hodie morietur.* Hac voce conterriti milites equos unanimi cursu agitantes Sanctorum Reliquias in lutum demerserunt.

Reliquiæ Sanctorum conculcantur in lutum.

Templum quoque S. Sophiæ, id est, æternæ Sapientiæ Dei Patris in orbe toto famosissimum, quadringentis per circuitum turribus ornatum, & multis SS. Corporibus ac reliquijs gloriosum, turpiter prophanans stabulum fecit equorum. Heu quid non præsumit impietas! Omnes Christianæ fidei libros, SS. Martyrum gesta & Passiones, Comentarios Patrum, & quidquid scriptum reperit, quod ad pietatem & eruditionem cultorum virtutis suspicabatur pertinere, in unum jussit comportari, & impletas complures naves vetustas & perforatas libris & voluminibus pretiosissimis & multis in profundum maris fecit demergi, existimans se fidem Christianam tali crudelitate per universam gentem Græcorum deleturum.

Libri omnes Christianorum lacerantur & submerguntur in mari.

Igitur Constantinopoli capta Turcarum Princeps Mahometes Amurati filius totum in brevi Græcorum imperium obtinuit, & multa deinceps Christianis mala fecit, de quibus jam scribere laxius, non est oportunum. Statui enim Germanus Scriptor à principio narrationum mearum, in exterarum Nationum gestis, quæ amplo sunt scripta boatu, non diu morari.

Magister Theutonicorum in Prussia superatur à Rege Poloniæ.

His quoque temporibus magni tumultus in Prussia fuerunt exorti, & multorum sanguine vix tandem sedati. Nam Pruteni contra Magistrum Theutonicorum in unum conspirantes sese in rebellionem gravissimam erexerunt.

erexerunt. Ex quibus oppidorum & castrorum LV. cives & incolæ ad Regem Poloniæ defecerunt. Unde contractis copijs ab utraque parte animis ferocibus itur ad bellum, sanguis effunditur multus, & diu ancipiti Marte pugnatur. Rex tandem Poloniæ Victor obtinuit campum, & ordinis Theutonicorum plures occidit. Parum tunc abfuisse constat, quod militia Theutonicorum Prussiam totam perdidisset.

Pruteni plures à Dominis suis Theutonicis ad Polonos deficiunt usque in hunc diem.

Rex autem Poloniæ victor in campo factus cum exercitu suo ulterius progreditur, & primò cepit montem Regium, id est, Königsberg oppidum, deinde Marienbrug & plura in circuitu oppida & Castella. Postremò etiam principale terræ oppidum nomine Dantiscum ad Polonos defecit. Sunt qui scribant, eam Theutonicorum cladem ex culpa eorum fuisse causatam, quod sine pietate in subditos exercerent tyrannidem.

Anno prænotato Wolfframmus Abbas hujus Cœnobij Hirsaugiensis contentiones magnas & diuturnas habuit, cum Philippo Comite de Rineck, qui Prioratum Cœnobij de Schonrein in suis juribus nimium inquietavit. Unde Postremò partes ambæ in Othonem Palatinum Comitem Bavariæque Ducem, qui morabatur in Mosbach, compromittentes, conditiones pacis, ut sonant litteræ ab eo compositæ, anno præscripto susceperunt.

MCCCCLIV.

Insularum in mari per Henricum Portugalliæ regem inventio.

Anno Wolfframmi Abbatis XXVI. Indictione Romanorum II. Henricus Rex Portugalliæ regnum suum ampliare cupiens, mare Oceanum armato cum milite navigio ingreditur, & si quæ sint Insulæ hominibus incognitæ perscrutatur. Invenit ergo insulas in mari plurimas, nunquam eatenus ab hominibus inhabitatas, inter quas una fuit cæteris major atque præclarior, fontibus irrigua, pingui gleba satis admodum dives, nemoribus & pratis adornata, & hominibus ad colendum valde idonea. In hanc Insulam diversarum occupationum & artium homines misit, qui eam inhabitarent, & colerent, singulisque annis tributum ad fiscum regium, more cæterarum gentium Regi subjectarum persolverent. Magnam Zuccari copiam præbet hæc Insula; cujus tanta in ea conficitur multitudo, ut universa Christianitas jam abundet Zuccaro.

Capitulum Ordinis nostri Provinciale xv. in Selgenstatt celebratur.

Eodem anno XII. mensis Maij, quæ fuit tertia post Festum Dominicæ Resurrectionis Dominica, in Selgenstatt celebratum fuit Capitulum Ordinis nostri Provinciale XV. in quo præsederunt Wolfframmus hujus Hirsaugiensis, Christianus S. Petri in Erpfurdia, Udalricus in Wiblingen, Bertholdus S. Stephani Proto-Martyris in Herbipoli Monasteriorum Ordinis nostri Abbates, qui multa pro reformatione Ordinis statuerunt.

Nicolaus Papa V. crucem prædicari contra Turcas mandavit.

Anno prænotato Nicolaus Papa V. nimio dolore mentis anxiatus propter Constantinopolitanum lamentabile excidium, totus in recuperationem die ac nocte occupata cogitatione æstuabat. Misit ergo Prædicatores & Nuntios in omnes Christiani Orbis nationes, qui Cruciatam & Passagium prædicarent in Turcos, & animos fidelium ad tanti recuperationem Imperij concitarent. Venerunt Missi quilibet in Regionem sibi à Pontifice Maximo deputatam; prædicaverunt Crucem, sed paucis, ut contra infideles pugnarent, aut pecunias contribuerent, persuaserunt. Omnes enim quæ sua erant, nimis avidè quærentes, communia neglexerunt.

Joannes de Capistrano missus à Papa prædicavit in Germania.

Eodem anno in mense Octobris venit ad Herbipolim civitatem Francorum Orientalium F. Joannes de Capistrano Italus, Ordinis Minorum de Observantia, Doctor sacræ Theologiæ, Generalis Inquisitor hæreticæ pravitatis & Apostolicæ Sedis Nuntius, vir doctus & sanctæ Conversationis, qui multis diebus in eadem Civitate per interpretem prædicavit. Ab Herbipoli descendit in Franckfurt, inde ad alias Civitates & oppida Regni, & ubique summa cum diligentia & fervore Crucem prædicavit.

Dracolus Waiwoda tyrannizat in Walachia.

His fermè temporibus homo quidam Paganus ac infidelis, nomine Dracolus Waivvoda Princeps Walachiæ, inauditam tyrannidis suæ crudelitatem exercebat in homines, & maximè Christianos, quorum infinita millia sine causa innocentes peremit. Postremò tandem captus à Matthia Rege Ungariæ Romam mittitur, ad fidem Christi convertitur, & baptizatus deinceps religiosissimè conversatur. Unde principatui suo restitutus in omni bonitate vitam suam consummavit. Cujus horribilia facta circumferuntur, in quodam libello dudum impressa, quæ & risum & horrorem legentibus movent.

MCCCCLV.

Nicolaus Papa V. Romæ moritur.

Anno Wolfframmi Abbatis XXVII. Indictione Romanorum III. hyems fuit dura & multum frigida. Eodem anno XXV. die mensis Martij, quæ fuit Annuntiatione Dominica solemnis, Nicolaus Papa V. sive tædio animi, quo maximè cruciabatur post captam Constantinopolim, sive febri & podagrâ, quibus frequentius laborabat, infirmatus, anno Pontificatus sui VIII. moritur, & in Ecclesia S. Petri sepelitur. Homo sempiternâ memoriâ dignus, amator omnium Religiosorum, & præsertim eruditorum, pacis cultor, & Justitiæ Princeps unicus.

Calixtus fit Papa III & præfuit annis 3 & mensibus 3.

Huic in Pontificatu Electione Cardinalium VIII. die mensis Aprilis, successit Alphonsus cognomento Borgia, natione Hispanus, patria Sabinensis Valentinæ Diœcesis, generosis parentibus ortus, & vocatus Calixtus ejus nominis III. præfuit annis III. & mensibus totidem, vir optimus & in multis probatus.

Joannes de Grumbach fit Episcopus Herbipol. & præfuit annis XI.

Eodem anno feria tertia post Dominicam Palmarum, obijt Gottfridus Schenck de Lymburg Episcopus Herbipolensis & Dux Franciæ Orientalis in majori Ecclesia sepultus, anno Pontificatus sui XII. de quo dictum est supra, anno Wolfframmi Abbatis XV. Huic in Pontificatu successit Joannes de Grumbach, & præfuit annis XI. homo quidem ignarus litterarum, sed tamen Cleri amator semper & strenuus defensor; amicis humanus & multum affabilis, inimicis verò terribilis, & singulari apparatu metuendus. Animosus fuit in hostes, bellicosus & strenuus, qui non facilè quemquam timeret, ingenio promptus, consilio cautus, & ob id Regibus & Principibus gratus, civibúsq; Regni haud mediocriter acceptus. Benè rexit Ecclesiam sibi commissam, veruntamen ære alieno gravatam non liberavit.

Calixtus Papa crucem prædicari mandavit contra Turcos Impios.

Anno prænotato Calixtus Papa III. qui ante Pontificatum voto se adstrinxerat in Turcas omnia facturum pro recuperatione Constantinopolis, quæ posset; jam Papa factus magno conabatur studio implere, quod voverat. Misit ergo statim à principio sui Pontificatus plures per orbem Christianorum Prædicatores, qui Crucem contra Turcos prædicarent, hortarentúrque populum ad contribuendum æs tum necessarium

pro

pro conducendis armatis. Plenarias denique omnium peccatorum Indulgentias concessit his, qui contriti & confessi semel in vita, & semel in morte quinque Ducatorum Eleemosynam in operis tanti subsidium contribuissent. Authoritatem etiam Commissarijs deputatis omnimodam dedit in multis casibus reservatis absolvendi, & dispensandi, cum his qui contribuissent in subsidium temporalia bona secundum eorum facultates. Et isti Prædicatores Cruciatæ per totam Germaniam, Galliam, Hispaniam & Ungariam missi, pecuniam penè incredibilem toto anno in unum comportaverunt.

Ludovicus Dux Niger Palatinum rapinis & incendio fatigat.

Anno etiam præsignato Ludovicus cognomento Niger Comes Palatinus Rheni, Bavariæque Dux, Comes in Spanheim, Veldenzia, & in Zvveibrucken, filius Stephani Ducis & Pater Friderici apud Symmeren commorantis inter Cynonotos, homo inquietus, molestè ferens, quod Fridericus Tutor Philippi se Principem scriberet Electorem, prædas contra eum & incendia pauperum exercere cæpit. Quem Fridericus secundò & tertiò per litteras ac nuntios charitativè prænonuit atque rogavit, ut à malè cæptis desiderijs, & incursionibus desisteret, ac pauperes Palatini Principatûs de cætero non turbaret.

Ludovicus autem nihili pendens monentem, in suo proposito perseverabat, & suo more, ut cæperat, incursiones, deprædationes, incendia pauperum terræ Palatini continuavit. Unde commotus Fridericus, magnum suorum adunavit exercitum, & oppidum Bergzaberen, ubi Dux Ludovicus præsidia locaverat sua, obsedit, & diebus XXIV. fortiter impugnans, tandem in Festo S. Tiburtij Martyris expugnavit & cepit. Postea inter eos concordia tali sub conditione facta est, quod Fridericus oppidum Ludovico deberet restituere, & Ludovicus deinceps nihil mali contra Fridericum & Palatinatum attentaret, sed non mansit in fide.

Oppidum Bergzaberen à Friderico Palat. obsessum capitur.

Erat eodem tempore Richardus de Homburg vir bellicosus & inquietus, qui & ipse partes Friderici Palatini Comitis memorati varijs incursionibus fatigabat. Contra cujus insolentias Dux ipse Fridericus contracto milite Castellum ejus Koleberg nuncupatum haud procul à Weissenburgo situatum obsidione cinxit, & brevi in suam potestatem recepit. Erat enim Princeps timens Deum & amans justitiam, propterea in cunctis prosperè agebat.

Justitia vincit omnia.

His temporibus fundatur Cœnobium Canonicorum Regulæ S. Augustini de observantia Capituli Windenheimensis, quod Eberhardi Clusa dicitur, in Diœcesi Trevirensi haud procul à villa nativitatis meæ Trittenheim, ex elemosynis fidelium populorum, cujus tale fuit principium. Erat in villa proxima Cismosellana Dispardia homo quidam simplex & rectus, qui ferventiore in Deum Spiritu devotionis incitatus, vitam agere solitariam cupiebat. Nomen ejus fuit Eberhardus, à quo & Monasterium Eberhardi Clusa nuncupatur usque in præsentem diem. Secedens igitur Dispardiâ Eberhardus, mansiunculam sibi construxit in loco parvam, ubi nunc Monasterium cernitur constructum, in qua solitarius Domino deserviens residebat. Imaginem Beatæ Mariæ semper Virginis in cellula sua habebat vespertinam, quæ paulatim coruscare miraculis incipiens magnum in brevi concursum populorum ad se concitavit, ex quorum Eleemosynis & oblationibus Monasterium cum tempore satis

Cluſa Eberhardi fit Monasterium pro Canonicis Regularibus.

magnificum, ut hodie cernitur constructum est, cujus primam Ecclesiam Jacobus de Sirck Archiepiscopus Trevirorum in propria persona consecravit.

MCCCCLVI.

Calixtus Papa III. Classem misit in Turcos, sed parum profecit.

Anno Wolfframmi Abbatis XXVIII. Indictione Romanorum IV. Calixtus Papa III. animo destinatus in Turcos, omnia studia sua in recuperationem urbis Constantinopolitanæ, licet frustra, convertit. Bello igitur publico Turcis indicto Ludovicum Aquileiensem Patriarcham & S. R. E. Cardinalem Classi præfectum constituit, & validum Christianorum exercitum Crucesignatorum per mare in hostes fidei destinavit.

Joannem quoque Cardinalem S. Angeli Legatum misit in Ungariam ad congregandum exercitum Crucesignatorum. Machumetes enim Princeps Turcorum cum infinita suorum multitudine, superata Mysia inferiore, contra terminos regni Ungariæ properabat, nihil magis sitiens, quàm sanguinem fidelium. Venit ergo ad Nicopolim civitatem insignem, quæ alio nomine Schiltavv nuncupatur, in qua memoratus erat Legatus Apostolicus, & Joannes Capistranus cum universo Christianorum exercitu, quam mox arctissima obsidione vallavit, & multis diebus vexavit.

Christiani ex Nicopoli erumpentes interfecerunt Turcorum 40000.

Christiani autem, qui erant in Civitate, muros & turres animosè defensabant, quod cernentes Turci, die quadam impetu facto ad muros cum machinis audacter properabant, cupientes proprio interitu sequentibus se parare introitum. Sed Christiani exhortatione Joannis de Capistrano inter pugnandum usque ad mortem pro sanctissima fide animati, portam Civitatis unam aperientes subitò erumpunt, Joanne Apostolico legato vexillum S. Crucis præferente, Turcos invadunt nihil tale metuentes, eosque magna virtute prosternunt, occidunt, & reliquos in fugam convertunt: quadraginta millia Turcorum à Christianis in eo bello ferebantur occisa. Facta sunt hæc anno Nativitatis Dominicæ prænotato in Festo S. Mariæ Magdalenæ. Multi etiam inter fugiendum aquarum occursu perierunt. In hujus victoriæ memoriam simul & gratiarum actionem Calixtus Papa Festum Transfigurationis Dominicæ octavo Iduum Augusti quotannis celebrandum instituit, ad quod omnes Indulgentias Festi Corporis Christi extendit.

Joannes de Capistrano moritur.

Nec multò post hanc glorioſam Christianorum de Turcis Victoriam Joannes Capistranus vir devotissimus, & omni Sanctimoniâ vitæ conspicuus in Domino quievit. Ferunt eum in conflictu Christianorum cum Turcis ante Nicopolim in die S. Mariæ Magdalenæ, quo feruor maximus tum erat æstatis, nimio defatigatum clamore, quo populum indesinenter admonebat & precabatur, ut fortiter pugnaret pro fide Christi, quem essent in Baptismate professi, morbum incidisse gravem, quo & mortuus fuerit. Obijt eodem quasi tempore Joannes alter Huniades Ungarus, qui malleus fuerat Turcarum, & in multis bellis cum eis habitis, semper victor evasit.

Joannes Huniades malleus Turcarum obijt.

Terræ motus in Apulia.

Eodem anno maximi per Apuliam & Neapolim terræ motus fuerunt, quibus agitata multa ædificia solotenus corruerunt, Castellis etiam non paucis corruentibus, multa millia hominum miserabiliter interierunt. Inceperunt autem isti terræmotus nimium horrendi v. die mensis Decembris

bris inter horam x. & xi. in nocte, & xxv. ejusdem mensis circa horam vi. mane iterum auditi fuerunt.

In mense Junio Cometes apparuit in gradu xv. Cancri, & per mensem videbatur in Oriente, varia prodigia brevi secuta prænuntians. In Sabinis vitulus duo habens capita nascitur: Romæ sanguis è nubibus cecidit: apud portum Veneris in Liguria carnes pluvia dedit: & in agro Piceno puer natus est dentes habens sex, & caput insolitæ magnitudinis. Hæc omnia futuræ calamitatis manifesta præsignaverunt indicia.

Cometes apparuit.

His quoque temporibus magnus & mirabilis concursus puerorum ad memoriam S. Archangeli Michaelis ad montem Garganum in Normandia fieri cæpit, & per intervalla multis annis duravit. Miranda puerorum & præter consuetudinem ætatis devotio, ut subitò non vocati per hominem, neque promissionibus inducti, relictis parentibus & cognatis, imò ne consultis quidem, tantum iter assumerent; nec sumptus alios in itinere, quam quos daret odiosa cunctis mendicitas, haberent, aut cogitarent. Convenientes enim per turmas ex Germania ferè tota proficiscebantur ordine statuto pueri duodecim annorum & supra, cantilenas quasdam de sancto Michaele cantantes in plateis vicorum & civitatum, quibus unus vexillum imagine depictum ejusdem Archangeli præferebat. Conjungebant se his pueris, ut plurimum ætate seniores, qui curam eorum habentes, & in via dirigentes, à periculis incautos præservarent. Omnes verò per quos iter faciebant homines, commiserationem habebant in eos, & victum eis copiosum ministrabant. Duravit iste puerorum concursus per intervalla usque ad memoriam nostram, qui vidimus eos turmatim sæpius cum vexillo incedentes.

Puerorũ ad S. Michaelem in Normandia concursus mirabilis.

Anno prænotato, xxviii. die mensis Maij, obijt Jacobus de Sirck Archiepiscopus Trevirorum, & in Ecclesia B. Virginis cum debito honore sepelitur anno Pontificatus sui xviii. vir certè optimus & æterna memoria dignus, qui multa bona fecit in diebus suis. Conventum Fratrum Minorum S. Francisci in Confluentia reformavit, Monasterium Insulæ Rheni non procul à Confluentia novum construxit, in quod Canonicos Regulæ S. Augustini de Observantia Windesheim collocavit: omni tempore Pontificatûs sui pacem tenuit, & plures dissidentes Principes in concordiam revocavit.

Jacobus Archiepisc. Trevirorum moritur.

Post mortem ejus xxi. die mensis Junij, anno præscripto, convenientes in unum Canonici pro Electione novi Pontificis, vota sua in duo diviserunt; nam una pars Canonicorum numero minor Dietherum ex Comitibus de Isenburg Canonicum Trevirensem & Moguntinensem in Archiepiscopum elegit. Contra quem major pars Capituli Joannem ex Marchionibus de Baden, filium Jacobi Marchionis, & fratrem Caroli, annum xxii. ætatis agentem in Archiepiscopum postulavit. Et quamvis Dietherus Confirmationem ejus apud Sedem Apostolicam varijs impedire modis conaretur, minimè tamen potuit. Sed Calixtus Papa III. de processu informatus, qui fuerat in Electione servatus, repudiato Diethero, Joannem ad Archiepiscopatum confirmavit. Præfuit autem Ecclesiæ Tevirorum annis xlvii. Princeps mansuetissimus, liberalis, affabilis, justus & rectus, amator Cleri, defensor pauperum, ac magnificus conservator subditorum. In pace & tranquillitate magna pluribus annis suam

Dietherus de Isenburg.

Joannes Badensis Marchio fit Archiepisc. Trevirorum annis xlvii.

suam gubernavit Ecclesiam; sed in senectute pravorum consilio deceptus, cum Boppardianis contentionem pernicioſam incepit, cujus occasione pecunijs bursam & promptuaria Ecclesiæ cuncta frumentis & vino penitus evacuavit, & debita non pauca contraxit, de quibus ordine suo latius dicetur.

Sifridus de Veningen fit Episcopus Spirens. annos III. menses V.

Eodem anno, XIX. die mensis Martij, obijt in Castro Udenheim Reinhardus de Helmstatt Episcopus Spirensis anno Pontificatus sui XVII. in majori Ecclesia Spirensi cum honore sepultus. Huic in Episcopatu succeſſit Sifridus de Veningen, XXIX. die mensis Martij electus, & confirmatus per Calixtum Papam III. præfuit annis III. mensibus V. & duobus diebus; vir bonus, justus & rectus, qui brevi tempore multa bona fecit Ecclesiæ. In primo namque anno Pontificatus sui castrum Wesavve diu alienatum cum proventibus suis redemit pro octo millibus florenorum. Deinde sub Pio Papa II. sancta in Christum devotione motus Romam profectus est, & à memorato Pontifice Romano Privilegia, gratias & Indulgentias plures impetravit.

Montfort Castellum prædonum per Fridericum Palatinum destruitur.

Anno item prænotato, Fridericus Comes Palatinus Rheni, Tutor Philippi, XV. die mensis Octobris, ex Heidelberg oppido cum exercitu pugnatorum digrediens auxilio Theodorici Archiepiscopi Moguntini Castellum Montfort latibulum latronum & commune receptaculum prædonum obsedit, quinque diebus fortiter impugnans, tandem VI. die cepit ac funditus destruxit, nec postea reædificari potuit usque in præsentem diem sine consensu Archiepiscopi Moguntini ac Palatini Comitis pro tempore existentium. Moguntina etenim Ecclesia plura sustinuit damna retroactis temporibus ab illis, qui mansionem in Montfort habuerunt, quia Spanheimensi Comitatui fuit contiguus locus, similiter & dictæ Diœcesi.

MCCCCLVII.

Ladislao regi Bohemiæ & Ungariæ Regis Gallorum filia desponsatur.

Anno Wolfframmi Abbatis XXIX. Indictione Romanorum V. ex parte Ladislai Regis Bohemiæ & Ungarorum adolescentis filij quondam Alberti Regis, nuntij & Oratores mittuntur in Galliam, qui Caroli Regis VII. filiam nomine Magdalenam illi desponsarent uxorem. Qui cùm venissent ad Regem Carolum, summo cum honore susceptí sunt, & exposita Legatione sua, pro qua venerant, facilè quod voluerunt, impetrarunt. Illis apud Gallos adhuc existentibus, nuntius tristis & nimium infelix post eos mittitur, qui Ladislaum interijsse nunciavit. Cujus immatura mors non solum Bohemos & Ungaros, sed exterorum quoque Principum animos haud mediocriter contristavit. Multorum fuit opinio sublatum veneno, alij dicebant illum in Camera nocturnis horis per Georgium hæreticum, qui regnum post eum invasit, fuisse strangulatum.

Ladislaus obijt.

Matthias fit Rex Ungarorum annis XXXII.

Eodem anno Ladislao rege per venenum apud Pragam in Bohemia miserabiliter sublato, sive ut aliorum tenet opinio, strangulato, Matthias Joannis Huniadis filius in Regem Ungariæ constituitur electione procerum, regnavitque annis XXXII. & multa contra Turcos commisit prælia, sæpe Victor Dei favore pravorum existens gloriosus. Cunctis enim diebus & annis, quibus vixit & regnavit in Ungaria, malleus erat Turcorum, sicut olim & Genitor ejus: & magnus ipse Mahumet Princeps eorum Matthiam hunc regem ut bellicosissimum & fortunatum semper timebat.

Eodem

Eodem anno, die XIII. mensis Februarij hora II. minuto XLV. post meridiem nascitur Maria Caroli Ducis Burgundiæ unica filia, quæ postea nupsit Maximiliano Archiduci Austriæ, de quo concepit & peperit Philippum regem Castiliæ, & Margaretam, quæ primò nupserat Regi Hispaniæ, & postea Duci Sabaudiæ, vivens nunc vidua.

Maria Caroli Ducis Burgundiæ filia uxor Maximiliani nascitur.

Maximilianus autem Friderici Imperatoris III. filius, hodie Rex Germaniæ ac destinatus Cæsar Romanorum natus fuit anno præcedente, hoc est, Wolfframmi Abbatis Hirsaugiensis anno XXVIII. uno anno duntaxat senior Mariâ, XXI. die mensis Martij, horâ III. minuto LI. post medium noctis, Matre Helionora Lusitaniæ ac Portugalliæ regis filia, de quo suo loco plura dicenda restant.

Maximilianus Rex Germanorum nascitur.

Anno prænotato Wolfframmus Abbas hujus Monasterij Hirsaugiensis considerans reformationem novellam Mellicensem, quam ante aliquot annos suo introduxerat Monasterio, stabilitatis nullum habere fundamentum: & perpendens, quod Observantia Bursfeldensium à Sede Apostolica approbata & confirmata quotidie in melius proficeret, & in reformatione optima laudabiliter perseveraret, statuit in animo suo Monachos ejusdem Observantiæ ad Hirsaugiam introducere, quorum exemplo posset etiam alios reformare. Missis ergo ad Moguntiam nuntijs impetravit ab Eberhardo Abbate montis S. Jacobi quosdam Fratres boni Zeli & optimæ institutionis, per quorum sanctam conversationem observantia Regularis disciplinæ secundum traditionem unionis Bursfeldianæ in hoc Monasterio Hirsaugiensi laudabiliter instituta permanet, in præsentem diem.

Hirsaugia Observantiam Bursfeldensem hoc anno suscepit.

Eodem anno sexto die mensis Augusti, Romæ moritur Calixtus Papa III. post quem Cardinales in Pontificem elegerunt Æneam cognomento Picolhomineum, patriâ Senensem, virum undecunque doctissimum, quem Pium II. nuncuparunt. Præfuit autem universali Ecclesiæ annis VI. & multa bona fecit pro communi utilitate Christianæ Reipublicæ. Unionem nostram Bursfeldensem, observantiam quoque, & annale Capitulum auctoritate Apostolica confirmavit, & omnia privilegia, quæ olim Eugenius Papa IV. observantialibus S. Justinæ de Padua concesserat, amore Ordinis ad nostram quoque observantiam unitis & uniendis extendit.

Æneas Sylvius fit Pius Papa II.

Anno etiam prænotato Mahumetes impius Turcorum tyrannus Corinthum tunc adhuc Christianorum urbem obsedit, impugnavit & cepit, atque in omni Peloponeso tributa imponit Christianis, multis eorum millibus miserabiliter interfectis. Demetrius autem & Thomas Paleologi Constantini ultimi Græcorum Imperatoris filij inter se de Regionis imperio contendebant, unde Turco auctæ sunt vires, & brevi totum imperium eorum obtinuit.

Mahumetes Turcorum Princeps urbem Corinthiorum obtinuit.

MCCCCLVIII.

Anno Wolfframmi Abbatis XXX. Indictione Romanorum VI. Udalricus Comes de Wirtenberg auxilio Marchionis Brandenburgensium Alberti, contra Fridericum Comitem Palatinum Rheni, Bavariæque Ducem Tutorem Philippi hostiles gerens animos, Castellum Widem obsidione vallavit, cepit ac funditus destruxit. Quo facto Albertus Marchio cum suis ad propria reversus est, Comes autem Udalricus per agrum Heilbronnensium iter faciens, ab altera parte Neccari fluminis Fridericum supra dictum Comitem Palatinum desertorem oppidi memorati

Udalricus Comes de Wirtenberg Castellum Widem subvertit.

Heilbronn, 6000. peditum & mille octingentos Equites habentem offendit. Quo recognito Comes plena via cum ſuis, qui etiam fatigati erant ex fervore ſolis, & numero pauciores, ſicut cæperat graditur, & ad conſpectum hoſtium conſultò non pervenit.

Aquarum inundatio.

Eodem anno feria ſexta poſt Dominicam quadrageſimæ primam, maxima fuit inundatio aquarum, Rheni, Moſellæ, Mogani, Neccari & aliorum Germaniæ fluminum ex montibus venientium. Reſolutis enim nivibus copia maxima crevit aquarum, quæ domus, ædes & habitationes hominum plures non ſine graviſſimo eorum damno & periculo ſubvertit. In oppido Creuzenach Nabus fluvius ſupra modum exundans Parochialem Eccleſiam in inſula ejuſdem fluminis conſtitutam totam implevit, altaria ſubvertit, concuſſit parietes, & damna intulit plura civibus.

Anno prænotato, Ludovicus Dux Bavariæ cognomento Dives filius Henrici & pater Georgij Principum, congregato ex Bavaris, Bohemis & Auſtralibus magno pugnatorum exercitu, Civitatem Eichſtattenſem obſidione circumvallavit. Amicis autem ſe interponentibus tandem inter eum & Epiſcopum concordia reformata eſt, & ſoluta obſidione diſceſſit. Itaque poſt hæc eundem exercitum duxit contra Marchionem Albertum Brandenburgenſem, cujus duo Caſtella Landeck & Nauff obſedit, cepit, ac funditus ſubvertit. Contra quem Albertus ipſe Marchio proceſſit ad bellandum, habens ſecum Wilhelmum Ducem Saxoniæ ſimul & copioſum exercitum. Sed congreſſi non ſunt, nec aliquid memoria dignum fecerunt. Concordia tamen inter eos facta eſt, ſub ea videlicet conditione, quòd Marchio Albertus Duci Ludovico litteras nonnullas à Cæſare Friderico impetratas contra eum, ad manus deberet reſtituere, & feuda ſua, ut Nürenbergius Burggravius ab Eccleſia Herbipolenſi (quod prius recuſaverat) acceptare. His pro pace concluſis Principes concordati receſſerunt.

Dux Bavariæ Ludovicus debellat Marchionem Albertum.

Poſt hæc in Dieta quadam Nürenbergæ habita Marchio Albertus Ludovico Duci Bavariæ litteras & privilegia, quæ contra eum à Friderico impetraverat, juxta prius concordata, in prætorio Senatûs reſtituit, quas ille mox coram omnibus publicè laceravit. Quod cùm in notitiam Cæſaris perveniſſet, iratus eſt, & Ducem Ludovicum reum læſæ Majeſtatis declaravit; cujus rei occaſione multiplicata ſunt mala ſuper terram.

Ludovicus Dux Bavariæ reus læſæ Majeſtatis à Cæſare judicatur.

Eodem anno Carolus Rex Gallorum VII. obijt, cui Ludovicus XI. ejus nominis, filius in regno ſucceſſit, & annis XXV. regnavit; homo aſper & vehemens, conſilio præceps, ingenio varius, & domeſticis vix ſatis apertus, qui patri antea diutius fuerat rebellis, contumax & inobediens, & propterea exul à Regno, vitam in Hannonia pauperem degebat, inde mortuo patre vocatur ad regnum, ac divitijs inopiam relevavit.

Ludovicus XI. Rex fit Gallorum.

MCCCCLIX.

Anno Wolfframmi Abbatis XXXI. Indictione Romanorum VII. celebratum fuit XVII. Ordinis noſtri Provinciale Capitulum in oppido Nürenberg apud S. Ægidium, in quo præſederunt Georgius memorati ibidem, Bertholdus S. Ægidij in Brunſchvvig, Eberhardus S. Jacobi propè Moguntiam, & Henricus in Ettenheim-münſter Cœnobiorum ejuſdem Ordinis noſtri Abbates.

Capitulum Ordinis noſtri Provinciale XVII. celebratur Nürenbergæ.

Eodem

Eodem anno, VI. die mensis Maij, obijt Theodoricus Schenck de Erbach Archiepiscopus Moguntinus anno Pontificatus sui XXV. & in majori Ecclesia cum antecessoribus suis honorificè sepelitur, præsul optimus, qui satis providè in utróque statu rexit Ecclesiam suam, & multa fecit opera bona.

Theodoricus Archiepiscopus Moguntinus moritur.

Eodem anno posteaquam vacasset sedes Moguntina XLIII. diebus, convenerunt in unum Canonici, & XVIII. die mensis Junij Dietherum ex Comitibus de Isenburg Canonicum in Archiepiscopum elegerunt, qui præfuit annis fermè tribus. Contra hunc Dietherum erexit se Adolphus ex Comitibus de Nassau Canonicus, & toto triennio pro Archiepiscopatu cum eo lites continuavit, cujus ratione contentionis infinita mala fuerunt subsecuta, de quibus per ordinem suo tempore dicemus. Postremò tamen Adolphus victoriam obtinuit, & Dietherus resignare Archiepiscopatum compulsus fuit.

Dietherus fit Archiepiscopus Mognutinus annis ferè III.

Anno prænotato secunda die mensis Septembris, obijt Sifridus Episcopus Spirensis, post quem die mensis ejusdem XVII. per Capitulum fuit electus Joannes Nix de Hocheneck dictus Enzberger, & præfuit annis V. Is quorundam consilio deceptus adhæsit Carolo Marchioni Badensium, Ludovico quoque Comiti Palatino ac Duci Bavariæ cognomento Nigro, & quibusdam alijs, contra Fridericum Palatinum Tutorem Philippi, per quod Ecclesiam suam valde læsit & damnificavit in multis, totam Diœcesim rapinis exponens & incendio, non solum hostium, sed etiam, quod gravius fuit, amicorum.

Joannes Nix fit Episcopus Spirensis annis fermè V.

Anno item præsignato, Fridericus Imperator III. mandavit Civibus Regni, ut arma sumerent in Ludovicum Ducem Bavariæ cognomento Divitem, quem propter laceratas Nürenbergæ litteras Imperiales, ut paulò ante diximus, læsæ Majestatis reum declaraverat. Simile mandatum dedit Alberto Marchioni Brandenburgensium, & nonnullis alijs in vicino Comitibus. Cives ergo Regni omnes in superioribus Germaniæ partibus (præsertim Nürenbergenses) mandato Cæsaris obedire parati, arma capiunt. & Marchioni Alberto contra Ducem Ludovicum Bavariæ auxilia imperata transmittunt. Dux igitur Ludovicus accepto nuntio diffidationis à Marchione Alberto & Civibus Regni, magnum rursus Bavarorum & Bohemorum contraxit exercitum, & ingressus terram Marchionis, oppida, Castella, munitionésque illius cepit, plurimas villas incendit, prædam abduxit, & damna pauperibus multa fecit. Non diu postea cùm Ludovicus Dux pro quibusdam negotijs intrasset occultè Bohemiam, innotuit Marchioni absentia ejus à patria. Unde contractis copijs & auxilijs Civium, terras ejus ingreditur, & pari furore omnia vastans, rapiens & incendens resistente nullo demolitur. Tandem per Bohemiæ regem ad concordiam revocati sunt, & oppida sibi restituerunt ablata.

Fridericus Imperator Marchionem Albertum contra Bavariæ Ducem incitat.

Ludovicus Dux & Marchio Albertus se mutuò devastant.

Anno etiam præscripto, Pius Papa II. omnium consensu Cardinalium & multorum consilio Prælatorum Mantuam ire cum omni Curia sua decrevit, ut convocatis ibidem ad se omnium Regum & Principum totius Christiani Orbis Nuntijs & Oratoribus in Turcos generale Passagium ordinaret. Venit ergo Mantuam anno prænotato prima die mensis Junij, multorum Oratores Principum eò præsentes invenit, aliósque brevi venturos aliquandiu exspectavit. Duravit autem iste Oratorum Con-

Pius Papa Oratores Principum ad Mantuam convocavit.

ventus mensibus octo, in quo multa fuerunt tractata & concluſa contra nefandiſſimos Turcos, quorum parvus ſequebatur effectus. O quid non præſumit invidia, & quid mali non merentur hominum peccata!

Monachus unus Hirſaugienſis ad Papam mittitur.

Eodem anno Wolfframmus Abbas hujus Monaſterij Hirſaugienſis miſit Fratrem unum ex Monachis Conventualem ad Convocationem Mantuanam pro negotio Præpoſituræ ſuæ in Roth Auguſtenſis Diœceſis coram Pio Papa II. expediendo, ſimul & in alijs cauſis Monaſterij arduis. Miſſus fuit cum eodem Monacho Joannes Nauclerus Doctor per Wolfframmum Abbatem ad Romanum Pontificem Pium, ut cauſam verbis & ſcriptis redderet meliorem. Wilhelmus etenim Præpoſitus in Roth, ut ſupra diximus, Wolfframmo Abbati rebellis & inobediens, litteras quaſdam libertatis & exemptionis à Pio Pontifice II. impetravit, ut videlicet auctoritate propria ad Monachatum poſſet ſuſcipere Novitios, & omnia facere pro arbitrio ſine majoritate Hirſaugienſis Abbatis, cui Præpoſitura pleno jure à prima fundatione ſemper & fuit, & manet ſubjecta. Unde Abbas Wolfframmus Privilegiorum Monaſterij ſui acerrimus defenſor per eos quos miſit ad Papam, litteras ſurreptitias impetravit revocari, & caſſatis omnibus malè indultis Præpoſitum ad obedientiam revocavit.

MCCCCLX.

Monaſterium in Elwangen ab Ordine noſtro transfertur.

Anno Wolfframmi Abbatis XXXII. qui & ultimus fuit, Indictione Romanorum VIII. Monaſterium Elvvangenſe apoſtatantibus Monachis reprobis cum Abbate, procul dubio inutili & mendace, ab ordine ſanctiſſimi P. N. Benedicti in Collegiatam Eccleſiam ſæcularem translatum eſt. Horum praviſſimorum, apoſtatantiúmque Monachorum levitatis, ne dicam impietatis, exemplum plures Monachi ordinis noſtri poſtea ſecuti ſunt, & abjecto habitu ſimul & omni Monaſtico ſchemate, Omnipotenti Deo mentiri contra votum non timuerunt.

Albertus Dux Bavariæ mortuus eſt.

Eodem anno mortuus eſt Dux Bavariæ Albertus filius quondam Ducis Erneſti in Monaco, reliquit ex filia Ducis Brunſchvvicenſis uxore ſua quinque filios. Joannem qui ſine liberis obijt. Sigiſmundum, Chriſtophorum, Wolffgangum & Albertum, qui Patri in Ducatu ſucceſſit, & Chriſtophorum Germanum ſuum ſe natu majorem aliquandiu tenuit in vinculis. Tres etiam genuit filias, quarum prima nomine Eliſabeth Duci nupſit Saxoniæ, ſecunda Margaretha nupſit Comiti Mantuano; tertia verò nomine Anna Monialis pro Chriſti amore fuit incluſa apud Monacum. Albertus autem Patri ſuccedens in Principatu vixit annis XLVII. duxítque uxorem filiam Friderici Imperatoris Romanorum III.

XVIII. Principes inimici fiunt Comitis Palatini.

Anno prænotato Dietherus Archiepiſcopus Moguntinus, Joannes Nix Epiſcopus Spirenſis, Albertus Marchio Brandenburgenſis, Ludovicus Dux Bavariæ Niger, Carolus Marchio de Baden, Udalricus Comes de Wirtenberg, Emicho Comes de Liningen, & pleríque alij Comites & Militaris Ordinis homines in unum conſpirantes, ſe Friderici Comitis Palatini, Tutoris Philippi hoſtes & inimicos publicos denuntiarunt, cauſas ſinguli ſingulas prætendentes. Archiepiſcopus etenim Dietherus, propterea quòd Fridericus partes defenderat Adolphi contra eum: Comes autem de Wirtenberg Udalricus Margaretham filiam Ducis Sabaudiæ relictam Ludovici Comitis Palatini fratris, memorati Friderici & genitoris Philippi duxerat uxorem, cujus dotem præcedentis Matrimonij juxta

Cauſæ diſcordiarum inter Palatinos & Comitem in Wirtenberg.

condictum

condictum jure postulare videbatur. Contra hanc Udalrici Comitis postulationem Fridericus Comes Palatinus respondendo negativè respondebat, quòd Margarehta memorata quondam fratris uxor Matérque, secum ex Camera Palatinatûs in clenodijs jocalibus & alijs præter Corporis sui necessarium ornatum vel usum detulerit in valore non minus centum millium florenorum, reddat illa prius, & dotem reciperet promissam. Alijs aliæ fuerunt causæ, maxima tamen omnium causa fuit, quia Fridericus Imperator non solum permisit, sed etiam præcepit, ut bellum contra Fridericum Palatinum Comitem moverent prædicti Principes, propterea quòd videretur nimium superbus, arrogarétque sibi titulum Electoris Imperialis, Philippo, cujus erat Tutor, debitum, Imperialibus præceptis rebellis & inobediens, eò quòd Ludovico Duci Bavariæ consentiret.

Imperatoris jussio major causa fuit.

Fridericus igitur Comes Palatinus tot inimicis circumseptus nequaquam est mente fractus, aut perturbatus animo, sed contractis suorum copijs principatum inprimis suum per circulum armatis munivit, ac deinde cum reliqua parte Exercitus Schauenburg castrum Ecclesiæ Moguntinæ in Montensi strata situatum obsidione vallavit, quod octava die cepit, quæ fuit Dominica prima post Resurrectionem Domini nostri Jesu Christi. Erat autem Castellum illud muris, turribus atque fossatis optimè munitum, bombardis, balistis, victualibus & cunctis necessarijs provisum, in quo reperit Equites decem & octo, pedites verò triginta, quos omnes Heidelbergam misit in vincula captivos. Concordia, quam diximus inter Ludovicum Ducem Bavariæ cognomento Divitem, & Albertum Marchionem Brandenburgensem anno prænotato per Regem Bohemiæ factam, non placuit Friderico Comiti Palatino, unde & consilio iterum violata est, factíque sunt inimici ad invicem acriores, quam fuerant prius, steterunt ergo hi duo Principes Fridericus & Ludovicus Comites Palatini & Duces Bavariæ contra decem & octo Duces, Marchiones & Comites, multo tempore concertantes, & plura damna sibi mutuò intulerunt. Nomina Principum eis adversantium ista fuerunt. Fridericus Imperator III. Albertus Marchio Brandenburgensis Princeps Elector, qui ut Burgravius Nürenbergensis morabatur in Anolspach. Wilhelmus Dux Saxoniæ Elector. Dietherus Archiepiscopus Princeps Elector. Joannes Archiepiscopus Trevirorum Princeps Elector. Georgius Episcopus Metensis. Joannes Episcopus Spirensis. Ludovicus Comes Palatinus Bavariæque Dux, Niger, Comes Veldenziæ & Gemini Pontis. Carolus Marchio Badensis. Udalricus Comes de Wirtenberg. Emicho Comes de Liningen, & alij plures. Ludovicus igitur Dux Bavariæ Dives adjutorio præfati Ducis Friderici Electoris in Amberg bellum fortiter gessit contra Marchionem Albertum & civitates Regni insuperioribus terræ partibus circa Nürenbergam, & mirantibus cunctis ubique vicit, ubique feliciter triumphavit, hostes suos penè omnes miserabili calamitate affecit.

Schauenburg à Palatino obsidetur & capitur.

Contra Palatinum & Bavariæ Ducem XVIII. Principes inimici fiunt.

Ludovicus Bavariæ Dux Marchionem & Civitates Regni persequitur.

Interea Fridericus Comes Palatinus habens secum Ludovicum Landgravium Hassiæ cum multis armatis mercede conductum, Rheno flumine transmisso Petersheim oppidum Ecclesiæ Moguntinæ haud procul à Wormatia distans obsedit. Erant tunc in ipso oppido Viri & plures, & fortissimi ad ejus defensionem ab Archiepiscopo destinati, Joannes videlicet,

licet Comes in Nassau, Wilhelmus Comes in Wertheim, Otho Comes in Hennenberg, Philippus Comes de Liningen, Henricus Comes in Runckel, & nobiles multi, quorum nomina ignoramus. Aderant & Ringaugienses incolæ vinitores in magno numero ad custodiam loci & pugnam ab Archiepiscopo deputati. Comes autem Palatinus cum suis fortiter impugnavit oppidum, quod & cepit tandem non paucis adversariorum occisis, pluribus autem captis. Reperit in oppido quingentos equos sellatos & prædam non modicam, quæ omnia fecit asportari in villam proximam Westhofen, & inter milites suos, ut fieri solet, distribuit. Capti fuerunt supra dicti Comites quinque, nobiles quoque & ignobiles numero 613. qui se pecuniâ redimere coacti fuerunt, pauci fugâ lapsi evaserunt.

Petersheim à Friderico Comite Palatino capitur die S. Udalrici.

His peractis cùm Fridericus Comes Palatinus contra Dietherum Archiepiscopum ulterius disponeret procedere, Wilhelmus Hassiæ Landgravius, & quidam alij, de concordia cœperunt inter eos habere tractatum. Igitur pax inter eos reformata est, his Conditionibus salvis. Comes Palatinus pro impensis quas fecit 30. millia florenorum, habebit in pignus castella Schauenburg, Dissenheim, & Hentschuchsheim cum villis & omnibus proventibus eorum, quorum tamen omnium redemptio prædictâ summâ pecuniarum in arbitrio stabit uniuscujúsque Archiepiscopi pro tempore existentis. Ringaugienses etiam vinicolæ novem millia florenorum dabunt ipsi Comiti Palatino, pro quibusdam rebus & proventibus seu jurisdictionibus, quas apud villam Lorch jure seu gladio acquisierat. Ab hac autem Concordia secluſi fuerunt Ludovicus Dux Niger, Comites de Liningen, Marchiones ambo & cœteri omnes, qui cum eis senserunt superius nominati. Comes autem Palatinus contra Ducem Ludovicum Nigrum duplicem irascendi causam mente gerebat; quarum una erat, quòd primam concordiam apud Zabernam prius factam & juratam non servavit: altera verò, quòd specialiter conjuraverat cum Diethero Archiepiscopo Moguntino & Comitibus de Liningen contra ipsum, quod promiserat antea se nunquam facturum. Insuper contractis copijs regale oppidum Ingelheim occupaverunt, incenderunt, muros dejecerunt, ac funditus destruxerunt. Oppidanis autem in aulam Caroli Magni Cæsaris, quæ & castrum est amplum, & Canonicorum Regulæ S. Augustini Cœnobium fugientibus, mox ab hostibus fuerunt obsessi. Interea Palatinus magno cum exercitu nuntiatur venturus, quod illi audientes soluta obsidione recesserunt. Post quorum recessum Palatinus cum exercitu suo venit propè Moguntiam, & pauculas ædes Canonicorum apud S. Victorem, S. Albanum & S. Crucem in campis primo impetu subvertit; quod factum aliquos terruit, & ut pecuniâ se præservarent ab incendio imminente, concitavit. Datis enim Palatino Comiti quatuor millibus florenorum Clerus Moguntinus domos, ædes, agros, frumenta & bona sua, ne perirent incendio, providè liberavit. Post hæc Petersheim quod pertinebat ad Archiepiscopum, ut diximus, obsedit & cepit. Concordiâ autem cum Archiepiscopo factâ Palatinus Comes exercitum duxit contra Ludovicum Ducem Nigrum, & eum in oppido suo Meisenheim, quod milliaribus à Spanheim vix distat duobus, fortiter obsedit. Cernens verò Ludovicus, quòd multitudini hostium non posset resistere, maximè cùm Archiepiscopus jam defeciſſet ab eo, pacem petijt & impetravit. Fit iterum

Inter Dietherum Archiepisc. & Palatinum Concordia facta est.

Ingelheim à Duce Ludovico Nigro incenditur & destruitur.

Comes Palatinus contra Ludovicum prævaluit.

rum concordia, & his conditionibus firmatur. Dux Ludovicus mediam partem quingentorum florenorum, quos annuè cedentes habet in telonio Bacharacensi, Palatino jam remittet, ac deinceps perpetuò non repetat vel ipse, vel hæres in æternum. Aliam verò medietatem à Palatinis Comitibus in feudum (cui nunquam renuntiari possit) suscipere sit jure perpetuo astrictus. Castrum quoque Scharffenberg sine contradictione in manus Palatini resignabit. Ab ea Concordia Comites de Liningen fuerunt secluſi unà cum cœteris inimicis Palatinatûs supranominatis. His peractis Comes Palatinus animo fervens in Comites de Liningen duxit exercitum, & in primis Castrum Hasloch obsedit, cepit, incendit, funditúsque devastavit. Plures ibi subditorum invenit captivos, quibus liberatis non modicam deportari prædam præcepit. Inde movens Mynfeld Castellum eorundem Comitum obsedit, cepit, spoliavit, & igne submisso terræ coæquavit. Hæc & plura his similia gessit Fridericus Comes Palatinus anno prænotato, quorum reliqua in annos præservantur sequentes, ut suo ordine dicemus & loco.

Comes Palatinus devastavit terram Comitum de Liningen.

Anno item prænotato, 8. die mensis Maij, horâ 1. minuto 36. post meridiem, natus est Fridericus Marchio Brandenburgensis patre Alberto, & duxit postea uxorem filiam Regis Poloniæ, de qua genuit Casimirum, Georgium, Albertum Ordinis Theutonicorum in Prussia, Joannem, Fridericum Herbipolensis Ecclesiæ Præpositum, & alios filios & filias, quorum nomina ignoramus. Ipse autem Fridericus senior hodie vivens adhuc ætatis annum agit 54. sed uxor ejus anno abhinc uno mortua est.

Fridericus Brandenburg. Marchio nascitur.

Anno etiam præsignato cùm Nicolaus de Cusâ Episcopus Brixinensis in Bavaria & SS. Romanæ Ecclesiæ tituli S. Petri ad Vincula Presbyter Cardinalis jura memoratæ Ecclesiæ Brixinensis acrius tueretur, à Sigismundo Archiduce Austriæ capitur, & honestæ custodiæ mancipatur. Unde Pontifex Maximus Pius II. indignatione commotus contra Sigismundum, eum excommunicavit, & terram ejus Ecclesiastico Interdicto suppositit. Cardinalis autem fugâ tandem lapsus Romam pervenit, & Papam gravius contra Ducem incitavit. Factum est ergo ad ipsius Cardinalis instantiam, ut Papa in Ducem multiplicaret Censuras, & quantum in ipso erat, neminem exterorum per ejus terram, id est, Comitatum Tirolis inpunè transire permittebat. Cujus rei occasione pauperes terræ dicti Comitatûs graviter affligebantur. Habebat eo tempore Dux Sigismundus à secretis Doctorem quendam in Jure peritissimum, nomine Gregorium Heimburgum patriâ Francum Orientalem. Is cùm esset latinè simul & theutonicè omnium suo tempore facundissimus, multa dixit, scripsit & fecit pro eo. Appellationem à sententia Summi Pontificis ad futurum Concilium pro Sigismundo conscripsit admirabilem, & pro ejus absolutione petenda Romam in persona propria perrexit. Sed Pontifex Ducem absolvere non voluit, nisi prius Cardinali satisfaceret pro contumelia, quam intulerat. Postremò tamen Dux humiliatus veniam & absolutionem à Papa impetravit.

Nicolaus Cusa à Sigismundo Duce Austriæ capitur.

Gregorius Heimberger pro Duce Sigismundo plura fecit.

Eodem anno Mahumetes Turcorum Imperator Thomam Paleologum Constantini ultimi Græcorum Imperatoris filium, qui regnabat in Peloponeso, fugavit, Demetrium ejus fratrem captivum abduxit, & Regnum eorum totum occupavit, multis Christianorum millibus occisis, maximè

Mahumetes Turcorum Princeps Peloponesum & Pontum capit.

maximè Clericis & Monachis. Deinde contra Regem Trapezuntij ducens exercitum, prælio commiſſo eum cepit & interfecit, & Pontum obtinuit, ſicque totam Græciam ſibi ſubjugavit.

Wolfframmus Abbas hujus Monaſterij Hirſaugienſis moritur.

Anno prænotato Wolfframmus Abbas hujus Monaſterij Hirſaugienſis jam ſenio gravatus & morbo, lecto decubuit, & tandem 20. die menſis Auguſti moriens ad Dominum migravit, anno ætatis ſuæ LXV. Regiminis autem XXXI. menſe nono, die 8. vir bona memoria dignus, qui bene & laudabiliter præfuit, & Monaſterio plura bona fecit: Reformationem Bursfeldenſium primus introduxit, & laudabiliter continuavit, quod omnium bonorum operum ejus maximum fuit. Domum Abbatialem circa portam & multa ædificia in Monaſterio & extra conſtruxit; Capellam S. Nicolai pervetuſtam in majori Baſilica depoſuit, & quatuor altaria repoſuit.

Sancti Brunonis Abbatis ſepulchrum odorem fudit cœleſtem.

Mortuo autem Wolfframmo Meiſer jam dicto Abbate, cùm ante altare SS. Virginum pararetur ſepulchrum, in eo loco, ubi à latere corpus jacebat humatum Brunonis ex Comitibus de Wirtenberg quondam, Monachi & Abbatis Hirſaugiani, qui obijt anno Chriſtianorum MCXX. ut longè ſupra diximus, contigit propter loci anguſtiam tumulum ipſius Brunonis ab una parte paululum aperiri, ſubitò per foramen exiguum ſepulchri viri ſancti tanta fragrantia cœleſtis odoris prorumpit, ut omnes qui erant in Eccleſia, verteret in ſtuporem. Fratres curioſitate ducti, ac ſcire cupientes, unde odor tam rarus procederet, Brunonis tumulum latius aperiunt & corpus integrum cum ſuis indumentis, ut videbatur, invenerunt. Aperto autem ſepulchro mox ad aëris tactum corpus in cinerem reſolvitur, ſed odor ille ſuaviſſimus multò magis ampliatur. Interea cùm hæc fierent, ordinatione Divinâ contigit hominem quendam pauperem, claudum & cæcum adeſſe in Eccleſia, qui ubi tantam inſoliti odoris fragrantiam naribus hauſit, unde proveniret, ductorem ſuum interrogavit. Audiens verò geſtæ rei ordinem dixit: *Verè famulus Dei magnus fuit homo iſte.* Ductus igitur propè ſepulchrum S. Brunonis, genua flexit in terram, & cum lachrymis oravit ad Dominum, cum ſumma fiducia dicens: *Domine Deus qui tibi fideliter ſervientes copioſè in cœlo & in terra remuneras, rogo te ob honorem hujus ſancti famuli tui, cujus ſacrum Corpus tantæ fragrantiæ fundit odorem, miſerere mei pauperrimi cæci & claudi, & aperi oculos meos, ut videam & enarrem mirabilia tua.*

Oratio cæci ad ſepulchrum S. Brunonis.

Cæcus & Claudus iſte ad ſepulchrum S. Brunonis curatus eſt.

Hæc poſteaquam tota mentis devotione ad tumulum D. Brunonis apertum cum lachrymis peroraſſet, viſum ſimul & greſſum Dei miſeratione & meritis S. Brunonis recepit, mirantibus qui aderant cunctis. Et publicatum eſt miraculum iſtud per totam Regionem, & omnes qui audiebant, mirabantur Deum laudantes. Conſilio autem inter ſe habito Fratres, Oſſa Divi Brunonis intacta relinquentes denuo ſepulchrum clauſerunt, & Wolfframmi corpus ad latus ejus cum timore ſepelierunt.

Poſt cujus mortem Abbatia Hirſaugienſis vacavit diebus 24.
in quibus abſentium Fratrum in Prioratibus
præſtolabatur adventus.

De

De Bernardo hujus Monasterij Hirsaugiensis Abbate XXXIX. qui præfuit annis xxii. & aliquot diebus, variisque gestis illius temporis.

ANno Dominicæ Nativitatis memorato MCCCCLX. Indictione Romanorum viii. die mensis Septembris xiv. Prior & Conventus hujus Monasterij Hirsaugiensis, posteaquam Abbatia vacasset Rectore xxiv. diebus, convenerunt in unum ad locum Capitularem, & invocatâ gratiâ Spiritus Sancti præmissisque orationibus consuetis, in Abbatem concorditer elegerunt Bernardum ex suis Conventualem, qui per Joannem Episcopum Spirensem confirmatus juxta morem, & ordinatus, præfuit annis xxii. & paucis diebus, in quibus multa bona fecit Monasterio, quemadmodum in sequentibus per ordinem enarrabimus.

Bernardus Abbas xxxix. annis 22. præfuit.

Fuit enim vir moribus & conversatione valde notabilis: amator & conservator Monasticæ Disciplinæ constantissimus, utpote qui Regularem observantiam Bursfeldensium in se & in subditis suis vigilantissimè custodivit. Erat naturâ homo mitis, mansuetus, affabilis, justus & rectus; bonis & Deum timentibus per humilitatem socius, superbis & cervicosis Monachis corrector & judex severus: in Deum fuit singulari cultu devotus, & in orationibus convenientibus horis quasi continuus. Ingenio promptus, consilio cautus, actione fuit præcipuus. In pauperes misericors extitit, & egenis tempore famis pecuniâ & frumento largissimè subvenit. Propterea benedixit eum Dominus Deus in miserationibus suis, quia Monasterium, quod ære gravatum alieno reperit, in paucis annis liberum & absolutum à cunctis debitis restituit.

Conversatio Abbatis Bernardi.

Monachorum & Monialium reformator fuit devotissimus, & plura Cœnobia non solum nostri Ordinis, sed etiam aliarum Religionum, suo vel labore, vel consilio ad Regularis observantiæ integritatem revocavit. Monasterium námque S. Benedicti in Alpersbach nostri Ordinis Constantiensis Diœcesis per ipsum reformatum, unioni Bursfeldensium incorporatum est. Limburgense ipsius consilio & auxilio per Monachos S. Jacobi Moguntinos reformatum est, quod nunc prô dolor videmus exustum. Cœnobium quoque Monialium S. Laurentij nostri Ordinis ipse primus reformavit. In Sebach Spirensis Diœcesis non procul à Limburg. cum Dei adjutorio similiter Abbatiam nostri Ordinis in Lorch ipse primus reformavit. In oppido Wile Cœnobium Fratrum Eremitarum S. Augustini reformavit. Moniales quoque in Ursping, in Pfulligen similiter. Octavum Reformationis suæ Monasterium fuit sororum in Altburg Beguttarum, quibus auctoritate Apostolica expulsis propter earum vitæ impuritatem, sorores de tertia Regula S. Dominici nuncupatas, bonæ conversationis & reformationis in locum reposuit; quarum imitatrices hodie ipsum locum inhabitantes, bonæ & irreprehensibilis vitæ introductam observantiam laudabiliter custodiunt: & de laboribus manuum suarum sine cujuspiam hominis injuria vivunt. Contra hanc reformationem in Altburg Beghardi fratres, qui per diversas cellulas in nemore Hir-

Bernardus Abbas Hirsaugiensis octo Cœnobia reformavit.

Beghardi resistunt.

saugiano morabantur, se contumaciter opposuerunt; dolentes sibi similes improbæ conversationis sorores de latibulo iniquitatis expulsas. Unde contra Bernardum religiosissimum Patrem plures machinationes insidiosas struxerunt, sed nihil prævaluerunt: quin potius foveam inciderunt quam fecerant, & in laqueo, quem insidiosè absconderant proximo suo Abbati, comprehensus est pes eorum.

Patria Bernardi Abbatis & parentes in oppido Gernspach.

Bernardus iste Abbas Patriâ fuit Marchionita ex oppido Gernspach in Marchionatu Badensi oriundus, & honestis parentibus licet humilibus ortus. Qui post prima litterarum rudimenta in prioratu Hirsaugiensi Richenbach Monachus factus est, & vitam laudabiliter continuavit, quam Regulæ S. P. N. Benedicti credidit esse conformem. Verùm posteaquam Wolfframmus Abbas Regularem observantiam ad Hirsaugiam introduxit, Bernardus Monachus Richenbach deseruit, & amore Disciplinæ Regularis ad Hirsaugiam venit: ubi à Wolfframmo Abbate charitativè susceptus, & congregationi Reformatorum adscriptus in omni humilitate conversationem suam instituit, & feruenter continuavit. Ordinatus deinde Abbas prioris vitæ puritatem non remisit, sed augmentavit; præbens se Monachis suis omni tempore non solum verbo, sed multò magis exemplo sanctissimæ Conversationis dignum & imitabilem coram Deo & hominibus pastorem. Numerum Deo servientium Fratrum brevi tempore notabiliter auxit; super quibus ut rectè incederent, summi Pastoris amore studiosissimè vigilavit. In innocentia cordis sui gregem Dominicum sibi commissum sollicitè pavit verbo, pavit exemplo; & ne in itinere sanctæ conversationis trium substantialium votorum errarent, pavit alimento.

Bernardus Abbas Cœnobium melioravit in 18780. florenis

Tempore introitûs sui ad Abbatiam invenit Monasterium ære alieno gravatum in 12000. florenorum, & cuncta penè ruinosa ædificia: & quia vir erat timens Deum, benedixit ei Dominus, ut qui spiritualia Christo Salvatori auxit obsequia, in temporalibus nunquam deficeret. Unde misericordiâ adiutus præmissâ florenorum 12000. tempore sui regiminis integrè solvit, & in structuris Monasterij, ornatu Ecclesiæ, cõemendísque proventibus annuis plus quàm 6000. florenorum exposuit, ita quod summa pecuniarum omnium, quibus Monasterium hoc Hirsaugiense ad pinguiorem reduxit fortunam tempore sui regiminis, facit florenorum 18780. quemadmodum in sequentibus suo ordine dicemus. Unde meritò posteritas Hirsaugiensium omnis Bernardum Abbatem ut fundatorem suum alterum recognoscens æterna habebit in memoria, qui Monasterium reædificans & ornans à debitis omnino fecit liberum, quod plus quam ducentis annis semper ære alieno fuerat gravatum.

MCCCCLXI.

Unio trium Observantiarum Ord. nostri facienda Episcopo Eichstattensi à Papa committitur.

Anno Bernardi Abbatis primo, Indictione Romanorum IX. Pius Papa II. per Apostolica scripta mandavit Episcopo Eichstattensi, ut coassumptis aliquibus viris Religiosis, & in monasticis Disciplinis exercitatis, ad se vocaret nobiliores trium Ordinis nostri Observantiarum Patres Abbates, Mellicensium, Castellensium & Bursfeldensium, habitóque cum eis necessario tractatu, tres ipsas Observantias in unitatem reduceret; & si qui intervenirent defectus, Apostolica authoritate suppleret. Convenientibus autem ad Commissarium Apostolicum prædictum Episcopum vocatis

Abbatibus

Abbatibus certis, plures inter se habuêre tractatus; sed tantam diversitatem rituum, consuetudinum, morum, & constitutionum trium Observantiarum in unitatem reducere nullatenus potuerunt. Bursfeldenses enim, quorum strictior observantia est Regulæ S. Benedicti magis conformis, ad laxiora Mellicensium & Castellensium noluerunt retrocedere: & Mellicenses cum Castellensibus, quorũ reformatio fuit laxior & Regulæ minus consentanea, observantiam Bursfeldensium, ut duram refutarunt.

Trium observantiarum unio fieri non potuit.

Ex eo tempore plures deinceps Patrum factæ sunt conventiones in diversis locis non sine magnis expensis & fatigationibus, sed inter eos fieri nunquam potuit uniformitas, usque in præsentem diem. Nostris etiam temporibus Bertholdus ex Comitibus de Hennenberg Archiepiscopus Moguntinus plures inter eos sæpe habuit pro eodem negotio tractatus, quibus & ipse frequenter interfuit, sed intentionem suam in effectum deducere non potuit. Manent ergo tres Observantiæ Ordinis nostri memoratæ procul ab invicem differentes: quarum duæ, Mellicensis & Castellensis quotidie deficiunt: tertia autem Bursfeldensis de die crescit in diem, proficit & ampliatur.

Dietherus Archiepisc. Moguntinus deponitur.

Eodem anno Dietherus de Isenburg Archiepiscopus Moguntinus anno Pontificatus sui tertio per sententiam Pij Papæ II. ab Archiepiscopatu deponitur, & Adolphus de Nassavv jubente Papa in Archiepiscopum sublimatur, & præfuit annis XIV. post cujus obitum Dietherus iterum Archiepiscopus factus præfuit annis VII. Interea verò quòd Adolphus præfuit Ecclesiæ Moguntinæ. Dietherus pro sustentatione sua possedit oppida & Castella in Hoest & Steinheim cum omnibus proventibus eorum, quæ sunt duo meliora Ecclesiæ Moguntinæ commoda sive clenodia. Causæ depositionis Dietheri subjectæ ferebantur.

Causa depositionis. Prima.

Prima causa depositionis fuit: *Quod mandatis Summi Pontificis inobediens & rebellis extitit, annatámque Sedi Apostolicæ non persolvit 24000. florenorum, quos Romano Pontifici dare quilibet Ecclesiæ Moguntinæ novellus Archiepiscopus confirmandus introducta consuetudine cogitur.*

Secunda.

Secunda verò causa fuit: *Quod infra sibi tempus constitutum in confirmatione Apostolica neque Sacerdotium assumpsit, nec se ordinari Archiepiscopum fecit.*

Tertia.

Tertia depositionis ejus causa fuit: *Quod Nuntios & Legatos Sedis Apostolicæ cum reverentia non susceptit, honorem eis debitum non impendit; sed eorum litteris, mandatis, commissionibus & factis contrarius, rebellis & inobediens fuit.*

Quarta.

Quarta causa fuit: *Quod Friderico Palatino Comiti adhæsit, quem Apostolica Sedes illo tempore ad informationem, & instantiam quorundam Principum Regni Germanici ut rebellem & inobedientem condemnârat.*

Fridericus Palatinus Comes adhæsit Diethero.

Ex hac depositione Dietheri Ecclesia Moguntina damna incurrit multa. Dietherus enim vociferans & clamitans injuriam sibi factam à Papa, Friderici Comitis Palatini auxilium contra Adolphum invocavit. Cujus adjutorio Dietherus IX. oppida Ecclesiæ Moguntinæ in sua obedientia retinuit, cætera verò ad Adolphum ejus adversarium subitò defecerunt.

Verùm quia Dietherus pecuniâ recompensare Palatini labores simul & expensas in his motibus factas minimè potuit, alienare bona Ecclesiæ compulsus fuit. Igitur subscripta Ecclesiæ Moguntinæ Castella & oppida, Starckberg, Heppenheim, Bensheim, Morlebach, omnémque Stratam

Montana Strata impignoratur Palatino pro centum millibus florenorũ.

Montensem cum universis proventibus suis ei pro centum millibus florenorum in possessionem tradidit: quorum tamen omnium pro eadem summa Jus redemptionis Ecclesiæ Moguntinæ reservavit. Terra est modica, Strata Montensis, inter Heidelberg & Dietburg oppida constituta, habens oppida, castra & villas non parvæ utilitatis, quam Sifridus quondam Archiepiscopns Moguntinus de Monasterio Lauriſſensi, tunc nostri Ordinis, quomodo usurpaverit, & suæ incorporaverit Ecclesiæ, longè supra diximus anno Dominicæ Nativitatis MCCXXXII. Manet autem sub ditione Comitis Palatini terra memorata usque in præsentem diem.

Die Bergstrass.

Ludovicus Dux Niger adhæsit Adolpho pro Spanheim.

Adolphus autem contra potentiam Comitis Palatini Diethero assistentis, auxilium Ludovici Ducis Nigri, qui morabatur in Meyenheim oppidulo, invocavit, assignans ei pro stipendio, quidquid habuit Moguntina Ecclesia in Comitatu & districtu Spanheimensi, Bickelnheim, videlicet, castrum & villam, Sobenheim oppidum, Montzega oppidum Nusbaum villam, Ulmenam oppidum, & villas plures alias in circuitu, cum omnibus proventibus & utilitatibus earum, sub certa pecuniarum summa, redemptione salvâ. Quæ omnia Fridericus Comes Palatinus sæpedictus jure belli non diu postea suo imperio subjecit.

Marchio de Baden.

Carolo autem Marchioni Badensi Adolphus Archiepiscopus pro stipendio contulit in pignus quasdam villas, videlicet Algesheim, Gavvbikelenheim & nonnullas alias in circuitu cum omnibus proventibus & utilitatibus earundem.

Comes de Wirtenberg.

Udalricum Comitem de Wirtenberg in auxilium contra Dietherum Adolphus invocavit, & conduxit stipendio 20000. florenorum in prompta pecunia. Erat autem Comes Udalricus homo bellicosus & audax simul & potens valde.

Dux Saxonum Wilhelmus.

Wilhelmum quoque Ducem Saxoniæ & Henricum Comitem de Schvvarzenburg Thuringum sibi Adolphus contra Dietherum & Fridericum Comitem Palatinum fecit stipendiarios, assignans eis pro mercede quædam in Eysfeldt dominia. Comitem verò de Regio lapide vulgariter Kőnigstein, sororis suæ maritum auxiliatorem habuit, cui pro stipendio Comitatum Holffheim assignavit. Cernis in quantam injuriam nobilis illa Moguntina devenerit Ecclesia, in cujus desolationem duo Pontifices acriter contendentes omnia pene destruxerunt.

Comes Kőnigstein.

Adhæserunt Adolpho contra Dietherum & alij Principes & Comites multi, Joannes videlicet Archiepiscopus Trevirensis, Georgius frater ejus Episcopus Metensis, Joannes Episcopus Spirensis, Albertus Marchio Brandenburgicus. Cum Diethero sensit Fridericus Comes Palatinus, Henricus Landgravius Hassiæ, Philippus Comes de Katzenelenbogen, Philippus & Joannes Comites de Isenburg, Fratres ejus. Cives quoque Moguntini cum Diethero contra Adolphum senserunt.

Dietherus & Comes Palatinus excommunicantur à Papa.

In primis igitur postquam Romanus Pontifex Pius II. audivit, quod Dietherus non curaret ejus sententiam, sed Archiepiscopum se gereret contra Adolphum, Excommunicationis sententiam in eum fulminavit, & in omnes, qui partes ejus sequebantur. Fridericum quoque Comitem Palatinum, propterea quod partes Dietheri defenderet, cum omnibus sibi adhærentibus excomunicavit & interdixit, & multiplicata sunt mala in terra his Principibus subjecta.

Die-

Dietherus autem in arce Moguntina existens, auxilio Palatini & aliorum sibi consentientium milite contracto plurimo descendit in Ringaugiam, & incolas ejus, homines quidem satis audaces, non dico temerarios, aut promissionibus, aut armis in suas partes compellere nitebatur. Audientes autem Ringaugij Comitis Palatini cum Diethero contra se adventum, confestim ad præsidia sua confluunt, & se venientibus non armis, sed latibulis opponunt. Verùm propter nimiam aëris inclementiam, exercitus Palatinus diu manere non potuit, alioquin Ringaugij necessariò in sententiam Dietheri pervenissent. Solutâ igitur obsidione, quantocius Principes ad sua redierunt.

Iterum Dietherus frustra descendit ad Ringaugienses.

Posthæc rumor venit ad aures Dietheri sub nomine certæ promissionis, quod si descenderet ad Ringaugios, ad ejus ditionem transirent. Credidit homo hominibus, collectóque rursum exercitu in Ringaugiam cum potentia descendit, & rumorem promissionis falsum & mentitum invenit. Unde confusus, iratus & deceptus ad Moguntiam cum suis reversus est.

Palatina expeditio contra Wirtenberg.

Comes autem Palatinus postquam semel in hostes sævire cæpit, non potuit quiescere, sed tanquam unicus molossus, quem plures circumstant catelli latrantes, nunc in istum, nunc verò in illum copiarum suarum impetum vibravit & morsus. Et primò quidem, his, quæ diximus, per eum transactis, expeditionem movit contra Udalricum Comitem de Wirtenberg, & ejus terram incendio, præda & ferro, multiplici incursione hostiliter devastavit.

Comes Wirtenberg 10000. contra Palatinum misit.

Comes autem contracto exercitu 10000. pugnatorum, IV. Kalen. Julij contra Heilbronnam Regni oppidum, quod erat sub defensione memorati Comitis Palatini, movit exercitum. Quod ubi cives intellexerunt loci, missâ legatione ad Comitem, ea quæ fuerunt pacis rogabant, & impetraverunt.

Interea Fridericus Comes Palatinus cum una exercitus parte contra Ludovicum Ducem cognomento Nigrum processit ut hostis, quippe sæpe deceptus, & oppidum Gaubikelenheim, in primis obsedit, cepit, murósque & terras in circuitu ejus solotenus dejecit; in quo CLX. pedites captivavit. Duravit ista Principum & Episcoporum suprascriptorum contentio per integrum annum, & non sine multorum damno, periculo & sanguine continuatur in sequentem.

Anno prænotato circa Dominicam quinquagesimæ, Nagoltha circa Monasterium istud Hirsaugianum resolutis nivibus in tantum creverat, quod nimius fluentium aquarum impetus amborum montium ima contingebat. Non est visa tanta aquarum inundatio propè Hirsaugiam in hominis memoria.

Ludovicus Rex Gallorum Pragmaticam Sanctionem abrogat.

Eodem anno Ludovicus Rex Galliarum XI. ad instantiam & petitionem Pij Papæ II. abrogavit, extirpavit & delevit radicitus de regno suo & Delphinatu Viennensi usum, consuetudinem & nomen legis sive constitutionis in Concilio Basileensi quondam editæ, quam Sanctionem Pragmaticam vocaverunt, quæ auctoritati Sedis Apostolicæ non parum derogabat. Misit ergo Romam ad Pium Pontificem Oratores suos insignes, inter quos fuit Joannes Goffredi Atrebatensis S. R. E. Cardinalis, qui publico in Consistorio & obedientiam nomine prænominati Regis præstiterunt Pontifici, & memoratæ Sanctioni Pragmaticæ sub testimonio Regalium litterarum sine coactione renuntiarunt. Litterarum Regalium accepimus talem copiam.

Copia litterarum regis Gallorum ad Pium Papam II.

Ludovicus Dei gratia Francorum Rex, tibi Sanctissimo & beatissimo Patri nostro Pio Papæ II. obedientiam & plenos devotionis affectus. Deum solum scientes esse, cujus providentiâ bene consulitur rebus humanis, melióque regna & urbes religione cingi atque defendi, quàm armis & mœnibus, Te Vicarium Dei viventis ea veneratione prosequimur, ut sacra (præsertim in Ecclesiasticis rebus) monita tua veluti vocem Pastoris audire, illisque parere prompta mente velimus. Quapropter Beatissime Pater, etsi quædam constitutio in Regno nostro, quam Pragmaticam vocant, magno Prælatorum Conventu, magnáque temporis deliberatione concluſa fuerit, & jam callum obducens quietum propè fixerit statum: Tu tamen his ad nos litteris, illam à Regno nostro auferri, explodi abrogarique flagitas. Nobis quóque dilectus & fidelis Consiliarius noster Joannes Episcopus Attrebatensis, quem cum potestate Legati de latere ad hoc nostrum Regnum misisti, commemoravit ea, ad quæ per ipsum tibi nomine nostro pollicenda, vovenda, & promittenda, Nos antequam Regnum susciperemus, Religionis instinctu quodam deduxerat. Nos nostra promissa exequi (accedente moderatrice rerum Ecclesiasticarum Tua auctoritate) studemus ac volumus. Et id quidem tanto volumus animo propensiore, quanto nobis Regnum Franciæ florens, & bello vacuum tuetur Deus & protegit.

Rex Gallorum obedientiam promittit Summo Pontifici.

Omnibus itaque victimis potiorem obedientiam intelligentes, assensimus his, quæ Tuo nomine nobis aperta sunt: ipsam scilicet Pragmaticam Sanctionem Tibi, tuæque Sedi esse infensam, utpote quæ in seditione & schismatis tempore, atque per seditionem sectionísque à Sede tua figuram, nata sit, & quæ dudum Tibi, à quo sacræ leges oriuntur & manant, quantamlibet eripit auctoritatem, omne Jus, & omnem legem dissolvit. Inde enim exoritur, quod idem Consiliarius nomine Tuæ Sanctitatis adstruxit, ut dum per Pragmaticam ipsam summæ in Ecclesia tua Sedis auctoritas minuitur, dum Prælatis in regno nostro quoddam licentiæ templum præstruitur, dum congruens unitas ad alia regna, & conformitas tolli videtur, abroganda sit ipsa Pragmatica, pellendáque à Regno nostro, quippe quæ adversus sedem tuam omnem Ecclesiarum matrem ab inferioribus Prælatis lata sit, tanquam (ut scriptura loquitur) quomodo si elevetur virga contra, aut baculus, qui utique lignum est. Quæ quidem Beatissime Pater, licet plerique docti homines confutare niterentur, atque diluere, multáque nos dehortarentur abrogare Sanctionem ipsam, Te tamen Principem totius Ecclesiæ, Te Antistitem sacrorum, Te Dominici gregis Pastorem profitemur & scimus, Teque jubentem sequimur, Tibi & Beatissimi Petri Cathedræ consentimus & jungimur. Itaque sicut mandasti, Pragmaticam ipsam à Regno nostro, nostróque Viennensi Delphinatu, & omni ditione nostra, per præsentes pellimus, stirpitúsque abrogamus, & quam, qualémve ante Pragmaticæ ipsius editionem Ecclesiarum, Beneficiorum, aliarúmque rerum spiritualium dispositionem, censuram, moderationem in regno nostro, ditionéque nostra Tui prædecessores, Martinus V. & Eugenius IV. Romani Pontifices habebant & exercebant, talem, eandémque nostro adjutori Beatissimo Petro, Tibique successori reddimus, præstamus & restituimus cum summo imperio, cum judicio libero, cum potestate non coarctata. Tu enim cùm scias, quid auctoritate divinitus Tibi traditâ possis, quas pro Regni nostri & Ecclesiarum in ea tranquillitate postulabimus, non neges res necessarias, poterísque semper quod optimum fuerit judicare. Utere igitur deinceps in Regno nostro potestate tuâ ut voles, eámque exerce. Nam ut hominum memoriâ nulla contentione capite uno atque unâ mente ducuntur, sic tuis sacris Decretis Ecclesiæ Prælati in regno nostro & Delphinatu, consonantiam & obedientiam plenam refundent.

Docti homines multi Pragmaticam Sanctionem defendunt.

Utatur sua potestate Pontifex, jubet Rex.

Quod

Quod si forte obnitentur aliqui aut reclamabunt, Nos in verbo regio pollicemur, ac Tuæ Beatitudini promittimus, exequi facere tua mandata omni appellationis aut oppositionis obstaculo prorsus excluso, eósque qui Tibi contumaces fuerint, pro tuo jussu comprimemus & refrenabimus. Datum Turonis sub magno sigillo nostro die xx. mensis Novembris, anno Domini MCCCCLXI. & Regni nostri primo.

Gallorum reges soli Pragmaticam Sanctionem sequuntur.

Hac renuntiatione Pragmaticæ Sanctionis (quâ Galli soli contra Romani Pontificis auctoritatem utebantur) per Oratores Romæ facta, non solum verbo, sed etiam præmissarum testimonio litterarum, Jus suum Romana Ecclesia recepisse jam tunc in regno Gallorum videbatur antiquum, nisi & ipse Rex Ludovicus postea conversus in tyrannidem promissa negasset, & abrogata denuo usurpasset; ut enim docuit experientia rerum certissima testis, Gallorum Reges semel usurpatam Pragmaticam Sanctionem (quamvis abrogatam ut diximus) defendunt, servant & continuant in multis usque in præsentem diem. Unde Julius Papa II. hoc anno, quo hæc scribimus defunctus, Romæ in Concilio Lateranensi anno proximè ante mortem suam, in IV. Sessione, quibusdam viris doctissimis examinandam & damnandam commisit.

Nos etiam ad notitiam posteritatis judicavimus conducere, si Pragmaticæ Sanctionis Principium, editionem & capita, his Chronicis nostris inseramus.

Quando cæperit, quid vel qualis sit Pragmatica Sanctio.

Igitur apud Basileam Germaniæ Civitatem Eugenij IV. Romani Pontificis assensu congregato Concilio, hi quibus Ecclesiasticarum rerum cribratio fuerat commissa, leges communi omnium sententia sanxerunt, quas Carolus Rex Gallorum VII. pater supradicti Ludovici XI. libenter complectens, mox in Regno suo practicari mandavit. Et inde Pragmaticæ Sanctionis nomen acceperunt, quarum ista sunt Capita.

Caput primum Pragmaticæ Sanctionis.

Primò. Romanus Pontifex quoque decennio Generalem synodum loco quo volet posthac congregato. Si negligens erit, potestas esto Patribus id designandi: convocati Concilij locum, nisi necessum erit, Pontifex non mutato.

Caput II.

Secundò. Basileensis Concilij auctoritas & ipsius consistentia Decretorum perpetua esto, quæ nemo unquam, nec ipse Romanus Pontifex tollere, infirmare aut transferre præsumito.

Caput III.

Tertiò. Romanus Pontifex majores Ecclesias, Metropoles scilicet & Episcopales, Collegiatásque, & eas quibus præficiuntur Abbates, & Ecclesiasticas dignitates, quæ per Electionem sibi deligere Rectorem consueverunt, nemini reservato, præter eas quæ Jure scripto, vel Romani Principatûs causa sibi permittuntur. Huic decreto non contravenito. Si intercedat causa præter legem faciendi, id Apostolicis scriptis exprimito, idque dum ad Pontificatum quispiam adsumetur, se servaturum jurato.

Caput IV.

Quartò. Ecclesia Pastore destituta, hi penes quos est eligendi potestas, die ac loco definito conveniunto, peccatorum suorum confessionem agunto, & Eucharistiam sumunto. Mox considentes jurejurando præmisso, non negligenter, non dolosè, non timidè eum qui gerendæ dignitati sit idoneus elegunto. Principibus fas non esto pro quopiam commendando molestis precibus, aut violenta comminatione premere aut cogere Electores.

Caput V.

Quintò. Electionis formam & Electi merita Confirmatores Prælati inquirunto. Scribæ & Notarij moderatum salarium accipiunto.

Caput VI.

Sextò. Romanus Pontifex, quem sanctitatis normam præ se ferre oportet, huic

huic Sanctioni nequaquam derogato. Si contemnet, & inde scandalum exurgat, ad subsequens Universale Concilium deferatur.

Caput VII. *Septimò. Electiones etsi pro Canonum auctoritate legitimæ esse videbuntur, si inde aut Ecclesia, aut Patria, vel Respublica turbari formidabitur, cùm hujusmodi Electio ad Romanum Pontificem fortè refertur, & ea diligenter examinata, nulla dicti merebitur, alteram Electionem his, quorum refert, indicito. Electum verò confirmari aut benedici ab alio, quàm abeo, qui sine medio electo superior est, fas non esto. Si in Pontificis curia præsens Electus erit, à Pontifice Benedictionem, si volet, accipito. Juramentum postea suo Prælato præstato. Secus qui faciet, centum aureorum mulcta eum castigato.*

Caput VIII. *Octavò. Universali synodo ejúsq; definitionibus & decretis, omnis Catholicus, etiam Romanus Pontifex eatenus obedito, quatenus fides & schismatum exscindenda seditio postulat.*

Caput IX. *Nonò. Pragmaticæ Sanctionis Caput est de auctoritate Concilij. Quæ synodus Sancto Spiritu auctore vocata concedit, eam sicuti Constantianæ Concionis Patres definière, à Christo Deo auctoritatem protinus obtinere credito.*

Caput X. *Decimò. Ecclesijs Dei eos Sacerdotes & Patres præficito, qui doctrinâ sint & vitâ illustres, ut creditum sibi populum sollicitè instituant, & Deo obedientem, gratúmque reddant.*

Caput XI. *Undecimò. Exspectativis præterea gratijs, unde plurima oriri mala constat, locum esse non sinito.*

Caput XII. *Duodecimò. Beneficia (vivo eorum Rectore) nemini reservato. Cùm autem administratore vacabunt, eorum quibus conferre oportebit, mores & merita, graduati ne sint, an secus, cognoscito.*

Caput XIII. *Decimo tertiò. Decretum de Theologo per quásque Metropoles præbendando, ad Episcopales quoque Ecclesias extendito, ut in illis præbenda Theologo conferatur, qui in aliqua Generali Academia decennem litteris operam navavit. Beneficio donatus Verbum Dei prædicato, & per quásque hebdomadas semel atque iterum sacras Litteras audire volentes, explanato. Negligenti quotidiana stipendia subtrahito.*

Caput XIV. *Decimo quartò. Porrò de his, qui gradu alicujus disciplinæ perfecti sunt, hunc ordinem observato. Primum post hanc Sanctionem vacuum possessore beneficium, Doctori, vel Licentiato, vel Baccalaurio conferto. Duo deinceps, quæ Rectore carebunt, bene merentibus Clericis concedito. Quod his duobus successivum erit, illud graduatus obtineto.*

Caput XV. *Decimo quintò. Igitur Scholastici gradu insignes sua nomina Beneficiorum Collatoribus, dum quadragesima agitur, scripta quottannis tradunto. Beneficiorum præter Decretum collatio facta, inanis esto.*

Caput XVI. *Decimo sextò. E locis, qui ab urbe quatuor dierum itinere distant, in Jus vocandi Romam, nisi in majoribus causis, Jus non esto.*

Caput XVII. *Decimo septimò. Qui damno aut injuriâ gravabitur, eum qui proximus est superior, appellato. Si tale est damnum, quod per ejus sententiam restitui potest; alioquin si ad Romanam Ecclesiam judex per exemptionem pertinebit, causam definiendam ad eum, qui ejusdem regionis est, judicem (si metus abest) Pontifex committito.*

Caput XVIII. *Decimo octavò. A gravamine aut interlocutione Judicis, secundo non prôvocato, eum qui frustra & inaniter ante latam sententiam appellat, quindecim florenis, præter cæteras litis impensas mulctato.*

Decimo

Decimo nonò. Triennem alicujus Beneficij & quietum possessorem non turbato, nisi hostilitate, metu, vel gravi impedimento tardatus eris, ne per id triennium impetere potueris possidentem. Caput XIX.

Vigesimò. Cardinales viginti quatuor tantum Divina & humana scientia eruditos, annorum triginta, boni nominis ac generis legitimi, qui Reipublicæ Christianæ consulere possint, Pontifex de suorum Fratrum consilio præficito. Caput XX.

Vigesimo primò. De dignitatibus & beneficijs Ecclesiasticis quibusvis collatis aut conferendis, nihil prorsus, sed neque Annatas, neque fructuum primitias, neque ut vulgo dicitur Deportum, Pontifex exigito. Notarijs & scribis mercedem, qui beneficium recipit, solvito. Hujus Decreti prævaricatori pœnam Simoniacis debitam infligito. Nihil præterea Juris aut tituli in beneficijs contra hanc prohibitionem impetratis sibi aquisitum intelligat. Caput XXI.

Vigesimo secundò. Clerici qui Ecclesiarum & Divini cultus obsequijs deputantur, rem omnem divinam & Dei laudes, sanctè, distinctè & graviter celebrato. Ad JESU nomen caput reverenter demittunto. Decanos & reliquos per Ecclesias præfectos hujus statuti prævaricatores castigato. Caput XXII.

Vigesimo tertiò. Consuetudinem, quâ inductum est, eum qui in aliqua horarum Choro adfuerit, omnium distributionum participem esse, tollito, idque ad Decanos & Præpositos, qui suarum prætextu dignitatum rei Divinæ non adsunt, extendito. Caput XXIII.

Vigesimo quartò. Quos noveris, dum res Divina agitur, per Ecclesiam aut juxta illam deambulare, aut confabulari, totius diei quo hoc fecerint, distributionibus privato. Iterum verò in hoc ipso delinquentes, unius mensis stipendio multato. Caput XXIV.

Vigesimo quintò. Tabulam, ubi designentur hi, qui definitis hebdomadibus sua officia exequi debent in Choro, appendito. Negligenti, totius diei stipem denegato. Caput XXV.

Vigesimo sextò. Fidei symbolum non truncato, sed ad verbum absoluto decantato. Camenas vulgi in Ecclesia canere Laicos prohibeto. Caput XXVI.

Vigesimo septimò. Rem Divinam (quam Missam appellamus) sine ministro nunquam celebrato. Dum eam facis, vocem exaltato, quæ à circumstantibus exaudiri possit. Secus agentem corripito. Caput XXVII.

Vigesimo octavò. Canonicos qui se debitoribus obnoxios ita constituunt, ut si statuto die debito se non absolverint, interdicto rei Divinæ cohibentur, à stipendijs Ecclesiæ toto trimestri abstinento, nec quicquam inde quam diu Divinis abstinebunt, percipiunto. Caput XXVIII.

Vigesimo nonò. Solemnibus diebus dum major Missa fieri debet, capitulum nen togito, per integram alioquin hebdomadam transgressores quotidiana stipe privato. Caput XXIX.

Trigesimò. Spectacula ludorum, comessationes, choreas, nundinationes, ludibria & larvatas personas incedere, ab Ecclesijs & sacris locis arceto. Contemptorem Clericum trimestri proventu abstinere jubeto, reliquos censura Ecclesiastica cohibeto. Caput XXX.

Trigesimo primò. Clerico cujusvis statûs concubinam foventi, à secunda hujus Sanctionis promulgatione non resipiscenti, beneficiorum suorum perceptionem menses tres interdicito, & eos fructus in Ecclesiarum, unde percipiuntur, utilitatem impendito. Hanc autem constitutionem in synodis & Caput XXXI.

capitulis promulgari quottanis imperato. Nec minus Laicos admoneto nullam præter legitimam uxorem turpi copulâ contingere.

Caput xxxii. *Trigesimo secundò. Excommunicatos ante latam sententiam & revera denuntiatam, non vitato, nisi tam notoria Excommunicatio erit, quæ non valeat ignorari.*

Caput xxxiii. *Trigesimo tertiò. Nulli omnino Genti, Communitati vel loco sacris interdicito, nisi per semet, aut per privatos, aut officiales, id est, per suos magistratus culpam admiserit. Iniquum siquidem est, ob uniuscuiusque privati hominis delictum ferire innocentes.*

Caput ultimum. *Trigesimo quartò. Nullius litteris, quibus quempiam beneficiò aut suo jure se abdicasse narratur, nisi testibus aut fidei documento id factum esse constet, credito.*

Finis est hîc jam Pragmaticæ Sanctionis Capitum, quam ut paulò diximus ante, Carolus Gallorum Rex VII. (auctoritate Concilij Basileensis) in Parlamenti senatu promulgari mandavit, VIII. die mensis Julij anno Dominicæ Nativitatis MCCCCXXXVIII. Indictione Romanorum I. Reliquæ nationes ad instantiam Romanorum Pontificum ea usæ non sunt; Gallia sola pragmatizans in ea perseverat in præsens.

MCCCCLXII.

Joannes Trithemius postea Abbas in Spanheim, hoc anno nascitur. Anno Bernardi Abbatis II. Indictione Romanorum x. die mensis Februarij prima, horâ undecimâ, minuto XXXIII. post meridiem in nocte, Ego Joannes Trithemius compilator hujus operis, Abbas postea in Spanheim, ac deinde apud sanctum Jacobum in suburbanis Wirzburgensium, Ordinis D. P. Benedicti, patre Joanne de Heidenberg, matre Elisabeth de Longovico, in peccatis natus sum, sed in Christo regeneratus fonte baptismatis in villa Trittenheim Diœcesis Trevirorum juxta littus Mosellæ, tribus in descensu à civitate Treverica milliaribus, anno Pij Papæ II. quarto, Regni autem Friderici Imperatoris XXII.

Udalricus fit Abbas in Spanheim annis V. Eodem anno, Conrado Abbate Monasterij Spanheimensis mortuo ac sepulto, Udalricus de Zeiskheim in Abbatia successit, & præfuit annis V. diebus XXIII. & Monasterium prius ære nimis gravatum alieno, per inutile regimen suum debitis quotidie majoribus involvit: Census & proventus quotquot occultè potuit, vendidit, & pene omnia dissipavit.

Anno prænotato, posteaquam inter Fridericum Comitem Palatinum Defensorem Dietheri de Isenburg, & Adolphum de Nassavv cum adhærentibus ei, longa concertatio duraset, etiam fessis aliquantulum partibus, amicorum consilio per oratores Principum de pace fuit tractatum. Igitur convenientibus in unum, quibus consultandi pro pace legatio fuerat commissa, sub certis clausulis atque capitulis negotium concordiæ in medium fuit propositum. Placuit ergo in communi omnibus pro eo, quod non haberent concludendi potestatem, ut singuli suis Principibus super conditionibus pacis atque capitulis facerent relationem, & quidquid illis in communi placeret, in proximo conventu eorundem firmaretur. His actis discessum est. Adolphus autem impatiens morarum, conventum pro concordia facienda exspectare contempsit, sed in exterminium Dietheri socium exercitum concitavit. Rumor quippe falsus exierat, cujus fuit credulitate deceptus, quia Palatinus, qui dicebatur esse in Bavaria, manserat occultè in patria. Igitur Carolus Marchio Badensis, Georgius Episcopus Metensis, Fridericus & Udalricus Comes de Wirtenberg

Adolphus cum Principibus suis devastat Palatinatum.

contracto

contracto milite adunaverunt exercitum 600. videlicet Equitum, & 6000. peditum, & terram Palatini Comitis (quem longè extra patriam credebant absentem) devastare cæperunt. Et in primis quidem Heidelsheim oppidum obsidione cinxerunt; quod cùm Comes intellexisset, viros secum armatos, quotquot videbantur necessarij, secum assumens, occultè nocturno tempore intravit oppidum, & pauciſſimis cognitus, custodias & defensores per muros & turres sufficienter collocavit. Videntes autem postridie obsessores, quod expugnare oppidum non possent, soluta obsidione inde recesserunt, expeditionem ulterius moventes. Deinde haud procul ab Heidelberg oppido residentiæ Comitis Palatini castra posuerunt, quibus locatis auxiliarij missi ab Adolpho 400. supervenerunt equites, peditúmque 3000. paucísque diebus quieverunt. Ultimâ verò die mensis Junij anno præcedente mane in aurora, tres Principes Georgius Metensis Episcopus, Carolus Marchio Badensis, & Udalricus Comes de Wirtenberg cum multis alijs Comitibus atque Nobilibus peditatu in castris relicto, cum solo equitatu 1000. circiter virorum in agrum Heidelbergensem iter deflectunt, & pedetentim equitantes igne cuncta villagia & curtes Religiosorum devastare simul & incendere cæperunt. Fridericus autem Comes Palatinus per exploratores de hostium intentione mane certificatus, cum septingentis equitibus & peditatu multo, cùm adhuc tenebræ essent, Heidelbergam exivit, & in proximo nemore, ubi hostes transituri fuerant, se abscondit. Supervenit à casu Dietherus de Isenburg cum 300. equitibus, & se Palatini copijs latenter conjunxit. Postquam ergo tres memorati Principes cum equitatu pertransissent, in nemore, haud procul à Seckenheim villa, Palatinum cum suis latitantem, & jam pervenissent inter angustias Rheni & Neccari, ubi nullus erat locus fugæ nisi retrorsum, surgunt de insidijs, qui latuerunt Palatinenses, & impetum facientes à tergo præcedentes invadunt, percutiunt, vulnerant & occidunt. Quò fugerent jam miseri ab hostibus & equis præclusi? Videntes ergo Principes jam sæpedicti, quòd nullus esset evadendi locus, nisi ferro tantum relictus, tumultuario impetu conversi contra venientes dimicare cæperunt contra 4000. mille, & contra multos pauci: ceciderunt in eo prælio multi ex trium parte Principum, inter quos duo fuerunt nobilissimi Comites, alter de Helffenstein, alter verò de Salm. Capti autem fuerunt Georgius Episcopus Metensis, Carolus frater ejus Marchio Badensis, Udalricus Comes de Wirtenberg, & alij Comites nobiles & ignobiles fermè 500. Reliqui non occisi gladio per fugam salvati sunt. Captivi omnes in oppidum Heidelberg cum magno triumpho ducti fuerunt, & vinculis mancipati, sese tandem pecuniâ multâ redemerunt. Acta sunt hæc in Campo latissimo non procul à Landenburgo, ultimo Junij.

Heidelsheim oppidum Comitis Palatini obsidione cingitur.

Tres Principes Palatinatum devastant.

Comes Palatinus latuit in nemore cum 4000.

Comes Palatinus obtinuit victoriam contra Principes.

Georgius Metensis Episcopus Jacobi Marchionis de Baden quondam filius & Caroli frater Germanus, pro liberatione sua de captivitate Palatino Comiti Friderico 45000. florenorum dare compulsus fuit. Denique se cum omni militia sua & tribus in Lotharingia castellis Bergard, sancti Theobaldi, & S. Crucis Palatino perpetuò scripsit obnoxium. Carolus Marchio Badensis pro sua liberatione Palatino promisit, scripsit & dedit centum millia florenorum, ut diximus. Verum quia tanta pecuniarum summa non erat in promptu ad manum, tali conditione suo triumphatori satisfecit.

Episcopus Metensis in 45000 florenorum mulctatus est.

Marchio Badensis in 100000. mulctatus fuit.

satisfecit. Quidquid in Comitatu Spanheimensi habuit, Palatinatui sub redemptionis titulo tradidit. Oppida quoque in Strata Montensi, Beseckheim, Bensheim, cum telonio & castello, simili sub redemptionis jure assignavit. Insuper omni redemptionis juri, quod se habere super oppido Heidelsheim & Eppingen prætendebat, venationibus quoq; & piscationibus inter Selz & Gemersheim in terra & Rheno, pro quibus antea lis & contentio fuerat, in perpetuum renuntiavit. Oppidum denique Pforzheim Palatinatui feudale constituit, & se cum omni posteritate sua & litteris & juramento necessarijs, in perpetuum eidem obnoxium fecit.

Comes Wirtenbergensis mulctatur in centum millibus.

Udalricus autem Comes de Wirtenberg pro centum florenorum millibus à Palatino fuit similiter mulctatus. Quorum in promptu fuerunt soluta 40000. viginti autem millia florenorum Comiti memorato ab Adolpho de Nassavv Moguntino Archiepiscopo contra Dietherum super strata Montensi assignata, idem Comes Palatino Comiti resignavit, & sic fuerunt soluta florenorum 60000. De reliquis verò 40000. Comes de Wirtenberg Comiti Palatino pensionem dabit annuam 2000. florenorum, quam necessarijs monimentis confirmavit. Marbach insuper oppidum Palatino feudale constituit, & se cum omni militia sua Palatinatui obnoxium scripsit. His factis Principes liberati fuerunt.

Episcopus Spirensis per Comitē Palatinum ad pacem compellitur.

Principibus in captivitatem actis, ut dictum est, Fridericus Comes Palatinus contra Joannem Nix Episcopum Spirensem traduxit exercitum, & imprimis oppidum Rottenburg cum castello annexo circumdedit obsidione, expugnavit & cepit. Postremò ad instantiam Capituli Ecclesiæ Spirensis concordia sub tali conditione facta est. Castellum cum oppido Rottenburg similiter & Wersau perpetuò juris sint Palatini. In nemore quoque Spirensis Ecclesiæ dicto Lusshart omnis venatio soli cedat Palatino cunctis temporibus. His ita conclusis post miserabilem Ecclesiæ Spirensis desolationem, post rapinas & incendia multa, pax reformatur Ecclesiæ, non sine incommodo ejus maximo.

Inter Matchionem Brandenburgens. & Ducem Bavariæ concertatio.

Anno prænotato, Albertus Marchio de Brandenburg adsociatus civibus Regni mandante Friderico Imperatore III. iterum contra Ludovicum Bavariæ Ducem cognomento Divitem, validum produxit exercitum, & ingressus terram ejus rapinâ & incendio cuncta devastare cæpit. Ludovicus autem valido Bohemorum & Bavarorum contracto exercitu Ulmensium & Marchionitarum terras ingreditur, & omnia incendio & rapina demoliri & destruere conabatur. Nec erat qui potentiæ roboris ejus posset resistere: Navv villam opulentissimam cum alijs sexaginta numero cepit, spoliavit & destruxit, quorum major pars ad dominium pertinebat civium oppidi Ulmensis. Et hæc paululum ante quadragesimam circa carnis privium facta sunt per eundem.

Ludovicus Dux Marchionem fugavit ab obsidione Heidenheim.

Postea eodem anno, XVI. die mensis Junij, Albertus Marchio Brandenburgensis, Udalricus Comes Wirtenbergensis (necdum captus à Palatino) cum civibus Regni & multis nobilibus obsederunt Heidenheim oppidum Eichstattensis Diœcesis. Quod ubi Ludovico innotuit, cum exercitu venit, & eos ab obsidione fugavit, castra eorum obtinuit, atque nobilium plures cepit ac nonnullos occidit. Multam in castris Marchionis substantiam in auro, argento, armis, equis & curribus reperit, & oppidum liberavit. Marchio autem metu territus auffugiens in Albeck proximum

mum castrum se recepit. Comes verò de Wirtenberg ad Marchionem Badensem descendit, & cum eo ultima die mensis Junij à Palatino Comite, sicut dictum est, captus fuit. Dux posthæc Ludovicus Marchione fugato Hengen castrum & oppidum simul obsidione firmissima circumdedit. Venit contra eum denuo Albertus Marchio cum exercitu suo, liberaturus inclusos in oppido cives, quos tamen liberare non potuit; nam Ludovicus & oppidum & castrum violenter obtinuit, & congressione facta multos de exercitu Alberti gladio prostravit.

Ludovicus Dux oppidum & castellum Hengen obtinuit.

Eodem anno in mense Octobri, Adolphus de Nassavv, quem Pius Papa II. abrogato, sicut diximus, Diethero de Isenburg, Archiepiscopum instituerat Moguntinum, consilio suorum habito urbem capere Moguntinam cupiebat. Cives enim Moguntini partes Dietheri sequebantur. Ludovicus igitur Dux Bavariæ cognomento Niger, qui morabatur in Meisenheim, Alvvicus Comes de Sulz, Eberhardus de Königstein, & quidam alij ex Nobilibus hujus Provinciæ onus subeuntes, Olvvinum & Dudonem Cives Moguntinos traditores urbis in consilium admiserunt, quorum informatione res erat peragenda. Cúmque tempus adesset negotio præstitutum in Vigilia SS. Apostolorum Simonis & Judæ, memorati Comites unà cum Duce Ludovico, Ringaugiensibus quoque, & armato milite non minus plurimo in profunda nocte, cùm silentium jam quietum tenerent omnia, cum scalis & machinis ad fossatum civitatis in eo pervenerunt loco, ubi propter difficilem aditum custodibus non videbatur opus, & falce facto tramite per vepres & dumeta muros aggrediuntur, scaláſque applicantes viribus totis parabant ascensum. Interea dum scalas apponerent muris, vidit quispiam muro insidentem, eminentémque noctuam, quæ sedens uno fixa in loco super murum jam extendit, jámque depressit vocem. Cúmque hoc in longam faceret horam, territi fuêre cernentes, propterea quod latere fortem super muros arbitrarentur custodiam; nam propter tenebrarum horrorem clarè quid esset, discernere non poterant. Propè jam erat, si paulò diutius durasset spectaculum, ut scalis à muro depositis infecto negotio retrocessissent metu perculsi. Cùm ecce subitò bestia devolans metu liberavit fermè desperatos. Jam deinceps facti alacriores per scalas conscenderunt erectas, atque successivè silentérque introgressi traditorum auxilio custodias occupant, proximámque urbis portam, quæ Gavij porta nominatur, applicatis machinis infringunt, & aperiunt, per quam totum exercitum foris præstolantem intromittunt. Expergefacti cives tam ex clamore vigilum insolito, quam ex fragore portarum & hostium strepitu, correptis armis tumultuariè, quid agerent, non satis scire potuerunt. Primo itaque impetu in paucos hostes irruerunt pugnaturi, sed fracta urbis porta mox equites, peditésque hostiles ingressi civitatem, suis audaciam & vires contra miseros addiderunt. Coadunati tandem cives fortiter contra hostes pugnaverunt, & cùm eos bis térque retrocedere compulissent, numero tamen eorum tandem superati sunt, & quadringentis eorum occisis succubuerunt. Nam hostes ab una parte cum civibus acriter pugnabant; & in alia parte civitatem per traditores fecerunt incendi, unde miseri cives & urbem ardere videntes, & se imparibus cum hoste viribus decertare non posse considerantes, projectis armis deditionem fecerunt. Quo facto civitate pulsi sunt omnes, qui arma

Adolphus Moguntiam capere tentat.

Olwin & Dudo civium suorum traditores.

Noctua muro insidens diutius lusit & terruit hostes.

Moguntia civitas ab Adolpho Archiepisc. capta est.

Cives spoliantur & trucidantur.

ferre potuissent, tam celeriter exire coacti, ut nę salutatio quidem suorum concederetur. Egrediebantur enim necessitate urgente omnes, uxoribus, liberis, amicis & bonis omnibus in hostium potestate relictis, & ibant egentes atque mendici. Prædam hostis reperit ingentem, quæ non unius civitatis, sed penè totius Patriæ thesaurus esse videbatur. Omnium námque in circuitu Monasteriorum, Ecclesiarum, Nobilium & rusticorum bona mobilia in civitatem fuerant reposita metu hostilitatis à facie inimici. Nemini parcebant nec Clericis, non Claustralibus, non Civibus, sed quidquid in tota civitate poterant invenire, absque ulla miseratione rapuerunt. Videres ministros Christi Sacerdotes unà cum Judæis crudeliter captos, & in Altam Villam satis crudeliter & ignominiosè duci ligatos. Omnes enim qui cum Adolpho non senserunt contra Dietherum, à Papa Pio II. denuntiabantur excommunicati. Et quicúmque in Civitate Moguntina prius quàm caperetur, non sentiebant cum Diethero contra Pium Pontificem Romanum, ejus censuras & sententias, interdictum, & Adolphi promotionem contemnendo, urbe pellebantur.

Prædam hostis in urbe Moguntina ingentem reperit.

Præfuit illis diebus Monasterio S. Jacobi nostri Ordinis in Monte Specioso juxta mœnia foris civitatem Eberhardus de Venlo Abbas, vir experientiæ & prudentiæ multæ, secundum instituta Bursfeldensium unà cum Monachis suis optimè reformatus. Is cùm Papæ mandata constantissimè in se & in Monachis suis observaret, nec in præsentia Excommunicatorum & interdictorum ab eo consentiret celebrare Divina, jussus est Monasterio cum suis deserto, procul abire. Qui Christi Vicario malens obedire, quàm Diethero, & ipse discessit ab urbe, & Monachos suos præcepit exire de Cœnobio; Prior itaque processionaliter unà cum conventu per mediam Civitatem transiens exivit de Cœnobio signum S. Crucis Othone de Selbach nobili præferente Donato. Tres duntaxat seniores in Monasterio ad sarcinas, ut solet dici, remanserunt. Fratres autem hinc inde dispersi, alij apud S. Matthiam propè Treverim, alij verò in Colonia apud S. Martinum, alij in alijs locis mansiones receperunt ad tempus. In ea nocte dum civitas Moguntina caperetur ab Adolpho, Dietherus præsul abrogatus unà cum Philippo Comite de Kazenelenbogen erant in castro, quod urbi jacet annexum, Fridericum Comitem Palatinum exspectantes, qui illò erat postera die venturus. Audito autem tumultu, & intellecto quod hostes præoccupassent civitatem, per murum submissi navicula Rhenum sulcantes evaserunt. Comes enim Palatinus consilio Mathematici sui Matthiæ de Kemnaten præmonitus nunquam induci potuit, ut in Moguntia vel una nocte permansisset, eò quòd urbem sibi periculosam astra prænuntiarent.

Eberhardus Abbas S. Jacobi cum suis Monachis Moguntiæ de Monasterio suo pellitur.

Dietherus per murum submissus in navicula fugit per Rhenum.

Interea verò dum hæc in Moguntina Diœcesi gererentur bella, Joannes ex Marchionibus de Baden Archiepiscopus Trevirorum volens & ipse mandatis obedire Apostolicis, & exterminare Dietherum, Lanstein oppidum, quod parum distat à Confluentia juxta Rhenum (cujus Incolæ partes Dietheri sequebantur) bina obsidione vallavit. Est autem prædictum oppidum in Diœcesi quidem Trevirorum, sed Jure Dominij Ecclesiæ pertinet Moguntinæ. Obsessi ergo ab Archiepiscopo Cives fortiter egerunt, murorum & turrium firmitate defensi; hostes tandem defatigatos sine effectu recedere compulerunt. Alterâ post hæc vice Archiepiscopus denuo

Lanstein oppidũ ab Archiepisc. Trevirorum frustra bis obsidetur.

denuo contra eos firmavit obsidionem, & denuo sine effectu cum damno Ecclesiæ suæ & confusione abire compulsus est. Postremò fatigatis Principibus & exhaustis ærarijs, de concordia reformanda inter Dietherum & Adolphum cæpit haberi tractatus, qui apud Frankenfurt oppidum Regni tali fuit conditione postea conclusus: Dietherus Archiepiscopatum Ecclesiæ Moguntinæ cum omnibus bello vel pace contractis eatenus debitis Adolpho resignavit, & pro sustentatione sua, quamdiu viveret in humanis, Lanstein oppidum Castellum & telonium, oppidum quoque Hoest, Castellum & telonium, Steinheim oppidum & telonium, Dieppurg quoque oppidum cum omnibus proventibus eorum liberè suscepit, & sic tandem pax reformata est, post omnimodam penè desolationem.

Concordia inter Adolphum & Dietherum fit Frankenfurti.

In hac negotiorum compositione Friderico Palatino Comiti pro impensis cum Diethero habitis contra Adolphum, assignati sunt 1000. floreni annui census super telonio in Erenfels, cum 20000. florenis redimibiles. Pro novem verò millibus florenorum, quos Ringaugienses Palatino se daturos promiserant, dum Petersheim oppidum caperetur, ut supra diximus, & necdum satisfecerunt, ipsum oppidum Petersheim sub titulo redemptionis fuit assignatum, usque in præsentem diem non redemptum.

Moguntia Civitas Regalis libera, in servitutem redigitur.

Adolphus itaque in Archiepiscopatu jam deinceps quietus, & liberatus ab infestatione Dietheri, Comitísque Palatini, præfuit annis XIII. Civitatem verò Moguntinam, quæ prius Regni Germanici fuit libera, in servitutem sibi & successoribus suis redegit, quam etiam possident in præsens tempus. Erat autem Civitas memorata dum caperetur ab Adolpho, ære nimium gravata alieno, tantísque involuta debitis, ut si capta non fuisset, brevi in seipsa miserabiliter fuisset desolata. Post captivitatem verò suam, debitis simul ac libertate nudata, creditores omnes nihil solvendo fefellit, emolumentum solvens Ecclesiæ Pontifici, sed gravamina non admittens debitorum; quod jure vel injuriâ fiat, nihil mea interest. Novi Monasterium, cujus Rector eodem anno senatui Moguntino & civium Communitati centum & mille florenos Rhenenses pro annua pensione in prompta pecunia tradiderat, cautionibus ex more præmissis. Sed Urbe capta nihil Monasterio illi vel pensum, vel restitutum est usque in præsentem diem. Simile contigit multis, quoniam Præsul Moguntinus proficuum Civitatis accepit, sed gravamina refutavit.

Exules Moguntini revertuntur in Urbem.

Post captivitatem Moguntinam, cùm Adolphus jam Pontificatu potiretur, & urbe, extorribus facultatem indulsit in eam regrediendi sub certis tamen legibus, ut omnes in ejus verba sine contradictione jurarent. Tunc etiam supradictus Abbas Eberhardus cum Monachis suis ad Cœnobium S. Jacobi reversus est, & gratiam apud Pontificem Adolphum pro constantia sua in eum exhibita, reperit singularem.

Curiale Judicium Heidelberg, instituitur.

Anno igitur prænotato Fridericus Comes Palatinus Cultor, & Amator Justitiæ, subditorum suorum pauperum curam gerens pervigilem, Parlamentum, quod Curiale Judicium nuncupant, instituit, in quod viros Jure peritos cum certis Nobilibus Assessores & Judices collocavit, qui Justitiam administrarent omnibus, nulli facientes injuriam.

Eodem anno vicesima prima die mensis Augusti, quæ fuit Sabbatho post Festum Assumptionis Beatissimæ Mariæ semper Virginis, domus scribarum,

barum sive Cancellariæ Principis Palatini Heidelbergæ, casuali fuit igne incensa & exusta, cum libris nonnullis atque Regiſtris. In cujus locum Fridericus eam quæ hodie cernitur, satis pulchram & sumptuosam brevi restituit.

Mytilene Insula capitur à Turcis impijs.

Eodem quoque anno Mahumetes Turcorum Imperator crudelis Mytilenem Christianorum Insulam opulentissimam hostili devastat incursu: quam multis credentium millibus occisis & captis, suo imperio subjecit.

MCCCCLXIII.

Anno Bernardi Abbatis tertio, Indictione Romanorum undecima, die mensis Februarij tertia decima, obijt Theodoricus ex Comitibus de Mœrs Archiepiscopus Colonienſis, anno Pontificatus sui quadragesimo octavo, & in majori Ecclesia cum honore sepelitur: vir sapiens, prudens & magnificus, qui suis utiliter præfuit; & quod hodie magni æstimatur apud nostrates, temporalium rerum possessiones in auro, argento, vino, frumento, ædificijs & proventibus annuis valdè ampliavit.

Rupertus Comes Palatinus fit Archiepisc. Coloniæ annis XVII.

Quo mortuo atque sepulto, convenientes in unum Ecclesiæ Canonici penultima die mensis Martij anno prænotato in Archiepiscopum unanimi consensu elegerunt Rupertum ex Comitibus Palatinis, Bavariæque Ducibus Concanonicum suum, qui Frater erat germanus Ludovici Pij Patris Philippi, & sæpissimè nominati Principis Friderici similiter uterinus. Confirmatus autem & ordinatus juxta consuetudinem, Archiepiscopus præfuit annis decem & septem in tribulationibus multis: & postea sicut diximus suo loco, miserabiliter interijt.

Imperator Fridericus à suis Viennæ obsidebatur in castro.

Eodem anno Fridericus Imperator tertius cum Maximiliano filio, à subditis suis in Arce Viennensi auxilio & consilio Ducis Alberti fratris sui, durissima obsidione circumdatus est. Obsessis vim faciebant obsidentes, & arcem machinis atque bombardis sine intermissione fortiter impugnabant. Et quod fuit omnium gravissimum, victualia deficiebant obsessis. Igitur necessitate compulsus Imperator Georgium Bohemiæ Regem, hæreticum per litteras invocat; qui veniens & pacem faciens, eum de obsidione suorum tali moderamine liberavit, ut nec victor esse videretur idem, nec superatus.

Anno item prænotato victualium magna fuit copia. Nam una vini mensura apud Mosellanos Rhenanos, & Francos pro uno vendebatur denario sive obulò Hallensi: quorum duodecim faciunt solidum unum. Frumentum etiam vili pretio vendebatur; quia ubique fuit abundantia.

Cœnobium Montis Monachorum Bambergæ reformatur.

Hoc ipso anno Pius Papa secundus mandavit Georgio de Schauenburg Episcopo Babenbergensi, & Eberhardo de Venlo Abbati Montis S. Jacobi prope Moguntiam, ut Monachos deformatos, qui non consentirent colla submittere observantiæ Regulari, de Cœnobijs Montis Monachorum juxta Babenbergam expellerent: & Reformatos sub unione Bursfeldensium in locum eum relocarent. Quod cum maxima difficultate, multisque laboribus & impensis vix tandem efficere potuerunt: sanctum Diabolo impediente negotium per Monachos reprobos, & eorum in malignitate amicos. Cœnobio autem reformato Eberhardus auctoritate Pij Papæ Abbas eidem præficitur, cui mox in Abbatia S. Jacobi Moguntina Joannes Itzstein substitutus præfuit annis tribus; postea cedens, in Monasterio S. Joannis Abbas factus est.

His

His temporibus Mahumetes Turcorum Rex nobile Regnum Christianorum Bosniæ, quod olim Misia vocabatur superior, ab Oriente habens Thraciam, à meridie Dardaniam, ab Occidente Dalmatiam & Montem Scardum: ab Aquilone verò Danubium & Daciam Sarmaticam, in manu suorum valida intravit, & cæpit, multis Christianorum millibus credentibus Deo peremptis.

Regnum Bosniæ sive Misiæ superioris, devastatur à Turcis.

Stephanus autem Rex Bosniæ ultimus, fallacibus Mahumeti Turcorum Regis blandimentis ex fortissimo quodam Castello suo eductus, & mox captus, jussu perfidissimi Tyranni crudeliter vivus excoriatus est. Quo mortuo etiam Patrem ejus venerandum senem capite truncavit. Deinde vocatos ad se Potentiores Regni, sub falsa pollicitatione omnes ad unum interfecit. Reliquum verò populum, qui gladium evadere potuit, in servitutem redegit, Regnóque universo vastato, atque direpto filium suum secundo genitum, Regem illi præfecit. Regina Bosniæ Stephani Regis uxor de manibus Turcorum cum paucis elapsa Romam venit anno sequenti, ad Paulum Papam secundum, à quo benignè & honorificè fuit excepta: & quam diu vixit, de bonis Ecclesiæ nutrita.

Stephanus Rex Bosniæ excoriatur vivus.

MCCCCLXIV.

Anno Bernardi Abbatis quarto, Indictione Romanorum duodecima, Pius Papa secundus compositis ut potuit rebus Romæ & in Italia, contra Turcos expeditionem, quæ apud Mantuam dudum fuerat indicta, sed Principum ambitione & avaritia eatenus intermissa, repetijt: & in propria persona perficere decrevit. Præmiserat autem anno transacto litteras & nuntios in omnes Christianas Nationes ad Reges & Principes, ad Clerum & Laicos, rogans & monens, qua potuit instantia, ut arma contra spurcissimam gentem Turcorum quantocius sumerent, & Christianis in periculo constitutis pro Dei amore subvenirent. Clericis denique & Monachis, ut armati contra fidelium rabiem dimicare possent, indulsit: & euntibus in expeditionem ipsam Asiaticam peccatorum omnium veniam repromisit. Ipse autem podagra laborans, corpore infirmus, sed animo constans, è Roma se hoc anno portari fecit Anconam: & ibi decumbens in grabatulo, promissum sibi Regum & Principum præstolabatur adventum. Offendit in itinere maximam hominum multitudinem ex Germania, Hispania, & Gallia prorumpentem: qui omnes una sententia ire in Turcos statuerunt. Verum quia nec pecunias secum ad sumptus contulerant sufficientes, nec ad bellum videbantur idonei, Pontifex eos à peccatis absolvit, & ad sua redire præcepit. Reversi autem in sua Germani pauperes, alij spoliati, alij seminudi non sine periculo & damno confusi, à suis cum ludibrio suscepti sunt.

Papa Pius expeditionem indicit Christianis contra Turcos.

Pius autem Papa secundus, in itineris motu fatigatus, & febre correptus, dum classem quam summo labore, & multis expensis paraverat in Turcos, à Pisis Venetísque Anconæ exspectaret, triremibus tamen è specula procul visis quarta decima die mensis Augusti, hoc est in Vigilia Assumptionis Beatissimæ Mariæ semper Virginis, moritur: cujus cadaver à suis relatum ad urbem, in Basilica S. Petri Apostolorum Principis juxta Altare S. Andreæ Apostoli fuit honorificè tumulatum. Hic Pontifex multa bona fecit Ecclesiæ, & Privilegia quæ olim Papa Eugenius quartu

Pius Papa secundus Anconæ moritur.

Congregationi S. Justinæ de Padua contulit, ad nostram Observantiam Bursfeldensem extendit.

Caput S. Andreæ Apostoli ex Peloponeso Romam transfertur.

Ejus tempore Pontificatus Thomas Palæologus Porphyrij quondàm filius Peloponesi Princeps Christianus Romam gratiâ peregrinandi visitaturus, caput sanctissimi Andreæ Protoapostoli secum attulit: quod ne in contaminationem deveniret Turcorum, memorato Pontifici donavit. Pontifex autem caput ab eo suscipiens, in medio pontis obviam factus processionaliter cum summa reverentia & honore ad Ecclesiam S. Petri reposuit, in sacello ad hoc dignissimè præparato, in quo continetur & veneratur à populo usque in hunc diem.

Catharina Senensis.

Catharinam de Senis Compatriotam suam Ordinis S. Dominici multis in vita virtutibus & revelationibus claram Sanctorum Catalogo inscribi Pontifex ipse memoratus ad multorum preces & instantiam libens mandavit.

Paulus fit Papa secundus annis VII.

Anno igitur prænotato ultima die mensis Augusti, Cardinales Petrum Barbonem patria Venetum Eugenij quondam Pontificis quarti ex sorore Nepotem Cardinalem S. Marci, hominem non multæ litteraturæ in Papam unanimiter elegerunt: qui suscepto Pontificatu præfuit annis sex, mensibus decem, diebus viginti octo: homo in agendis prudens, cautelosus & expertissimus.

Capitulum Ordinis nostri Provinciale XVIII. celebratur Herbipoli.

Eodem anno Dominica tertia post Festum Resurrectionis Domini Jesu Christi, celebratum fuit capitulum Ordinis nostri Provinciale octavum decimum, in Civitate Herbipolensi apud sanctum Stephanum: in quo præsederunt Bertholdus ejusdem loci Abbas, Joannes S. Michaelis in Hildesheim, Melchior S. Udalrici in Augusta, & Eberhardus Montis Monachorum prope Babenberg Monasteriorum nostri Ordinis memorati venerandi Abbates.

Cœnobium S. Burckhardi Herbipoli transfertur ab Ordine.

Anno prænotato quintadecima die mensis Maij, Romano Pontifice Pio secundo adhuc vivente (qui postea in Augusto sicut dictum est obijt) falsis narrationibus decepto, consentiente ac dispensante, Joannes de Aldendorff patria Hasso, Abbas Monasterij S. Burckhardi juxta Herbipolim unà cum Monahis suis habitum, nomen, & Congregationem sanctæ Religionis Monasticæ Ordinis nostri metu & odio Reformationis deposuit, & Monasterium ipsum in Ecclesiam sæcularem transmutavit: factíque sunt ex malis Monachis Canonici peiores; & qui primam fidem irritam fecerunt, omnes mala, sicut audivimus ab his, qui noverunt eos, & subitaneâ morte decesserunt.

Joannes Nix Episcopus Spirensis resignavit Episcopatum suum.

Eodem anno octava die mensis Augusti, Joannes Nix, Episcopus Spirensis, qui contra Fridericum Palatinum Comitem Apostolicis mandatis obediens, inconsultè bellando plura Ecclesiæ Spirensi damna intulerat, Pontificatum suum de consensu tam Capituli sui, quàm Papæ resignavit; triennióque supervivens in oppido Pforzheim ex animi mærore defecit, & ibidem sepultus fuit; nam præter multa damna superius enumerata, quæ Palatinus Comes propter eum intulerat Ecclesiæ Spirensi, etiam domos & habitationes Clericorum omnes in circuitu Ecclesiæ S. Germani extra urbem, & duo molendina capituli, incendio fecit cremari, eo scilicet anno, quo Moguntia fuit capta, clarâ die nullo penitus resistente, quinta videlicet die mensis Julij. Eo tempore totius Cleri suspicio fuit

fuit, Senatum ac Cives Neometenſes ab ejus incendij procuratione non ex toto fuiſſe immunes, quippe qui multis indicijs factum laudaſſe notati ſunt.

Poſt reſignationem Joannis Nix, Matthias de Rammingen, majoris Eccleſiæ Canonicus, necdum Capitularis, & Friderici Comitis Palatini Cancellarius, proviſione Pij Papæ ſecundi Epiſcopus ordinatur Eccleſiæ Spirenſis, & prudentiſſimè præfuit annis XIV. vir doctus, devotus, & magnanimus, qui virtute ac ſapientia Eccleſiam ſibi commiſſam in utróque ſtatu optimè rexit, Jura, Privilegia, ac Libertates ejus manutenuit, divini cultus ornamenta multipliciter auxit, collapſa ædificia reſtituit, & multa bona patravit.

Matthias fit Epiſcopus Spirenſis annis XIV.

MCCCCLXV.

Anno Bernardi Abbatis V. Indictione Romanorum XIII. Adolphus Dux Geldriæ regnandi libidine ſuccenſus Patrem ſuum Ducem Arnoldum noctu dormientem, & nihil mali de eo ſuſpicantem, nudum in lecto jacentem capit, in cuſtodiam reponit, & multo tempore captivum tenet; quod impium ſcelus divina Juſtitia non tranſivit inultum, ſed durâ ſatis animadverſione vindicavit & punivit.

Arnoldus Dux Geldriæ à proprio filio captus incarceratur.

Eodem anno Canonici & Cives Leodienſes poſt multas contentiones & lites in Curia Romana habitas, & extra, contra Joannem de Burbon electum & confirmatum ſuum Antiſtitem innata rabie & feritate utentes, adhuc illo vivente, & nec depoſito, neque reſignante, Marcum Jacobi Marchionis de Baden quondam filium, Fratrem autem Caroli Marchionis, Joannis quoque Archiepiſcopi Trevirorum, & Georgij Metenſis Epiſcopi, propria auctoritate, ne dicam temeritate in Dominum & Defenſorem ſuum, contra Joannem advocârunt. Hunc Joannes & Carolus memorati Fratres navigio Coloniam, & inde cum 200. Equitibus Leodium perduxerunt, quem Leodienſes cum gaudio & honore magno ſuſceperunt.

Marcus itaque ſuſceptus à Leodienſibus in Dominum & Eccleſiæ Adminiſtratorem, poſt receſſum Fratrum ſuorum non diu cum eis ſtetit in concordia. Cùm enim Caſtellum quoddam, patriam Joannis de Burbon Epiſcopi, dedentibus ſe his qui intus fuerant ſub conditione vitæ ac liberæ abitionis, primo congreſſu cepiſſet, priusquam in auxilium venturi Leodienſes adeſſent, maximi tumultus inter eos ſuſcitavit occaſionem. Audientes námque cùm ſuperveniſſent, quod ſuo arbitrio & ſine eorum conſilio liberam obſeſſis permiſiſſet abeundi poteſtatem, nimio furore commoti ſunt, & comprehenſos viros jam jam abeuntes, uſque ad unum omnes peremerunt. Marcus autem cum ſuis fuga lapſus, vix manus eorum effugere potuit, rediénſque per Coloniam ad ſuos, reverti ad Leodienſes amplius non conſenſit.

Marcus de Baden à Leodienſibus fugere compulſus eſt.

Erat ſupradicto Jacobo Marchioni quintus adhuc filius nomine Bernardus, qui ut publicè multorum ferebatur teſtimonio, Caſtitatis amore virgo permanſit uſque ad mortem. Hic à pueritia ſua doctus timere Deum, in omni puritate vitam ſuam cuſtodivit; nam etſi arma tractavit ut Princeps, neminem unquam offendit, neminem læſit, nemini contumeliam vel injuriam fecit. Multo tempore in Curia Cæſaris Friderici militavit, ſed vitia Curialium non contraxit, mente & opere Monacho ſemper ſimilior, quàm militi. Amator erat pauperum, & diligentiſſimus Advocatus egenorum. Quoties in circumeundo Imperatoris

Bernardus ex Baden Marchio vir ſanctæ vitæ.

toris Curiam Monachum vel Clericum pauperem, sive rusticum aut quemlibet alium vidisset, qui propter humilem sui conditionem vel inopiam, desideratum ad Cæsarem vel Officiales ejus non poterat obtinere accessum, ipse pro Dei amore fidelis Advocati sumens officium, causam pauperis promovit & egit, nec solicitare destitit, donec pauperem justa petentem suo desiderio satiasset.

Bernardus de Baden Eleemosynarius Pijssimus.

Tantæ miserationis & pietatis fuit in pauperes, ut quidquid habere potuit, totum in usus eorum sine discretione personarum erogârit. Frequenter etiam tempore hyemali cùm pauperem vidisset algentem, interioribus se vestimentis spolians, nudum pro Dei amore, quanto potuit secretius vestivit. Ad nudam carnem cilicium, aut laneam portabat camisiam, quam tamen cultioribus vestimentis deforis indutus, ut decuit Principem, sagaciter occultabat. In Orationibus fuit assiduus, & sæpe lætantibus alijs, ipse tacitus compunctionis vi lacrymas & preces Domino secretus effundebat.

Bernardus nunquam dormivit, nisi prius Confessus.

Nunquam ex eo tempore, quo sanctam hanc vivendi consuetudinem assumpsit, dormitum se reposuit, nisi prius confessionem earum negligentiarum, quæ forsitan occurrissent in die, sacerdoti Capellano, quem semper habuit ad manum, compuncta devotione feciset. Dicebat enim: *Nihil Christiano homini fore periculosius, quàm in eo dormire statu, in quo mori non auderet, propterea quod multi suffocantur in somnis, & nemo scire possit, quo tempore, loco, aut modo carnis debitum morti solvere compellatur.* Quod vir Deo dilectus prudenter considerans, ne imparatus præoccuparetur à morte, omni tempore & loco in timore Domini vigilans mortem exspectabat.

Bernardus Marchio Deo dilectus obijt.

Moritur tandem ætate virili, plenus operibus bonis, & sicuti dicit scriptura: *Placens Deo factus est Dilectus, & vivens inter peccatores translatus est. Raptus est enim, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius. Placita erat Deo anima illius, propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum. Consummatus in brevi, explevit tempora multa.* Multa in hujus viri sanctissimi laudem restarent dicenda, quæ nos ante xxx. fermè annos cum admiratione multa audivimus, relatione Notabilium virorum, qui cum eo Curiam Cæsaris olim fuerunt secuti, sed non est nobis in hoc loco jam opportunitas & tempus singula per ordinem enarrandi.

Hermannus Marchio de Baden omnia propter Deum contemnens occultè recessit in Monasterium,

Memini, me longè superius in medium paucis proposuisse historiam Hermanni Marchionis de Baden viri potentissimi, qui tempore Gregorij Papæ VII. & Henrici Imperatoris IV. circa annum Dominicæ Nativitatis MLXXXII. divino spiritu inflammatus, ac soli Deo famulari desiderans, mundum, Principatum tunc opulentissimum, uxorem & liberos, familiares & amicos, & omne quod habuit, amore cœlestis Regni deseruit, & nullo præter uxorem suam sciente, solus occultè fugiens, Monasterium Cluniacense apud Burgundiones in habitu pauperis Rustici nulli cognitus intravit, malens abjectus latere in domo servorum Domini, quàm gloriosus, dives, & potens habitare in medio peccatorum.

Susceptus autem à S. Hugone tunc temporis Abbate Cluniacensi in ordine Conversorum, tanta simplicitate cæpit conversari, tantáque humilitate se omnibus propter Deum subjecit, ut quasi alter Paulus quondam

dam simplex Eremita nihil scire præter Christum Jesum & hunc pronobis crucifixum, videretur. Hunc S. Hugo custodem pecorum Monasterij Cluniacensis constituit, utpote qui nullius vel artificij, vel operationis exercitium didicisset. Magna res,& mutatio Dei Excelsi dextræ mirabilis! Marchio de Baden potentissimus fit abjectissimus propter Deum Monachus; Princeps ditissimus, pauperrimus; quem Reges metuebant ac Principes terræ, Pastor fit pecorum; qui leges dabat populis, voluntariè Monachorum subijcitur Institutis; mansit in sancta conversatione sua usque ad mortem incognitus, & in sanctissima humilitate & patientia curam egit pecorum, quem socium & concivem nunc esse Sanctorum non dubitamus Angelorum. Cujus relicta uxor in Christo devotissima, post ejus discessum occultum, se totam convertit ad Deum, eleemosynis, jejunijs & orationibus vacans continuis, & quantum valuit, se omni tempore divinis obsequijs mancipavit. Ipsa impensas B. Wilhelmo contribuit, quibus Monasterium Hirsaugiæ majus construxit, quemadmodum suo loco longè superius diximus.

Marchio potentissimus fit custos pecorum.

In morte recognitus

Anno prænotato, Adolphus Archiepiscopus Moguntinus de consensu Capituli sui & Romani Pontificis Pauli II. confirmatione, Henricum ex Comitibus de Wirtenberg filium Udalrici Comitis memoratæ Ecclesiæ Canonicum in Coadjutorem assumpsit, qui officium coadjuvantis aliquamdiu satis prudenter administrans, omnium in se convertit amorem: & dubium non fuit,si in eo mansisset ordine, in quem fuit à Domino vocatus, quin ad apicem Pontificatus fuisset assumptus. Veruntamen non diu postea dimisso quo fungebatur officio Coadjutoris, etiam Canonicatum deseruit, & ex Comitibus de Bitsch uxorem duxit, de qua genuit Udalricum Ducem Wirtenbergensem in ordine III. qui hodie principatur, & Georgium Comitem, qui adhuc juvenis vivit sine uxore cum matre. Ipse autem Comes Henricus debilis & infirmus his diebus rarò ad lucem egreditur.

Henricus Comes in Wirtenberg Coadjutor fit Episcopi Moguntini.

MCCCCLXVI.

Anno Bernardi Abbatis VI. Indictione Romanorum XIV. hyems fuit asperrima, & jumentis in pluribus locis defecerunt pabula, similiter & pauperibus terræ alimenta. Eodem anno feria IV. post Festum Dominicæ Resurrectionis, obijt Joannes de Grumbach Episcopus Herbipolensis & Dux Franciæ Orientalis, anno Pontificatus sui XII. & in majori Ecclesia Wirzburgensi sepelitur, qui multis laboribus & inopia rerum fatigatus, Episcopatum & ære alieno gravatum reperit, & involutum debitis reliquit.

Joannes Episcopus Herbipoli obijt.

Quo mortuo atque sepulto eodem anno ultima die mensis Aprilis, in Episcopum capitulariter fuit electus Rudolphus de Scherenberg, qui confirmatus à Paulo Papa II. præfuit annis XXIX. vir magnæ prudentiæ, tranquillus atque pacificus, qui sua industria Ecclesiam Herbipolensem ab omni ære alieno reddidit liberam, & successori dimisit omnibus rebus optimè provisam.

Rudolphus de Scherenberg fit Episcopus Herbipolensis annis XXIX.

Anno prænotato Udalricus de Zeiskheim Abbas in Sponheim, postea quam annis V. & diebus XXIII. cum dispendio gravi præfuisset, & debita multa contraxisset, non potens ulterius in regimine subsistere, Abbatiam in manus sui Conventus resignavit, assignata sibi pensione annua,

unde viveret. Post quem Otho ex Colonia Monachus quondam S. Panthaleonis, tunc Prior Sponheimensis, in Abbatem electus præfuit annis III. mensibus IV. diebus XVI. vir bonus & satis providus, quamvis nihil aut parum in utróque statu proficere potuit, propter debita nimia, & malitiam Monachorum.

Georgius Bohemiæ Rex hæreticus, deponitur à Regno per Papam.

Eodem anno Paulus Papa II. Georgium Bodebracium Bohemiæ Regem, fautorem, defensorem, ac participem Hæreticorum Hussitarum, prius declaratum hæreticum in publico Consistorio Romæ, mendacem, perjurum, & datæ fidei super sancta Christi Evangelia in manibus duorum Episcoporum violatorem denuntians, hæreticum damnat, Regiâ dignitate simul & nomine per sententiam privat. Deinde Regnum Bohemiæ Matthiæ Regi Hungariæ tradens commendat, præcipiens illi per Apostolica scripta, quatenus bellum moveat in pertinacem. Imperator etiam Fridericus ad petitionem Romani Pontificis Matthiam in Regem Bohemiæ contra Georgium libens confirmat, qui mox bellum hæretico indicit.

Andreas Monachus in Sponheim Compilator Tractatuum moritur.

Anno prænotato, XVIII. die mensis Aprilis, moritur Andreas de Trajecto inferiori Monachus Sponheimensis, homo admodum eruditus, carmine & prosa scriptor exercitatus, qui inter alia lucubravit soliloquium hominis ad Deum suum lib. I. De Profectu virtutum, lib. I. De Abstinentia carnium Monachis sanis secundum Regulam. lib. I. De usu Floccorum in Ordine nostro. lib. I. Epistolarum ad diversos. lib. I. De Moguntinorum Excidio elegiaco carmine. lib. I. Epigrammatum lib. I. Sermones quoque varios ad Fratres composuit, & alia quædam minora sed instructa Opuscula.

MCCCCLXVII.

Capitulum Ordinis nostri Provinciale XIX celebratur Bambergæ.

Anno Bernardi Abbatis VII. Indictione Romanorum XV. die mensis Aprilis XIX. quæ Dominica erat post Festum Resurrectionis Dominicæ tertia, in Monte Monachorum prope Bambergam celebratum fuit Ordinis nostri Capitulum Provinciale XIX. in quo præsederunt Joannes Bursfeldensis, Melchior Augustensis, Henricus S. Michaelis Hildesheimensis, & Joannes S. Crucis in Werdea, præclari Abbates.

Puer septennis latinè theutonicéque ornatè loquitur.

Eodem anno venit quidam homo pauper à Basilea, ut asseruit, ad Moguntiam, parvulum circumducens filium nomine Theodoricum, annum ætatis septimum agentem, qui verbis, moribus & gestibus tam se maturum & compositum coram hominibus exhibuit, ac si vir quadraginta fuisset annorum, latinè, theutonicéque loquebatur expeditè, ornatè, támque dissertè, ut eum Oratori etiam facundissimo comparandum, qui audivisset, nemo dubitarit: ad interrogata quælibet tam promptè, tam propriè, támque prudenter potuit respondere, sive latino, seu theutonico postularetur eloquio, ut audientes omnes verteret in stuporem. Unde viri plures docti & Religiosi, spiritum aliquem in eo latere credebant ex Cacodæmonibus, sive Phytonem, quia non videbatur consuetudine naturali possibile, ut in tali constitutus ætate puer, latini sermonis tantam potuisset apprehendisse peritiam, sine ministerio spiritus.

Philippus Dux Burgundiæ moritur, vir bellicosissimus.

Anno prænotato in mense Junio, mortuus est Philippus Dux Burgundiæ vir prudens & bellicosus, qui multa strenuè gessit in diebus suis prælia, quibus nominis sui famam non solum in procul distantes extulit Regiones,

nes, Christianorum atque credentium, sed etiam Saracenorum infidelium. Nam David Trapezundarum Rex, Georgius Rex magnus Persarum, Turcomannus Mesopotamiæ Rex Mahometista, Gregoras Dux Georgianæ Provinciæ, Morutus Wohutenck Armeniæ minoris Princeps, cum quibusdam alijs in unum confœderati, bellum inferre Turco decreverunt. Miserunt ergo Nuntios & Oratores suos ad eum solemnes, cum donis & promissionibus multis, instantissimè orantes, ut sicut Romano Pontifici Pio II. promiserat, etiam Turcum à parte Occidentali bello impeteret.

Legati Regum Exterorum Philippo mittuntur.

Ludovicus denique Antiochenus Patriarcha, cum eisdem Oratoribus personaliter veniens in Burgundiam, eidem Philippo supplicabat. Fama enim ad memoratos Reges & Principes Orientales pervenerat, ipsum & multa posse, & grandia fecisse pro Christianorum Republica, & propterea potentiam ejus cum Romani consilio & auxilio Pontificis in Turcum flagitabant. Sed Philippus Dux sive avaritia pavidus, sive suorum consilio retractus, tam sanctum, tam necessarium Christianis bellum assumere contempsit, in non parvum fidei Catholicæ detrimentum, immemor voti quod emiserat. Promiserat enim Omnipotenti Deo & ejus Vicario Romano Pontifici Pio II. cùm in lecto decumberet ægrotus, si miserante Altissimo mortem & ægritudinem ipsam posset evadere, quod contra Turcos personaliter cum toto Exercitu suo quantocius vellet proficisci. Vovit, convaluit; sed votum non implevit, atque ita vir tantus, qui homines nunquam fallere consueverat, nunc Deum & ejus Vicarium Romanum Pontificem & Ecclesiam Catholicam fefellit, cum detrimento & incommodo Religionis Christianæ, communi maximo.

Carolus Burgundiæ Dux annis IX. vir Justus.

Post Philippum Carolus filius ejus Burgundiæ Ducatum obtinuit, quem annis IX. strenuè gubernans bella & prælia multa in terris constituit. Erat autem vir magnanimus, fortis, severus, atque terribilis; sed Justus, Pius, & liberalis, divinorúmque obsequiorum feruentissimus Observator; qui etiam Patre adhuc vivente multa & ingentia ferocitatis suæ facinora gessit, quorum suo tempore & ordine scriptores Historiarum plures fecerunt mentionem. Uxorem habuit Margaretham Anglorum Regis filiam, de qua unicam genuit filiam nomine Mariam, de qua supradiximus ante decennium, quando fuit nata vivente adhuc Philippo. Hanc duxit uxorem Maximilianus Archidux Austriæ Filius Imperatoris Friderici III. postea Germaniæ Rex & Cæsar Orbis.

Leodienses contra Episcopum suum, & Carolum Ducem rebellant.

Eodem anno Leodienses contra Joannem de Burbon Pontificem suum, animos continuantes hostiles, sibimetipsis necem, & Civitati excidium paraverunt. Habebant enim sibi ex multo tempore Duces Burgundiæ infensos & adversos, ac propterea jam dictum Pontificem suum, Caroli Ducis ex sorore Nepotem susci pere, ut paulo ante diximus, in Episcopum recusabant. Unde ad instantiam ejusdem Præsulis Paulus Papa II. Legatum misit ad Leodium, Tricaricensem Episcopum, ut concordiam inter dissidentes Domino auxiliante quantocius reformaret.

Leodienses Episcopum in oppido Tungris obsidione circumdant.

Verùm priusquam Legatus veniret ad Diœcesim, Leodienses Tungris oppidum, in quo tunc erat Joannes Episcopus memoratus, obsidione circumdantes fortissimè impugnant, ipsum ad necem postulantes; qui dimissus per murum fugit cum paucis, veniénsque ad Avunculum Ducem Carolum

Carolum, temeritatem civium suorum necessitate adductus accusavit. Querelâ Nepotis Dux animo concitatus in iram, Leodiensibus bellum indicit. At illi ut promptiores fierent ad rebellandum, Ludovicum Regem Gallorum XI. promissionibus multis in auxilium vocârunt. Qui se venturum cum exercitu adversus Carolum promisit. Sed non servavit fidem quam promisit, imò fefellit Leodienses, & nullam Carolo resistentiam fecit, nec miseris frustra in eum sperantibus auxilia misit.

Carolus Dux Burgundiæ obsidet Leodium.

Carolus ergo Dux contra Leodienses movit exercitum, Civitatem obsedit & fortiter impugnare cæpit. At inclusi Cives non habentes auxilium aliquod exterorum, & considerantes quod Caroli viribus nequaquam possent resistere, ea quæ sunt pacis, ab eo decreverunt postulare. Sed pacem aliter obtinere non potuerunt ab eo, nisi sub certis clausulis & conditionibus ejus arbitrio impositis.

Conditio pacis I inter Ducem & Leodienses.

I. Conditio fuit: *Quod pro impensis belli factis ipsi Leodienses Carolo Duci persolverent pecuniarum ingentem summam, quam postulaverat ab eis, centum millia videlicet florenorum, sine mora interposita.*

Condit. II.

II. Conditio fuit: *Ut muros in circuitu Civitatis omnes & turres deïcerent, fossata implerent, omniáque vasa machinas, & arma bellica sive defensoria extra urbem exportarent, & in manus Ducis deponerent. Quæ Conditio in omnia Leodiensibus subjecta Castella, oppida, & munitiones extendebatur.*

Condit. III.

III. Conditio: *Ut potiores de senatu & populo, qui contra Joannem de Burbon Episcopum Leodiensem conspiraverunt, proscriberent ex urbe, alios ad tempus, alios verò in perpetuum cum uxoribus, liberis, & omni familia eorum.*

Condit. IV.

IV. Conditio: *Quod Civitas memoratum Antistitem suum cum omni honore & reverentia ut verum legitimum & unicum Pontificem suum reciperet, fidelitatem juramento promitteret, & in cunctis humiliter obediret.*

Condit. V.

V. Conditio fuit: *Quod Cives Leodienses ipsi suo Pontifici pro damnis & impensis, quas in Curia Romana, & extra, habuit & fecit, per omne tempus contentionis ac Rebellionis eorum, summam notabilem persolverent.*

Condit. VI.

VI. Conditio quam Dux Carolus Leodiensibus imposuit, ista fuit: *Quod ei perpetuo tributo quottannis in 30000. florenorum deberent esse obnoxÿ, tenerentúrque jussi ab ipso toties milites Burgundionibus mittere in auxilium armatos, quotiescúnque bellum essent acturi contra quoslibet.*

Conditiones acceptatæ.

Istis Conditionibus à Duce propositis, à Civibúsque acceptis, & juratis, soluta obsidione, pax fuit concessa, sed non diu servata, ut anno sequenti dicemus.

MCCCCLXVIII.

Ruperti Archiepisc. Colonienſ. malorum initium.

Anno Bernardi Abbatis VIII. Indictione Romanorum I. Rupertus Archiepiscopus Colonienſis nimia paupertate & inopia depressus, cùm habere non posset, unde juxta decentiam status sui viveret, consilium & auxilium Capituli simul & Vasallorum invocavit. Omnia enim Castella, oppida & telonia cum redditibus ac proventibus eorum, unde Pontifices vivere solebant, & statum manutenere dignitatis, per Antecessores ejus fuerant impignorata pro summis pecuniarum maximis, & mensa Episcopi in ultimam penè redacta paupertatem.

Fuit eo tempore Decanus memoratæ Ecclesiæ Colonienſis Stephanus Comes Palatinus Rheni, Bavariæque Dux, Friderici Cynonoti, & Ludovici cognomento Nigri, Ducum Bavariæ Frater Germanus, qui contra memo-

memoratum Archiepiscopum Rupertum cognatum suum, nescio quam ob causam, feroci quadam displicentia (ne dicam odio) laborabat. Is quo potuit ingenio, Canonicorum suorum ab eo mentes & animos sedulò avertebat, ipsúmque multorum detractionibus brevi objecit.

Rupertus Archiepisc. bona impignorata Ecclesiæ violenter recuperat.

Necessitate igitur compulsus, & inopia gravi oppressus memoratus Archipræsul Rupertus, cùm neque à Capitulo, neque à vasallis suis consilium obtinere potuisset, quo ex tanta relevaretur miseria, rem armis aggredi statuit, & vasallis Ecclesiæ impignorata Castella, oppida, sive telonia manu auffere violenta, quod ei in maximum cessit malum; cujus occasione tandem Episcopatum amisit & vitam. Destitutus námque suorum auxilio, Friderici Palatini Comitis Germani sui, qui Tutor erat Philippi, subsidium invocavit contra eos, qui bona Ecclesiæ tenebant impignorata. Qui Fratri compassus egenti, misit ei pecunias, frumenta & viros armatos, in quorum violenta manu plura Ecclesiæ bona, quæ fuerant alienata, subitò recuperavit. Ex qua re omnium in se vasallorum atque Nobilium terræ odium concitavit.

Carolus Burgundiæ Dux hostiliter devastavit Galliam.

Eodem anno Carolus Dux Burgundiæ, contractis undique copijs magnum exercitum pugnatorum duxit in Galliam contra Ludovicum ejus nominis Regem undecimum, & per plures dies ibidem commoratus multa Regno intulit damna. Interea Leodienses anno præterito, sicut diximus, per ipsum Ducem subacti, Carolum, cùm turres muros, & cuncta Civitatis simul, & aliorum oppidorum, quæ ditioni eorum fuerant subjecta, propugnacula & munitiones diruissent; arma quoque, machinas bombardas, tormenta, & quidquid bellici habuerant apparatus, tam in urbe, quàm in alijs locis sibi subiectis, in potestatem Carolo tradidissent; quadraginta millia florenorum solvere Duci sacramentis sese obligassent, negaretúrque à Carolo Exulibus in Civitatem regressus, jam penè desperati, novæ rebellionis causam sibimetipsis in supremum præstiterunt excidium. Cùm etenim Ludovicus Rex Gallorum contractis copijs exercitum duceret contra Burgundum Veronæ agentem, arbitrati Leodienses proscripti, quod eos tempus juvaret, ad iter se (non sine consilio Galli) festinantissimè cohortantes, intempestæ noctis silentio, Leodium muris & oppugnaculis denudatum, sine difficultate intrarunt, expulsóque Ducis subsidio Concives suos ad resumendam libertatem facile induxerunt. Civitatis itaque statum suo arbitrio novum ordinantes, muros & turres cum propugnaculis erigere, & reformare quantocius sunt aggressi. Quibus visis & auditis in circuitu Leodiensium comprovinciales territi sunt, & accedentes Epicopum rogant, ut eos contra Leodienses rebelles defenderet, qui talia sine eorum consilio præsumpsissent. Episcopus ergo contractis, ut potuit mille circiter Equitibus, & peditum duobus fermè millibus, Hasselt oppidum intravit, quod Leodienses certis inditijs noverat obsessuros. Erant in eodem tunc oppido penè omnia Leodiensium arma, quibus per Ducem Carolum fuerant spoliati. Aderat etiam cum memorato Episcopo Leodiensium, Episcopus Tricaricensis, quem Paulus Papa secundus miserat Legatum, ut inter Ducem & Leodienses reformaret concordiam. Postridie autem mille centúmque ex Leodiensibus viri fortes & animis concitati, convenientes in unum armati, ad primum Galli cantum oppidum Hasselt muris exutum, per notos

Leodienses iterum conspirant in Carolum Ducem Burgundiæ.

Episcopus Leodiensis cum Legato Apostolico Hasselt oppidum ingreditur.

sibi aditus ingrediuntur; ædes Civium violenter perfringunt, bonáque diripiunt, & magnum in oppido tumultum faciunt. Attoniti Cives ad clamorem insolitum, & è somno prorumpentes, stupidi quid agerent, aut quò diverterent ignorantes, non armis, sed fuga salutem quærere cæperunt: quorum plures beneficio noctis evaserunt; reliqui omnes in captivitatem cum armis fuerunt abducti. Inter captivos Leodium ducti sunt Joannes Episcopus Leodiensis & Legatus Apostolicus supradictus Episcopus Tricaricensis, cum multis eorum ministris, atque Nobilibus. Plures etiam in eodem tumultu civium & exterorum, qui pro defensione oppidi convenerant, fuerunt occisi, qui aut neglexerant, aut non poterant fuga invenire salutem. Leodienses verò in suam potestatem recepto Hasselt oppido spoliaverunt omnia diripientes, arma quoque, bombardas, & machinas cum omni apparatu bellico, quibus spoliati fuerant à Duce Carolo, ad Leodium reduxerunt. Muros etiam & turres, propugnacula, & quidquid in Civitate Leodiensi jussu Ducis Caroli dirutum fuerat, brevi reædificantes, ad resistendum se Burgundis præpararunt.

Episcopus Leodiensis cum Legato Apostolico à Leodiensibus capitur.

Verùm ubi rebellio & perfidè acta Leodiensium Duci Carolo renuntiata fuissent, mox pacem arcanam, & nulli tunc temporis cognitam cum Ludovico Rege Gallorum firmavit; nec solum ad pacem Gallum reduxit Burgundus, sed etiam quod magis est, in auxilium contra Leodienses rebelles & perjuros, socium itineris constituit. Carolus itaque Burgundiæ Dux sæpe memoratus, irâ & furore fremescens in Leodienses, pace cum Gallis reformatâ, omne robur exercitûs duxit contra Leodium, secum habens in magno [illegible] pugnatorum numero, Ludovicum Regem Gallorum.

Dux Burgundiæ Carolus pacem componit cum Rege Gallorum.

Venit ergo in manu suorum valida [illegible] dium, ducens collectum ex omni penè Germania, Burgundia, & Gallia exercitum, plus quam centum millium pugnatorum, & obsedit ex omni parte Civitatem in mense Novembri, anno Christianorum prænotato. Obsidione autem firmata, urbem varijs modis impugnavit, & Cives in ultimam desperationem perduxit. Qui consilio inter se habito, supradictos duos Episcopos Tricaricensem Legatum Apostolicum, , & Leodiensem, quos secum detinebant captivos, in castra miserunt ad Carolum: ut ea quæ pacis erant, pro Civibus postularent. Carolus autem se juramento constrinxerat, non se pacem daturum, nisi obtenta Civitate suam & suorum contumeliam plenè ac per omnia satis atrociter vindicasset. Episcopos in urbem redire non permisit, nec ut aliquid remandarent Civibus concessit. Videntes autem Leodienses, quod neque Pontifices redirent ad urbem, nec aliquid remandarent sive bonum sive malum, sed atrociùs continuaretur Civitatis impugnatio, simul & quod Rex Gallorum Ludovicus contra eos venisset, de quo tale nunquam fuissent suspicati, maximè cùm dederit eis rebellisandi consilium, in ultimam sunt desperationem prolapsi. Unde Primates Civitatis, utcúnque potuerunt, noctu per muros demissi, navigio Mosæ fluminis beneficio quæsivere salutem, dimissis in Civitate uxoribus, liberis, Monachis, Clericis, & plebe incomposita, & ad res arduas minus idonea, quos fors ad interitum omnes reservabat. Carolus verò Dux urbis impugnationem fortiter continuans, duo millia suorum perdidit, & tandem post multos labores Civitatem primoribus destitutam, violenter expugnavit, & cepit. Quam Galli primò introgressi, &

Carolus Dux Burgundiæ auxilio Gallorum obsedit Leodiū

Civitas Leodiensis per Carolum Ducem Burgundiæ capitur.

& post eos Burgundi, cædem in miseros Cives nimis crudelem, non ut Christiani, sed potius ut Turci & Saraceni perfidissimi sævientissimique sine ulla miseratione (prôh nefas!) exercuerunt. Erat autem Civitas ipsa situ, structuris, ædificiisque pulcherrima, Ecclesias Parochiales habens duas, atque triginta, Collegiatas octo numero, Monasteria quinque Abbates habentia, Mendicantium virorum tres Conventus, præter Moniales, sorores, & Capellas cum hospitalibus pauperum multas. Cives in ea fuerunt ad bella paratissimi plures quàm viginti millia, rerum omnium copia multa, & ingentes divitiæ, quæ omnes in prædam & direptionem sævis hostibus uno die cesserunt.

Crudelior Ducis Burgundiæ mox ira in populum Leodiensem.

Capta igitur Civitate memorata Leodiorum, quàm se crudelem, quámque truculentum & sævum in Cives jam nimium miserabiliter exhibuerit hostis, nec ego sine horrore mentis revocare possum ad memoriam, nec sine detestatione facti litteris commendare. Mox enim ut urbem Galli cum Burgundionibus fuerunt ingressi, passim omnes obviam trucidârunt, nulli parcentes gradui, non sexui, non ætati, Monachos Claustrales, Presbyteros, Clericos, Mulieres, Virgines, pueros & infantes una sævi hostis sententia interemisset omnes, nisi Ludovici Regis clementia, nimis & supra modum Ducis animum retinuisset iratum, ne sæviret ut voluit.

Mulieres & parvuli submerguntur innocentes jussione Ducis.

Omnes tamen in Civitate Sacerdotes capti fuerunt, & vel occisi, vel ad man° Episcopi tracti & incarcerati, quorum fame plures interierunt. Quidquid masculi fuit generis à vicesimo ætatis anno & supra, Ducis mandato in ore gladij perijt: reliquos verò junioris ætatis masculos una cum mulieribus, virginibus & infantibus perforatis navibus imposuit, & in Mosa flumine submersit. O quot millia hominum tunc innocenter perierunt, qui neque verbo, neque facto quidquam peccaverunt in hostem! Nec si Turcorum gens impia hanc Leodiensibus intulisset cladem, majorem in eos sævitiam & crudelitatem exercere potuisset. Muros & turres Civitatis, & omnia Civium habitacula, domos & ædes submisso igne funditus destruxit, pontes quoque & cuncta ædificia, præter Ecclesias, dejciens subvertit. Quidquid reperit in universis Monasterijs, Ecclesijs, & domibus cunctis, victor sævus diripuit, & nec sacri Altaris ornamentis Deo dicatis abstinuit. Nihil in tota Civitate reliquit intactum, sed omnia quæ reperit secum deportavit. Hoc miserabile Civitatis Leodiensis excidium per Carolum Burgundiæ Ducem perpetratum, tam fuit crudele, sævum, impium, & immane, ut litteris ritè commendari meâ nequaquam operâ possit, licet ab his qui tunc interfuerunt fuerim informatus. Ab eo tempore Dux Carolus, qui antea cunctis extitit formidabilis, & in rebus bellicis semper victoriosus, paulatim deficere cæpit, & Deo Sanguinem procul dubio vindicante innocentem, nullum postea feliciter bellum gessit, sed bonam (ut ajunt) fortunam deinceps semper & ubique sensit contrariam, sibique novercantem. Unde & ipse postea in bello cecidit, & Burgundiæ Ducatus ad exteros pervenit.

Ducis Burgundiæ crudelitas in Leodios, divina vindicatur ira.

Anno prænotato, Matthias Episcopus Spirensis tertia die mensis Januarij, Canonicorum sancti Germani Collegium in Civitatem transtulit, & in Divi Mauritij Basilicam, ubi nunc est, cum omnibus ornamentis, rebus & privilegijs collocavit. Fridericus enim Comes Palatinus, ut paulo

Collegium S. Germani Spiræ transfertur in Civitatem.

supra diximus, in odium Joannis Nix Episcopi, omnes Canonicorum domos, apud S. Germanum extra Civitatem Spirensem incendio destruxerat, unde ne simile deinceps contingere posset, in urbem consultò transfertur Collegium, quamvis non sine detrimento Canonicorum. Fuit autem Ecclesia memprata S. Germani à prima Fundatione Regis Francorum Dagoberti Monasterium Monachorum, & Abbatia Ordinis Divi Patris nostri Benedicti, in quo plures viri notabiles & sancti claruerunt. Post multos verò annos quidam Episcopus Spirensis nomine Joannes, circa Dominicæ Nativitatis annum centesimum supra millesimum, Canonicos qui fuerant in Ecclesia S. Michaelis prope Sunsheim oppidum, transtulit in memoratam Divi Germani Basilicam extra muros Spirenses, & Monachos nostri tunc Ordinis in locum eorum apud Sunsheim reposuit, qui & isti nostris diebus à S. Religione recesserunt.

Ecclesia S. Germani fuit Monasterium Ordinis B. P. Benedicti.

Anno item prænotato, Adolphus Archiepiscopus Moguntinus omnia & singula Privilegia Observantiæ nostræ Bursfeldensi per Summos Pontifices, vel Sedis Apostolicæ Legatos indulta vel concessa, in sua Diœcesi admisit, & auctoritate ordinaria confirmavit.

MCCCCLXIX.

Palatinus exercitum ducit in agrum Colonienſem.

Anno Bernardi Abbatis nono, Indictione Romanorum secunda, Fridericus Comes Palatinus Tutor Philippi, contracta bellatorum multitudine, navigio per Rhenum bombardas & machinas, per terram verò exercitum in agrum duxit Colonienſem, pro ferendo Germano suo Ruperto Archiepiscopo contra eos auxilio, qui oppida, castella, & alia Ecclesiæ bona, sub impignorationis titulo detinebant. Erant autem Nobiles & Vasalli Ecclesiæ memoratæ potentiores, qui hæc ipsa bona tenebant impignorata, qui cùm nollent ea gratis, & sine pecunia Pontifici sæpedicto restituere, arma in eos movit, & Fratris præfati auxilio plurima violenter obtinuit, quorum ista sunt nomina: Bunna oppidum cum telonio, Nussia oppidum, Lochnech oppidum cum Castello, Zulvvich oppidum, Bruel oppidum, castrum, atque telonium, Nurburg castrum in Euphalia, Altenaer castrum, Rinbach oppidum, castrum & telonium, Castellum quod nominatur, die Hart, Andernach oppidum, castrum & telonium, Rolandiseck castrum, Guttenavve castrum & oppidum, Zuns oppidum, castrum & telonium, Lyns oppidum, castellum, & telonium, Guttenberg castrum, Kempen oppidum, & castrum, Erpenrod castrum, Keyservverd oppidum, castrum, & telonium, Nyett castrum, Pappenberg castrum, Hersberg castrum; & alia plura, quorum nomina jam memoriæ nostræ minimè occurrunt. Omnia præscripta oppida, castella, & telonia, cum alijs multis Fridericus Comes Palatinus Rheni, non pecunijs, sed armis, & comminationibus ab illis, quibus impignorata fuerant, obtinuit, & Ruperto Fratri Archiepiscopo Colonienſium resignavit. Ex qua re omnes penè Vasalli Ecclesiæ, ac Nobiles terræ, occasione sumpta, cùm se graviter læsos conquererentur, unanimi conspiratione facta, contra ipsum Rupertum Archiepiscopum insurrexerunt, & multiplicata sunt mala per totam Diœcesim Colonienſem, neque cessaverunt à tumultu, donec tandem & Pontificatu & vita privaretur Archiepiscopus Rupertus, post mortem Fratris Palatini, ut infra dicemus.

Nobiles & Vasalli Colonienſis Ecclesiæ contra Dominum suum.

Porrò

Porrò Fridericus Comes Palatinus Rheni Frater Archiepiscopi Ruperti pro laboribus suis & impensis, quas fecerat in memoratis occupationibus cunctis, Keyservverdæ oppidum, castrum, & telonium impignorata, pro certa summa pecuniarum, accepit cum omnibus proventibus eorum, quæ post annos aliquot Hermannus Archiepiscopus Ruperti successor immediatus data pecunia redemit Ecclesiæ.

Monasterium nostri Ordinis in Wissenburg reformatur à Palatino.

Eodem Anno, cùm insigne Monasterium Sanctorum Petri & Pauli Apostolorum in oppido Wissenburg Spirensis Diœcesis nostri Ordinis, Sedi Apostolicæ immediatè subjectum, propter malum & inordinatum regimen Jacobi de Burg eo tempore Abbatis in ultimam devenisset paupertatem, essetque gravatum ære alieno plus quàm in viginti florenorum millibus, & omnia fermè bona vel impignorata, vel prorsus alienata, viverentque in eo sine lege Monachi, apposuit animum Fridericus Comes Palatinus, ut ad Regularis observantiæ tramitem reduceretur. Commissione igitur impetrata à Sede Apostolica vocavit ad se Eberhardum de Venlo Abbatem Montis Monachorum prope Bambergam, & Hermannum Abbatem Montis S. Jacobi prope Moguntiam, viros in Observantia strenuos, & longo usu exercitatos, quorum consilio negotium optatum perduxit ad effectum, licet cum magna difficultate, multisque laboribus & impensis. Cùm enim prædictos duos Abbates cum alijs viris ac notabilibus suis à secretis, pro Reformatione dicti Monasterij misisset ad Wissenburg, senatu consentiente ac jurante, se manutenturum quidquid pro Monachorum Observantia fuisset inchoatum, stabat in ambone Judocus de Calba Concionator Heidelbergensis sacræ Theologiæ Professor insignis, Dei Verbum faciens ad populum, Commissarijs rei præsentibus. Et ecce tumultus in oppido sævientis populi oritur, in altum clamor extollitur, Monasterium armatis vinitoribus obsidetur. Clamabant omnes una sententa vociferantes: *Tollite Monachos istos ruricolas, qui nobiles viros de Cœnobio suo expellere laborant. Occidantur pediculosi Nebuones, qui loca sibi vendicant aliena.* Ad clamorem tanti civium tumultus territi sunt omnes, qui venerant ad reformandum, & alij se in sacristiam recludentes absconderunt, alij verò in Monasterij locis, ubi poterant, latibula quæsierunt. Sedato tandem per senatum furentis populi tumultu, incæptum negotium perficiebatur, & sancta Reformatio Bursfeldianorum Observantiæ fuit introducta, Monachis antiquis deformatis à facie Regularis Disciplinæ fugientibus, & novis bene reformatis ex Monasterio S. Jacobi prope Moguntiam in locum eorum repositis.

Commissarij Apostolici pro Reformatione ad Wissenburg veniunt.

Cives Wissenburgenses contra Reformatores insurgunt.

Anno prænotato, undecima die mensis Augusti, obijt Joannes de Hagen Abbas Monasterij Bursfeldensis in Observantia Regulari secundus, vir per omnia Religiosus, ac timens Deum, qui suo tempore plura Ordinis nostri Monasteria reformavit. Huic in Abbatia successit Theodoricus, & strenuè præfuit annis XVI.

Monasterium S. Martini in Spanheim reformatur hoc anno.

Eodem anno in mense Augusto, reformatum fuit Monasterium sancti Martini in Spanheim Ordinis nostri, ex Monasterio S. Jacobi prope Moguntiam, opera & impensis Friderici Comitis Palatini, Bavariæque Ducis, ac Principis Electoris, & alterius Friderici Ducis, qui morabatur apud Cynonotos in oppido Simeren, consensu & permissione Adolphi Archiepiscopi Moguntini, per Conradum Rotenburgium S. Joannis in

Ringaugia, & S. Jacobi prope Moguntiam Monasteriorum Ordinis nostri memorandos Abbates. In qua Reformatione Otho de Colonia tunc Abbas, Officium resignavit, & Præpositus Monialium factus est in Monte S. Ruperti. Huic in Abbatia successit Joannes de Colenhusen Monachus S. Jacobi Moguntiæ, & præfuit annis tredecim, mensibus undecim & tribus diebus, in magna paupertate, vir doctus & optimus, qui postea translatus fuit ad Selgenstat.

Castrum Bugsberg Latronum & Prædonum latibulum obsidetur.

Anno item prænotato, Adolphus Archiepiscopus Moguntinus, Rudolphus Episcopus Herbipolensis, & Fridericus Comes Palatinus Rheni, Bavariæque Dux Tutor Philippi, auxilio Civium Regni contractis copijs Castrum Georgij, Arnoldi, & Michaelis de Rosenberg nomine Bugsberg, obsidione cinxerunt, in quo sese latrones viarum, atque prædones sceleratissimi recipere solebant, qui prope salutis immemores, Imperialiúmque mandatorum contemptores, & Pacis Regni communis impij turbatores, non solum bonis quoslibet spoliaverunt itinerantes, sed & prius inaudita scelera in Sacerdotes Domini commiserunt. Amputatis námque virilibus Ministros Ecclesiæ sacrilegis manibus castraverunt, ex quibus nonnulli doloribus nimium urgentibus moriebantur. Post hæc quædam instrumenta ferrea seris occultissimè clausa excogitaverunt, quibus testiculos tam Clericorum quàm Laicorum comprimentes, cùm nemo feras aperire posset nisi ipsi, venire miseros quocunque jussissent, compellebant. Hæc & his similia plura facientes mala nomen infamiæ sibi perpetuum contraxerunt, quod non dubiæ apud inferos vindictæ semper manebit obnoxium, quia non solum graviter in his peccaverunt, sed etiam alijs pravæ actionis præbuerunt exemplum. Si peccatum non dimittitur, nisi ablatum restituatur, quis dubitaverit raptores atque latrones istos perpetuæ damnationi non obnoxios fore, qui omnia quæ possunt injustè diripiunt, nunquam restituunt, & sic moriuntur. Obsidione autem firmata in anno sequente, Castellum per dictos Principes durè satis impugnatur, & postremò expugnatum capitur, in quo sexaginta fuerunt Nobiles pro ejus defensione congregati, qui omnes fuga lapsi sunt. Duraverat memorata obsidio diebus uno & viginti, in quibus obsessores castrum bombardis & machinis sine intermissione fortiter quassare non cessârunt. Quod captum illis de Rosenberg sub certis conditionibus postea fuit restitutum. Acta fuerunt hæc anno sequente in quinta Feria Cœnæ Domini. Inde moventes exercitum, Schupf Castellum quoddam satis munitum, octo diebus obsidentes, tandem in octava Resurrectionis Domini funditus desolârunt.

Sclupf latibulum prædonum destruitur.

Imperator Fridericus Romam proficiscitur.

Anno etiam præsignato, Fridericus Imperator tertius causâ devotionis Romam cum decenti Comitiva profectus est, & cum singulari, magnóque honore à Paulo Papa secundo, & Civibus Romanis susçipitur. Agebat Imperator apud Pontificem, ut commune Christianorum bellum indiceretur Georgio hæretico atque schismatico, qui se Bohemiæ Regem gerebat: quo superato deinceps expeditio in Turcos ordinari posset securior, petivítque, ut Benedictione Apostolica Matthias Ungariæ Rex tam in Turcos, quàm Bohemos expeditionis utriusque Capitaneus ordinaretur. Insuper monebat Papam, ut venire in Germaniam dignaretur, asserens quòd personali præsentia sua omnem totius Regni militiam facile movera

veret in expeditionem contra Turcos. Sed persuaderi Pontifex non potuit, ut Italia dimissa in Germaniam proficisceretur, & sic nihil in Turcos actum fuit.

Imperator cum Pontifice de S. Joanne Lateranensi rediens versus sanctum Petrum ex mole Adriani substitit, & milites Auratos in ponte aliquot creavit. Inde ad Palatium ambo reversi cibum simul acceperunt. Nec diu postea Cæsar ipse Româ digressus res per Italiam & Longobardiam distortas ubique gloriosè composuit, & in Germaniam ocius remeavit.

Imperator Milites Romæ creavit.

Eodem anno quidam Nobilis nomine Conradus de Kauffung à Duce Saxonum patria proscriptus & rebus, cùm se vindicare quovis modo cogitaret, audax facinus non metuit attentare. Nam veniens nocte quadam ad munitissimum Castellum nomine Altiburgum, scalis artificiosè constructis per muros ascendit, camerámque, in qua tunc Albertus & Ernestus uterini Fratres Adolescentes filij Ducis Saxoniæ dormiebant, per fenestram intravit: dormientes pueros Pædagogi auxilio cepit, cautéque funibus demissos per murum vendendos in Bohemiam abducere cum eorum Pædagogo tentavit. Mane facto cùm introgressi Puerorum custodes eos non reperissent, suo clamore populum omnem ad persecutionem furis concitaverunt. Jam sylvam intraverat Herciniam Conradus, quæ Bohemiam à Saxonia dividit, in qua omnino se putabat securum, apud Carbonarium quendam reficiendi gratiâ deponens captivos Principes, maximè intuitu Junioris, quem & longioris itineris fatigatio vexabat, non minus, quàm jejunium. Interim dum Carbonarium vicinam transmittit ad villam, ut emeret esurientibus escas, supervenerunt cum impe[illegible] nobilem prædam in locum suum reduxerunt.

Albertus & Ernestus filij Ducis Saxonum noctu abducti.

Saxones filios Ducis sui cum tripudio re[illegible]

Anno prænotato, Eduardus Rex Anglorum, socer Caroli Ducis Burgundiæ, consilio & auxilio Regis Gallorum Ludovici undecimi, dolóque Procerum suorum à Regno suo dejicitur, & Henricus eodem Regno antea pulsus in locum ejus restituitur. Qui restitutus mox suadente auxiliúmque promittente Gallo, bellum indicit Burgundo, ad quem Eduardus Rex pulsus confugerat. Unde vehementer commotus in iram Dux Carolus, exercitum ducentorum millium peditum, ac decem & octo equitum millium, cum Eduardo misit in Angliam contra Henricum: quorum fortitudine confortatus Eduardus Regnum suum in brevi recuperavit, & adversariorum plurimos occidit. Deinde confirmatus in Regno Eduardus Henricum cepit, & in dolio malvatici vini extinxit, multósque Procerum cum illo sentientes interfecit.

Eduardus Anglorum Rex ab Henrico à Regno depellitur.

MCCCCLXX.

Anno Bernardi Abbatis decimo, Indictione Romanorum tertia, apud sanctum Petrum in Erphurdia, quinta decima die mensis Maij, celebratum fuit vicesimum Ordinis nostri Provinciale Capitulum: in quo præsederunt Guntherus ejusdem loci; Melchior S. Udalrici Augustensis, Sebaldus S. Ægidij in Nurenberg, & Paulus Beatæ Mariæ semper Virginis in Elchingen, Monasteriorum Abbates.

Capitulum Ordinis nostri Provinciale vicesimum celebratur.

Eodem anno Cives oppidi Wissenburgensis, qui anno transacto in verba & sententiam Palatini juraverant, quòd Abbatem Henricum & Monachos

Monachos de observantia ad Monasterium ibidem laudabiliter introductos, ut supra diximus, fideliter deberent, vellèntque fovere, manutenere, & contra insultus deformatorum antiquorum & expulsorum defendere: mutato consilio, & immemores Juramentorum, deformatos Monachos antiquos judicio Apostolico ut inutiles & votorum suorum transgressores, per Palatinum Comitem expulsos, in habitu muliebri nocturno tempore ad oppidum intromittunt, & expulsis reformatis, ad Cœnobium iterum reponunt. Wiricum dictum Hoffart manifestum Palatini Comitis hostem, & alios inimicos ejus foventes, in oppidum susceperunt hospitio, & licet eorum esset protector, tamen ipsi non satis fideliter in illum respiciebant. Præfectum quóque seu Vicetenentem ipsius Palatini captum & spoliatum, contumelijs & injurijs plurimis affecerunt, & alia contra eum nonnulla ferebantur commisisse delicta, quibus iram ejus, non gratiam meruerunt.

Monachi Wissenburgenses reformati, à Civibus expelluntur.

Unde commotus animo Palatinus, oppidum Wissenburg in manu suorum valida obsedit, & locatis in deserta Præpositura 4. turrium militibus, totam ferè hyemem urbem fortiter impugnavit. Tandem Argentinenses, & quidam alij Cives Regni viciniores, inter Comitem Palatinum, & Wissenburgenses pro pace laboraverunt, quorum interventu concordia sub certis fuit conditionibus reformata, & soluta obsidio.

Wissenburg oppidum obsidetur à Comite Palatino Friderico.

Veruntamen Wissenburgenses in conclusione pacis acceptæ non diu permanserunt, sed litteris & Nuntijs ad Imperatorem missis, qui tum erat in Austria, Comitem Palatinum destructorem Regni & persecutorem civium ejus proclamârunt. Cujus ut insolentiam & tyrannidem possent reprimere, Cæsari supplicabant, quatenus Regni Capitaneum, & Cæsareæ Majestatis Vicarium per Alsatiam & circumiacentia [illegible] tueret cum plena potestate bellandi contra ipsum Palatinum Fridericum, auxilio Civitatum, Ludovicum Comitem Palatinum Bavariæque Ducem cognomento Nigrum, Patrem Ducis Alexandri, qui morabatur in Gemino ponte, vulgariter Zvveibrucken; consensit petitionibus eorum Fridericus Imperator, constituítque Ducem Ludovicum Regni Capitaneum. Quod mox ut Friderico Palatino Comiti supradicto innotuit, suorum non parvum exercitum & quasi leo rugiens ad prædam contra Ducem Ludovicum processit ad prælium. Sed Ludovicus Dux ad ejus venire congressum non audebat. Palatinus igitur Comes Fridericus terram Ducis Ludovici cum potentia ingressus, multas brevi tempore munitiones illius obtinuit. Et imprimis obsedit Stralburg Castrum, & Schriesheim, & in octo diebus utrúmque obtinuit, & præda oppidanis dimissa, Nobiles & præsidium Ducis Ludovici captivos abduxit. Ex peditibus verò sedecim in oppido & Castello inventis fecit submergi. Inde movens exercitum Armsheim oppidum Ducis memorati obsedit, quod bombardis, & machinis fortiter impugnans, tandem in die Commemorationis S. Pauli cepit, & obtinuit. Non erat ei mos vel consuetudo pauperum exurendi domicilia, sed pecunia redempta, prout unus quisque solvere poterat, intacta relinquebat. In oppido jam dicto Nobiles reperit 18. Equites verò 42. quos omnes captivos fecit abduci. Pedites autem reperit 40. quos ad oppidum Alzen proximum transmisit captivos, deinde turres & muros per gyrum oppidi funditus destruxit, & fossatum solo adæquavit. Quadraginta

Schriesheim oppidum cum Castello à Palatino capitur.

Armsheim à Palatino capitur.

ginta verò pedites, quos in Alzen diximus fuisse deductos, quasi omnes fecit submergi; habebat enim quasi pro lege consuetudinem, ut comprehensum neminem sineret vivum, qui ex ejus dominio ad hostes spontanea voluntate defecisset. Post hæc movit exercitum ad Wachenheim, & oppido proximè supereminens in monte Castellum situ & arte munitum, obsedit impugnavit & cepit, quod aliquandiu in locum præsidij tenuit, sed posteaquam & oppidum cepit, ipsum Castellum, ut hodie cernitur, funditus destruxit. In eodem Castello magnum reperit apparatum bombardarum. Capto autem castro mox oppidum Wachenheim obsidione vallavit, quod tamen illa vice non obtinuit. Enimverò cùm audisset Ducem Ludovicum & Regni Capitaneum adjunctis sibi Comitibus de Bitsch & Liningen cum magno pugnatorum exercitu per Alsatiam venire in terram Palatinatûs, animo & intentione ut omnia desolaret, obsidione soluta, machinísque bellicis in Didesheim oppido Ecclesiæ Spirensis transpositis, cum exercitu obviam hostibus venit. Ludovicus autem cognito Palatini adventu tum retrocessit, nec stare coram eo se posse confidit, novit enim vires Palatini expertus.

Castrum Wachenheim à Palatino capitur.

Post hæc memoratus Comes Palatinus munitissimum Castrum Ruprechtseck obsidione cingens, bombardis & machinis fortiter impugnavit, quod subfossum tandem violenter obtinuit, in quo multam provisionem ad victum necessariam reperit, arma quoque, machinas bellicas, equos, & supellectilem variam invenit. Viros etiam militares, quos nobiles vocant, cepit numero 13. inter quos fuerant præcipui Reinhardus Comes Hirsutus, qui vulgariter Ruchgraff dicebatur, & Joannes de Landeck Capitaneus, Equites non nobiles cepit numero 46. & nonnullos pedites.

Ruprechtseck Castrum à Palatino capitur.

Interea dum hæc fierent per Comitem Palatinum, nebulones quidam armati, quos Dux Ludovicus in oppido Wachenheim ad custodiam contra Palatinum posuerat, in vigilia Assumptionis B. Mariæ semper Virginis, eruptione facta Monasterium vicinum Limburg nostri Ordinis turmatim intrârunt, & fractis violenter januis Cœnobij omnibus, quidquid præter libros & Sanctorum Reliquias invenire poterant, rapientes ad oppidum reversi sunt.

Anno etiam prænotato Mahumetes Turcorum Imperator cum classe 400. navium & exercitu centum millium pugnatorum Eubœam Insulam Christianorum præclarissimam invasit, & impugnavit, quam tricesima tandem die obtinuit, & multa fidelium millia crudelissimè interemit.

Turcus Calcedonem in Eubœa subvertit.

MCCCCLXXI.

Anno Bernardi Abbatis undecimo, Indictione Romanorum IV. Fridericus Comes Palatinus exercitum 14000. pugnatorum in propria persona duxit contra Ludovicum Ducem Nigrum Regni Capitaneum, & imprimis oppidum ejus Wachenheim quod obsederat anno transacto ante hyemem sicuti diximus, iterum obsedit, in vindictam maximè, quod Cœnobium Limpurg ex eo spoliaverunt. Obsidione igitur firmata Palatinus oppidum bombardis & machinis fortiter impugnans, tandem in die S. Bonifacij Archiepiscopi & Martyris obtinuit. In quo cepit ex nobilioribus viros octo, Equites inferioris ordinis triginta quinque, Pedites verò septuaginta, quorum quinquaginta quatuor fecit submergi in aquam, propterea quòd pauperes rusticos interfecerant, domos succen-

Wachenheim à Palatino capitur.

derant, Ecclesias & Monasterium Limpurgense spoliarant. Reddidit malefactoribus vicem dictante Justitia: & cæteros abduxit captivos. Deinde muros & turres oppidi omnes subvertit, & fossatum per circuitum solo adæquavit, bombardas & machinas sibi servavit.

Bochenheim ambæ Villæ à Palatino captæ destruuntur.

Posthæc movit exercitum in Bochenheim Villas majorem & minorem, utrámque fossatis & propugnaculis bene munitam, quæ pertinebant Comitibus de Liningen, ambasque obsidione cepit, fossata complanavit, & propugnacula destruxit. In his reperit Nobiles quatuor, Equites quindecim, & pedites viginti, ex quibus nonnullos in aquam fecit submergi. Ex Nobilibus autem, prius quàm villæ caperentur, nonnulli fuga lapsi noctis beneficio evaserunt. Villas jussit incendio cremari, ac funditus destrui. Facta sunt hæc anno Dominicæ Nativitatis prænotato, quarta decima die mensis Junij ut supra.

Ulmen oppidum obsidetur à Palatino.

Inde movens exercitum Palatinus Ulmen oppidum cum Arce, obsidione vallavit; quod impignoratum pro certa summa pecuniarum ab Ecclesia Moguntina Dux Ludovicus tenebat, ex quo plura Palatino intulerat damna. Obsidione firmata, Canonici memoratæ Ecclesiæ præcogitantes, quod futurum forsitan esse videbant, quoniam si oppidum & Castellum in virtute bellica semel in manus pervenisset Palatini, ad Jus Ecclesiæ deinceps minimè posset revocari, talem cum eo iere concordiam.

Sub Conditionibus his solvitur obsidio.

Conditio prima Concordiæ fuit: *Ut Palatinus Nobiles, Equites & alios, qui ex parte Ludovici erant, in oppido, vel in Arce, sine læsione cum rebus suis omnibus, quò vellent, salvos abire sineret.*

Secunda Conditio.

Secunda Conditio ista fuit: *Quod Canonici Ecclesiæ Moguntinæ Castrum cum oppido ad manus suas reciperent & possiderent; ita tamen, quòd Ludovicum Ducem vel suos perpetuò deinceps non intromitterent.*

Tertia Conditiò.

Tertia fuit Conditio Pacis: *Quod Canonici Moguntinenses Palatino Comiti persolverent quatuor millia florenorum pro habitis expensis, & quod nullus perpetuò foveri seu teneri debeat in eodem oppido, qui damnum velit inferre Palatinatui.* His factis atque conclusis in die S. Jacobi Apostoli anno præscripto, soluta fuit obsidio.

Lamsheim obsidetur à Palatino.

Exinde Comes Palatinus Lamsheim situ, muris, propugnaculis, fossatis, agris & milite satis munitum obsedit: in quo illo tempore fuerunt viri nobiles quatuor & triginta cum Equitibus, Pedites verò ex conjuratis Helvetiorum mercede conductis, plus quàm trecenti. Obsidione autem firmatâ, oppidum ab hostibus fortissimè impugnabatur: quod videntes Helvetij pedites, qui Palatini vires jam prius fuerant experti, de sua cæperunt timere salute. Igitur consilio inter se habito licentiam & securitatem abeundi à Palatino Comite postulantes, obtinuerunt, oppidum sine custodia dimittentes, sub ea tamen conditione, quod illa durante contentione inter ipsum & Ducem, se amplius bello non intromittant. Post quorum recessum Palatinus oppidum fortitudine & defensione nudatum in suam potestatem accepit. In quo reperit Philippum Lusser, ex Didesheim Capitaneum Ducis Ludovici cum alijs Nobilibus quindecim, Equitibus uno & triginta; Peditibus verò quatuor & viginti, quos quidem pedites in fossato fecit submergi. Oppidani autem in verba

Palatini

Palatini jurantes salvi corpore, rebúsque manserunt Facta sunt hæc quarta die mensis Augusti, quæ fuit Dominica post Vincula Petri.

His peractis Comes Palatinus obsedit Durckheim oppidum Comitatus de Liningen præcipuum. Pro cujus munitione Comites ipsi per annos viginti antea desudantes, neque laboribus neque impensis pepercerunt, quod muris, fossatis, turribus & propugnaculis fortissimum reddiderunt. Sed quid destruere manus hominum nequeunt, quod construere potuerunt? Comes enim Palatinus in vicino Monialium nostri Ordinis Cœnobio Sebach personaliter constitutus oppidum fortissimè impugnabat, & varijs capere modis annisus est. Hi autem, qui erant in oppido, viriliter incursantibus restiterunt, & hostium plures astu & ingenio peremerunt. Postremò tamen octava decima die mensis Augusti, quæ fuit Festo S. Martyris Agapiti solemnis, oppidum à Palatino capitur, muri, turres, cum Arce destruuntur, & fossatum in gyro complanatur, sicuti hodie videtur. Uxor tunc Emichonis Comitis ex Duroburgo veniens ad Palatinum precibus obtinuit sibi donari Durckheim, & ipsum Castellum Hartenburg, propterea quod esset ei adscripta in dotem, alioquin dubium non est, quo minus utrúmque funditus ab illo fuisset eversum & destructum. Reperit autem Comes Palatinus in memorato oppido Durckheim Philippum & Dietherum Comites de Liningen, Petrum Comitem quendam Gallicanum, Nobiles quatuor & viginti, Equites centum sex, Pedites conductos stipendio quadraginta, oppidanos unum & quinquaginta, rusticos ex diversis locis Comitatus de Liningen pro defensione intrò vocatos septuaginta, quos omnes captivos pro pecunia postea libertati donavit.

Durckheim oppidum à Palatino capitur.

In ea expugnatione Durckheimensi de exercitu Palatini ceciderunt occisi ducenti viri, inter quos plures fuerunt Nobiles atque potentes. Ex parte verò Comitum de Liningen octoginta novem interierunt; absconderant enim Durckheimenses in fossato vel circa foveam terra subtiliter opertam, in cujus fundo palos fixerant acutos: cúmque Palatini milites cum impetu ad muros vellent irrumpere, subitò in foveam ceciderunt occultam. At illi quibus talis negotij fuerat commissa industria, præparatis antea pulveribus ignem submiserunt in foveam, & lapsos in eam cunctos necaverunt. Meliores inter suos Nobilitares Palatinus ibidem amisit.

Nobiles multi Palatini ante oppidum Durckheim ceciderunt.

Post hæc Palatinus movit exercitum contra Ducem Ludovicum, obsedítque Sobernheim oppidum Ecclesiæ Moguntinæ, ipsi Ludovico, ut supra diximus ab Adolpho Archiepiscopo pro certa summa pecuniarum impignoratum. Oppidani non habentes à Duce Ludovico defensionis aliquod subsidium, cùm tantæ multitudini nequaquam possent resistere, in manus se obsidentis Palatini cum oppido tradiderunt, anno prænotato in die sancti Bartholomæi Apostoli, & ita salvi manserunt sub Palatinatu usque in præsens.

Sobernheim oppidum.

A Sobernheim movit exercitum ad Monzegen oppidum, quod brevi cum Merzheim & Nusbaum villis munitis, in suam potestatem accepit: quæ similiter fuerunt Juris Ecclesiæ Moguntinæ, sitæ in Comitatu Spanheimensi, emptæ quondam cum alijs supra & infra notatis, per Wernherum Archiepiscopum ab uno Comite de Spanheim Henrico.

Monzegen oppidum.

Bickelenheim.

Castellum post hæc Bickelnheim & utrámque ejusdem nominis Villam obsedit, expugnavit, & cepit. Erat in ipso Castello ex parte Ludovici Ducis Capitaneus seu vicem tenens homo quidam patria Ringaugiensis nomine Conradus Schlarpp ex Gisenheim oriundus, qui castrum susceperat custodiendum. Verum posteaquam Ducis sui auxilium implorasset, exspectassétque aliquandiu, & nullum penitus adveniret, Castrum in manus Palatini tradidit, & ipse cum his quos secum habuit peditibus, quò vellet liber abire permissus est.

Landsperg & Moschelen, à Palatino capiuntur.

His gestis Palatinus Comes à Bickelnheim movens exercitum vigesima sexta die mensis Augusti, quæ Feria erat secunda post Festum S. Bartholomæi Apostoli, Castellum Landsperg & vicum Moschelen cum arce obsedit, & fortiter satis impugnare cæpit. Tunc primum Dux Ludovicus videns quod desolatus esset ab omnibus, neminémque haberet auxiliantem, & quia suis viribus Palatino nequaquam posset resistere, posteaquam plura jam oppida & castella perdidisset, suorum usus consilio Procerum veniam rursus ab eo postulavit.

Concordia inter Palatinum & Ducem Ludovicum facta.

Anno igitur Dominicæ Nativitatis prænotato facta est inter Fridericum Comitem Palatinum, & Ducem Ludovicum tertia concordia, & secunda die mensis Septembris Heidelbergæ concluſa, scripta & sigillorum munimentis confirmata. In ea Concordia fuit concluſum, quod omnia oppida & Castella, quæ Palatinus Comes toto dissensionis eorum tempore de manibus Ludovici Ducis obtinuerat, perpetuò deinceps ad Dominium Palatinatus debeant pertinere, sine impedimento cujuscúnque, sicut & hodie pertinent: quorum ista sunt nomina.

Nomina oppidorum quæ amisit Ludovicus.

In Comitatu Spanheimensi Sobernheim oppidum, Monzegen oppidum, Bickelnheim castrum & duæ villæ, Merzheim villa, Nusbaum villa, Bois villa, cum alijs pertinentibus ad prædicta: quæ omnia Dux Ludovicus ab Ecclesia Moguntina, ut supra dictum est, ab Adolpho Archiepiscopo contra Dietherum susceperat impignorata, & olim pertinebant ad Comitatum Spanheimensem jam dictum. In Strata montensi castrum & oppidum Schriesheim, in Gavio majori Armsheim oppidum, Gaubickelnheim oppidum, Waldertheim oppidum cum viculis quibusdam & villis eorum. In Gavio Wangionum oppidum & castrum de Wachenheim. Lamsheim quóque oppidum & Ruprechtseck castrum cum alijs. Ulmenam nihilominus oppidum & castrum Dux Ludovicus perdidit, quamvis in Dominium Ecclesiæ Moguntinæ, & non Comitis Palatini, ut diximus, pervenerit.

Concordia præscripta non placuit omnibus.

Non placuit Romano Imperatori Friderico ista concordia, qui adversus Comitem Palatinum multiplices ob causas animum gerebat indignabundum. Dux autem Ludovicus jam tertiò non sine maximo Principatus sui detrimento expertus iram Leonis, Imperatorem ipsum jam deinceps maluisset habere adversarium, quàm ejus mandato rursus Comitem impugnare Palatij: cæteri quoque in circuitu Principes penè omnes magno cum periculo rerum suarum experti, quid vires possent memorati Comitis Palatini, contra eum pedem movere amplius non audebant, quia incubuit timor ejus super eos vehementer.

Monachi Observantiæ Bursfeldensis reducti ad Weissenburg.

His ritè peractis, idem Comes Palatinus Weissenburgenses cunctorum jam destitutos auxilio monuit, quatenus Monachos de Observantia Bursfeldensi,

feldensi, remotis & expulsis deformatis antiquis, quantocius reciperent, aut bellum & obsidionem denuo experirentur. At illi consilio inter se habito, satius judicabant, Monachos reformatos intromittere; quam propter antiquos deformatos, vitæ & rerum suarum extremum periculum subire. Expulsis ergo Monachis antiquis deformatis, expulsi prius reformati ad locum revocati & introducti sunt, manéntque reformati usque in præsentem diem.

Maursmünster à Palatino capitur.

Eodem anno vicesima tertia die mensis Octobris, sæpedictus Comes Palatinus confœderatione prius facta cum Nicolao Duce Lotharingiæ, coadunato pugnatorum exercitu, oppidum Maurimonasterium & Castellum vicinum Geroldseck, in quibus prædones & inimici prænominati Ducis Lotharingiæ sua receptacula consueverant habere, obsedit, impugnavit, & cepit, murósque per gyrum & fossata destruxit, latronibus nocturna fuga salutem quærentibus.

Dortzbach & Waltbach habitacula prædonum capiuntur.

Rursus eodem anno mense Decembri memoratus Princeps duo prædonum Castella, quorum alterum dicebatur Dortzbach, alterum verò Waltbach, in pago quem Odenvvald vulgò nuncupamus, obsedit: quorum primum septima decima die mensis Decembris obtinuit, secundum verò die sequenti. Latronum in Castellis ipsis tunc existentium alij fuerunt occisi, alij verò capti, cæteri autem fuga lapsi manus persequentis evaserunt, ne & ipsi caperentur.

Sixtus fit Papa quartus annis xiii.

Anno prænotato vicesima octava die mensis Augusti hora fermè noctis secunda, Paulus Papa secundus apoplexiâ tactus in cubiculo solus moritur, anno Pontificatus sui sexto, mense decimo. Post quem Cardinales eodem anno nona die mensis Augusti, Franciscum de Savona Liguri-num Ordinis S. Francisci Generalem quondam Ministrum, in Pontificem unanimiter elegerunt; qui Sixtus ejus nominis quartus fuit nuncupatus. Præfuit annis tredecim: vir ingenio profundus, doctrina clarus, vita & conversatione per omnia sincerus.

Eodem anno Fridericus Imperator tertius Conventum Principum Regni magnum habuit in Civitate Ratisbonensi, ubi inter alia multa varij habebantur tractatus de bello in Turcos movendo. Sed omnia terminabantur in verbis, cunctis quæ sua sunt quærentibus, non quæ Reipublicæ Jesu Christi.

MCCCCLXXII.

Cometes.

Anno Bernardi Abbatis XII. Indictione Romanorum v. in mense Januario circa Festum S. Agnetis Virginis, & Martyris, apparuit Cometes in plaga Occidentali, nigro colore rutilans, major quantitate omnibus, quos in terra vidimus, duravítque octoginta diebus, & magnitudine sua mortalium tunc plures perterruit.

Inter Archiepiscopum & Capitulum suum Colonienſ. dissensio.

Eodem anno Rupertus ex Comite Palatino Archiepiscopus Colonien-sis Germanus Friderici sæpius dicti Principis, magnam suorum contra se displicentiam concitavit. Nam inter ipsum & Canonicos majoris Ecclesiæ, quorum Congregationem Capitulum nuncupant, magna contentione suborta, proventus eorum & census in vindictam rebellionis ubicúnque potuit, extra Coloniam præoccupavit, & in usus proprios convertit. Hinc nimium commoti (& forsitan non immeritò) Canonici quidquid contra eum poterant agere, toto mentis studio consiliati sunt. Adhæse-

runt eis Cives Colonienses, adhæserunt Bonnenses, Novesij quoque, & omne robur nobilitatis in patria, qui penè omnes unanimi consensu rebellârunt. Archiepiscopus autem ipse, cùm experimento rebellionem suorum didicisset, graviter tulit, & quomodo suam posset ulcisci contumeliam, sedulò cogitabat. Erant inter consultantes rebus Pontificijs nonnulli, quorum sententiam malè secutus Præsul, Novesium capere viribus cùm non posset, insidijs & dolo aggressus est. Dicebantur eo tempore subordinati fuisse tres viri, magnísque promissionibus conducti, videlicet Erardus Bock, Fridericus Schouff, & Basilius quidam, per eos, quibus Archiepiscopus rerum commiserat summam, ut oppidum in manus ejus traderent per insidias; recesserant enim, sicut jam diximus, Novesij ab obedientia Archiepiscopi.

Erardus Bock, Fridericus Schouff, Basilius Traditor.

Verùm Basilius aquam utróque sciens portare humero, & in una re bis traditor factus, à Novesijs accepta pecunia, socios suos jam dictos in eorum notitiam secretius tradit. Qui cùm navigio per flumen Rheni descendissent Novesium, accepto Cives à bis traditore signo, mox eos in littore capientes torturis examinârunt. Quid plura? Interrogati consilium aperiunt, cervicibúsque amputatis, trunci quatuor in partes dividuntur. Hinc gravem commotus in iram Rupertus, necatis factam clamavit injuriam: asserens nec se, nec suos unquam de traditione Novesij qualecúnque habuisse consilium. Mandavit ergo Novesijs & jurejurando denuntiari fecit, scirent, quod & illatam ab eis contumeliam, & innocentibus mortem, totis viribus, quo possit ingenio cogitaverit in proximo vindicare. Jam deinceps in apertam rebellionem conspirârunt.

Novesij tres ut Traditores capite plectunt.

Eodem anno Fridericus Comes Palatinus ubi tantam audivit inter Fratrem Archiepiscopum & Canonicos ejus Colonienses discordiam, misit ad Coloniam Reinhardum Episcopum Wormatiensem, cum alijs quibusdam à secretis, ut si quovis ingenio possent, concordiam inter eos reformarent. Missi ad Coloniam veniunt, causam adventus sui aperiunt. Sed pacem inter dissidentes facere nullatenus potuerunt. Abeuntes ergo sine pacis vel concordiæ effectu tristes, cùm navigio pervenissent paulum supra villulam Rondekirchen, omnes capti, & nescio quorsum abducti; jam enim Palatinus odio habebatur non tantùm à Capitulo, sed etiam à Civibus, & omnibus terræ Nobilibus, propterea quod Archiepiscopo adhæserit: cujus odij prima causa fuit violentia, quam fecerat his, qui bona Ecclesiæ tenuerant impignorata, quando sine pecuniarum solutione occupavit omnia.

Reinhardus Episcopus Wormatiensis prope Coloniam capitur.

Anno prænotato, circa Festum S. Martini Episcopi, Palatinus Comes Fridericus missis exercitibus suis Castellum quoddam Dissau in Bohemico nemore situm, in quo Prædones latibula sua habere solebant, obsedit, cepit, ac funditus destruxit, latrones in eo repertos interfecit, & Dominum Castri ad Amberg misit captivum. Itaque superatis hostibus pacem bello comparavit, & ambulantibus in Principatu suo, itinera purgavit.

Dissau latibulum Prædonum à Palatino destruitur.

Anno item prænotato, aquarum tanta inundatio resolutis nivibus irrupit, ut vallem Hirsaugianam ab utráque parte operuerit. Capellam B. Mariæ semper Virginis prope Cluse totam implevit, & Altare majus suo incursu cooperuit, multáque circum habitantibus pericula simul & damna intulit.

Eodem

Eodem anno Bernardus Abbas hujus Monasterij Hirsaugiensis Petrum inobedientem, & rebellem Præpositum in Roth deposuit, reductúmque Hirsaugiam carceribus mancipavit, quia non solum ad ejus regimen fuit inutilis, sed etiam semetipsum pro sua persona, simul & ipsam Præposituram cum omnibus pertinentibus ad eam, ab obedientia & jurisdictione Abbatis, ac Monasterij Hirsaugiensis alienare tentavit, quibus tamen semper à prima fundatione sua mansit subjecta.

Inter Abbatem Hirsaugiensem & Fratres in Richenbach contentio.

His etiam temporibus Fratres Prioratûs S. Gregorij Papæ in Richenbach, Abbati & Monasterio Hirsaugiensibus immediatè subjecti, contra Abbatem Bernardum iterum temerè in superbiam elati Priorem suo arbitrio instituere contendebant, quod eatenus nec jure poterant, nec consuetudine. Unde Bernardus Abbas Jurium & Privilegiorum Monasterij sui defensor acerrimus causam ad Ordinarium suum Episcopum Spirensem detulit, Jus suum non solum litteris, verùm etiam possessione ac præscriptione manifesta probavit. Quibus coram Episcopo declaratis, ostensis & probatis, talem ipse Præsul sententiam dedit, quod videlicet solius sit Abbatis Hirsaugiensis pro tempore existentis Priorem in Reichenbach pro suo arbitrio instituere, quoties utile, vel necessarium judicaverit: cui Prior ipse in omnibus teneatur obedire.

MCCCCLXXIII.

Hermannus Hassiæ Comes fit Gubernator Ecclesiæ Coloniensis contra Rupertum.

Anno Bernardi Abbatis tertio decimo, Indictione Romanorum sexta, Canonici majoris Ecclesiæ Colonienſis contra Rupertum Archiepiscopum suum jam propter spolium à Sede Apostolica eorum ad instantiam excommunicatum, Hermannum ex Landgrafijs Hassiorum Concanonicum suum Ecclesiæ B. Mariæ semper Virginis in Regali oppido ad Aquasgrani Præpositum in Gubernatorem & Administratorem Ecclesiæ suæ constituerunt. Qui erat vir non solum nobilitate præcipuus, sed etiam prudentia, consilio & actione præclarus, qui etiam Ruperto postea in Archiepiscopatu successit. De quo postea loco & tempore convenientibus latius dicemus. Huic mox Gubernatori facto Novesij, Andernachij, Bunnani, & plerique alij deficientes à Ruperto fidelitatis Juramenta præstiterunt. Quorum suffultus auxilio non pauca brevi Castella Ecclesiæ obsedit, cepit, sibique & Capitulo memorato potenter, nullóque resistente subjecit.

Capitulum Ordinis nostri Provinciale xxi. celebratum.

Eodem anno in Dominica die secunda post Festum Resurrectionis nostri Salvatoris, celebratum fuit Capitulum Ordinis nostri Provinciale primum atque vicesimum Nürenbergæ apud S. Ægidium; in quo præsederunt venerabiles Patres Domini Abbates: Theodoricus in Bursfeldia, Guntherus in Erpfurdia, S. Ægidij in Nürenberga, & Joannes S. Crucis in Werdea, qui varia pro reformatione Ordinis statuerunt.

Ducis Burgundi in Regem Gallorum excogitatio.

Hoc ipso anno publicè dicebatur, quòd Carolus Burgundiæ Dux animum contra Ludovicum Gallorum Regem undecimum gerens inimicum, propter fractum Jusjurandum, & fidem fractam violatámque pacem, subordinaverit hominem quendam nomine Joannem, quem promissione mercedis quinquaginta millium florenorum conduxerit, ut Regem memoratum veneno secretius è medio tolleret. Qui veneficus industria coci regalis notatus traditus & captus, maleficæ mentis veneficium

ficium confessus in tortura, multitudine civium apud Parisios inspectante capite truncatus est. In cujus rei fidem paratum penes eum reperêre venenum.

Fridericus Imperator cum Filio Maximiliano venit Wilam.

Anno prænotato Fridericus Imperator tertius cum Filio suo Maximiliano venit ad Regale oppidum Wilam, quod in Suevia situm est in pago, qui Wiringovve nuncupatur: quem Bernardus Abbas hujus Monasterij Hirsaugiensis rogatus à Civibus cum Processione Pontificalibus indutus solemni pompa suscepit. A quo tunc precibus impetravit Mathildâ Ducissâ Austriæ mediante Advocatiam villæ Burbach Monasterio incorporari, quam prius in feudum militares quidam de Brunen susceptam ab Abbate Hirsaugiensi tenebant.

Æstas anno præscripto calida fuit, & sicca in tantum, quod non pluerat super terram à quarta die mensis Julij, usque ad Festum S. Michaelis Archangeli, creverunt ergo vina illo anno matura valde, simul & optima.

Eodem anno Bernardus Abbas hujus Monasterij pro decore Domus Dei Baciolum pastoralem totum argenteum novum fieri fecit, & comparavit pretio centum & viginti quinque florenorum aureorum monetæ Rhenensis. Casulas quoque & varia ornamenta sacerdotalia simul & Levitica pro ministerio sacri Altaris plura dispositi, debita solvit, numerúmque Fratrum notabiliter auxit.

Jacobus Rex Cypri moritur Civis Venetus.

Anno prænotato moritur Jacobus Rex Cypri non sine veneni suspicione, unicum relinquens filium ex Veneta uxore: quo & ipso extincto, Regnum Veneti occupârunt. Hujus usurpationis jus quale fuerit, faciemus manifestum. Cùm olim Jacobus jam dictus post obitum Patris cum Fratre contenderet de Regno, & contra eum prævalere non posset, confugit ad Venetos, eorum petens auxilio restitui paternum in Regnum. Veneti morem secuti antiquum responderunt: *Eis non licere defensare bello vel ope peregrinum, nisi prius inter Venetos relatus esset ut Civis.* Consensit Cyprius Rex natus, Civis dici Venetus; nemo dubitet necessitate magna compulsus. Civis autem Venetus esse non potuit, nisi uxorem duceret Cive genitam Veneto. Ecce quò trahit cupido Veneta Regem egenum! uxor itaque datur Venetijs nata popularis Filio Regis nomine superbo, Filia S. Marci, ducentorum millium ducatorum ex ærario publico dos assignatur sponsæ; celebrantur nuptiæ, & in Cyprum classis præparatur.

Regnum Cypri quo jure injurioso sibi usurpaverint Veneti.

Venetorum itaque providentia Jacobus Exul adjutus, urbanam Rex ducit uxorem, ex Filio Regis fit Civis Venetus, in Regnum profugus restituitur, Frater adversarius vincitur, atque superatur. Fuerunt qui non dubitaverint, omnia hæc providenter acta per Venetos, ut Regno Cypri tandem potirentur. Unde cùm tempus conveniret actioni, primò sublatus fuit ipse Jacobus antidoto Marciano, secundò Filius, tertiò uxor patri est restituta, S. Marco Filia, quartò Veneti arte & ingenio Regnum sunt consecuti.

MCCCCLXXIV.

Sacristia Hirsaugiens. constituitur.

Anno Bernardi Abbatis XIV. Indictione Romanorum VII. hyems fuit dura, frigida, & nivibus continuata, & eodem anno Bernardus ipse Abbas sacristiam & bibliothecam desuper à fundamentis construxit, & debita

debita nihilominus multa persolvit: locum etiam Capitularem novum, ut hodie cernitur, juxta ambitum ædificavit.

Apud Treviros Conventus Principum.

Anno quoque eodem Fridericus Imperator III. in Civitate Trevirorum antiquissima Conventum solemnem Principum per menses fermè duos celebravit, & Sanctorum Reliquias plurimas precibus suis obtinuit à diversis, quas in Austriam deportavit. Magna enim fervebat devotione ad sacra Busta Sanctorum, & singulari ea studio undecúnque potuit, colligebat.

Aderat ibidem inter alios Principes etiam Carolus Dux Burgundionum ultimus, qui mansionem in Monasterio S. Maximini Ordinis nostri extra Civitatem habebat, in quo magna usus pompa, divitiarum suarum & potentiæ magnitudinem varijs novitatibus conabatur ostendere. Solus in mensa residebat, solus festinanter manducabat, & neminem secum dignabatur in eadem tabula recumbere. Ministrantium tamen Nobilium astabat ingens multitudo, qui ut videri posset ab omnibus, ingrediendi Refectorium, in quo edere solebat, cunctis dabatur facultas. Invitabat alioquoties ad refectionem Fridericum Imperatorem, Joannem Archiepiscopum Trevirorum, Adolphum Archiepiscopum Moguntinum, Rupertum Archiepiscopum Colonienscm, & quosdam Principes alios, quibus in eodem Refectorio Monachorum singulas mensas singulis jussit præparari.

Burgundus Dux Carolus Justitiæ Cultor singularis.

Habebat secum Ministeriales ex Burgundia, & alijs Nationibus plures, quibus furtum, & rapinam sub pœna mortis interdixerat, & si quis ei furtum, aut rapinam fecisse delatus fuisset, etiam in re minima, sine misericordia mox eum fecit suspendi. Hujus rei gratiâ, ne procul abesset supplicij furca delinquentibus, arborem nucum foris ante Monasterium S. Maximini, in quo degebat, in horto cujusdam pauperis pecunia comparavit; in quam suæ nationis malefactores quotquot delati vel accusati fuissent, suspendit. Unde & suis metum incussit, & laudem sibi Justitiæ apud omnes Mosellanos acquisivit. Nec frustra duodecim aureis nummis dictam arborem comparavit; in qua multi successivè, sicuti tunc vidimus, fuerunt suspensi pro varijs criminibus.

Regnum Siciliæ affectabat Dux Burgundiæ Carolus.

Obierat paulo ante Nicolaus Lotharingiæ Dux, qui titulo Regni Siciliæ gaudebat, licet, ut hodie quoque, alius Regnum occuparit. Carolus igitur memoratus Burgundiæ Dux multis precibus, & varijs modis tam per se, quàm per alios apud Cæsarem Fridericum occultè laborabat, ut eum in Siciliæ Regem sublimatum coronaret. Jam enim prius diadema, sceptrum, pilam, & reliqua omnia, quæ ad hujusmodi solemnitatem pertinent, fecerat parari, & erant in promptu, nec dubium erat in ejus animo, quin fieret quod volebat.

Regnum Siciliæ dare Carolo Imperator recusabat.

Cæsar autem superbiam & arrogantiam hominis detestatus, quo petitionem ejus temerariam rationabili modo refelleret, negotium prudenter de die in diem protrahebat, quo usque tandem sibi videbatur abeundum. Dispositis ergo navibus, die quodam summo mane per Mosellam descendit, ad Confluentiam; & inde per Rhenum ascendit ad Moguntiam, ulteriúsque ad alia Regni loca Germanici.

Videns Carolus sua frustratum se petitione, atque delusum à Cæsare, doluit, sed iram dissimulans, mentem ad alia convertit. Ad instantiam

enim Ruperti Archiepiscopi Colonienſis magnum pugnatorum contraxit exercitum, vindicaturus injurias de Capitulo, & ſubjectis rebellibus ei quomodolibet irrogatas. Conſtituit ergo Ducem Archiepiſcopus Advocatum, Defenſorémque ſuum, & totius Archiepiſcopatus contra quoslibet injuriantes, & præſertim adverſus Decanum Stephanum, & Capitulum Eccleſiæ majoris ſimul, & Hermannum de Haſſia Gubernatorem ſibi contrarium.

Carolus Burgundiæ Dux obſedit Noveſium oppidum.

Anno igitur Dominicæ Nativitatis prænotato, xxix. die menſis Auguſti, Carolus Dux Burgundiæ memoratus ad petitionem Ruperti ſæpedicti Archiepiſcopi Noveſium Colonienſis Eccleſiæ inſigne oppidum, propter cauſas ſuperius dictas in manu ſuorum valida obſedit, & per menſes x. & dies xxvii. fortiter ſæpius machinis & bombardis impugnavit, ſed expugnare non potuit. Circumdederat oppidum per gyrum undique, & varijs modis introſilire tentavit, licet fruſtra id fecerit, conſumens infructuosè omnes conatus ſuos, novercante ſibi fortuna non ſolum tunc, ſed etiam poſtea in omnibus, & clamante forſitan adverſus eum ſanguine Innocentium vindictam, quorum tot millia ut ſupradictum eſt, apud Leodium innocenter & ſine cauſa ſæviſſimâ crudelitate peremit.

Hermannus Gubernator Colonienſis defenſat Noveſium.

Noveſij autem Cives, etſi arctiſſima eſſent obſidione vallati, animis tamen nequaquam fuerunt dejecti, ſed animante illos Hermanno Haſſiæ Comite Gubernatore Colonienſis Eccleſiæ, qui toto tempore obſidionis cum eis in oppido permanſit, fortiter reſtiterunt, & nec minis, nec tormentis poterant ſuperari. Arctabantur aliquoties inedia & penuria panis, in tantum videlicet, quòd edere carnes equinas fuerant compulſi. Concluſerat enim Dux omnes introitus & exitus viarum, tantáque obſervavit induſtria cuncta, ut neque per terram, neque per aquam in oppidum cuiquam pateret acceſſus.

Philippus Comes Palatinus Rheni ducit uxorem.

Eodem anno Philippus Comes Palatinus Rheni Bavariæque Dux, Ludovici Pij Principis Electoris quondam filius, uxorem duxit Margaretham Ludovici Ducis cognomento Divitis filiam, ſororem Georgij Divitis: & in oppido Amberg nuptias in Dominica quinquageſimæ in ſolemni pompa celebravit, anno ætatis ſuæ xxvi. Ad regimen tamen Paterni Principatus, quamdiu Fridericus vixit Patruus, non pervenit. Supervixit autem poſt ejus conjugium Tutor ipſe Fridericus annis tribus.

Margaretha verò Philippi uxor peperit ei filios & filias ſubſequentes: Ludovicum primogenitum, qui Patri ſuccedens in Principatu hodie dominatur. Philippum Friſingenſem Epiſcopum. Rupertum Ducem, qui habuit uxorem filiam Ducis Georgij Avunculi ſui, & obijt ante Patrem. Fridericum qui hodie ſine uxore Tutorem ſegerit filiorum Ruperti Fratris antedicti, Georgium Epiſcopum Spirenſem, Henricum Præpoſitum S. Albani Moguntiæ, Joannem Epiſcopum Ratisbonenſem, Wolffgangum Canonicum Herbipolenſem. Filiarum iſta ſunt nomina: Eliſabeth, primùm nupſit Landgrafio Haſſiæ Wilhelmo, quo ſine liberis mortuo data eſt in conjugium Badenſi Marchioni Philippo. Amalia & Helena, quarum altera nupſit Duci Meckelburgenſium, altera verò Duci Pomeranorum & Stettinenſium. Catharina Monialis eſt noſtri Ordinis in Cœnobio Nüenburg prope Heidelberg Wormatienſis Diœceſis. Porrò

Barbara

Barbara cùm esset annorum XIV. virgo moritur, & Otho Henricus in pueritia sua obijt. Reliqui adhuc hodie vivunt omnes.

Eberhardus Comes de Wirtenberg ducis uxorem.

Anno etiam prænotato, Eberhardus Comes de Wirtenberg filius Ludovici, qui postea in Ducem fuit à Maximiliano Rege sublimatus, uxorem duxit nomine Barbaram, Marchionis Mantuæ filiam, & nuptias in oppido suo Stutgard solemni pompa celebravit. Liberos tamen de ea non habuit, præter unicam filiam, quæ in pueritia morte fuit sublata.

Cives quidam Basileenses capiuntur à Dominis in Geroldseck.

Eodem anno circa principium mensis Septembris, Cives quidam Mercatores Basileenses cum mercimonijs suis navigio descenderunt per Rhenum ad nundinas profecturi Franckfurdianas. Cúmque paululum præternavigassent oppidum Rhinavve, omnes cum rebus suis capti fuerunt per Dominos de Geroldseck, & in oppidum Schuttern ducti captivi. Habebant enim Domini memorati causam litis aliquam contra Basileenses. Argentinenses autem Cives mox ut gestæ rei ordinem cognoverunt, contractis copijs cum bombardis & machinis, Schuttern obsederunt, impugnarunt, & ceperunt: dejectísque muris & turribus etiam fossatum terræ coæquârunt; & liberatos cum rebus eorum captivos, salvos & incolumes abire fecerunt; erant enim confœderati cum Argentinensibus.

MCCCCLXXV.

Jubilæus Romæ celebratur à Sixto Papa IV.

Anno Bernardi Abbatis quintodecimo, Indictione Romanorum octava, Jubilæus, hoc est annus remissionis à Paulo Pontifice, prius per universum Orbem Christianum institutus, Romæ celebratur à Sixto Papa quarto, ubi multitudo populi convenit maxima ex omni Natione, quæ sub cœlo est. Memoratus enim Pontifex Paulus secundus, pensiculans mortalium paucos ad eam pervenire posse ætatem, ut tempus Jubilæi annorum quinquaginta contingant, volénsque devotioni Christianorum salubriter providere, constituit Jubilæum deinceps de anno vigesimo quinto in quintum atque vicesimum esse celebrandum.

Simon puer Tridentinus à Judæis ibidem perimitur.

Eodem anno vicesima quinta die mensis Martij, Simon puer Tridentinus, à perfidis Judæis sanguinem Christianum avidè sitientibus occiditur. Super cujus tumulum Cives Tridentini insignem construxerunt Ecclesiam, in qua ferunt miracula fieri quotidie plura, ad invocationem dicti Simonis. Judæi autem sceleratissimi omnes, quotquot eorum criminis reos tenebat conscientia, incusati, capti, & per torturam examinati, confessi rei ordinem, combusti sunt, paucis exceptis, qui salutem fuga quæsierunt.

Novesij obsidio solvitur à Carolo.

Anno prænotato, vicesima octava die mensis Junij, Carolus Burgundiæ Dux ad instantiam Imperatoris Friderici tertij castris incensis obsidionem Novesij solvit, & non sine detrimento suorum inde recessit. Venerat enim contra eum ad liberandum Novesios Imperator cum exercitu pugnatorum non parvo, tam à Principibus, quàm à Regni Civibus in unum destinato. Verùm Cæsar ut parceret sanguini Christiano, prius pacem consilio tentare, quàm armis maluit: egítque cum Burgundo bonis verbis, atque tandem persuasit, quòd obsidione soluta cum suis discessit.

Maximiliano Archiduci Austriæ, Maria Burgundiæ desponsatur.

Eodem tempore Cæsar prudenti usus consilio, quo Dominium Familiæ dilataret Australis, pacémque firmaret connubio, Mariam Caroli Ducis sæpedicti Burgundiæ unicam filiam, Maximiliano filio suo desponsavit

savit uxorem, cum qua ditissimos, amplissimósque & plures obtinuit Principatus, videlicet Ducatum simul & Comitatum Burgundiæ, Ducatum Brabantiæ, Ducatum Lymburgensem, & Ducatum Geldriæ, Comitatum quoque Flandriæ, Comitatum Palatinum Hannoniæ, Seelandiæ, Hollandiæ, Namurci, & Zutphaniæ, Dominatúmque Frisiæ & Mechliniæ. Genuit autem Maximilianus ex prædicta Maria Philippum Regem Castellæ & Margaretham. Carolus autem Dux Burgundiæ Maximilianî

Lotharingiæ Ducatum Carolus Dux Burgundiæ obtinet.

socer obsidione Novesij soluta exercitum movit in Lotharingiam in primo mensis Decembris, anno prænotato, & fugato Duce Reinhardo, quem Renatum alij nuncupârunt, omnem Ducatum ejus in brevi obtinuit, & fidelitatis Juramentum, quod Homagium vocant, à cunctis terræ habitatoribus susscepit. Verùm non diu postea Reinhardus auxilio Conjuratorum Suitensium, Ducatum recuperavit amissum, quem ubi Carolus iterum bello repetere voluit, ab ipsis Conjuratis, sicuti dicemus, cum alijs occisus fuit.

Hermañus Gubernator Colonien sis à cunctis susscipitur.

Anno igitur præscripto post Caroli Ducis à Novesio discessum, Hermannus Hassiæ Landgravius, quem sibi Canonici Ecclesiæ Colonien sis Gubernatorem contra Rupertum Archiepiscopum, sicut diximus, delegerant; reliqua oppida, castella, munitiones, & villas Ecclesiæ omnes penè successivè obtinuit, & Ruperti Dominium brevi minoratum fuit. Omnes enim paulatim recesserunt ab eo præter pauciss imos, qui tamen ejus miserabilem desolationem in nullo poterant relevare. Sic subitò cecidit Præsul iste Rupertus, qui genere, honore, & dignitate suis persecutoribus præstantior fuit.

Adolphus Archiepisc. Moguntinus in Alta Villa moritur.

Eodem anno sexta die mensis Septembris, obijt Adolphus de Nassavv Archiepiscopus Moguntinus, in Castro Altæ Villæ, cujus Corpus in majori sepelitur Ecclesia Moguntina. Is cùm lecto decumberet ægritudinis, jam prope moriturus, percunctantibus Canonicis, quem sibi designaret successorem, respondit: *Etsi meum non sit, mihi denominare succedentem, tamen ex quo consilium meum requiritis, fideliter dicam, pro vestra utilitate quod sentio: Dietherus de Isenburg, qui ante me fuit Archiepiscopus, meliora quæque sibi per concordiam assignata pro suo statu detinet Ecclesiæ bona, sicut notum est omnibus; nec dubium, quin & pecunias habeat multas, & non parvæ æstimationis clenodia: consilio hunc meo iterum in Archiepiscopum eligite, & omnia quæ habet, cum eo ad Ecclesiam revertentur. Quod si neglexeritis, timendum est, quod in amicos & consanguineos ejus, quidquid habet pecuniarum aut clenodiorum, post mortem suam deveniat.*

Dietherus iterum fit Archiepisc. Moguntinus annis VII.

Placuit jam morituri Pontificis consilium omnibus, & eo sepulturæ tradito Dietherum nil tale cogitantem denuo in Archiepiscopum concorditer elegerunt. Qui confirmatus per Sixtum Romanum Pontificem secundò jam deinceps præfuit annis sex & mensibus totidem, satis modestè, in multis Ecclesiæ utilis, quamquam nec debita solverit omnia per eum & Adolphum contracta, nec oppida, castella, & emolumenta redemerit impignorata. Inter alia quæ magnificè fecit, castrum in fine Civitatis Moguntinæ lapideum totum à fundamento novum, atque pulcherrimum, sicut cernitur hodie, parum ante mortem suam construxit, quod arcem S. Martini nuncupavit. Est enim S. Martinus Ecclesiæ Moguntinæ Patronus. Construxerat prius in eodem loco jam bis Præsul factus Arcem ligneam totam, quam anno sequente consumpserat incendium: unde

cavere

cavere volens in futurum simile periculum, de solido lapide novum reædificavit. Gymnasium quoque universale primus in Civitate Moguntina novum instituit, quod Sixtus Papa IV. consuetis ornatum Privilegijs ad ejus instantiam confirmavit. Moguntia locus est meo judicio studentibus aptus, ubi & victualium omnium copia exuberat, puritas aëris sanitatem habitantis diutius conservat, & urbis amænitas ingenia litteris dedita confortat. Unum est solum, quod profectum institutionis bonæ debilitat, quia non est, qui Lectores in omni facultate sufficienter provideat.

Universitas Moguntina per Dietherum constituitur.

Anno iterum prænotato, XIII. die mensis Decembris, obijt Joannes Archiepiscopus & Primas Ecclesiæ Magdeburgensis in Saxonia, vir honestissimæ conversationis, & singularis pietatis ac Devotionis in Dominum Deum. Qui licet Princeps magnus esset genere ac dignitate, non erubuit rem divinam ad Altare sacrum fermè quotidie agere, diviniſque carminibus crebrius interesse, SS. Ordines postulantibus conferre, Abbates suos personaliter benedicere, Ecclesias, Altaria, vestes, ornamenta cultûs divini consecrare, & se Pontificem potiùs, quàm Principem in omnibus exhibere. Genere námque fuit Comes Palatinus Rheni, Bavariæ Dux & Comes in Spanheim, cujus Pater Stephanus Dux memoratus in Gemino Ponte, cujus Fratres extiterunt Dux Fridericus apud Cynonotos in Simeren habitans, Dux quoque Ludovicus cognomento Niger, & Stephanus Coloniæ Decanus.

Joannes Archiepisc. & Primas Magdeburgensis obijt.

Post mortem hujus memorandi Pontificis, Ernestus Dux Saxoniæ adhuc puer filius Ducis Ernesti senioris in administrationem Ecclesiæ Magdeburgensis assumitur, & in successorem defuncti Præsulis à Papa Sixto confirmatur. Vixit autem deinceps Administrator primò, postea verò in Archiepiscopum consecratus, & præfuit in toto, annis 37. mensibus octo: Fratres habuit tres, Albertum videlicet post Dietherum Archiepiscopum, Ecclesiæ Moguntinæ Administratorem, qui adolescens obijt, Fridericum Ducem Saxoniæ Principem Electorem Imperij, & Joannem Fratrem hodie viventes.

Ernestus fit Archiepisc. Magdeburgensis annis 38.

Circa principium Administrationis hujus Ernesti magna inter Cives oppidi Regalis, quod à salis confectione Hal nuncupatur, in Saxoniæ finibus, seditio fuit exorta. Senatus námque bifariam divisus, Civium quoque malè divisit unitatem. Qua seditione dietim crescente, una pars Senatus & Civium in alterius partis odium habito inter se consilio secretius oppidum in manus ipsius Ernesti & Magdeburgensis Ecclesiæ tradere statuerunt. Die adveniente statuta, venit Ernestus cum suis exercitum perducens armatum, aperiuntur jussione traditorum portæ, turmatim populus Ecclesiæ ingreditur, Ernestus oppido potitur, quod in præsentem usque diem libertate spoliatum regali, Ecclesiæ servit sub tributo.

Hal oppidum Regale in servitutem quomodo venerit.

Eodem anno Cives Novesiani sive Nusienses in memoriam accepti beneficij perpetuam à Friderico Imperatore III. qui eos obsidione Ducis Burgundiæ Cāroli diuturna liberavit, statuam ei æneam in foro ante S. Quirini Martyris Templum ut victori, liberatoríque suo erexerunt.

Cæsari statua Novesij posita est.

MCCCCLXXVI.

Anno Bernardi Abbatis XVI. Indictione Romanorum IX. celebratum Ordinis nostri Capitulum Provinciale XXII. in Dominica tertia post Pascha, Bambergæ in Monte Monachorum. In quo præsederunt Martinus

Capitulum Ord. Provinciale XXII. Bambergæ celebratur.

nus in Schvvarzach prope Dietelbach, Hermannus S. Jacobi prope Moguntiam, Henricus in Blavvbeüren, & Joannes S. Ægidij in Nürenberga, Monasteriorum Ordinis nostri Abbates. Eodem anno magna pestilentia fuit & multa millia hominum in diversis locis maximè circa Mosellam & Rhenum miserabiliter consumpsit. Vidimustamen Juvenes, Adolescentes, & in florida ætate constitutos masculos & fœmellas sine numero infectos, convaluisse pauciſſimos, plures autem post infectionem die altero vel ad longum tertio, vitam commutavisse cum morte, quorum inter edendum alij, ridendo alij decesserunt è vita.

Inauditus fit hominum concursus ad Niclaushausen.

Anno prænotato, apud Francos Orientales in Diœcesi Wirzburgensi factus est concursus populorum, ex remotioribus etiam locis magnus & admirabilis, qualis antea non est visus, ad hominem quendam nomine Joannem de Niclaushausen rusticanum idiotam, indoctiſſimum, pastorémque porcorum, qui nescio quo spiritu suo seductus, an alieno, publicè in campis & in pratis, nonnunquam etiam per fenestram è domuncula aliqua rusticana, & in arboribus, populo nova quædam ore tumultuario prædicebat simplici & fatuo, cùm nec loqui potuerit, nec aptè ad propositum aliquid cogitare. Ferunt illum aliquoties hominis cujusdam claustralis mendici occulto susurro, quid prædicaret edoctum, & ob id frequentius per fenestram loquebatur ad plebem, ut doctorem suum ad aurem sine nota posset habere præsentem, quod postremò fit manifestum. Tanta multitudo hominum, non solum ex Francia ipsa Orientali, sed etiam ex Bavaria & Suevia, ex Alsatia & partibus Rheni, ex Wetteraugia, ex Hassia, ex Buchonia, ex Thuringia, ex Saxonia & Missnia quotidie ad miserandum fatuellum hunc turmatim fluebat, ut frequenter uno die 10000. hominum, aliquando 20000. nonnunquam etiam triginta millia convenisse apud villulam Niclaushausen, fit proditum. Nova enim contra Clerum & Principes dogmatizabat, quæ sibi visibiliter & sensibiliter finxit à Beatissima Virgine Maria in campis, dum pasceret porcos, esse revelata. Propterea simplex populus eum ut virum sanctum colebat, & venerabatur ut Dei Prophetam, & Doctorem veritatis in salutem Fidelium divinitus suscitatum, utpote quem Dei Parens tam manifestè ac placidè præ cunctis mortalibus dignaretur alloquio. Unde sicuti audivimus ab his, qui præsentes interfuerunt, tanta quotidie circa eum populi multitudo convenire solebat, ut à pressura irruentium desiderio visendi hominem nonnunquam periclitaretur. Sæpius etiam ut edendo, bibendo, egerendo, vel dormiendo naturæ satisfaceret vix locum habere potuit & tempus. Omnes qui convenerant, maximo desiderio quærebant eum ut Dei hominem, & sanctum videre, alloqui, & tangere, quicúnque enim contingere manibus etiam vestem potuisset, sanctificatum se, beatúmque computabat. In tantam stultitiam multitudo imperitorum hominum prolapsa est, ut unusquisque habere aliquid ex indumentis ejus, quo sanctificarentur tanquam de Reliquijs Sanctorum, ingenti optaret desiderio. Scindebant cultris, manibúsque carpebant, quoties cuique permittebatur accessus, de vestimentis fatuelli petias, & usque adeò rumpebant de illo, quidquid poterant contingere, ut miser nudatus fermè quotidie nova compelleretur indumenta providere: quæ mox erant in promptu ex oblationibus convenientium. Ubique stultum comitabatur

Una die triginta millia hominum convenisse notatum.

Homo fatuellus ut Propheta, & sanctus habebatur à stultis.

multitudo

multitudo ſtultorum, qui proceſſionaliter eidem obviam facti flexis ante illum genibus, compoſitíſque manibus ad invicem dicebant: *Ora pro me Deum vir ſancte.* Tunc manu parumper extensâ ſignum crucis contra orantem faciebat. Quem tali benedictione ſignabat, magnâ ſe felicitate credebat eſſe beatum, & jam coram Deo cunctis peccatis abſolutum. Continuabatur iſte populorum concurſus & occurſus non ſolum diebus, ſed etiam noctibus, erántque per gyrum à villa Niclaushauſen ad longam diſtantiam tuguria plura, & ſpeluncæ ſecus viam, in quibus pincernæ morabantur & coci, qui tranſeuntibus vendebant neceſſaria victûs. Præ nimia populi multitudine ſecuritas ambulandi fuit ubíque omnibus, quia turmatim incedebant, nocturníſque horis dormiebant in pratis, aut in campis ſive nemoribus, & nullus quidquam periculi metuebat. Fingebantur plura miracula vel in Eccleſia villæ memoratæ, vel coram fatuello Henſelin facta, cùm nec unum contigerit in veritate, ſed omnia ſimul fuerint conficta, falsa & ementita. Oblationes in auro, argento, clenodijs, pecunia, cera, & veſtimentis, multæ magnæque ad locum ipſum factæ ſunt per eos, qui ſtultâ devotione certabant, quæ néque ad Dei honorem, neque ad Eccleſiæ cujuslibet utilitatem fuerunt expoſitæ. Nam exuſto tandem, ſicut dicemus, miſerabili fatuello, & ceſſante concurſu, oblationes cunctæ obvenerunt partim Archiepiſcopo Moguntinenſi Diethero ut Primati Provinciæ, partim Rudolpho Wirzburgenſi Epiſcopo ut Ordinario loci, & Comiti de Wertheim ut Domino temporali. Archiepiſcopus Moguntinus partem ſuam pecuniarum in conſtructione Arcis novæ apud Moguntiam de ligno expendit, quæ dum vix eſſet conſummata, igne caſuali, vel ut multorum tenebat opinio, cœleſti, ſuccenſa in cinerem prorſus redacta eſt. Dicebant tum plures, quibus cordi fuerat concurſus ad Niclaushauſen, ſed jam violentiâ Principum extinctus: *Videte, quomodo Beata Dei Genitrix Virgo Maria Fidelium oblationes apud Niclaushauſen ſibi factas, & in uſum converſas alienum ſuſtinere non potuit.*

Genua flectentes ut virum Dei, Miſerum adorabant.

Miracula fingebantur plura, ſed factum eſt nullum.

Caſtrum Moguntiæ fuit exuſtum.

Sed jam nunc operæ pretium fore rati ſumus, ut omnes, aut ſaltem principaliores Articulos errorum proferamus in medium, propter quos & concurſus populo fuit interdictus, & homo miſer incineratus.

Primus Articulus falſus, confictus, & ementitus fuit: *Quia dixerat ſibi Beatiſſimam Dei Genitricem ſemper Intactam Virginem Mariam in albo habitu viſibilem apparuiſſe, dum paſceret gregem porcorum in campis, & ea quæ vel ipſe confinxerat, vel ſuo à ſeductore acceperat, revelaſſe atque præcepiſſe, ut ea nomine ejus omni populo prædicaret.*

Articuli errorum dicti ſeductoris.

Secundus Articulus fuit: *Quod ipſe ſua præſumptione, non Dei juſſu aut Virginis Mariæ, quemadmodum fingens mentiebatur, vitam Clericorum publicè arguebat, coram multitudine populi, aſſerens Dei Matrem dixiſſe:* Annuntia populo Fideli meo, & dic quod Filius meus avaritiam, ſuperbiam, & luxuriam Clericorum, & Sacerdotum amplius ſuſtinere nec poſſit, nec velit. Unde niſi ſe quantocius emendaverint, totus mundus propter eorum ſcelera periclitabitur.

Tertius Articulus: *Huſſitarum hæreſeos imitabatur venenum, aſſerens nec decimas exigendas à populo, nec annuos cenſus, niſi quantum unuſquiſque ſua ſponte, cui, & quando voluerit dare propter Deum. Non enim permittebat, quòd*

Sacerdotes

Sacerdotes Domini, & hi quibus decimarum usus conceditur ab Ecclesia, eas petere, vel exigere possint à populo.

Quartus Articulus fuit: *Quia non solum Laicos concitabat in odium Clericorum, vitam & mores eorum sine cujusquam exceptione detestabiliter improbando, seu etiam jus decimarum, & censuum simpliciter negando; sed omnem quóque Jurisdictionem Ecclesiasticam conabatur supprimere, & mandata Sacerdotum non curare.*

Quintus Articulus fuit: *Quòd constanter asserebat sibi Dominam nostram dixisse sanctam Mariam:* Dic omni populo, quòd Filius meus vult, & mandat, quòd omnia pedagia, telonia, precariæ exactiones, præstationésque subventiones Prælatorum, Principum, atque Nobilium, simul & cuncta gravamina pauperum, penitus deponantur.

Sextus Articulus: *Quia mendaciter dixerat sibi divinitus revelatum, ut supra, quòd venationes, piscationes, aquarum & nemorum usus cunctis Fidelibus Christi pro uniuscujúsque libitu deberent esse communes, pauperi sicut diviti, & rustico sicut Episcopo, vel Principi.*

Magnum præscripti errores periculum minabantur Ecclesiæ.

Hæc & plura his similia cùm idiota memoratus quotidie idiotis prædicaret, & cum summa devotione libentissimè audiretur à populo, qui naturâ movetur ad nova, & semper quærit jugum excutere dominantis, parum abfuit, quo minus aliquid pernitiosæ novitatis contra Clerum & Principes per eos fuisset attentatum. Magnæ hominum rusticorum & imperitorum multitudines quotidie convenientes, nihil tractabant aliud, nisi quomodo ea, quæ sæpe dictus Henslin eis præceperat, quasi ex ore Dei prolata, opere perficerent. Et quid rustico dulcius contingere posset, nisi ut liberatus ab omni præstatione census ac servitutis, omnia deinceps cum Clericis & Principibus haberet communia? Laico verò quid optabilius evenire posset, quàm si Clerum & Sacerdotes omni privilegio & libertate simul, & perceptione decimarum, censuum, & proventuum sacri Altaris conspiceret esse nudatos? Utrumque jam tunc moliebatur iste Laicorum ad Niclaushausen concursus, qui solum hoc juxta fatuelli sermones intendere videbatur, quòd & rusticis libertatem, & servitutem Clero imponeret. Sed peregrinatio stultorum, quæ principium ex Deo non habuit, citò finem accepit. Rudolphus enim Wirzburgensis Episcopus, qui loci, ut diximus, ordinarius fuit, post multa populis per Diœcesim suam avisamenta facta, post interdictam ad Niclaushausen peregrinationem, póstque prohibitiones ubíque locorum, è quibus ad novellum fatui properabant antiqui, dictas, cùm videret populi malesanam quotidie nimium augeri stultitiam, timerétque paulatim evenire, quod cernebatur præ oculis fieri posse, consilio suorum usus, tale remedium, & necessariò quidem, excogitavit. Missis nocte quadam Apparitoribus suis hominem pseudoprophetam in proxima villula prope Niclaushausen dormientem cepit, atque in ipsa nocte Herbipolim duxit. Mane facto posteaquam multitudo populi, quæ apud Niclaushausen convenerat, intellexit captum adolescentem, & Herbipolim perductum, nimio replebatur furore, & sine armis, sine machinis, in baculis arcem Episcopi, meritis sui adolescentis, capere se posse confidebat. Quid plura? Omnes quotquot convenerant simul, turmatim versus Herbipolim properabant, viri, mulieres, virgines, juvenes & senes, numero fermè sex millia, non pauciores,

Odium Laicorum contra Ministros Ecclesiæ.

Pseudo propheta captivus ad Arcem Herbipolensem ducitur.

pauciores, & venientes ante castrum Pontificis, quod Mons S. Mariæ nuncupabatur, magna voce clamabant: *Reddite nobis Adolescentem, reddite sanctum & Innocentem, alioquin & Arcem & Civitatem subvertemus.* Miranda populi furentis, etsi stulta confidentia! in tantum omnes à majore usque ad minorem detinebat insania, ut crederent indubitanter muros arcis illico esse casuros, si propius accedentes nomen sui Adolescentis invocarent. Unde se mutuò cohortantes unanimi sententia decreverunt, non priusà Castelli obsidione discedere, quàm aut suum rehaberent Prophetam, aut Arcem funditus destruxissent. Non enim in armis & machinis bellicis, quas minimè habebant, sed meritis sanctitatis sui Hanselini, omnem spem & confidentiam ponebant. Neque verò possibile fuit in eorum æstimatione, quod Beatissima Dei Genitrix semper Intacta Virgo Maria Mater pietatis, Adolescentem in tanta posset necessitate captivum deserere, cui toties (ut ipsi falsò credebant) tam clementer, ne dicam familiariter, dignata fuerat apparere. Attoniti sunt hi, qui fuerant in Arce ad tantæ multitudinis adventum, & prima facie nescientes, qui essent, aut unde venissent, plus quàm credi potest mirabantur. Tandem cùm rei causam intellexissent, metum deposuerunt, jacula bombardarum statuentes immittere in turbam. Sed Pontifex ne hoc facerent indixit. Consilio námque accepto foras misit ad turbam, quæ convenerat, virum quendam à secretis prudentem Conradum Huttenum, cum Equitibus paucis, ut persuaderet multitudini, ut à malè cæptis desisteret, nec se mortis periculo sine causa tam pertinaciter implicaret. Is cùm venisset ad eos extra castrum in monte consistentes, quid vellent, aut unde, & quare venissent, inquisivit. At illi respondentes dixerunt: *De sancta Maria nostra Domina in Niclaushausen venimus, cujus famulum* (den Jungling, sic enim nominabant miserandum) *habere volumus. Quem nisi reddideritis nobis, hinc non discedemus, donec eum in manu liberemus violenta, & castrum hoc funditus evertamus.* Quibus ille dixit: *Boni Amici, rem meo judicio non modo stultam, sed vobis etiam nimis periculosam tentatis, qui tantæ fortitudinis castrum vos expugnaturos confiditis, cùm omnes sitis inermes, & neque bombardas, neque machinas ad opus tale necessarias habeatis.* Post multos & varios pro, & contra dictos sermones, ægrè vix tandem persuasi à viro nonnulli ut discederent, audito quòd Cives Herbipolenses essent in armis, & bombardæ omnes ex castro in eos paratæ, recesserunt. Major tamen numerus in loco fixus manebat. Viro autem in Arcem reverso, cùm illi contemnerent abire, jussu Præsulis bombardistæ castrenses, lapides machinis circumcirca projicientes, neminem lædere volebant, existimantes, quòd terrore bombardarum & necis metu essent abituri. Cúmque machinarum jacula non in se, sed aliorsum fieri cernerent omnia, non bombardistarum industriâ id fieri credebant, sed meritis Adolescentis captivi, quem servandum incolumem à Virgine Maria, non dubitabant, de loco cedere contempserunt, quoúsque tandem jocus in serium eis pernitiosum mutaretur. Igitur postquam viderunt Castrenses, quòd rusticana multitudo ut loco cederet, neque militis Conradi Hutteni, qui, sicut diximus, ad eam fuerat missus, oratione poterat persuaderi, neque bombardarum coruscatione terreri, serio jam opus esse rati, armatos in turbam socordem Equites miserunt, bombardarúmque jacula in eam fuderunt, ut qui

Multitudinis quàm simplex & vana credulitas fuerit.

Verba Conradi Hutteni ad Rusticos.

Suadenti utiliora pauci consentientes de multis abierunt.

Jacula bombardarum Equitésque armati in Rusticos mittuntur.

servati jocum spreverant, suo jam discerent interitu, quàm frivolè & inconsultè deceptoris sui tentare liberationem præsumpserint. Videntes enim quòd jacula bombardarum sine impedimento meritorum Hanselini Adolescentis captivi penetrarent in cuneum, cernentésque armatos Equites in se jam adventare destinatos, fugæ præsidia nimis tardè quæsiverunt. Interierunt imperitorum è turba illo die plures, alij bombardarum fulmine metuendo extincti; atque alij Equitum lanceis perforati. Hunc habuit finem impia stultorum devotio, qui novitatibus falsis inducti, contra veritatem nudi pugnârunt.

Propheta mendax veritatem aperire compellitur in tortura.

Porrò tympanista subulcus, Adolescens Hanselin Pseudo-propheta, populíque seductor captivus, quid in se veritatis haberent vulgata de eo vaticinia, interrogatus per cordam, omnia ficta esse, falsáque & ementita confessus est, & Monachum supradictum vagum, mendicum, & versipellem excogitavisse omnia voce liberâ dixit. Qui quidem Monachus posteaquam fatuellum audivit captivum, quàm procul potuit, fuga salutem quæsivit. Verùm quia cooperatione vel mali dæmonis, vel non satis rectæ credulitatis nonnulla in hac hominum peregrinatione, miraculis narrabantur similia, fuere nonnulli etiam prudentes viri, quos executio hujus negotij pavidos reddidit, ac metuentes, licet intentione diversâ. Enimverò illi quorum incauta devotio rem divinitus credebat habere principium; inter quos Civium Herbipolensium fuere plures, in necem Adolescentis consentire valdè timebant; nec hoc solum, sed etiam si traheretur ad mortem, sperabant illum interfici, Deo præservante, non posse: aut si permittente Deo necaretur, subitò vindictam adesse in foribus. Alij verò quibus mens erat sanior (inter quos Episcopus fuit cum suo Clero) non Dei vindictam propter mortem hominis metuebant iniqui, sed ne malignorum spirituum nequitiâ, qui superstitionibus gaudent, aliquid machinaretur doli aut fraudis, vehementer sanè & rationabiliter timebant; non enim Dei hominem, sed mancipium diaboli Hanselinum judicabant.

Varia erat apud homines negotij hujus æstimata opinio.

Pseudo-propheta judicatur ad incendium ignis.

Demum sententia mortis in hominem lata est: utpote in eum qui SS. Orthodoxam atque Catholicam fidem Christianorum, suis erroribus maculare ac pervertere tentaverit, eósq; dogmatizaverit Articulos falsos, de quibus jam ante fecimus mentionem. Ductus ergo in eam planitiem, quæ retro Monasterium est meum, circa domum leprosorum, cunctis penè civibus astantibus in armis, ut ignibus traderetur, sedebat ligatus. Interea duo malefactores eo cernente capitis accepère sententiam. Quibus truncatis dixit ad lictorem Hanselinus: *Siccine & mihi facturus es?* Cui ille: *Non*, inquit, *sed aliud tibi paratum est balneum.* Necdum enim conspexerat rogum, aut si viderit eum, forsitan ignorabat tamen quid esset. Cùm autem ligaretur ad palum comburendus, carmina quædam seu Rhythmos de Domina nostra in lingua theutonica compositos altâ voce canebat. Inter astantes fuerunt plures, qui hominem incombustibilem fore credebant, propter meritum sanctitatis, quo dignum esse censebant, qui à Dei Parente servaretur illæsus. Unde propius stare metuebant, formidantes, ne forsan ignis divino furore dispersus consumeret intuentes. Alij vel dæmonis operatione, vel quolibet maleficio defensum adolescentem non posse comburi timebant. Unde & spiculator eo metu laborans,

laborans, omnes pilos ejus fecerat abradi, ne quod maleficium sive dæmonium in eis latere potuisset.

Hanselinus Adolescens de Niclaushausen comburitur.

Ligatus ad stipitem adolescens suas personabat cantilenas, qui mox ut igne submisso sensit ardorem, flebili voce tertiò clamabat: *ô VVe ô VVe ô VVe.* Intercluságque ignibus voce nihil deinceps loquebatur, sed voracibus flammis consumptus, in cinerem resolutus est. Nihil in his omnibus miraculorum apparuit; nihil quod innocentiam vel exurendi, vel etiam exusti doceret, monstratum fuit. Veruntamen ne frivola stultorum devotio Martyrium ex temeritate confingeret, spiculator jussus omnem pulverem projecit in flumen. His peractis jam deinceps omnis populi concursus ad Niclaushausen cessat.

Carolus Burgundiæ Dux pecunia comparavit Alsatiam.

His quóque temporibus cùm Sigismundus Archidux Austriæ Comes in Tyroli, qui morabatur in Insprugg, quandam notabilem summam pecuniarum Conjuratis deberet Helvetijs, ratione bellici apparatus, quo ei ante triennium servierant in obsidione Walzhut, & vel non haberet in promptu, unde solveret, vel quavis alia ratione motus, quatuor oppida Walzhut, Lauffenburg, Rheinfelden, & Seckingen, cum omnibus, quæ sui juris erant in Alsatia, in Brisgavia, & in Nigra sylva, Carolo Duci Burgundiæ sub redemptionis titulo vendidit, & assignavit.

Origo Nobilium de Hagenbach.

Carolus itaque Dux Burgundiæ homo nimium in quietus, bello contra Rheinhardum Lotharingiæ Ducem occupatus, Petrum quendam de Hagenbach, ex rustico Nobilem, ex Nobili Equitem factum Auratum, virum in armis strenuum, per Alsatiam & loca memorata vicetenentem, seu Vicarium suum constituit: & omnem ei potestatem commisit. Qui primum veniens in oppida & loca supradicta, Juramentum fidelitatis, ut fieri solet, nomine Domini sui Caroli Ducis memorati suscepit, astantibus his, quos Archidux Austriæ Sigismundus in testimonium suæ miserat voluntatis.

Petrus Hagenbach tyrannizat in Alsatia.

Confirmatus in Vicetenentem Burgundiæ Ducis, sicut dictum est, Petrus de Hagenbach, eo Rempublicam more gubernavit, quo vulgatum juxta proverbium rustici solent in gloriam sublimati. Repente námque tyrannidem exercere in subditos cæpit, pauperésque non solum gravare modis studuit varijs, sed etiam legem erubuit minimè violare divinam. Virgines Civium suorum filias corrumpere, seducere, nolentésque libidini consentire suæ violentare consuevit: nec hoc solum, sed neque votatis Deo, neque maritatis parcere voluit. Consuetudines populi antiquas, Privilegia quoque & libertates à Regibus & Principibus Austriæ concessas & nunquam violatas infregit, abstulit, atque mutavit, gentíque novitates intolerabiles, multas & varias induxit. His contumelijs incitati homines terræ, quomodo ab ejus tyrannide liberari possent, secretum inter se habuere consilium, placuítque ut caperetur.

Petrus Hagenbach capitur in Brisach, & capite truncatur.

Cùm ergo in fine quadragesimæ venisset in oppidum Brisach, & inter alia bonis moribus Christianorum contraria sive adversa, Civibus in forum congregatis mandaret, ut omnes ad laborandum idonei fossatum urbis in proxima die solemni Dominicæ Resurrectionis purgare debuissent, ab eis capitur, & carceri mancipatur. Post Pascha maturo consilio plurimorum, de multis accusatus sceleribus & convictus judicatur ad

mortem; eductúſque extra oppidum anno tyrannidis ſuæ ſecundo, ſecuri percutitur, & interijt lætantibus cunctis, quos contumelijs affecerat.

Granſe à Burgundiæ Duce obſidetur, & capitur.

Anno prænotato, Carolus Dux Burgundiæ magno ſuorum adunato exercitu, movit in Helvetios, & imprimis Granſonam oppidum in manu valida obſedit: quod machinis & bombardis ſine intermiſſione fortiter impugnavit. Nec minus obſeſſi per eum, in oppido ſe viriliter defenſabant. Interea conjurati Suitenſes in magno pugnatorum numero congregati, obſeſſis in auxilium venire ſtatuerunt. Sed aliquantulum tardius properantes, cùm illi adventum neſcirent iſtorum, & nimium urgerentur à Duce, accepta ſecuritate vivendi ab eo, & quo vellent abeundi, oppidum in manus ejus tradiderunt. Dux autem oppido potitus, omnes Helvetios, Alemannos atque Germanos in eo repertos, non minus ſexcentos viros contra fidem quam eis dederat, ante arcem in arboribus fecit ſuſpendi. Acta ſunt hæc anno præſcripto in fine menſis Februarij.

Dux Burgundiæ ab Helvetijs ſuperatus fugatur.

Helvetijs tandem ſine ordine appropinquantibus, Dux è caſtris prorumpens obviam primæ cohorti factus eſt, & bellum commiſit. Non diu pugnavit, & ecce Nuntius retrocedens, quid paterentur ſocij, qui præceſſerant, ſocijs nuntiavit. At illi feſtinantes in auxilium eorum properabant. Videntes Burgundi exercitum tantæ multitudinis Helvetiorum contra ſe deſcendentem de monte, nimio pavore correpti fugere cæperunt, in quorum medio Dux enſe nudato eques diſcurrens clamabat: *State viri, ſtate & nolite fugere.* Sed nihil clamando, cædendóque proficiens fugere tandem cum fugientibus & ipſe compulſus eſt. Unde pauci eorum fuerunt interfecti propter fugæ velocitatem, quòd eos Helvetij conſequi non potuerunt. Enimverò tam anxia fuga erat, quod armis, & cæteris omnibus abjectis, nullus eorum retroſpicere præſumebat. Ibi Dux Carolus, & omnes qui cum eo fuerunt, clenodijs cunctis, pecunijs & rebus ſuis ſpoliati ſunt. Quæ omnia in poteſtatem Suitenſium pervenerunt. Bombardas obtinuerunt in ea fuga Burgundionum plurimas; vaſa quoque aurea, & argentea ſine numero; lapides pretioſos inæſtimabilis pretij: veſtes auro, & gemmis intextas, quæ Ducis fuerant, & Principum ejus plurimas; annulos aureos cum pretioſiſſimis gemmis; uniones quoque magnos & multos. Inter aliam quoque ſupellectilem Dux amiſit aureum ſigillum ſuum magnum, quod in memoriam tantæ victoriæ apud Lucernenſes ſervatur uſque in præſentem diem. Adamantem etiam unum magnum & pretioſum, quem ipſe Regno comparavit, hunc poſt Conjurati vendiderunt. Pugionem quóque ſuum amiſit, cujus manubrium ſapphyris, hyacinthis, adamantibus, rubinis, & alijs pretioſis lapidibus mirabili arte & ingenio fuit ſuperductum. Tabulam inſuper auream trium pondo marcarum, in qua Sanctorum fuerunt Reliquiæ, raræ ac pretioſæ. Digitum quoque, ſive pollicem ſancti Andreæ Apoſtoli auro incluſum. Orarium unum quod vulgò: *Pater noſter*, appellant, ex magnis & pretioſiſſimis lapidibus compoſitum. Calicem ſimiliter aureum, & alia plura. Facta ſunt hæc anno Dominicæ Nativitatis præſcripto, prima die Martij.

Clenodia Ducis Burgundiæ amiſſa per Suitenſes obtenta.

Granſon oppidum recuperatur à Suitenſibus.

Altera mox die Suitenſes caſtra metati ſunt ante Granſonam in eo loco, ubi ſua Dux Carolus tentoria poſuerat, & expugnato confeſtim oppido Burgundos omnes, quos Dux in eo locaverat, ſtrangulatos funi-

bus,

bus, per muros foras ejecerunt. Deinde suspensos in arboribus suos ante castrum à Carolo, deponentes, apud Fratres minores in oppido Granson sepulturæ commendârunt. His ritè peractis unusquísque ad sua reversus est, victoria & spolio plenus. Carolus igitur Dux Burgundiæ in semetipso graviter confusus, non solum, quòd sua perdiderat omnia, sed etiam quòd ab Helvetijs tam esset turpiter fugatus, quemadmodum se vindicare posset de Conjuratis, anxiè nimis cogitabat. Exercitum igitur dispersum vix tandem cum magno labore in unum reductum, Mortena oppidum fortissima obsidione vallavit, & die noctúque machinis & bombardis ab omni parte graviter impugnavit. Contra quem Reinhardus sive Renatus Dux Lotharingiæ in propria persona cum suis, & Suitensibus processit ad bellum. Prælium fit atrox nimis, & cruenta luctatio: Bombardistæ námque Ducis Caroli ordine primo stantes in capite exercitus, contra venientes Helvetios, & Lotharienses jacula sine intermissione horrenda miserunt, aciem confundere laborantes. Sed Helvetij festinanter non minus quàm audacter impetu facto Bombardistas occiderunt, & machinis occupatis Burgundiones aggrediuntur, cædunt, percutiunt, & in fugam denuo convertunt. Fugit iterum Dux Carolus non cum sed inter primos, relictis omnibus, quæ habebat, quem insequentes Helvetij plus quàm triginta millia Burgundionum occiderunt, & oppidum Mortena obsessum liberaverunt. Acta sunt hæc anno memorato, 22. die mensis Junij.

Mortena obsidetur à Carolo Burgundionum Duce.

Carolus Burgundiæ Dux iterum fugatur à Suitensibus.

Eodem anno supradictus Lotharingiæ Dux Reinhardus auxilio Helvetiorum & Argentinensium obsedit Nanse oppidum, sibi, ut supra diximus, à Carolo præreptum, quod fortiter impugnans tandem recuperavit, Burgundionibus cunctis inde fugatis vel interemptis.

Nanse recuperatur à Reinhardo Duce Lotharingiæ.

Anno item prænotato Bernardus Abbas hujus Monasterij Hirsaugiensis, inter plura, quæ vel construxit de novo, vel antiquata renovavit ædificia, etiam domum infirmorum pro Fratribus ægrotantibus à fundamentis, ut hodie cernitur, novam erexit, non sine magnis sumptibus & impensis. Multa etiam utensilia domus pro necessitate Fratrum & hospitum disposuit, pro quibus pecuniam successivè non parvam expendit.

MCCCCL XXVII.

Anno Bernardi Abbatis XVII. Indictione Romanorum x. Carolus Dux Burgundiæ, qui cunctis principibus metuendus esse volebat, erubescens, & graviter animo ferens à Lotharingensium se Duce superatum: cupiénsque tantam in eo simul, & in alijs vindicare contumeliam, resarcitis copijs pugnatorum ex Salinis oppido Sequanorum, quatuordecim millium eduxit exercitum, & Nanse denuo fortissimè obsedit. Cúmque in ipsa consistens obsidione novas præstolaretur copias in auxilium sibi ex Flandria destinandas, Renatus Lotharingiæ Dux habens mercede conductos Helvetios sive Suitenses unâ cum Australibus, Argentinensibus, & his, quos ei Ludovicus Rex Gallorum XI. miserat in auxilium, contra eum venit, partitóque agmine altero prope fluvium Mosellæ, altero verò per viam militarem versus Nanse festinanter contendit. Carolus autem, cùm ex adverso suos ad pugnam binis ordinasset aciebus, Jacobum Galeotumad proximè adjacentem sinistrorsum monticulum, in quem Helvetiorum pars quædam diverterat ab equitibus, numeroso peditum exercitu sibi juncto misit in hostem. At Helvetij, qui tum in Colle steterant

Nanse oppidum à Burgundo obsidetur.

Bellum inter Carolum Burgundum & Reinhardum Lotharingum.

conversâ in Burgundos facie magno eos impetu excipiunt, Caroli peditatum in fugam convertunt. Illi autem Lotharienſium partis, qui ad Moſellæ ripas iter habebant, ſine mora in Galeotum moventes totum ejus exercitum fuderunt. Cúmque Burgundos inſequendo Helvetij perveniſſent uſque ad pontem Moſæ, haud procul à Nanſe, tum fugientes in duas diviſi turmas urgentibus à tergo perſecutoribus Helvetijs una pars flumini ſe credidit & ſubmerſa eſt, altera pars cæſa interijt: reliqui ad proximi nemoris latibula divertentes ſine miſericordia ab incolis trucidantur.

Carolus Dux Burgundiæ ab Helvetijs in bello perimitur.

Non ceſſavit Lotharingus hoſtem perſequi, donec ſuperveniens nox atra quietem perſequentibus neceſſariò indixit. Burgundiæ verò Dux Carolus dum fugâ quærit ſalutem, labente, cui inſederat, equo in terram, tribus acceptis vulneribus, altero in capite ſecus aurem dexteram uſque ad molarem pertingente, altero in femore, & tertio ad anum, extinctus eſt anno prænotato ſeptima die menſis Januarij ætatis ſuæ anno XLIV. necdum completo, Nanſæ humili ſub lapide ſepultus. Et iſte finis Burgundiæ Ducis extitit, qui animo non minor videbatur ſibi magno Alexandro. Unde quidam brevi dicterio annum mortis ejus & cauſam volens exprimere, dixit: *CernIte nVnC dVCes BVrgVndVM gLorIa neCat*, hoc eſt, *anno Domini MCCCCLXXVII. ambitione Burgundus interijt.*

Margaretha Caroli Ducis uxor fuit, Mariaque filia unica.

Uxorem habuit Margaretham Angliæ Regis filiam, quæ multis poſt eum annis apud Mechliniam vixit in Brabantia, de qua filiam genuerat unicam nomine Mariam, eo tempore, ut ſupra dictum eſt, Maximiliano Archiduci Auſtriæ poſtea Cæſari deſponſatam, annum tunc habentem viceſimum ætatis, cum qua Maximilianus ipſe conſecutus eſt multa dominia & Principatus hæreditario Jure, de quibus paulo antehac fecimus mentionem. Genuit autem ex ea Philippum Archiducem Auſtriæ, qui poſtea factus eſt Rex Caſtiliæ in Hiſpania, & Margaretham, quæ nupſerat Regi Hiſpaniæ, quo mortuo nupſit Duci Sabaudiæ, quo etiam mortuo vidua manet in præſens.

Renatus Dux totum Lotharingiæ Ducatum recuperat.

Poſt mortem verò Ducis Caroli Reinhardus Dux Lotharingiæ omnem Ducatum ſuum, quem illo vivente amiſerat, ſine difficultate recuperavit. Helvetijs promiſſam antea pecuniam ratione auxilij, quod ei præſtiterant, fideliter ſolvit, fidem amicis, quamdiu fuit in humanis, omni tempore ſervavit. Fuit enim vir non ſolùm in armis ſtrenuus, ſed etiam ſtudio & eruditione Litterarum inſignis, & præſertim in Mathematicâ & Aſtronomiâ, ac ſingularis devotionis in Deum. In eo quoque loco, ubi corpora mortuorum in bello jacebant Burgundionum, Sacellum condidit, Sacerdotémque in omnibus neceſſarijs proviſum in eo conſtituit, qui pro defunctorum requie Dominum deprecetur, & crucem pro memoria tam ejus quàm facti, ubi fuerat occiſus, habenda erexit. Conventum

Cœnobium Minorum in oppido Nanſe fundat.

Fratrum S. Franciſci Minorum in oppido Nanſe à fundamentis novum conſtruxit, & multa eis pro Chriſti amore beneficia impendit. Cum Metenſibus plures habuit contentiones, ſed tamen contra eos prævalere non potuit. Hunc Ducem Innocentius Papa VIII. poſtea ut legitimum hæredem titulis & regnis donavit Siciliæ & Hieruſalem: qui Regem ſe deinceps duorum Regnorum ſcribens & nominari præcipiens ad nullius poſſeſſionem pervenit. Rem narramus notam. Eo tempore, quo honore

nore nominis regij à Papa fuerat donatus, statuit edictum per omnem Principatum suum, ut sub mulctâ quartæ partis floreni jamjam antea subditi omnes publicè & privatim illum non Ducem, sed Regem Siciliæ nominarent. Quoties autem Ducem nominaret aliquis, toties dictam pecuniam solveret pro pœnâ. Contigit die quadam Dominicâ, ut Presbyter quidam Villanus post sermonem, ut fieri solet, inter orandum diceret: *Oremus pro Domino nostro Duce Lotharingiæ.* Cujus verba Scultetus astans confestim interrupit, alta voce dicens: *Hem, hem Domine Plebane pendite sex albos:* Cui Presbyter: *Indulge mihi hac vice*, inquit, *Domine Scultete, quoniam impræmeditatè locutus sum labente Lingua; sed amplius me non audies nisi Regem compellantem.*

Ridendum Ducis mandatum ponitur.

Eodem quoque anno Renatus Dux Lotharingiæ prædictus non solùm Ducatum suum, ut dictum est, recuperavit, sed etiam Burgundiæ Principatum nomine Ludovici Regis Gallorum XI. totum occupavit, gratum se Gallo cupiens exhibere, cujus & milite & pecuniâ magnificè adjutus, suum principatum recuperaverat amissum. Ex eo tempore Ducatus Burgundiæ Regi Ludovico subjectus, Mariâ Caroli filiâ hærede legitimâ non Jure sed violenter exclusâ, sub ditione Gallorum permanet usque in præsentem diem.

Burgundiæ Ducatum Rex Gallorum præoccupat.

Anno item prænotato Ludovicus Gallorum Rex memoratus audito Caroli Ducis interitu, non contentus regno proprio, nec Burgundiæ Ducatu alieno, quem per Lotharingiæ Ducem, ut diximus, sibi usurpaverat, etiam reliqua ejus dominia, si posset, invadere cogitabat. Contractis igitur copijs pugnatorum magno cum exercitu sub festinatione movit in Flandriam. Et primò quidem venit ad Noviomenses brevíque deinceps Mondiderium, Peronam, Abbatis Villam, Monstroliúmque oppidum, quod duobus fermè à S. Judoco distat milliaribus cum aliquot locis usque ad Atrebates occupavit. Porrò Atrebates Gallorum subire ditionem penitus recusabant, & recepto in Urbem præsidio Flandrensium constantissimè illis repugnabant. Rex ergo Civitatem firmissima obsidione cingens acriter satis impugnare cæpit: cujus potentiæ cùm Cives non valerent diutius resistere, corporibus salvis & rebus in ejus verba juraverunt, & oppidum Abbatiæ S. Vedasti nostri Ordinis centum ferè passibus à Civitate Atrebatensi distans saris munitum, in quod ex alijs locis recenter expugnatis à Gallis, plures confugerant, qui regio exercitui non parùm extitere molesti. Contra quorum insultum Rex Ludovicus capta Civitate muros & fossata confestim instaurari fecit, & oppidum ipsum S. Vedasti fortiter obsedit. Hi verò qui erant in oppido quàm parùm timuerint Gallos, & quanto eorum laboraverint odio, ex eo claresceré potest, quod per privatos & publicos parietes Furcas sculpebant appensis albis Crucibus tanquam ipsum Regem Gallósque suspendio dignos judicarent. Fuerunt etiam qui pudendas corporis partes revelatas è muris Gallo militi ostenderent. Postremò tamen concordiam tali modo cum Rege inierunt. Imprimis, quod ipsi cum oppido in fide & potestate Regis Gallorum jurati debeant permanere: fiscum & vectigalia quæstores regij administrarent, & pecuniam inde quæsitam Maria Caroli quondam Burgundiæ Ducis unica filia reciperet ab ipsis ministris regijs, donec

Ludovicus Rex Gallorum Flandriam hostis ingreditur.

Civitas Atrebatensis à Rege Gallorum obsidetur & capitur.

Regi

Regi ut primario suo Principi fidem persolverit, interim oppidani nullum præsidium regium reciperent. Et sic quieverunt.

Hisdinium à Gallis obsidetur & capitur una cum arce.

Posthæc Ludovicus Rex Hisdinium oppidum Flandriæ obsedit & cepit, & paulo post arcem, ejectis his, qui in eam confugerant cum suis fortunis, militibus. Omnes tam in Hisdinio quàm in oppido S. Vedasti oppidani, nec minus Cives Atrebatenses Mariam Caroli Ducis filiam quamvis longè à se in Flandriâ manentem non secus, quàm Numen aliquod observabant & venerabantur, ita ut quidam in Maximiliani Archiducis odium, cui illa fuerat desponsata, per Galliæ Regem damnati ad mortem, cùm securim cervici districtam imminere cernerent, & unico verbo potuissent evadere, mori pertinaciter maluerunt quam dicere: *Vivat Rex*; tantam fidem ad Dominam suam habuerunt.

Conabatur Gallus sponsatam Maximiliano præripere.

Interim Ludovicus Rex Gallorum quanquam sciret optimè Mariam Caroli Ducis quondam Burgundiæ filiam Maximiliano Duci Cæsaris Friderici III. filio desponsatam, nihilominus cupiditate dominiorum ejus vehementer incensus magnopere conabatur, quomodo eam ad se traheret. Promittit itaque puellæ maritum ex regio genere dare, nec sinere eam dispendio aliquo affici, sed ditionem quæ ad eam pertineret, tanquam suam defensare omni tempore, ut filiæ pater. Cujus rei causâ per multas intermedias Personas animum ejus occultè sollicitat, quod in aperto cum desponsata fieri non potuit, sed omnia frustra & sine effectu. Erat enim puella non sine causa Gallis infensa, quippe qui multa in patrem ejus mala commiserant, & in necem illius consilium & auxilium ministraverant. Prætulit ergo non sine ratione fallacibus veraces, Gallísque Germanos, non immemor, quid olim Joanni proavo contigerit suo, qui coram Rege Galliæ fraudulenter & dolosè fuit occisus post confirmatam Sacramento concordiam. Novissimè misit ad eam Oliverium ignobilem quendam Tonsorem suum, qui fuit patriâ Flandrensis, existimans per illum se posse ei persuadere, non enim Gallo alicui Principi confidebat, ne fortè legationis munere fretus regno pernicioſum quidpiam machinaretur. Oliverius autem posteaquam ad Mariam venit, solita temeritate usus, vel quod ita in mandatis acceperat, petit secretum cum ea colloquium. Quod cùm pudori & celsitudini puellæ non conveniret cum tali nuntio maximè verbum habere secretum, non obtinuit, quod petivit, sed ea, quæ commissa susceperat à Ludovico, dicere præsentibus ad hoc delectis à Maria, illum oportuit, quo facto inanis abire jussus est.

Tonsorem suum Oliverium frustra misit ad Mariam.

Flandrenses Maximilianum præferunt Regi Gallorum.

Denique Flandrenses, quorum fidei puella fuit commissa, tametsi omnem belli causam vitare cuperent, Gallis tamen contemptis maluerunt credere & adhærere Germanis. Varijs enim modis Rex Ludovicus apud eos satagebat, ut puellam in suam posset abducere potestatem, non ejus vel amore vel utilitate, sed quòd eam Maximiliano non favebat propter lata sponsata dominiáque ac splendidos Ducatus & Principatus. Sed spe sua frustratus & opinione deceptus, Dei consilium immutare non potuit.

Rex Angliæ Fratrem suum conjicit in Carcerem.

Anno prænotato, Edmundus Rex Angliæ in Fratrem suum proprium, qui Dux erat Clarentiæ, duram & impiam tulit sententiam, cujus hæc fuisse causa memoriæ traditum est. Constituerat idem Clarentiæ Dux Margarethæ sorori, quæ Duci Burgundiæ Carolo, ut prius dictum est,

olim

olim nupserat, contra Gallum auxilia ferre imploratus & rogatus, non minus per eum, quàm etiam per neptem suam Mariam. Verùm, quia hoc præsumpsit absque Regis & Fratris consensu, priusquam in opus mutaret consilium, ab eo captus est & in vincula positus, multis diebus squalore carceris crudeliter afflictus. Tandem ad præsentiam Eduardi Fratris perductus, talem ab eo sententiam moriendi accepit, ut videlicet ex Londonensi arce foras extra Civitatem ad patibulum traheretur, ibi conspiceret intestina sua cremari, cui mox caput securi amputaretur, & Cadauer truncum quatuor in partes divideretur. Crudelis & nimis horrenda Fratris in Fratrem sententia, etiamsi grandia peccasset. Sed à tam ignominiosa damnatione matris intercessione temperatum est. Ejus tamen supplicij genus tale fuit. In dolio malvatico vino referto extinctus est vivus, & deinde truncatus capite. Alteram mortis causam nonnulli posuerunt, quòd Eduardo Fratre expulso regnum affectaverit. Gaudet siquidem Anglorum gens vel exactione & exilio, vel nece suos Reges frequentius commutari.

Dux Clarentiæ in malvatico à Fratre Rege submergitur.

Eodem anno Maximilianus Archidux Austriæ cum magno suorum exercitu contra Regem Ludovicum Gallorum venit in Flandriam, cujus adventu territus Rex Galliæ dimisso Hisdinio secessit ad Tornacum & inde Atrebatum. De pace multi sunt habiti tractatus, sed pacis nulla diu confidentia stetit, Gallo more suo fidem servante Germanis. Postremò tamen unius anni statuuntur induciæ, quas Treugas nuncupat vulgus, & Rex Gallus Turonum revertitur.

Maximilianus Archidux Gallum pellit ex Flandria.

Anno item præscripto Gymnasium universale apud Suevos in oppido, quod Tubingen nuncupatur, Constantiensis Diœcesis Provinciæ Moguntinæ, operâ & impensis Eberhardi Barbati Comitis de Wirtenberg & matris ejus Mechtildis Archiducis Austriæ, quæ genere soror fuit Ludovici & Friderici Comitum Palatinorum Bavariæque Ducum, quæ primò nupserat Ludovico Wirtenbergensium Comiti, ut supradictum est, Fratri Udalrici, de quo concepit & peperit jam dictum Eberhardum. Ludovico autem vita defuncto nupsit Archiduci Austriæ, quo etiam sine liberis mortuo ad filium est reversa. Verùm quia majoris æstimationis est Archidux quàm Comes, titulum sibi ab ultimo & non à primo marito retinuit. Sixtus ergo Papa IV. ad preces hujus Mechtildis & filij ejus memorati noviter institutum Gymnasium auctoritate Apostolica confirmavit, & privilegijs ad instar Bononiensis gratiosè munivit. In quo Gymnasio plures deinceps viri docti floruerunt.

Universitas Tubingensis à Comite Wirtenbergensi instituitur.

Anno etiam prænotato, XII. mensis Decembris, obijt Fridericus Comes Palatinus Rheni Bavariæque Dux Tutor Philippi, Frater jam dictæ Mechtildis, Ludovici quoque Patris Philippi, & Ruperti Archiepiscopi Colonensis. Cujus Corpus in habitu Fratrum Minorum apud eosdem in oppido Heidelberg sub marmore cælato in absidula dextrorsum solemni pompa fuit sepultum. Post hunc Philippus Ludovici Pij quondam filius annum ætatis agens XXIX. hæres legitimus & unicus Principatum paternum suscepit regendum, quem modestissimè gubernavit annis XXXVI. Uxorem duxerat prius, ut supradictum est, Margaretham sororem Georgij Ducis Bavariæ cognomento Divitis, quæ vixit cum eo annis XXVII. mulier honestissimæ conversationis: de horum Principum liberis etiam

Fridericus Comes Palatinus moritur.

supra diximus, & infra suo loco iterum dicemus, annum & diem nativitatis cujusque largiente Domino brevi narratione recensentes.

Apud Florentinos Julianus de Medicis in Ecclesia occiditur.

Anno quoque memorato Florentini Cives in Italia pace fruentes optimâ Juliano & Laurentio de Medicis Rempublicam gubernantibus ac moderantibus tali occasione in tribulationis foveam inciderunt. Ferdinandus Rex Neapolitanus invidus eorum paci, adscito sibi Hieronymo Comite de Immola Raphaelem Diaconum Cardinalem S. Georgij, nepotem Sixti Pontificis IV. & Franciscum Salviatum Archiepiscopum Pisanum cum trecentis viris alijs Florentiam destinavit, ut Fratres jam dictos de Medicis, quomodo possent, occiderent. Quare venientes Florentiam, Salviato jam nominato Archiepiscopo Pisano Missam canente in Templo S. Liberatæ, horâ insidiarum compositâ, Julianus de Medicis in ipsa Ecclesia nihil suspicatus à Sicarijs præordinatis confossus interijt, Laurentius autem haud parùm vulneratus evasit. Hinc ortâ seditione magnâ inter Cives missi à Ferdinando capti sunt omnes, è quibus Pisanus Archiepiscopus, Prior quoque, Lector, & Seniores Conventus S. Dominici cum alijs multis perpetrati sceleris, ut dicebatur, conscij & cooperatores suspendio necati sunt ante Prætorium urbis, ut consuetudo est Italis. Multi etiam ex factiosis trucidati pœnas impietatis dederunt. Cardinalem verò S. Georgij ad cautelam Florentini secum detinuerunt, volentes animum Pontificis explorare prius. Sixtus autem Papa IV. auditis his, quæ Florentiæ gesta sunt de Archiepiscopo Pisano, & nepote, ad instantiam Regis Ferdinandi & Comitis Hieronymi (cujus nepos ex sorore fuit Raphael Cardinalis captivus) Florentinos, ut excommunicatos vi Canonis Ecclesiastico Interdicto suppositi, & bellum Civibus indixit, quorum agros insequenti anno gravi prælio devastavit.

Archiepisc. Pisanus cum alijs multis Florentiæ suspenditur.

MCCCCLXXVIII.

Anno Bernardi Abbatis XVIII. Indictione Romanorum IX. obijt Matthias de Ramungen Episcopus Spirensis anno Pontificatus sui XIV. cujus Cadaver in majori Ecclesia Spiræ sepultum est in Capella, quam ipse sub honore Beatissimæ semper Virginis Mariæ construxerat à fundamentis novam ad septentrionalem plagam, vir optimus, corpore crassus, mente in Christum devotus, actione præcipuus, qui multa bona fecit Ecclesiæ suæ, & Canonicos S. Germani transtulit in Civitatem. Cancellarius multo tempore fuit Palatini Comitis Friderici, & officium suum utrúmque etiam in Pontificatu sine reprehensione adimplevit.

Matthias Episcopus Spirensis moritur.

Huic in Episcopatu successit Ludovicus de Helmstatt Canonicè per Capitulum electus, qui eo tempore Archiepiscopi Moguntini Dietheri Vicarius in spiritualibus fuit, quoniam utrobique Canonicus erat. Is confirmatus per Sixtum Romanum Pontificem IV. annis præfuit XXVII. Fuit autem vir honestissimæ conversationis, modestiâ, honestate & integritate morum nulli Pontificum Germaniæ secundus. Rarò intermisit nisi occupatione multâ præpeditus, quo minus Passionis Dominicæ mysterium ad altare sanctum quotidie celebraret, etiam coram infimæ conditionis hominibus. Nunquam de incontinentia notatus est, quod illo tempore in Pontificibus Germaniæ multis rarissimum fuit. In subditos suos clementissimus extitit, in pauperes misericors, amator paucis & tranquillitatis.

Ludovicus de Helmstatt fit Episcopus Spirensis annis XXVII.

Hoc

Hoc unum ei vitio dari potest, quòd naturâ potius quam voluntate aliquantulum plus justo pusillanimis erat, & timidus in resistendo his, qui aut moribus erant reprobi, aut Jus Ecclesiasticæ libertatis temere violabant. Eo námque præsulante in Diœcesi Spirensi consensu Philippi Comitis Palatini, sine quo fieri non potuit, machinatione verò eorum, qui manibus ipsum principem ducebant in foveam delicti, translatum est ex Ordine Monachorum Cœnobium Klingenmünster, & facti sunt ex Monachis Canonici deteriores. Hos secuti Abbates & Monachi Christo mendaces in Odenheim & Hausheim similiter ab Ordine recesserunt.

Tria Monasteria Ordinis nostri translata in Diœcesi Spirensi.

Eodem anno secunda die mensis Julij, quæ fuit solemnitate Visitationis Beatissimæ Mariæ semper Virginis Intactæ festiva, circa horam ferme tertiam post meridiem, Heidelbergæ natus est primogenitus Philippo Comiti Palatino ex Margaretha Ducis Georgij filia nomine Ludovicus, qui Patri succedens in principatu postea, hodie annum ætatis agit XXVII.

Ludovicus Comes Palatinus nascitur.

Anno præscripto, vigesima secunda die mensis Junij horâ secundâ, minuto 40. post meridiem Brugis in Flandria natus est Philippus Maximiliani Archiducis Austriæ ac Mariæ Burgundiæ primogenitus postea Castiliæ Rex in Hispania.

Hoc ipso quoque anno cùm Rupertus Archiepiscopus Colonienſis post obitum Fratris omnium destitutus auxilio neminem haberet, cujus posset implorare consilium aut suffragium, & Hermannus Hassiorum Landtgravius, quem sibi Capitulum statuerat, ut supra diximus, gubernatorem Ecclesiæ contra Rupertum, omnia Castella, oppida, telonia, proventus quoque annuos & census in suam subegisset potestatem, inops & pauper unde posset vivere non habebat. Et, heu generis humani mutabilem statum! non satis fuit novercanti fortunæ hominem prosapiâ, dignitate simul & potentiâ nulli Germanorum inferiorem Principum in extremam egestatem dejecisse, nisi Leænam induta etiam in carcere mori lamentabilem compelleret. Verendum tibi Hassia, ne solvas peccatum.

Circa Festum Pentecostes anni suprascripti, pauper Archiepiscopus necessariò quò profecturus, cùm eo die prandium in ejus mensa Hermannus Gubernator supradictus sumpsisset, in quodam ejus Castello, ubi mansionem habebat, medio itinere captus est per Henricum Landtgravium Fratrem ipsius Hermanni, ductúsque captivus in quodam Castello Blanckenstein custodiæ mancipatur. In ea miserabili captivitate biennio supervixit, de cujus morte & sepulturâ infra dicemus.

Rupertus Archiepisc. à Landtgravio Hassiæ captus detinetur.

Eodem anno Ludovicus Rex Gallorum rupto fœdere pacis, quod cum Maximiliano statuerat anno priore, denuo movit exercitum in Burgundiam, & quædam oppida cepit, inter quæ Dola Civitas expugnata est, & eversa. Hinc motus non indignè Maximilianus grandem coëgit exercitum, & movens ex Flandria in Picardiam Morinos obsidione vallavit. Habebat in exercitu Maximilianus quadraginta millia pugnatorum. Contra quem procedentibus Gallis atrox bellum committitur, & multi ab utráque parte ceciderunt, ex Gallis videlicet undecim millia, & ex Burgundis quinque millia. Cameracenses quoque per id tempus ejecto Gallorum præsidio sese Maximiliano ut vero & primario Principi subjecerunt. Secuti horum exemplum Buchinienses militem intromiserunt Flamingum Gallis omnibus necatis.

Bellum Maximiliani cum Gallis juxta urbem Morinorum.

Induciæ statuuntur septem annorum.

Induciæ posthæc inter Ludovicum Regem Gallorum & Maximilianum Archiducem atque Flandrenses duraturæ septennio constitutæ sunt, quas Galli more suo & consuetudine non diu servaverunt. Rupto enim fœdere multa damna & mala hinc inde Maximiliano & Flandrensibus intulerunt.

Marianæ Conceptionis puritatem impugnare periculosum.

Circa hæc tempora erat Frater quidam Ordinis Prædicatorum in Conventu Pforzheim contra puritatem Conceptionis B. Mariæ semper Virginis solita præsumptione conspirans. Qui cùm in die Festo ejusdem Conceptionis verbum facturus ad populum in Ecclesia conscendisset ambonem, atque positionem suam, quam Græci Thema nuncupant, de hac ipsa materia secundum opinionem Marianæ sempiternæ puritati contrariam, ut fieri solet, in medium deduxisset, apoplexiâ subitò tactus cecidit, relatúsque à Fratribus in Cellam infirmorum eodem die vita decessit. Quo casu plures astantium perterriti, ejus temeritatem, qua contra Matrem Dei fuerat locutus, vindicatam esse crediderunt. Sed utrùm hæc mors tam horrenda naturalis fuerit, an vindictæ divinitus actæ, quis tutò judicabit? Nihilominus plura feruntur similia in terrorem & pœnam illis facta, qui Beatissimam Dei Genitricem maculare præsumpserunt.

Wiltperg Cœnobium.

Anno prænotato, Bernardus Abbas hujus Monasterij Hirsaugiensis commissione Sixti Pontificis IV. simul & Comitis Eberhardi reformavit Cœnobium sororum sive Monialium in Wiltberg Ordinis Prædicatorum.

MCCCCLXXIX.

Capitulum Ordinis nostri Provinciale XXIII. Nürenbergæ celebratur.

Anno Bernardi Abbatis XIX. post Paschatis Festum Dominicâ secundâ, celebratum fuit Ordinis nostri XXIII. Provinciale Capitulum in oppido Nürenberg apud S. Ægidium. In quo præsederunt Martinus in Schvvarzach, Leonardus in Castello, Bernardus jam dictus in Hirsaugia, & Hermannus S. Jacobi prope Moguntiam Cœnobiorum Ordinis memorati Abbates, in quo Capitulo plura pro reformatione statuta fuerunt.

Ludovicus Bavariæ Dux Dives moritur.

Eodem anno mortuus est Ludovicus Dux Bavariæ cognomento Dives vir animosus, fortis & strenuus, qui prælia multa & varias contentiones habuit cum Alberto Marchione Brandenburgensi & Civitatibus Regni: Uxor ejus nomine Hedvvigis filia Regis Poloniæ fuit, quæ peperit ei filium unum nomine Georgium, qui Patri successit in Ducatu, & unam filiam nomine Margaretham, quæ nupserat Philippo Comiti Palatino, ut diximus.

Anno prænotato, in principio mensis Januarij, hoc est, sub Octavis Epiphaniæ Domini, Equites Franciæ Orientalis, Sueviæ quoque, Saxoniæ partiúmque Rheni plures numero convenientes in unum apud Wirzburg Urbem Francorum sub Rudolpho Episcopo Tyrociniorum ludum, quem Torneamentum vocant, habuerunt. Similia posthæc Torneamenta Heidelbergæ Wormatiæ & Moguntiæ habita sunt.

Joannes de Wesalia Doctor examinatur.

Anno item præsignato, in mense Februario, Inquisitor Hæreticæ pravitatis Joannes de Elten Ordinis Prædicatorum Conventus Colonienſis divinarum scripturarum professorum non ultimus, per Dietherum Archiepiscopum vocatus ad Moguntiam, in præsentia complurium doctorum virorum examen contra Joannem de Ruchrad dictum de Wesalia superiore, SS. Theologiæ Doctorem, examen Judiciale instituit super quibusdam

busdam Articulis erroneis, quos Concionator Wormatiæ prædicasse ad populum ferebatur.

Quorum primus fuit: *Quòd Ecclesiarum Prælati Leges condendi nullam haberent potestatem, neque addendi quippiam his, quæ Christus & Apostoli docuerunt, ulla permissa facultas.* Imò dixisse ferebatur: *Quòd neque Apostoli, neque Summi Pontifices eam potestatem Jura condendi acceperint à Christo.* Articulus primus.

Secundus Articulus fuit: *Quòd nulli mortalium quantumlibet sancto vel erudito liceat Evangelium aut Verba Christi Salvatoris nostri exponere, interpretari, vel explicare. Item quod sacra scriptura non sit eo spiritu interpretata vel exposita per sanctos Doctores, quo scribentibus primò fuit infusa.* II.

Tertius Articulus: *Indulgentias dixerat esse pias Christianorum fraudes, eósque homines, qui pro Indulgentijs Romam petunt, fatuos & stultos, cùm id, quod tam procul quærunt, domi possent invenire, si de peccatis suis essent verè contriti & confessi, haberéntque propositum emendandi.* III.

Quartus Articulus: *Mandata Papæ aliorúmque Prælatorum Ecclesiæ neminem, si transgrediantur, obligare ad peccatum mortale, propterea, quòd ipsi potestatem non habeant Jura sive Leges condendi, sicut in primo dixit.* IV.

Quintus Articulus: *Quia dixit, quòd in nullo homine sit, neque fuerit unquam Peccatum Originale, ac in eo concludit parvulos sine Baptismo decedentes non damnandos, neque ullam pœnam habituros sive sensus, sive damni.* V.

Sextus Articulus: *Quòd omnes Presbyteri sive Sacerdotes auctoritate, potestate ac dignitate pares sint Episcopis, nec realiter in aliquo differant ab eis, sed hominum duntaxat institutione solo nomine discrepent ab invicem.* VI.

Septimus Articulus: *Quòd Papa Episcopi, & Sacerdotes Ecclesiæ pópulo Christiano nihil conferant ad salutem, sed fide, concordiâ, & pace salvari possint omnes Christiani fideles sine ministerio Sacerdotum.* VII.

Octavus Articulus: *Quòd Ecclesia, Papa, vel Episcopi neminem ad jejunandum possint obligare nolentem, cùm non habeant auctoritatem condendi Jura vel Canones, ut supra dixit; & propterea quòd Christus nullum præceperit Jejunium, non esse necessariò jejunandum. Adjiciebant præterea nonnulli eum in ambone dixisse:* S. Petrus post Christi Ascensionem, quia piscator erat, Jejunium quadragesimale primus instituit, ut pisces suos eò carius venderet. VIII.

Nonus Articulus: *Quòd extrema unctio non sit Sacramentum, quia non per Christum, sed per Apostolos & Ecclesiam postea fuerit instituta, maneátque Oleum post consecrationem ab Episcopo factam non aliter, quàm prius erat.* IX.

Decimus Articulus: *Græcorum sequebatur errorem dicens, Spiritum S. à Patre tantum & non à filio procedere, seductus ex non sobrio intellectu sacrosancti Evangelij; quasi Verba Christi Salvatoris nostri hoc sonent expressè.* X.

Undecimus Articulus fuit: *Quòd contra Ecclesiæ constitutiones prædicaverit incusando multitudinem statutorum ejus, sic dicens:* Grave & periculosum est his temporibus esse Christianum, propter laqueos Censurarum & Canonum Ecclesiæ. XI.

Duodecimus Articulus fuit: *Quòd horas Regulares sive Canonicas Clericis ab Ecclesia indictas prædicavit esse superfluas, & minus necessarias, sentiens in eo cum Hussitis, qui Sacerdotale ministerium per Ecclesiam in multiplicatione orationum censebant esse gravatum, & studium litterarum præferebant horis.* XII.

Decimus tertius Articulus fuit: *Quòd benedictiones & exorcismos, qui* XIII.

fiunt in Ecclesia super aquam, Sal, Palmas, herbas, panes, cæteráque res inanimatas, dixit esse vanitatem & nullius utilitatis, errorem in hoc secutus Græcorum.

XIV. Decimus quartus Articulus fuit: *Quòd Ecclesiæ consuetudinem in diversorum Sanctorum Festivitatibus per annum celebrandis improbavit dicens: præter diem Dominicum, Nativitatis & Resurrectionis nullius sancti Festum celebrandum.*

XV. Decimus quintus Articulus fuit, de continentiâ Clericorum: *Quam dixit esse superstitiosam & à Romanis Pontificibus contra Evangelium excogitatam, & ideo Sacerdotibus minimè necessariam, sed eorum esse arbitrij, si velint continere vel non, propterea quòd neque Christus, neque Apostoli continentiam præceperint.*

XVI. Decimus sextus fuit: *Quòd dixit, sacrosanctam Ecclesiam Catholicam, quæ una est, & à Spiritu sancto regitur ac gubernatur, posse non solùm errare, sed etiam, quod in multis de facto erraverit, maximè in Constitutionibus suis, in Canonizationibus Sanctorum, in Censuris, in Jubilæo & Indulgentijs, multísque alijs*; quæ omnia primus articulus, ut supradictum est, includit.

Super his & nonnullis alijs, ut ferebatur Articulis delatus, accusatus & examinatus per dictum Inquisitorem Hæreticæ pravitatis, quosdam se prædicasse negavit, quosdam aliâ intentione dictos, malè ab auditoribus declarabat acceptos; simul tamen omnes damnando revocavit anno, quo supra, in Dominicâ quinquagesimæ: *Esto mihi*, quæ fuit dies mensis Februarij 21. cujus Libri omnes eo spectante combusti sunt. Plura scripta reliquit in Logica, & in alijs facultatibus, quæ apud Erpfurdianos in pretio habentur, obijtque brevi postea ex animi tristitia & mærore.

Maximilianus Archidux Austriæ devastat Geldriam.

Eodem anno Maximilianus Archidux Austriæ auxilio Ducis Clivensis cum magno pugnatorum exercitu intravit in Geldriam, Ducatum suo dominio subjecturus, quem incolæ terræ ad libitum admittere recusârunt. Unde commotus oppidum Ducatus præcipuum Neomagum nomine firmâ obsidione vallavit. Oppidani autem die quâdam eruptione facta Maximiliani exercitum verterunt in fugam, & quicquid in castris remanserat, rapuerunt. Ex eo tempore usque in præsentem diem per annos ferme xxxiv. indeficiens & continuata semper fuit contentio Maximiliani cum Geldrensibus. Cujus rei causam ut altiùs repetamus operæ pretium fuerit.

Causa Geldrensium unde provenerit.

Ultimo Geldrensium Duce ante aliquot annos sine virili semine mortuo, Comes quidam de Egmunda Hollandiæ ut hæres proximus Ducatum tanquam sui juris usurpavit, Germanorum Rege Friderico, ad cujus feudum pertinet, irrequisito. Quod cùm Cæsari jure displiceret, monuit Arnoldum (hoc enim Comiti nomen erat) quatenus Ducatu Geldriæ abstineret, aut Principum se judicio præsentaret. Contempsit utrúmque Arnoldus, & Ducatum non institutus legitimè ut oportuerat multis annis possedit.

Ducatus Geldriæ per Imperatorem datur Carolo Burgundo.

Hinc motus Fridericus Cæsar, cùm alijs Regni negotijs implicatus per se debellare non posset rebellem, deliberavit alicui Principum Geldrensium conferre Ducatum, qui contumacis posset humiliare superbiam. Erat in illis diebus potentissimus inter Principes Regni Germanici Carolus Burgundiæ Dux, qui viciniora Geldrensibus loca tenebat, hoc est Brabantiam, Lympurgum, Artheſiam, Salinas, Sequanos populos, Hanoniam quoque, Hollandiam Seelandiam & Frisiæ partem: hunc dare frænum

frænum atque flagellum recalcitranti Cæsar Fridericus animo deliberavit & dedit. Carolo res placuit, titulum Ducatus acceptavit, gratum se reddidit. In illo tempore fuit apud Cynonotos Fridericus Comes Palatinus Rheni Dux Bavariæ, Coméſque in Spanheim, vir optimus, qui sororem Ducis Geldriæ Margaretham nomine habuit uxorem fœminam honestissimæ conversationis, de qua genuit Joannem Ducem in Symeren, Rupertum Episcopum Ratisbonensem, Stephanum Decanum Colonienſem & Fridericum Canonicum Trevirensem, qui solus hodie superest. Hic religiosissimus Dux Jus sibi competere ad Geldriæ Ducatum ratus, propinquitate uxoris, apud Cæsarem pro eodem laborabat, sed non erat ei potentia, ut armis posset Comitem Arnoldum pellere.

Fridericus Bavariæ Dux Coméſque in Spanheim.

Carolus igitur Ducatu Geldriæ donatus à Cæsare, non diu postea coëgit exercitum, & in manu valida Geldriæ Ducatum intravit, omnia, quæ non erant in munitionibus, incursione hostili devastans. Erat Arnoldo Comiti filius nomine Carolus puer quinque aut sex annorum, quem Dux Burgundiæ Carolus ad fugam impositum vasi, cum socio traditione cujusdam cepit, & in Flandriam abduxit haud procul à Noviomago. Hic puer genesin nactus sub infortunato sydere infaustam, ab infantia sua usque in hunc diem multis tribulationibus & calamitatibus subjectus fuit. Primò enim captus fuit per Carolum Ducem Burgundiæ, sicut diximus, & in Flandriam abductus. Post mortem verò Ducis Caroli devenit in potestatem Archiducis Maximiliani. Deinde post annos aliquot, cùm jam adolevisset, in expugnatione Tornick urbis inter alios Maximiliani milites à Gallis captus est, & Parisium deductus, ubi pluribus annis in exilio mansit captivus. Qui tandem Comitis ultimi de Moërs fidelitate ac studio liberatus dato filio proprio in obsidem pro eo, venit in Geldriam, & ab incolis ut verus hæres & Dominus admittitur. Plura deinceps pro Ducatu bella inter ipsum & Maximilianum gesta sunt, semperque utrobique mansit incerta victoria, & pacis sæpius actæ constantia nulla fuit.

Carolus Dux Geldriæ puer à Burgundo Duce capitur.

Cujus Caroli Ducis unicam sororem, Renatus Dux Lotharingiæ habuit uxorem, repudiatâ, & in Cœnobium detrusâ priore, nullam ob culpam, nisi quòd ei sterilitatem objecit, cujus illa causam non sibi sed marito, sicut audivimus, imponit, dicens: *Invita & involuntaria Monialis, sterilis non essem, si maritum, ut superinducta sentit, habuissem.*

Renatus Dux Lotharingiæ suam repudiavit uxorem, quia sterilis erat.

Anno quoque prænotato, conjurati Suitenses hortante Sixto Pontifice Maximo bellum Mediolanensibus indicentes, viciniora eis loca & homines magna clade affecerunt, igne & ferro in circuitu omnia devastantes. Quibus malè peractis cùm ad sua cum præda redirent, quinquaginta eorum spolia sectantes in montibus remanserunt. In quos Lombardorum turmatim irruens exercitus ab eis cæsus est, & octingenti eorum occisi.

Conjurati Suitenses moti contra Mediolanos Papa jubente.

Eodem anno circa principium mensis Novembris, Eberhardus Comes de Wirtenberg contractis copijs equitum & peditum in Comitatum Provinciæ Nellenburg sive pagum, quem vulgus Hegövv nuncupat, exercitum movit contra Sigismundum Archiducem Austriæ, & castrum Hochenkrehen munitissimum, quod eorum fuit Equitum, qui de Fridingen nuncupantur, obsedit. Causa obsidionis fuit, quòd Joannes & Itelhans

Eberhardus Comes Wirtenbergensis obsedit Hochenkrehen.

hans de Fridingen quasdam villas ipsius Comitis incenderant, & rusticos in memoratum castrum abduxerant propriâ temeritate captivos. Igitur obsidione firmata, cùm sine intermissione Comes oppugnaret castellum, hi qui laborabant obsessi, videntes tantæ multitudini se non posse diutius resistere, quæ pacis erant, cæperunt à Comite postulare. Dedit pacem Comes rogatus, & certis sub conditionibus obsidionem amovit, ut videlicet arx illa Hochenkrehen & sibi & suis omni tempore pateret ad libitum. Obsidione autem solutâ Comes Eberhardus liberatis captivis ad sua redijt, verùm Sigismundus Archidux Austriæ cùm audivisset hæc, animo contra Eberhardum commotus litteras ad eum misit indignatione plenas, jubens, ut ab invasione & occupatione Comitatus Nellenburg & montis Metburg quantocyus desisteret, experiretur alioquin brevi, quid ira posset læsi & injuriati. At Comes animo constans & imperterritus per litteras Duci respondit, se præscriptionem & possessionem dicti montis Metberg decem supra centum annorum posse docere, quare petere, ut eum sineret esse quietum. Ad Cæsarem postremò causa utriúsque consensu translata est, qui secum assumens certos Regni Principes montem Metberg ut erat proprium Comiti adjudicavit, castrum verò Hochenkrâhen juri habentium permisit.

Inter Sigismundum Archiducem, & Comitem Eberhardum dissensio.

Ludovicus Gallorum Rex iterum devastat Burgundiam.

Anno item prænotato, Ludovicus Gallorum Rex deficientibus à se Burgundionibus ad Maximilianum, coadunato suorum exercitu Burgundiâm denuo intravit, circumducénsque phalangas per Sequanos, Arthesiam, Hannoniámque villas igne succendit, & quasdam munitiones destruxit. Sed Maximiliano cum suis militibus fortiter occurrente, Rex Ludovicus retrocedere compellitur, & Gallorum viginti millia per Germanos trucidantur.

MCCCCLXXX.

Rhodus Insula & Civitas obsidetur à Turca tribus mensibus.

Anno Bernardi Abbatis XX. Indictione Romanorum XIII. Turcarum Imperator Mahumetes de Constantinopoli Civitate Græcorum in magnitudine navium multa per mare descendens ad Insulam Rhodianorum in manu valida centum millium pugnatorum urbem Rhodiensem 22. die Junij obsedit, & per tres menses continuos sine intermissione fortiter impugnavit. Sed miseratione divinâ largiente, virtute, prudentiâ, & industriâ Petri Dambusson Magistri militum S. Joannis Baptistæ in Hierusalem nihil profecerunt immanissimi Canes; Christo námque suis donante Victoriam major pars exercitus Turcarum cæsa interijt, cum reliquis tandem Imperator ad sua reversus est, cladem maximam & ingentem confusionem reportans.

Frater Nicolaus mirabilis Eremita claruit apud Helvetios.

Fuit his diebus apud Helvetios homo quidam nomine Nicolaus ex villa quadam Flühe nuncupata, qui propter supernæ felicitatis amorem, quidquid in mundo habuit, cum uxore liberísque reliquit, & secedens in vastæ solitudinis Eremum haud longè à finibus Lucernensium in Constantiensi Diœcesi vitam duxit solitariam, non minus admirabilem, quàm raram & cunctis sæculis prius inauditam. Nam ut multorum veridicâ relatione cognovimus, annis viginti nihil omnino manducavit, præter morsellos tres panis, quos Episcopo Constantiensis Ecclesiæ sub virtute sanctæ Obedientiæ mandante cum difficultate maxima, ne videretur inobediens, vix potuit deglutire.

Multa

Multa fuit de hoc viro per universam Germaniam disceptatio ubique, alijs eum venerantibus ut sanctum, alijs fidem his dare, quæ dicebantur de illo, recusantibus. Sed verè & absque ulla hæsitatione credat omnis posteritas his, quæ dicebantur de abstinentia ejus continua, & quod plus quàm viginti annis nihil manducavit, & religiosissimè vixit.

Magnus fuit ad eum ex tota Germania concursus peregrinantium virorum, quibus ille monita salutis omnibus dabat, & rectæ conversationis, quanquam terrarum omnium penitus haberetur ignarus. In moralibus Christianæ vitæ institutionibus consiliator fuit acutus & solidus, sanctóque conformis Evangelio, quippe qui verbo & exemplo multos ab iniquitate ad melioris vitæ tramitem convertit: habebat enim singularem gratiam non solùm admonendi simplices, sed etiam consolandi tristes & animo dejectos, quam ei virtus divina contulerat propter omnimodam mentis suæ puritatem. Frequenter etiam à viris quibusdam doctioribus tentandi causâ interrogatus de fidei articulis, de Sacramentis, de virtutibus & vitijs, ad singula tam prudenter, tam Catholicè propriéque respondebat, ut nemo Deum timens & amans non sentiret, gratiam in eo habitare, loqui, & operari Spiritus Sancti.

Ad F. Nicolaum Eremitam concursus fit hominum.

Capellulam habebat in solitudine juxta cellam suam, quam ei construxerant Helvetij Suitenses ex magna devotione, quam ad eum habebant, in quâ & Missam audire plerúmque solebat, & Dominici Corporis frequenter participare Sacramento. Jejunium, sicut diximus, erat ei sine cibo semper continuum, Vigiliæ sanctæ multæque, & orationes ad Deum sine intermissione cum lacrimis devotæ. Posteaquam nomen ejus per universum regni Germanici orbem cum laudis honore cæpit prædicari, nimius dietim fiebat ad eum concursus populorum, æstate maximè, nam penè omnes, qui ad memoriam Dominæ Nostræ apud Eremitas ex diversis Germaniæ regionibus causâ devotionis peregrinabantur, etiam ad eum proficisci nullum putabant esse laborem, nec se quisquam peregrinationi satisfeciſſe arbitrabatur suæ, nisi Fratrem Nicolaum & vidisset, & fuisset allocutus.

Sanctissimè vixit.

Nicolaum videre multi cupiebant.

Unde cùm propter nimium peregrinorum concursum & occursum in sua devotione plurimum aliquando impediretur, nec posset venientibus sui denegare accessum, locum in solitudine interiore sibi constituit, ad quem orandi causâ singulis ferme diebus mane vel meridie secessit. Unde jam deinceps non qualibet horâ, sed certis horis copiam sui dabat, non quibuslibet adventantibus, sed illis, quos inspirante gratiâ Spiritus Sancti prænoverat dignos. Convenerant enim aliquoties nonnulli curiositate potius ducti quàm devotione, quorum causas singulorum adventus tam sagaciter noverat discernere, ut dubium non sit, Spiritum in eo Prophetiæ habitasse per gratiam.

Præscius futurorum.

Multa etiam Confœderatis futura prædixit Helvetijs, quæ illis postea evenerunt. Inter alia plura dixit ad eos: *Si manseritis in terminis vestris, nemo vos poterit superare, sed cunctis adversarijs vestris omni tempore fortiores eritis atque victores: si autem cupiditate seu libidine dominandi abducti dilatare Imperium ad exteros cæperitis, non diu Vestra permanebit fortitudo.*

Cùm aliquando inter oppidanos & villanos confœderatos Helvetiorum gravis esset suborta dissensio propter Solodurenses & Friburgenses, quos

Nicolaus Eremita dissentientes ad concordiam revocabat.

quos instanter orantes ad confœderationem illi volebant admittere, isti recusabant, post multos hinc inde tractatus unanimiter tandem in Fratrem Nicolaum Eremitam arbitrati sunt, qui propter sanctimoniam vitæ in cunctis dubijs & rebus arduis securum ad illum omni tempore habebant recursum, & erant illis verba consilia & persuasiones hujus viri non secus quàm olim Pythij Apollinis oracula. Obijt tandem anno salutis MCCCCLXXXVII. ut ibidem dicemus, non sine opinione Sanctitatis in sua Capella sepultus.

Carolum Burgundiæ Ducem se quidam fingebat in Bruchsal.

His temporibus venit homo quidam vagus in oppidum Bruchsal, quod tribus ferme à Spira distat milliaribus, quem Carolo Duci quondam Burgundiæ, qui ambos viderant, persimilem esse dicebant, qui licet publicè non fateretur, se Carolum esse, sicuti non erat, delectabatur tamen Dux Carolus æstimari & dici. Unde multas & varias confictiones excogitavit, quibus vulgi opinionem de se conceptam fortiorem ubique ampliaret. Interea manducabat ut canis, humi dormiebat, orabátque multa, pauca loquebatur, maximæ fuit pœnitentiæ simulator astutus, quam pro delictis suis voluntariè dicebat assumptam, & completo in ea septennio fore terminandam. Omni Feria VI. cibum non manibus ut homo, sed linguâ lambendo de terra carpebat ut Brutum, & signa quædam pœnitentiæ magnæ miranda & stupenda sine fructu ostendit. Morabatur in hospitio quodam publico in memorato Bruchsal oppidulo, cujus intersigne monstratur folium, auditóque rumore negotij per circuitum, plures ad eum quotidie nobiles confluebant pariter & ignobiles, inter quos opinionum fuit divisio varia, alijs pertinaciter contendentibus, quòd ipse veraciter Dux esset Burgundiæ Carolus, alijs verò non minus constanter negantibus. Multa erant in simulato Carolo signa, quæ se plures vidisse in vero prædicabant, & ipse interrogatus quis esset, neque Carolum se esse dicebat, neque omnino negavit, sed verborum involucris omnes urbanè satis fallens decepit. Postremò timens manifestari, tempúsque observans conveniens fugæ, recessit occultè non sine quorundam oppidanorum incommodo & damno, qui simulationi ejus adhibuerunt fidem spe lucri magni & gloriæ futuri honoris, nam per omne Regnum Germaniæ hujus simulationis occasione fama communis erat, & multorum opinio, Carolum Ducem non esse peremptum à Suitensibus, ante Nanse, ut dictum est anno tertio transacto, sed vivum, & post septennium simulatæ necis, hoc est, octogesimo quarto ad sua reversurum.

Carolus Dux fictus occultè de Bruchsal recedens nusquam comparuit.

Philippus Comes Palatinus Episcopus Frisingensis nascitur.

Anno prænotato, septimo die mensis Maij, natus est Heidelbergæ secundogenitus filius Philippo Comiti Palatino, Bavariæque Duci ac Principi Electori, paterno vocatus nomine Philippus, qui postea Episcopus fuit Ecclesiæ Frisingensis in Bavaria, hodiéque agit ætatis annum tertium atque tricesimum, dum ista scriberemus.

Margaretha filia Maximiliani Archiducis Austriæ nascitur.

Eodem anno nata est Margaretha Maximiliani Archiducis Austriæ & Mariæ de Burgundia conjugis filia, quæ post triennium pacis intuitu mediantibus Flammingis Carolo Regi Gallorum VIII. Ludovici post mortem uxor futura sponsata fuit, postea verò repudiata, ut suo loco dicemus, ambitione Ducatus minoris Britanniæ, filio Regis Hispaniæ Ferdinandi nupsit, cui filium peperit, qui hodie regnat post Patrem. Quo mortuo

Ducem

Ducem Sabaudiæ maritum accepit. Illo etiam mortuo in Brabantiam est reversa, & in statu continentiæ vitam agit vidualem.

Rupertus Archiepisc. Coloniensis in sua captivitate moritur.

Anno etiam præscripto, xxvi. die mensis Julij, obijt in sua captivitate miseranda nobilis ille Princeps Rupertus Comes Palatinus Rheni Bavariæque Dux Archiepiscopus Colonienſis, anno Pontificatus sui XVII. in multis tribulationibus necdum completo, Hassiorum in Castello Blanckenstein, ubi triennio fuerat captivus. Cujus Cadauer Bunnam relatum etiam sepulturæ debito honore ad tempus jacuit privatum extra Capellulam quandam juxta murum, dicebant enim adversarij ejus, quorum plures erant, quòd in Excommunicatione ipse obijsset, ideo privârunt eum Ecclesiasticâ sepulturâ. Postea tamen jubente Romano Pontifice in Ecclesia S. Cassij Collegiata Bunnæ Ossa illius reposita sunt. Magno ejus odio laborabant oppidani Bunnenses, & quotquot illius noverant esse fautores, omnibus, quibus poterant, modis persequi non cessabant. Quod ut clarius agnoscat posteritas, unius immanitate facti breviter ostendemus.

Henricus Suffraganeus Coloniensis à Bunnensibus capitur.

Habebat idem Archiepiscopus Rupertus in Pontificalibus Vicarium Generalem nomine Henricum Ordinis Fratrum Prædicatorum Conventus oppidi Confluentini SS. Theologiæ Doctorem, qui partes Domini sui solo sermone defendens, (opere námque minimè potuit) inter prædicandum in ejus commiseratione populum simplicem hortabatur. Hunc die quâdam juxta Rhenum navigium præstolantem, nonnulli ex oppidanis comprehenderunt, ligatúmque funibus & constrictum sub ascellis, ne dilaberetur, per medium fluminis ad latus navis ab uno littore in aliud usque ad collum in aquam demersum cachinnantes traxerunt, gladiisque & hastiolis pupugerunt, vulneraverunt, & multis contumelijs affecerunt. Expulsus dein à suffraganeatu, ad Conventum suum reversus est, quem Berchtoldus Archiepiscopus Moguntinus postea Vicarium suum in Pontificalibus constituit.

Hermannus Hassius fit Archiepisc. Coloniensis annis xxviii.

Post mortem Ruperti Hermannus Administrator & Gubernator Ecclesiæ Colonienſis per Capitulum ante septennium, ut supra dictum est, constitutus, communi omnium consensu in Archiepiscopum eligitur 2. die mensis Augusti, qui confirmatus à Sixto Papa IV. præfuit annis xxviii. in bona pace gubernans Ecclesiam, præter eas contentiones, quas habuit cum Senatu & Civibus urbis Colonienſis, quæ omnes triennio ante mortem ejus fuerunt bono medio extinctæ, paxque & concordia inter eos reformatæ sunt.

Hermannus Archiepisc. Princeps magnificus Novesij defensor.

Hermannus iste Archipræsul magnificus frater fuit Landtgravij Hassiorum, & ante Pontificatum, ut supra dictum est, Præpositus Ecclesiæ Beatæ Mariæ semper Virginis apud Aquasgrani, qui toto tempore obsidionis Novesij contra Ducem Burgundiæ Carolum in ipso permanens oppido, Capitanei, nomine Capituli & Ecclesiæ Colonienſis, gessit officium. Erat sanè vir principatu dignus, qui non solùm prudentiâ, sapientiâ, consilio & actione inter Pontifices reliquos præeminebat; verùm etiam corporis dispositione, & Majestate quadam cæteros anteire videbatur. In moribus suis cum amicis fuit sub maturitate honesta jucundus, adversarijs verò severus ac metuendus, in pauperes valde misericors extitit, & in omnibus locis quocúmque venisset, quotidie magnas eleemosynas fecit. Nam &

in publicis Conventibus Principum Augustæ, Wormatiæ, Nürenbergæ, Ratisbonæ, Ulmæ, Franckfurdiæ, Coloniæque, & in quibuslibet alijs locis frequenter habitis, ad Januam hospitij ejus major pauperum multitudo stipem præstolans residere consuevit refectionis horâ, quàm apud reliquos penè omnes. Unde quasi proverbij more dicebatur hospitium ejus inquirentibus: *Si mansionem requiris Archiepiscopi Colonienſis, ibi procul dubio invenies eam, ubi multitudinem pauperum videris congregatam.* Reformator quoque Monachorum simul & Monialium vigilantissimus extitit, & plura in sua Diœcesi Monasteria reformavit. Bona Claustralibus multa fecit, maximè regulari observantiâ decoratis, non tantùm in sua Diœcesi, verùm etiam in omnibus locis, ad quæ illum contigit declinasse, mittendo eis eleemosynam pecunialem, aliquando florenos quinque, aliquando decem, interdum plus, interdum minus, singulis Monasterijs & Conventibus distribuendo. Audientiam quoque Abbatibus, Monachis, Clericis, & Claustralibus cunctis omni tempore facillimam præstitit, & quanto potuit annisu, consolator & advocatus omnium accedentium semper pientissimus fuit. Princeps, cùm fuerit genere & dignitate maximus, nulla tamen potuit notari superbia, nulla mentis elatio, nullúsve pauperum & humilium contemptus, quin potius tanta in ore ejus lucebat humilitas, ut simplices & pauperes Monasteriorum Abbates inter loquendum familiariter suos Dominos appellaret, quorum & causas in persona propria clementissimè audivit, & quanta licuit celeritate juxta vires in bonum perduxit finem.

Hermañus Archiepisc. reformator Claustralium.

Hermañus Archiepisc. magnæ humilitatis & mansuetudinis.

In omnes fuit munificus non solùm in suos, verùm etiam in exteros, multísque largitatis suæ beneficia plura gratis impendit, à quibus nihil vicissitudinis recepit. Quapropter Omnipotens Deus benedixit operibus ejus, ut quanto plura dedit Monasterijs atque pauperibus, tanto magis abundaret. Non imitabatur pecuniarum anxios incubones, qui tanto studio sequuntur avaritiam, ut nihil amplius curent quàm terrena, nihil avidius quærant & sitiant, quàm caduca.

Hermañus Archiepisc. in omnes munificus & sine avaritia dives.

Hermannus iste Præsul æternâ memoriâ venerandus, sanctarum virtutum incedens tramite, medium tenuit cum beatis, quoniam quidem neque avarus extitit in colligendis pecunijs, neque prodigus in exponendis, sed moderamine usus Christianæ pietatis, sic animum suum accommodavit rebus temporalibus, ut non omitteret æterna; satis enim prudenter in utróque statu gubernavit Ecclesiam, quia & spiritualia præposuit temporalibus, & hæc illis pro conservatione necessaria non omisit. Quam studiosus & diligens fuerit in his, quæ divinum respiciunt cultum, nemo facilè dixerit. Nam etsi multis varijs, atque continuis distineretur occupationibus & negotijs Ecclesiastici Principatus, orationes tamen suas non solùm Canonicas, sed etiam privatas, seu peculiares quotidie singulari cum devotione persolvebat. Meditationes quasdam cum Orationibus de Passione Domini nostri Jesu Christi, à Theodorico de Osenbruck Ordinis Fratrum Minorum insigni declamatore breviter compositas, quotidie cum summa devotione legere consuevit. Missam omni die in spiritu contritionis & humilitatis audivit. Feriam sextam in memoriam Dominicæ Passionis, & Sabbathum ad honorem Beatissimæ Dei Genitricis semper Virginis Mariæ per totum annum continentissimè jejunavit.

Hermañus Archiepisc. Dominicæ Passionis meditator assiduus.

Amavi

Amavit Clerum, dilexit amore paterno Clauſtrales, pauperum omnium advocatus extitit ſubditorum, omni tempore pacificus fuit: Juſtitiâ, manſuetudine, pietate, miſericordiâ in pauperes Chriſti, benevolentiâ & humanitate in hoſpites, cultu, amore, & devotione mentis in Deum nullo Pontificum ſuo tempore inferior fuit. Honeſtiſſimæ converſationis extitit, non turbulentus, non elatus, non pompoſus, ſed modeſtus, quietus, humilis & maturus tam verbis quam factis. Animo tamen conſtans erat & libertatis Eccleſiaſticæ defenſor acerrimus, ingenio ſubtilis, conſilio promptus, prudentiâ cautus, experientiâ magnus, actione præcipuus, ſermone luculentus. Eccleſiam Colonienſem, quam ære nimis gravatam alieno reperit, auxilio adjutus Divino brevi tempore omnibus ex debitorum gravaminibus liberavit. Inter multa quoque pietatis opera, quibus Omnipotenti Deo ſe miniſtrum ſemper curabat exhibere devotum, in oppido ſuo Brüel juxta Caſtellum reſidentiæ Pontificalis Cœnobium Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia novum à fundamentis conſtruxit, quod ornamentis Eccleſiaſticis, Libris atque Sanctorum Reliquijs, cunctíſque neceſſarijs utenſilibus domûs magnificè dotavit. Primus in eo Conventu Guardianus, id eſt, Cuſtos Fratrum conſtitutus fuit ſupra jam dictus Frater Theodoricus de Oſenbruck vir doctus & religioſiſſimus, qui cùm prædicator eſſet inſignis, magno populorum honorabatur concurſu.

Hermañus Archiepiſc. omnium virtutum decore fuit ornatus.

Hermañus Archiepiſc. novum conſtruxit Cœnobium minorum.

Anno etiam prænotato, moritur Sigiſmundus Dux Saxoniæ quondam Epiſcopus Herbipolenſis ante Gotfridum, qui depoſitus fuerat ante annos XXXVII. ut longè ſupra diximus anno Chriſtianorum MCCCCXLIII. Poſt cujus mortem Erneſtus & Albertus fratres ejus Saxoniæ Duces contra Rudolphum Herbipolenſem litis actionem inſtituerunt, magnam ab eo ſummam pecuniarum ratione penſionis annuæ Fratri olim promiſſæ, ſed annis XXXVII. non ſolutæ, ſatis importunè poſtulantes, precibus interponentes minas, quòd niſi quantocius ſatisfaceret, arma in eum movere cogerentur. Rudolphus autem pacis amator, non ignarus, quid faciant bella, concordiam ſubijt, & florenorum tria & triginta millia Ducibus urgentibus ſolvit, malens pacem emere, quam nutrire bellum.

Sigiſmundus quondam Epiſc. Herbipolenſis in Saxonia moritur.

Hoc ipſo anno mortua eſt Margaretha Ducis Sabaudiæ Amadei Felicíſque Papæ quondam Filia, quæ primò nupſerat Ludovico Pio Comiti Palatino Rheni Bavariæque Duci, Sacri Imperij Archidapifero ac Principi Electori, de quo concepit & peperit Philippum, qui ſucceſſit Patri ſuo in Principatu, Ludovico autem mortuo nupſit Udalrico Wirtenbergenſium Comiti, ſicuti diximus.

Margaretha Mater Philippi Comitis Palatini moritur.

Eodem quoque anno mortuus eſt etiam ipſe Udalricus Comes de Wirtenberg memoratus uxorem ſecutus, Princeps magnificus, humanitate, manſuetudine, beneficentiâ, virtute ſimul & prudentiâ inſignis, & ab omni populo ſibi ſubjecto dilectus ut pater, Studgardiæ in Collegiata Eccleſia S. Crucis cum tribus legitimis uxoribus ſuis nobiliſſimis, quas ſucceſſivè duxerat, cum debito honore ſepultus. Reliquit autem duos filios Eberhardum, & Henricum, quorum primus mortuo Eberhardo ex patruo nepoti Duci poſtea facto, ſicut dicemus, in Ducatu ſucceſſit, & ſine Liberis obijt. Henricus autem uxore acceptâ filiâ Comitis de Bitſch inter

Udalricus Comes Wirtenbergiæ obijt.

alios Liberos genuit Udalricum, qui hodie Wirtenbergensem pulso Eberhardo patruo strenuè gubernat Ducatum, Patre adhuc vivente, sed infirmo.

Anno etiam præscripto, Mahumetes crudelissimus Turcarum Rex de sua dolens confusione, quòd neque Ungaros neque Rhodianos vincere potuisset, Italiam suis tentare armis in odium Christianorum omnium cogitavit. Contractis igitur copijs ex Velcera Civitate sua, quæ circa mare Adriaticum est sita, navigio simul & terra movit in Apuliam, & Hydruntum obsedit, impugnavit, & cepit, non quidem in propria Persona, sed per Capitaneum suum. Quantam nefandissimi Turcæ urbe captâ crudelitatem patraverint in Christianos, miserabile nimis est cogitare, duodecim millia hominum Deo fidelium occiderunt, Archiepiscopum virum senem & religiosum Pontificalibus induerunt, crucémque tenentem in manibus cum serra lignea per medium divisérunt, Clericos & Monachos omnes interfecerunt, virgines & matronas suâ libidine polluerunt, senésque occidentes, Juvenes utriúsque sexus reliquos venales in Græciam duxêre captivos.

Hydruntum urbs Calabriæ à Turca impijssimo capitur.

Anno item prænotato, Bernardus hujus Monasterij Abbas Dormitorium fratrum, & hyemale refectorium sub eo novum à fundamento construxit, & in eam, ut hodie cernitur, formam perduxit.

His etiam temporibus idem Abbas Bernardus castrum Waldeck cum omnibus proventibus suis, agris, pratis, sylvis, aquis, aquarúmque decursibus, cultis & incultis, quæsitis & inquirendis cum parte Nagolthæ fluminis pro quatuor florenorum millibus emptione perpetuâ comparavit à quibusdam nobilibus de consensu Hæredum eorum omnium expresso, sicut Emptionis litteræ manifestius contestantur. Refectorium similiter æstivale cum ea parte Dormitorij, quæ respicit ad meridiem, his ferme temporibus Abbas memoratus à fundamentis novum construxit: Tabulam quoque cum imaginibus & picturis non minus pulchram, ut cernitur, perquàm pretiosam super altare majus hoc ipso anno prænotato, fieri mandavit. Candelabra etiam duo magna, quæ stant coram summo altari, de aurichalco eodem anno comparavit.

Waldeck Castrum Bernardus Abbas Monasterio comparavit.

His quoque temporibus Fridericus Comes Palatinus Rheni Bavariæque Dux & Comes in Spanheim, qui morabatur apud Cynonotos in oppido Simeren, Princeps omnium suo tempore devotissimus ad honorem Omnipotentis Dei Cœnobium Ordinis Minorum Fratrum S. Francisci Confessoris in oppido Crüzenach de novo construxit, quod tamen morte præventus filio suo Duci Joanni perficiendum commendavit. Qui patri succedens in Principatu factus est etiam Religionis & devotionis paternæ hæres atque successor integerrimus, brevíque cæptum opus complevit, & fratres cum ingenti lætitiâ introduxit. Oppidanus quidam Stauronesij de ligno pyri Imaginem S. Wolffgangi Pontificis sculpi fecerat, quam ex devotione super altare in eodem loco primùm, ubi fundabatur Cœnobium memoratum, collocavit. Ad quam Imaginem tantus brevi concursus populorum factus est, ut ex oblationibus eorum sufficientes ad structuræ consumationem provenirent impensæ. Miracula ibidem facta recitabantur plura, quorum opinione & famâ incitati per gyrum populi quotidie cum eleemosynis votivalibus concurrebant. Nec signorum

Cœnobium in Crüzenach Fratrum Minorum novum construitur.

Concursus fit populi ad S Wolffgangum in oppido Crüzenach.

rum cessavit opinio, quo usque Fratres de Observantia minores ad locum introducti, quietem amantes, & quæstum detestantes Imaginem deposuerunt. Et sic jam deinceps miracula cessaverunt, & concursus populi successivè in brevi penitus defecit.

MCCCCLXXXI.

Monasteriũ S. Crucis in Limburg reformatur.

Anno Bernardi Abbatis XXI. Indictione Romanorum XIV. Monasterium S. Crucis in monte Limpurg dicto prope Bureckheim Ordinis S. Benedicti Spirensis Diœcesis reformatum est per Hermannum Pruss S. Jacobi prope Moguntiam, & Joannem de Colenhausen S. Martini in Spanheim, Bernardum quoque jam dictum in Hirsaugia Monasteriorum ejusdem ordinis memorandos Abbates. Primus ibi Abbas de Observantia Bursfeldensium institutus fuit Bonifacius de Venlo Monachus S. Jacobi Moguntini, & præfuit annis ferme duobus. Post hujus obitum Abbas institutus fuit Anselmus Ulner ex Dieburg, & præfuit annis XI. quo resignante Macharius Weis de Furbach Abbas constituitur, & præfuit annis decem circiter, quo memoratum Cœnobium tempore guerrarum, quæ fuerunt inter Regnum & Philippum Comitem Palatinum, per satellites Comitis de Liningen ex Duroburgo Castello proximo hostiliter erumpentes fuit incensum & funditus destructum, ut suo loco infra dicemus.

Mahumetes Rex Turcarum magnus tyrannus moritur.

Eodem anno ultimâ die mensis Maij, obijt Mahumetes Turcarum impijssimus Rex, qui multa Christianis intulit mala, filios relinquens duos paternæ crudelitatis hæredes, quorum natu major Bagiasich, sive Hildrimi dictus favore Turcarum mox Regnum sibi usurpans paternum, fratrem Zizimi nomine violenter exulem fecit, qui fugiens à facie Germani primùm exulavit apud Rhodios, postea Romæ in Italia, deinde apud Regem Galliæ, cujus veneno interijt. His duobus in Græcia pro imperio contendentibus Hytruntum civitas anno priore capta, sicut diximus, per Mahumetem scelestissimum canem, recuperatur à Christianis: & expulsis Turcis, omnis Apulia mundatur à pollutione Mahumeticâ.

Rupertus Comes Palatinus nascitur.

Anno prænotato quartadecimâ die mensis Maij, natus est Rupertus tertio genitus Philippi Comitis Palatini Bavariæque Ducis in oppido Heidelberg. Qui cùm esset annorum decem & octo, jussu Patris duxit uxorem, Georgij Bavariæ Ducis cognomento divitis avunculi sui filiam, cum qua vixit annis fermè septem.

Anno etiam præscripto, mortuus est Joannes Dux Clivensis, & Comes de Marca, Princeps bellicosus & strenuus, qui cum Maximiliano Archiduce Austriæ multa contra Gallos & Geldrenses prælia fortiter gessit. Duos reliquit filios, quorum natu major Patri successit in Ducatu: minor autem Canonicus fuit Colonienſis & Trajectensis, qui pro ejusdem Ecclesiæ Pontificatu frustra laboravit.

Joannes postea in Hirsaugia Abbas XLII. fit Monachus.

Hocipso anno Joannes de Calusę, qui nunc est hujus Monasterij Hirsaugiensis quadragesimus secundus Abbas, Monasterium intravit, sacri Ordinis habitum suscepit, & anno revoluto probationis consuetæ, Ordinem ipsum secundum regulam Divi P. Benedicti professus est, in quo deinceps non solùm irreprehensibiliter, sed etiam laudabiliter vixit, & vivit usque in præsentem diem. Est enim naturâ homo bonus, pius, mansuetus, tranquillus, pacificus, & Monasticæ quietis amator: cujus innocentia vitæ meritò fratrum in se convertit amorem. Ex eo námque die,

die, quo sanctæ Religionis habitum assumpsit, summo semper conatu Monachum se verum & imitabilem cunctis exhibere studuit. Nulli gravis, nulli onerosus, sed humilis, quietus, & mansuetudinis claustralis observator diligentissimus ante faciem suam gradiebatur.

Fames magna Germaniam afflixit & Galliam totam.

Anno etiam supra notato, fames in omni terra fuit grandis, & inopia victualium utique magna, præsertim in Gallia, Picardia, Flandria, Brabantia, Hollandia, Hannonia, in Ducatu Clivensi, Geldrensi quoque, apud Mosellanos, Colonienses, Trevirenses, Moguntinos, cisque Rhenanos & Suevos, quorum plures inediâ perierunt. Creverat enim frumenti pretium sex partibus ultra consuetum, ita ut modius, qui communibus annis venumdari pro uno denario consuevit, isto non minus, quàm septem denarijs venderetur. Penuria panis maxima pauperes afflixit, longâ quippe inediâ vexati, cùm acceptum dono cibum plerique dentibus comminuerent, stomacho clausis arterijs committere nequiverunt.

MCCCCLXXXII.

Unio comitatuum Wirtenbergensium,

Anno Bernardi Abbatis XXII. qui & ultimus fuit, Indictione Romanorum XV. Eberhardus Barbatus Comes in Wirtenberg homo prudens & astutus consilio, sciens quòd juxta Dominicam sententiam: *Omne Regnum in seipso divisum desolabitur, & domus supra domum cadet:* Cùm Principatus Wirtenbergensium esset in duo partitus, quomodo in unam revocaretur Monarchiam prudenter excogitavit. Habebat enim duos ex patruo nepotes, ut dictum est supra, Eberhardum videlicet Comitem, & Henricum, qui unam partem tenebant comitatus: Stutgardiam scilicet cum pertinentibus ad eam. Ipse autem possidebat Urach alteram Comitatûs partem cum oppidis & Castellis & viculis suis. Consilio itaque senioris Eberhardi consentientes Junior & Henricus, Comitatum divisum reduxerunt in unum, statuentes & litteris confirmantes, quòd regimen principatûs Wirtenbergensium perpetuò deinceps maneat indivisum penes unum: de cujus manu hæredes reliqui annuam pro sustentatione sui pecuniarum recipiant portionem. Hâc unitate prudenter conclusâ, per populum quoque terræ unanimiter collaudatâ, & sequenti anno consensu Principum in Conventu Francofurtensi per Fridericum Imperatorem confirmatâ, senior Eberhardus Juniori præstitit facultatem acceptandi, utrum vellet præesse Comitatui, aut vitam in privato cum pace vivere quietam. Consilio suorum accepto, qui non ignorabant, seniorem Eberhardum pro communi Patriæ utilitate ad regimen fore meliorem: cessit Principatui, provisione quinque vel sex millium florenorum annuâ contentus. Porrò Henricus frater Junioris Eberhardi propter continuas infirmitates suas, quas & hodie patitur, simili vivit provisione quietus, qui solus progeniem Comitum, nunc Ducum de Wirtenberg continuat.

Joannes Trithemius fit Monachus in Spanheim.

Anno prænotato, primâ die mensis Februarij, ego Joannes Trithemius hujus operis compilator anno ætatis meæ vicesimo præcisè completo ad conversionem veni, & habitum sanctæ Religionis in Monasterio Divi Martini Præsulis in Spanheim in Diœcesi Moguntinensi Ordinis S. Benedicti de observantia Bursfeldensium assumpsi, præsidente Joanne Colenhausen Abbate.

Mechtildis mater Comitis Eberhardi moritur.

Eodem anno moritur Mechtildis mater senioris Eberhardi circa Festum S. Bartholomæi Apostoli, quæ soror fuit Ludovici Pij, & Friderici strenui

strenui, Comitum Palatinorum Rheni Bavariæque Ducum. Hæc, ut supra diximus, primò nupserat Ludovico Wirtenbergensium Comiti, peperítque seniorem Eberhardum Barbatum postea Ducem. Ludovico autem vita defuncto nupsit Archiduci cuidam Austriæ. Quo etiam mortuo ad filium reversa reliquum vitæ in viduitate peregit. Hæc vidua huic Monasterio Hirsaugiensi fuit ut mater, & multa illi bona fecit. Omnem námque decimationem vini simul & frumenti cum Ecclesia parochiali villæ Böblingen huic Monasterio pro Dei amore legavit. Sacerdotale quoque aurifrigium valdè pretiosum, hoc est, cappam choralem, casulam sive planetam cum duabus dalmaticis totidem stolis, & tribus manipulis ex chlamide Ladislai Regis quondam Bohemiæ factam, Ecclesiæ Hirsaugiensi piâ donatione largita est. Mitram Pontificalem, qua Hirsaugianus utitur Abbas, Monasterio duplicem dedit, quarum altera & pretiosis lapidibus auróque intexta, est rubea: & altera unionibus decorata est alba. Denique & alia plura Hirsaugiensi donavit Ecclesiæ, & gravamina Principum multa Cœnobio præter Justitiam intentata suis precibus avertit.

Eadem mater Monasterij Hirsaugiensis.

Anno præscripto Eberhardus Comes de Wirtenberg, senior, cognomento Barbatus Romam causâ devotionis cum notabili suorum Comitiva profectus est, & Sabbatho ante Dominicam mediæ quadragesimæ urbem ingressus, sequenti die, quæ fuit Dominica *Lætare*, à Sixto Pontifice aureâ Rosâ donatus fuit, & tam ab ipso Papa, quàm à cætu Cardinalium penè omnium magno cum honore susceptus. Eodem tempore Comes Eberhardus à Sixto Papa obtinuit auctoritatem & licentiam transferendi sæculares Canonicos de Collegiata Ecclesia, quæ fuit in oppido Urach ad Hernberg, & in eorum locum reponendi Fratres, qui de communi vita nuncupantur, propterea quòd Apostolorum exemplo sine proprio socialiter vivant in communi sub uno Præposito. Indulgentias eitam plurimas impetravit pro eadem Ecclesia in Urach, quam reversus in sua magnificè constructit, & sufficienter dotavit, in qua & Rosam auream à Pontifice donatam, cum Reliquijs Sanctorum collocavit.

Eberhardus Comes ex devotione Romam vadit.

Anno item prænotato, Dominicâ in Albis, Sixtus Papa IV. Romæ apud S. Petrum in præsentia multorum Cardinalium, Episcoporum, Prælatorum, & hominum, adstante cum suis etiam Eberhardo Comite jam dicto Wirtenbergensi, Eustachium, qui & Bonaventura de Balneo Regio, quintum Ordinis sui, hoc est, Fratrum minorum S. Francisci Ministrum Generalem ac postea S. R. E. Cardinalem, Sanctorum Catalogo magno cum honore adscripsit; in cujus canonizatione tunc Rupertus de Licis ejusdem Ordinis Orationem dixit. Obijt autem S. Bonaventura sub Gregorio Papa X. anno videlicet Dominicæ Nativitatis MCCLXXXIII. in Concilio Lugdunensi; sepultus ibidem in Ecclesia Cathedrali miraculis ut ferunt coruscans.

S. Bonaventura Ord. Minorum à Sixto Canonizatur.

Eodem anno, Maria de Burgundia Maximiliani Archiducis Austriæ conjunx in venatione de equo, cui insidebat, cecidit, & fractâ cervice miserabili morte decessit, Philippum relinquens filium, qui postea factus est Rex Castiliæ in Hispania, & ante patrem mortuus est, relictis duobus filijs Ferdinando & Carolo, de quibus loco suo plenius dicetur, & Margaretham, quæ sponsata fuerat Carolo Regi Gallorum VIII. sed repudiata propter ambitionem Ducatus Britanniæ primò nupsit Regi Hispaniarum,

Maria Maximiliani uxor obijt anno ætatis suæ XXVI.

posteà Duci Sabaudiæ, quo etiam mortuo ad Patrem reversa est, & vidua in Brabantia hodie vivit.

Dietherus Archiepisc. moritur hoc anno.

Anno etiam prænotato, VII. die mensis Junij, obijt Dietherus de Isenburg Archiepiscopus Moguntinus, anno Pontificatus sui secundarij VI. & mense similiter VI. in majori Ecclesia sepultus cum tali Epitaphio: *Bis Præsul factus Comes Isenburg Dietherus: Moguntinam arcem struxerat, atque scholam*; fuit enim vir optimus, qui Clerum dilexit, & Claustralibus multa beneficia impendit.

Post cujus obitum Albertus Ernesti Saxonum Ducis filius annum agens ætatis XVIII. per Capitulum in Administratorem Ecclesiæ Moguntinæ assumitur, & cum favore non parvo multorum à Sixto Pontifice IV. confirmatur. Supervixit deinceps biennio tantùm, & ne malitia temporum, ut fieri solet, intellectum ejus depravaret, sublatus est. Ejus fratres fuerunt Ernestus Magdeburgensium tunc administrator, posteà Archiepiscopus & Primas Germaniæ, Fridericus Princeps Elector, & Joannes Duces Saxoniæ & Misniæ.

Reinhardus Episcopus Wormatiæ obijt.

Eodem anno, XXI. die mensis Julij, obijt Reinhardus de Sickingen Episcopus Wormatiensis anno Pontificatus sui XXXVI. & in Capella S. Ægidij Abbatis, quam ipse de novo construxerat, juxta majorem in Wormatia Ecclesiam sepelitur. Mutuaverat iste Præsul de portione sua hæreditaria cuidam Principi duodecim millia florenorum sub bona fide, sicut in talibus fieri solet. Moriturus autem præcepit, ut omnis illa pecunia Monasterijs, Ecclesijs atque pauperibus exponeretur, imò solveretur propter Deum; DCC. ex his floreni per ipsum Principem uni Monasterio ad structuram donati sunt, reliquorum solutio differtur ad Græcas Calendas.

Joannes Camerarius Dalburgius fit Episcopus Wormatiensis.

Post hunc Joannes Camerarius Dalburgius majoris Ecclesiæ Præpositus, Wormatiensis Episcopus factus est, & præfuit annis XXI. in magna æstimatione hominum. Fuit enim vir in omni facultate doctissimus, triúmque linguarum Hebraicæ, Græcæ, & Latinæ peritus, & unicum Germanorum decus, qui non solum nostris, sed etiam exteris nationibus admirabilis propter omnimodam eruditionem suam apparebat. Ad hunc Reverendissimum Pontificem ego Joannes Trithemius Abbas posteà Spanheimensis opus de scriptoribus Ecclesiasticis lucubravi. Amator etiam fuit librorum omnium nostra tempestate ardentissimus, qui multa volumina Hebraica, Græca, & Latina in omni scripturarum varietate rarissima congregavit.

Capitulum Ordinis nostri Provinciale 24. celebratur in Blaubeuren.

Anno præscripto, Dominicâ tertiâ post Pascha, quæ ab Introitu Missæ dicitur: *Jubilate*; celebratum fuit XXIV. Ordinis Provinciale Capitulum in Monasterio S. Joannis Baptistæ in oppido Blaubeuren apud Suevos Constantiensis Diœcesis, in quo præsederunt Georgius sancti Stephani in Herbipoli, Georgius in Wiblingen, Udalricus montis Monachorum, & Joannes sancti Ægidij in Nürenberga Monasteriorum ejusdem Ordinis Abbates.

Episcopus Leodiensis occiditur.

Eodem anno Joannes de Burbon Episcopus Leodiensis cum Archiduce Maximiliano fideliter sentiens, insidijs & subordinatione Ludovici Regis Gallorum XI. per Wilhelmum de Arnburg fuit occisus, & Cadauer ab eodem Parricida nequissimo ante fores Ecclesiæ majoris conspiciendum populo projectum. Nec multo post & ipse homicida simili dolo ab alio interemptus est in vindictam commissi sceleris, & multiplicata sunt mala

mala in terra Leodiensium, per Rupertum de Arnburg Wilhelmi necem acriter vindicantem.

Anno item prænotato, Bernardus Abbas hujus Monasterij primum latus de ambitu, quo itur ad Capitulum de Ecclesia, novum à fundamentis incepit, quod morte præventus successori perficiendum reliquit. Domum etiam pecualem trans pontem apud S. Aurelium novam cum universis habitationibus suis construxit. In oppido Wil frumentariam similiter domum ædificavit.

Eodem anno in mense Septembri memoratus Abbas Hirsaugiensis Bernardus jam senio gravatus, multísque laboribus nimium exhaustus ægrotare cæpit, paulatim crescente morbo tandem Christo vocante ab hac miserabili peregrinatione ad patriam transmigravit æternam, anno regiminis XXII. sepultus ut jusserat in Introitu Ecclesiæ circa altare omnium Sanctorum, vir apud omnem Hirsaugiensium posteritatem sempiterna memoria dignus. Meritò námque secundus fundator hujus Monasterij censendus, quippe qui omnia ejus bona ære alieno in duodecim millibus, ut supra dictum est, gravata reperit, cuncta penè intus & extra ædificia ruinosa vidit.

Bernardus Abbas Hirsaugiæ XXXIX. moritur.

Enimverò quod nullus in ducentis annis ante eum Abbas potuit, Hirsaugiam à cunctis oneribus debitorum liberrimam reddidit, impignorata omnia redemit: & ædificia Cœnobij nova multa condidit, antiqua reparavit. Majus tamen omnium, quod fecit, jure præfertur cæteris, quia non solùm Monasterio utiliter præfuit in temporalibus, sed in spiritualibus etiam omnia tam in se, quàm in subjectis ad Regulæ puritatem reformavit: fuit enim regularis observantiæ magnus Zelotes, & cuncta ad Dei gloriam faciebat.

Bernardus hic Abbas meritò secundus fundator dicendus est.

De Georgio hujus Monasterij Hirsaugiensis Abbate XL. qui præfuit annis duobus, minus xx. diebus, varijsque gestis illius temporis.

POst obitum Reverendissimi Abbatis Bernardi anno Dominicæ Nativitatis memorato MCCCCLXXXII. Indictione Romanorum XV. XVIII. die mensis Octobris, quæ fuit feria sexta post Galli, convenientes ad locum Capitularem Prior & Fratres hujus loci, post invocationem Spiritus sancti, aliásque orationes consuetas, Georgium Præpositum in Rothe Conventualem præsentis Monasterij unanimi consensu in Abbatem elegerunt, qui per Ludovicum de Helmstatt Episcopum Spirensem confirmatus & Benedictus præfuit duobus annis XX. diebus, vir bonus, simplex, & quietus.

Georgius fit Abbas Hirsaugiensis XL. annis duobus.

Hic de Moguntia venerat ad Hirsaugiense Cœnobium ex S. Jacobo cum primis Reformatoribus, inter quos usque ad senectam & senium vixerat inculpatè, nulli molestus, sed gratus omnibus, & in regulari observantiâ singulari devotione studiosus. Ordinatus posthæc à Bernardo Abbate in Roth, se in utróque statu satis utilem exhibuit rectorem, &

Georgius Abbas vita & moribus fuit tranquillus.

proventus Ecclesiæ parvo tempore notabiliter augmentavit, ædificia plura de novo erexit, antiqua & ruinosa summo cum studio cuncta reparavit.

Sed posteaquam in Abbatem fuerat sublimatus, non eam regendi gratiam in majoribus habuit, quam in minoribus constitutus utiliter & fructuosè ministravit. Unde factum est, ut cum senioribus suis, & his maximè, qui fuerant in officijs positi, gravem dissensionem incurrerit, è quibus nonnulli ad tempus exulare coacti sunt. Post multas tandem turbationes inter eum & conventum subortas, considerans senio se gravatum ad onera pastoralis curæ portanda minùs idoneum, Abbatiam resignavit.

Fridericus Comes Palatinus nascitur.

Eodem anno nonâ die mensis Decembris Heidelbergæ nascitur Fridericus quartogenitus Philippi Comitis Palatini Bavariæque Ducis ac Principis Electoris, qui hodie xxxi. ætatis annum agens, super liberos Ruperti fratris in Bavaria relictos, ut suo loco dicetur, Tutorem se gerit.

MCCCCLXXXIII.

Maximilianus Oratores pro pace mittit ad Gallos.

Anno Georgij Abbatis I. Indictione Romanorum I. Ludovico Rege Gallorum XI. valetudinario manente, Maximilianus Archidux Austriæ Oratores suos ex Flandria misit in Galliam rogatus ab illo, ut de pace communi tractarent. Videbat enim Rex Ludovicus, quod in humanis diutius manere non posset, sed mori propediem oporteret, voluitque propterea Maximilianum, cujus vires in bello & nervos multipliciter fuerat expertus, Carolo filio, quibus posset medijs facere prius amicum, à quo regnum suum alioqui fore metuebat avertendum.

Margaritha filia Maximiliani Carolo desponsatur Gallo.

Venientes itaque ad Ambasiam Oratores Maximiliani, ubi Rex decumbebat infirmus, Pax & concordia inter eos facta est, & inter alia fœderis capita, hoc erat non ultimum, quod Carolus Ludovici filius Margaritham ex Maria filiam (de qua paulò ante dictum est) dum utríque legitima ætas esset, acciperet uxorem. Quibus ritè concluſis donantur à Ludovico Legati triginta millibus scutorum aureorum, præter pocula argenti cælati, quod Rex illorum causâ prius cudi præceperat. Erat autem Margaritha infra bimatum, & à Gandavis educabatur in Flandria. Igitur redeuntibus Gandavum Flamingis Oratoribus fit apparatus ingens de Margaritha ad Gallos ducenda: nec minus curabat Rex Ludovicus magnâ pompâ, quomodo eam à Flamingis gloriosè susciperet.

Ludovicus Gallorum Rex infirmus musicâ petit levari.

Anno igitur prænotato secundâ die mensis Junij Margaritha Parisium ingreditur infans puella, & paulo post ad Ludovicum Regem deducitur, ubi jacebat infirmus, festúmque desponsationis communi lætitiâ celebratur. Non erat Ludovico à morbo requies: séque indies magis ac magis debilitari sentiebat, & mortis metu angebatur; nemo enim fuit illo vivendi cupidior. Hinc Turonum se portari jubet, excogitans à Musica valetudinis suæ levamen quærere. Quam ad rem accersiri mandat omnis generis musici instrumenti lusores, quos centum & viginti convenisse constat. Inter quos fuerant ovium pastores, qui multos dies non procul à Regis cubiculo continenter modulabantur ejus consolandi causâ, & ne somno quo gravabatur nimium succumberet; quanquam nihil aut parum relevaretur.

Jussit

Jussit præter hoc hominum genus alterum longè diversum ad se convenire, solitarij námque & qui Eremum incolebant homines, quique opinione sanctitatis plurimi æstimabantur, fœminæ quoque spectatæ Religionis Turonum convenerunt; quibus id negotij mandatum est, Deum indesinenter orare pro salute Regis, ut vivere diutius posset; erat enim cupidissimus vitæ. Sed mortis definitæ terminum nemo producere potest. Moritur ergo post multa & prius inaudita sine fructu excogitata medicamina in palatio Turonensi anno prænotato penultima die mensis Augusti, & in templo Divæ Mariæ semper Virginis apud Clery sicut vivus ordinaverat sepultus est.

Ludovicus Rex Gallorum undecimus Turonis moritur.

Post Ludovicum regnavit super Gallos filius ejus Carolus octavus, annis fermè quatuordecim, puer sex annorum, cùm regnare cæpisset: & fœdera rupit, quæ pater cum Archiduce Maximiliano statuerat, Margarethámque sibi ut diximus desponsatam, remisit in Flandriam ad patrem, cupiditate Ducatûs Britanniæ minoris incensus, cujus Dominam nomine Annam jam ritè Maximiliano sponsam, præripuit violato jure uxorem.

Carolus octavus regnat in Gallia post Patrem annis XIV.

Anno prænotato, septima decima die mensis Julij, Joannes de Colenhausen Abbas Monasterij sancti Martini præsulis in Spanheim Ordinis Divi Patris Benedicti auctoritate Alberti Mogúntinæ Ecclesiæ administratoris & Fratrum postulatione factus est Abbas Cœnobij Sanctorum Marcellini & Petri Martyrum in oppido Selgenstatt, & præfuit ibidem annis novem. Posteà senio gravatus & morbo Abbatiam resignavit: & mensibus triginta supervixit: vir doctus, religiosus, integer, & omni tempore honestæ conversationis.

Joannes de Colenhausen fit Abbas in Selgenstatt annis IX.

Eodem anno vicesimâ nonâ die mensis Julij, ego Joannes Trithemius patriâ Mosellanus tantâ successione indignus confratrum meorum electione Abbas in Spanheim quintus atque vicesimus fui electus, præsentibus Hermanno sancti Jacobi prope Moguntiam, Conrado sancti Joannis Baptistæ in Ringaugia, & Joanne supra dicto in Selgenstatt Monasteriorum Ordinis nostri Abbatibus. Confirmatus autem per administratorem Ecclesiæ Moguntinæ Albertum, & ordinatus à Bertholdo Pariadensi Pontifice ejus in Pontificatu Vicario, Spanheimensi Monasterio inutilis præfui annis viginti tribus, mensibus duobus, & quatuordecim diebus. Quibus in paupertate magna & multis laboribus exactis, quorundámque perfidiâ exacerbatus animo Abbatiam sancti Jacobi Apostoli apub Wirzburg, in qua hoc historiarum opus lucubravi, Fratrum electione assumpsi, & Spanheim cum ingratis Cynonotis voluntariè resignavi, ut suo loco inferiùs veniet dicendum.

Joannes Trithemius fit Abbas in Spanheim annis XXIV.

Anno prænotato, sextâ decimâ die mensis Novembris, Heidelbergæ nascitur Elisabeth in ordine liberorum quintogenita Philippi Comitis Palatini Bavariæque Ducis, & Principis Electoris. Hæc postea cùm annorum esset quindecim, Wilhelmo Hassorum Landtgravio nupsit, apud Franckenfurt oppidum regni celebratis magnâ pompâ nuptijs. Quo infra biennium sine liberis mortuo ad Patrem revertitur: & paucis in viduitate annis exactis secundò nupsit Philippo Marchioni de Baden filio Christophori magnifici Principis Badensis.

Elisabeth Comes Palatina Heidelbergæ nascitur.

Anno etiam prænotato Georgius Abbas Monasterij hujus Hirsaugiensis ambitûs primum latus, quod ejus antecessor Abbas Bernardus, ut supra

diximus, inchoaverat, perficere statuit, & ad finem testudinem perduxit. Alias etiam structuras in Monasterio, & exinde in curtibus continuando assumpsit, quas tamen omnes propter brevitatem sui regiminis consummare non potuit.

Cœnobium Monialium in Sebach reformatur.

Eodem quoque anno Georgius Abbas de commissione Ludovici Spirensis Ecclesiæ antistitis reformavit Cœnobium Monialium S. Laurentij Martyris in Seebach nostri Ordinis, quod parum distat à Monasterio Limpurgensi, & vitam in eo regularem introduxit. Aliud quoque Cœnobium Monialium nescio cujus Ordinis in Sefflingen, idem ad religionis observantiam reformavit.

MCCCCLXXXIV.

Anno Georgij Abbatis II. Indictione Romanorum II. hyems satis nivosa fuit & putrida: eodémque anno primâ die mensis Maij, obijt Albertus è Saxoniæ Ducibus Administrator Ecclesiæ Moguntinæ anno ætatis suæ vicesimo, administrationis verò suæ secundo bonæ spei adolescens: cujus Cadauer cum honore debito in majori Ecclesia sepelitur. Post cujus mortem Bertholdus ex Comitibus de Heñenberg Decanus per Canonicos unanimi consensu eligitur: & confirmatus ab Innocentio Papa octavo, sequenti anno in Archiepiscopum à Joanne Dalburg Wormatiensium Antistite Moguntiæ ordinatur. Præfuit autem in Archiepiscopatu annis uno & viginti, vir astutus consilio, & æstimationis inter Principes magnæ, qui mox in principio sui Pontificatus Clerum durè satis gravare cæpit: pecuniam exigendo, quam subsidium vocant, per Censuras Ecclesiasticas, ultra quàm eatenus fieri consuevit, non solum à sæcularibus, sed etiam à Claustralibus, quos præ cæteris, nescio causam, aliquantulum durius aspernabatur. Erat alioquin Princeps magnificus, qui cunctis Germaniæ optimatibus Ingenio, Prudentiâ, Sapientiâ, consilio, rerúmque magnarum experientiâ facilè præstabat: ad cujus sententiam Rex Maximilianus quasi ad Patris aurem pendebat, utpote qui Archicancellarij officium in ejus palatio multo tempore sequendo Curiam prudentissimè adimplevit.

Bertholdus Comes de Heñenberg fit Archiepiscopus Moguntinus.

Sixtus Papa quartus, moritur.

Eodem anno in mense Augusto, mortuus est Sixtus Papa quartus Pontificatus sui anno XIII. apud S. Petrum in Vaticano sepultus impensis Juliani Cardinalis S. Petri ad Vincula ex fratre nepotis, qui post Alexandrum sextum factus est Papa Julius secundus. Creaverat enim Papa Sixtus toto sui Pontificatus tempore Cardinales viginti: inter quos Julianus S. Petri ad Vincula ex fratre nepos unus extitit: qui patruum sicut diximus pomposè nimium sepelivit. Hic Papa Sixtus festum Præsentationis Beatæ Mariæ semper Virginis instituit, & solemnitatem Conceptionis ejus confirmavit. Festum quóque S. Annæ aviæ Christi, & S. Joseph nutritij Domini in Ecclesia fieri jussit.

Innocentius fit Papa octavus, qui annis præfuit VIII.

Sixto in Pontificatu Romano successit Joannes Baptista patria Genuensis, Cardinalis Presbyter tituli S. Cæciliæ, qui dictus Innocentius VIII. Ecclesiæ præfuit annis VIII. diebus sex atque viginti, vir optimus, affabilis, mansuetus, eloquio facundus & comis, morúmque honestate ac maturitate insignis. Hic Innocentius Papa Lupoldum Austriæ olim Ducem signis & miraculis coruscantem Sanctorum Catalogo ad instantiam Friderici Cæsaris tertij adscripsit.

Anno

Anno prænotato, viceſimâ primâ die menſis Februarij, natus eſt Joachim Brandenburgenſium Marchio, Stetinenſium Pomeranorúmque Dux, ſacri quoque Imperij Archicamerarius, ac Princeps Elector, filius Joannis Marchionis & nepos Alberti, qui cùm eſſet annorum decem & ſeptem, Joannis Danorum Regis filiam duxit uxorem, de qua genuit filium paterni nominis Joachim: & alterum nomine Joannem: duas quoque filias, quarum nomina memoriæ non occurrunt, ſperantes quòd liberos habiturus ſit cum tempore plures.

Joachim Marchio Brandenburgenſis laudatiſſimus.

Iſte princeps Joachim ad litteras à Patre in juventute poſitus, quantum profecerit in lingua latina, teſtes ſunt mecum omnes, qui noverunt eum. Non ſolùm latinè legit, intelligitque perfectè, verum etiam, quod rariſſimum eſt apud Germaniæ Principes, latinè ſcribit ornatas concinnas & diſertas epiſtolas, ſuo ingenio, adinventione, & manu. Nam & S. Pontifici decimo Leoni nuper proprio ingenio & manu facundiâ latinâ plenam ſcripſit & miſit Epiſtolam. Interfuimus olim pluries, quod cum Raymundo Cardinali S. Mariæ novæ Sedis Apoſtolicæ Legato in menſa loquebatur omnia non modò latinè, ſed etiam ornatè in tantum, quòd cuncti mirabantur aſſidentes. In hiſtorijs tam veterum quàm novorum peritus & ſtudioſiſſimus eſt. In Mathematicis quoque diſciplinis ſuper omnes, quos noverim, Principes eruditus. Mirabili, & prope divino viget ingenio, quo factum eſt, ut ſine difficultate magna evaſerit doctus: omniúmque doctorum eruditorúmque hominum unicus Mœcenas, amator & promotor omni tempore ſingularis. Cujus ſententiæ fidem confirmat, & quanti pendat viros literarum ſtudio deditos, oſtendit Gymnaſium illud generale, quod apud Franckenfurt oppidum ſuum, cis-Oderam, novum inſtituit, privilegijſque multis & neceſſarijs proventibus magnificè dotavit, ad quod viros undecúmque doctiſſimos magnis beneficijs adſcivit. Ejus converſatio cum doctis eſt aſſidua, quorum in ſua curia nutrit multitudinem copioſam: in quos non tantùm verbis affabilis, ſed etiam donis munificus eſt.

Joachim Marchio amator, cultor & benefactor doctorum.

In moribus & verbis maturus & non ſeverus, jucundus, non diſſolutus, humanus, non crudelis, manſuetus, non ſuperbus. Et quanquam rei theoricæ, Philoſophicæ maximè deditus, principatum tamen ſuum non minùs diligenter, quàm prudenter modeſtiſſimè gubernat. Subditis charus: bonis per dignationem ſocius: malis reprobis judex & cenſor auſterus: Juſtitiæ cultor & amator eſt maximus: quippe qui nullius in judicio perſonam recipit: reum pro muneribus neminem abſolvit. Verùm quia tranquillus adhuc vivit in humanis, ratio nos admonet, ne calamum ultra laxemus.

Joachim Marchio Juſtitiæ cultor, pius, manſuetus & rectus.

Anno prænotato vini abundantia crevit ubique terrarum per Germaniam totam, ubi vitium exercetur cultura, quantam nullus mortalium præceſſiſſe in memoriam potuit revocare. Nec prius nota fuit hæc vini copia tanta, quam in vindemia botros colligere homines cæpiſſent. Quo factum eſt, ut multis vaſa deficerent: cùm pro tanta vini multitudine ſe pauciſſimi præparaſſent. Vendebatur tum vini plauſtrum pro uno aureo nummo, & vas pro tribus. Henricus Abbas in Weiſſenburg, cui hoc anno vini plauſtra creverunt, ſicuti ejus ab ore audivi, quater centum, ſub eadem vindemia propter defectum vaſorum centum ſexaginta plauſtra

Vini abundantia inaudita.

stra vendidit pro totidem florenis monetæ communis. Venditores erant multi: emptores verò pauciſſimi. Nam usque adeò vinum hoc anno viluerat, quod multi vini cultores cæmentationes parietum non cum aquâ, sed veteri vino maluêre conficere. Alij propter vasorum penuriam, ut novum reciperent, vetus in terram effuderant. Plures etiam non habentes vasa pro tanta vini sufficientia multitudine, botros in vitibus dimissos colligere despexerunt: nonnulli quoque rusticorum in rabiem versi, cùm Deo gratias agere dubuissent, in blasphemiam ora laxârunt, verba fundentes, quæ non expedit recitare. Sed in sequentibus annis vindictam ingratitudo recepit.

Rusticorum ingratitudo Dei fuit beneficijs provocata.

Georgius Abbas Hirsaugiensis XL. resignat.

Eodem anno, xxix. die mensis Septembris, quæ fuit solemnitate S. Archangeli Michaelis festiva, Georgius hujus Monasterij Hirsaugiensis Abbas, considerans se ad curam pastoralem propter multas conditiones non esse idoneum, Abbatiam propriâ sponte ac liberâ voluntate anno regiminis sui secundo resignavit. Fuit autem Georgius iste Abbas homo senex, mansuetus, atque tanquillus amator pacis & quietis. Verùm quia hujus Monasterij Abbatia virum requirit laboriosum expertum in multis, & super omnia vigilantissimum, qui non solùm spiritualia diligentissimè curet, sed etiam temporalia prudenter administret, humeris suis importabile onus voluntariè deposuit, & reversus ad privatæ conversationis tramitem biennio supervixit. Cui Fratres pro sustentatione vitæ annuam pensionem assignârunt certam pecuniarum summam, honestam hominis senectutem providè cogitantes. Nec diu posteà cùm ille apud exteros sibi deligeret mansionem, Blasius Abbas & Fratres religiosâ intentione contradixerunt, asserentes illum non debere cum alterius professionis hominibus habere mansionem, sed potius inter nostros regulariter conversari. Fit tandem Spiræ inter eos concordia per Hermannum Abbatem S. Jacobi Moguntinum, & alios convocatos tali sub conditione, quod in prioratu Richenbach Monasterio Hirsaugiensi absque medio subjecto reliquum vivendi tempus cum sua provisione debeat seorsim residere tranquillus, quod & fecit quamdiu supervixit, obijt enim quartâ die mensis Augusti, anno Blasij Abbatis succedentis secundo.

De Blasio hujus Monasterij Hirsaugiensis Abbate XLI. qui præfuit annis xviii. mensibus ix. diebus xvii. & varijs gestis.

Blasius sit Abbas XLI. annis xix.

ANno Dominicæ Nativitatis MCCCCLXXXIV. Indictione Romanorum II. postquam venerabilis senior Georgius Abbatiam in manus, ut dictum est, sui conventus liberè deposuit & resignavit, Prior cum Fratribus die præstitutâ pro novi pastoris electione ad locum Capitularem unanimes convenerunt. Præmissis autem celebrationibus Missarum & orationibus consuetis, Blasium, qui major cellerarius aliquandiu fuerat, in Abbatem hujus Monasterij XLI. unanimi voto elegerunt, qui confirmatus à Ludovico de Helmstatt Spirensium Episcopo, & solemni pompâ ordinatus, præfuit annis xviii. mensibus

bus IX. diebus XVII. vir staturâ non incompositus, longior tamen, quam brevis, corpore macilentus, & congruâ membrorum proportione dispositus, capillis simul & supercilijs nigrescentibus. Patriâ Suevus erat ex Oettingen oppido natus, parentibus liberis ortus atque honestis, Patre Henrico, matre verò Catharina genitus. Qui florida in ætate apud Hirsaugiam Monachus factus multo tempore sub Abbate Bernardo majoris Cellerarij, sicut dictum est, strenuè gessit officium, & secundum D. P. N. Benedicti sententiam omnia fideliter pro fratrum necessitate ministravit. Erat sanè vir magnæ prudentiæ & industriæ singularis, qui natus ad ardua videbatur, ingenio subtilis & ad quælibet prægitanda promptus & callidus, quem nemo facilè deceperit: animo constans & imperterritus, qui non cedere adversantibus novit, sed vincere potius, & triumphare. In agendis & procurandis rebus Monasterij temporalibus multum fuit diligens, providus, & circumspectus, & substantiam rei familiaris in utroque officio valdè ampliavit. Post mortem Bernardi Abbatis in ea turbatione, quam sub Georgio diximus exortam, dolo & suggestione quorundam æmulorum ad breve tempus exulare coactus fuit apud fratres Weissenburgenses, sed inde revocatus cum honore ad Monasterium, non diu post in Abbatem sublimatur. Non reddidit vicem his, qui exulandi præstiterant causam, sed omnes patienter toleravit, sciens dixisse Judicem universorum: *Mihi vindictam, & ego retribuam.* Hâc sententiâ motus ad injurias fratrum patientissimus fuit, & contumelias sibi quandóque illatas prudentissimè dissimulavit: suâ enim prudentiâ vicit omnes motus subditorum, qui nonnunquam satis protervè in eum pravorum consilio surrexerunt. Quæ scribimus, non ad ignominiam præsentium Hirsaugiani Conventus Monachorum, sed ad cautelam futurorum ut referantur, obsecramus.

Blasij Abbatis Patria, parentes, mores & vita.

Blasius Abbas ad injurias patiens.

Paucis ante mortem ejus annis diabolo seminante, ac pravo hominum consilio interveniente, magna inter Abbatem ipsum & Conventum fuit suborta dissensio, nullâ existente legitimâ causâ, propter quam dissentire ab invicem debuissent, sed erant quidam aliarum Professores Religionum scioli simul, & nonnulli sæculares, qui varijs modis pacem inter eos crebrò perturbabant. Crevit in tantum dissensio, quod Patres de Annali Capitulo unionis & observantiæ Bursfeldensium quatuor deputaverunt Abbates, quorum unus eram, ut Monasterium visitarent, & discordantes revocarent ad pacem. Visitavimus haud minùs tertiò, & semel inquietatum pelagus vix tandem cum multis laboribus, nec sine magnis Cœnobij expensis ad tranquillitatem potuimus reducere. Et quamvis dissensionum causæ nec magnæ essent, nec legitimæ, quia tamen ex commissione Præsidentium toties visitare cogebamur, jam ab ista, jam verò ab alia parte vocati. Hirsaugiensium nomen, honor & gloria non solùm per Sueviam, sed per totam unionem nostram ubíque non parvum sumpsêre detrimentum, alijs Abbatem, alijs verò Conventum, nonnullis utrósque damnantibus. Postremò in se reversi Monachi sanis acquievêre consilijs (erant enim plures inter eos viri prudentes) recognitísque diaboli versutijs pacem receperunt oblatam. In omnibus Blasij prudentiam consideravimus prævalere malignitatibus temporum, qui passus injuriam, quasi nesciret, dissimulavit.

Dissensio inter Blasium Abbatem & Conventum gravis.

MCCCCLXXXV.

Bertholdus in Archiepiscopum Moguntiæ consecratur.

Anno Blasij Abbatis I. Indictione Romanorum III. in Dominica mediæ quadragesimæ, quâ *Lætare Jerusalem* pro Missæ Introitu cantari consuevit in Ecclesia Dei, Berchtoldus ex Comitibus de Hennenberg in Archiepiscopum Ecclesiæ Moguntinæ electus & confirmatus, Moguntiæ consecratus est ministerio Joannis Camerarij Dalburgij Wormatiensis Episcopi, coastantibus sibi Ludovico de Helmstatt Episcopo Spirensi, & Bertholdo Panadense Episcopo, qui Vicarius erat in Pontificalibus Archiepiscopi Moguntini. Astabant etiam suis ornamentis thiarísque induti Abbates nostri Ordinis Hermannus Abbas sancti Jacobi Moguntinus, Conradus Abbas sancti Joannis in Ringaugia, Joannes Abbas in Selgenstat, Anselmus Abbas in Limpurg, Joannes in Blidenstatt, Conradus Abbas in Amorbach Herbipolensis Diœcesis, Joannes Trithemius Abbas in Spanheim, & alij tam nostri Ordinis, quam Cistertiensis ac Præmonstratensis complures.

Capitulum Ordinis nostri Provinciale xxv. Augustæ celebratur.

Eodem anno Dominicâ tertiâ post Pascha, quæ fuit XXIV. dies mensis Aprilis, celebratum est quintum atque vicesimum Ordinis nostri Capitulum Provinciale apud S. Udalricum in Augusta, in quo præsederunt Joannes S. Ægidij in Nürenberg, Henricus sanctorum Petri & Pauli Apostolorum in Weissenburg, Paulus in Elchingen, & Joannes Trithemius sancti Martini in Spanheim Ordinis memorati Abbates. Verba fecit Weissenburgensis.

Abbas cum Monachis suis in Salsa apostatavit ab ordine.

His etiam temporibus Abbas & Monachi Cœnobij Salsensis in Diœcesi Argentinensi Ordinis nostri, confictis falsis, & ementitis narrationibus suis Innocentium Papam malè informantes, habitúque sacræ Monasticæ Religionis abjecto temerè ab Ordine recesserunt, Monasterium in Ecclesiam sæcularem transferentes, & facti ex Monachis reprobis malis atque perversis Canonici pessimi, dissolutissimi, Deóque mendaces, & Angelis apostatantibus simillimi, non diu supervixerunt, sed morte horrenda in brevi omnes sublati pœnas temeritatis suæ dederunt. Simile contigit omnibus, qui nostris temporibus similia præsumpserunt.

Joannes fit Abbas Bursfeldensis.

Anno prænotato, secundâ die mensis Januarij, hoc est, in octavis Proto-Martyris Stephani, obijt Theodoricus Abbas Monasterij sanctorum Thomæ & Nicolai apud Bursfeldiam, qui tertius fuit in observantia regulari, homo integerrimæ conversationis, qui multa fecit bona pro reformatione Ordinis nostri per Saxoniam. Post hunc Joannes in Abbatia succedens præfuit annis sedecim, mensibus quatuor, vir & ipse multum religiosus, qui plura in Monasterio ædificia sumptuosa de novo construxit.

Eodem anno sextadecimâ die mensis Martij horâ circiter quartâ, fuit magna sive totalis defectio solis, quam Græci nominaverunt ecclypsin, quam Fratres multi curiosius, & sine medio per apertum intuentes, non parvam acuminis videndi læsionem per dies manentem plures acceperunt.

Atrebatum à Maximiliano capitur.

His etiam temporibus Ludovico Rege Gallorum undecimo, ut paulò ante dictum, est mortuo, & Carolo filio ejus adhuc puerulo succedente, non immemor Archidux Maximilianus eorum, quæ Galli sæpius contra fidem juratam egissent mala, contractis copijs de Flandria movens

in

in Picardiam, Atrebatensem urbem noctu ingressus capit nullo resistere, vel audente, vel potente; Præfectum urbis dormientem intercepit. Post menses aliquot arcem ad majorem mercatum, & munitiones civitatis adversum oppidum sancti Vedasti à Ludovico Rege Gallorum exstructas funditus subverterunt. Antiquo etenim jure ad Regnum Germaniæ pertinet Atrebatum.

Civitas Atrebatensis à Maximiliano Archiduce capitur.

Anno prænotato, Innocentius Papa VIII. magistro Insulæ Rhodianorum mandavit, nescio unde motus, ut Zizimum fratrem Bagiasich Regis Turcarum ad se Romam transmittat. Itaque ad Papæ instantiam Zizimus per Priorem de Alvernia Romam perductus est, & mansit ibidem annis novem. Postea Carolo Regi Gallorum à Papa Alexandro donatus & abductus, non diu vixit.

Zizimus frater Turcarum Regis captus Romam mittitur.

Eodem quoque anno Blasius hujus Monasterij vigilantissimus Abbas plura comparavit suo Cœnobio bona, inter quæ duximus annotare subjecta. In primis auxit & ampliavit proventus annuos in Waldeck & villa Kenthen, in summa librarum Hallensium octoginta quinque super fundo, qui nuncupatur feudum piscatoris. In eodem loco fundum specularij dictum pro libris Hallensium octoginta quinque similiter comparavit. Curtem quoque in Schaffhausen à sacerdote quodam de Wil nomine Wolffgango emit pro florenis aliquot, & Partem fluvioli nuncupati die Wuren pro triginta libris Hallensium comparavit.

Blasius Abbas in diversis locis plura comparavit bona.

MCCCCLXXXVI.

Anno Blasij Abbatis secundo, Indictione Romanorum quarta, Wilhelmus de Arenberg, qui Joannem de Burbon Episcopum Leodiensem ante quadriennium sicut dictum est prius insidiosè occiderat, per fratrem succedentis Episcopi Joannis de Horn simili dolo capitur, & ductus Trajectum superius oppidum juxta Mosam capite truncatur. Sicut fecerat, ita factum est ei, & qui pactum violavit manum temerè mittens in Christum Domini, fidem invenire non meruit, quam ipse minimè servavit. Composuerat enim priùs cum Joanne de Horn Leodiensium antistite super parricidio in antecessorem ejus commisso, & pace reformatâ inter eos nihil suspicabatur mali de aliquo. Ejus occasione sceleris plura sunt mala subsecuta: Rupertus etenim de Arenberg fratris necem vindicans, Leodiensium inimicus factus est, & multa eorum millia passim occidit.

Wilhelmus de Arenberg peremptor Episcopi Leodiensis occiditur.

Eodem anno, vicesimâ die mensis Februarij, quæ fuit secunda feria post Dominicam *Reminiscere* in quadragesima, Franckenfurt oppido Regali in Ecclesia S. Bartholomæi Apostoli Maximilianus Archidux Austriæ, ad instantiam Friderici Imperatoris tertij genitoris sui præsentis in Regem Germanorum electus est, annum agens ætatis tricesimum primum, cujus Electores isti fuerunt: Bertholdus ex Comitibus de Hennenberg Archiepiscopus Moguntinus, Joannes ex Marchionibus de Baden Archiepiscopus Trevirorum, Hermannus ex Landtgravijs Hassiæ Archiepiscopus Colonienſis, Philippus Comes Palatinus Rheni, Ernestus Dux Saxoniæ, & Albertus Marchio Brandenburgensis.

Maximilianus Archidux in Germaniæ Regem eligitur.

Eodem anno post Festum Dominicæ Resurrectionis, Maximilianus Rex cum principibus multis navigio descendit ad Coloniam, indéque per terram ad Aquasgrani, ubi cum magna pompa & solemnitate Patre

Maximilianus Aquisgrani coronatur.

Imperatore astante per ministerium Hermanni Archiepiscopi Coloniensis supra dicti juxta consuetudinem antiquitus introductam quintâ die mensis Aprilis, quæ fuit quarta feria post *Quasi modò geniti*, in Regem Germanorum inungitur & coronatur, qui deinceps hodie regnat feliciter titulum hujuscemodi habens. *Maximilianus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Limpurgi, & Geldriæ, Comes Flandriæ, Habspurgi, Thirolis, Phirtij, Kiburgi, Artheſij, & Burgundiæ, Palatinus Comes Hannoniæ, Hollandiæ, Selandiæ, Namurci, & Zuihphaniæ, Marchio S. R. I. Burgaugiaq, Landtgravius Alsatiæ, Dominus Frisiæ, Sclavoniæ, Portus Naonis, Salinarum, & Mechliniæ, & cetera.* Sunt & alia quædam in ejus jure dominia, quorum titulis ubique non utitur.

Maximiliani Regis Germanorum tituli usuales.

Albertus Marchio Brandenburgensis obijt.

Eodem tempore, quo Maximilianus apud Franckenfurt in Regem fuit Germanorum electus, obijt ibidem Albertus Marchio Brandenburgensis Princeps Elector, bellicosissimus, qui multa prælia gessit, & quasi omni tempore victor glorioſus evasit. Reliquit autem duos filios Joannem & Fridericum, quorum primogenitus ipse Joannes patri mox in Electoria dignitate succedens, duos genuit filios, Joachim Principem Electorem, & Albertum Archiepiscopum Magdeburgensem, Annam, quæ nupsit Duci Holsatensi, & Ursulam, quæ nupserat Henrico Duci Megalopolitano, & ante biennium mortua est. Fridericus autem duxit uxorem filiam Regis Poloniæ nomine Sophiam, quæ peperit ei Casimirum, Albertum, Georgium, Fridericum, Joannem, & quatuor filias, quarum nomina præter Barbaram memoriæ jam non occurrunt.

Lex pacis dicta der Landtfrid ab Imperatore conditur.

Anno etiam prænotato Fridericus Imperator tertius convocatis regni Principibus apud Aquasgrani, filio jam, ut diximus, in Regem coronato, legem de pace decennali servanda tulit, in qua universis & singulis regno & imperio subjectis mandavit, ut pacem per annos decem servarent ad invicem, neque alter alterum viâ facti in persona, vel in rebus offenderet. Contrarium facientes banno Imperiali subjecit, ita videlicet, quod nulla declaratione præmissâ, in personis & in rebus à quolibet impunè spoliari possint.

Eodem anno decimâ die mensis Februarij, natus est Heidelbergæ oppido Georgius sextogenitus Philippi Comitis Palatini Bavariæque Ducis, qui postea major Præpositus fuit Ecclesiæ Moguntinæ, & hodie vivit Episcopus Spirensis, electus & confirmatus, annum agens ætatis septimum atque vigesimum.

Abbas in Zwifalten contra Tutorem suum frustracogitat.

Anno etiam prænotato, Monasterij Zvvifalten nostri Ordinis, Constantiensis Diœcesis Abbas, novitate suâ quærens disturbia, sese unà cum dicto Monasterio suo à tuitione Comitum de Wirtenberg tentavit subducere, & defensioni Austriæ Ducum in toto commendare. Acceptum igitur vexillum Sigismundi Archiducis Austriæ, qui morabatur in Inspruck, suspendit in Monasterio, ut signum alienatæ tuitionis esset manifestum. Quod cùm audisset Comes Eberhardus Barbatus, Monasterium potenter intravit, vexillum Ducis Sigismundi deposuit, laceravit, projectúmque in terram pedibus calcavit, reposuítque suum, quod propterea attulerat. Eâ da re magnam Friderici Imperatoris tertij indignationem contraxit,

contraxit, interveniente tamen rege Maximiliano gratiam rursum promeruit, & tuitionem retinuit.

Anno item præsignato parum vini crevit, unde & pretium ejus valdè ascendit, quare multorum ingratitudo satis clarè vindicata: anno námque abundantiæ vini, de qua paulò superius fecimus mentionem, centum vini plaustra nobis creverunt in Spanheim, sequenti anno, hoc est, ab isto proximo de omnibus crescentijs, decimis, & censibus unum duntaxat plaustrum habuimus. Anno autem qui fuit secundus ab anno copiarum prædicto, hoc est, isto prænotato, duo tantùm plaustra nobis provenerunt ex omnibus. Et vini plaustrum, quod abundantiæ anno vendebatur pro uno floreno, hoc anno pro viginti vix poterat inveniri, frumentorum, nihilominus vile pretium fuit. Nam tria siliginis maldra pro uno dabantur floreno, nec erant, qui emerent.

Georgius quondam Abbas hujus Monasterij obijt.

Eodem anno quarta die mensis Augusti, obijt in Cella S. Gregorij Papæ apud Richenbach, quæ prioratus est Monasterio Hirsaugiensi sine medio subjectus, Georgius quondam hic Abbas ante Blasium, ibidem sepultus. Hoc etiam anno Blasius Abbas quasdam possessiones in valle Waldeck pro centum florenis à quodam Andrea Steiden emptione perpetuâ comparavit. Denique pro agris & pratis nonnullis prope castrum Waldeck centum quinquaginta exposuit, & in Wil censum duorum aureorum pro quadraginta florenis eodem anno Monasterio comparavit.

Conradus Abbas montis S. Joannis vir sanctus obijt.

In fine hujus anni vicesimâ quintâ die mensis Decembris, hoc est, in Festo Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, obijt Conradus de Rotenberg Hassius, Abbas montis sancti Joannis Baptistæ in Ringaugia, & in Absíde Australi sepelitur ante altare sancti Benedicti: vir doctus, religiosus, & in observantia regulari studiosissimus. Qui cùm esset amator & Capellanus Beatæ Mariæ semper Virgini devotissimus, scripsit in ejus laudem satis pulchrum & commendabile volumen, sumpta de singulis membris ejus (sub titulo botri) materia laudis, cui titulum convenientem imposuit talem: *De Vinea Domini Sabaoth.* Et incipit: *Fundamenta ejus in montibus sanctis.* Lucubravit & alia nonnulla, quorum titulos in libro de scriptoribus Ecclesiasticis per ordinem consignavimus. Ad hujus devotissimi Patris sepulchrum nos tale lusimus Epitaphium, & in tabella scriptum parieti affiximus.

Conradi Abbatis Epitaphiũ à Joanne Trithemio compositum.

Siste parum gressus, paulúmque morare viator,
Conradi Rotenberg hic quia busta vides.
Mons sacer hunc tenuit, Rhenus quem conspicit amnis,
Moribus, ingenio par cui nullus erat.
Hujus Cœnobij fuerat clarissimus Abbas,
Virtutum cultor Religionis amans.
Primus enim nostræ jecit fundamina vitæ,
Quæ Bursfeldensi nomine clara viget.
Sobrius, & castus, pius, integer, atque quietus,
Cui cibus & cultus parvus & asper erat.
Hic etiam magno Christi genitricis amore
Captus erat, laudes scripsit & ille suas.

Ipſe pius magno fratrum dilectus amore,
Extinctúſque die, quâ ſacra virgo parit.
Ergo Deum juſtâ cuncti ratione precamur,
Ut ſibi ſidereo det reſidere polo.
Hoc tibi pro merito poſuit Trithemius Abbas,
Quem tua de Spanheim vota tulere patrem.

Ordinarij, & Cerimoniarum Auctor.

Interfuit enim Electioni meæ, ut ante triennium eſt dictum: *Jecit noſtræ fundamina vitæ.* Quoniam mandato Capituli annalis, Ordinarium divinorum ſimul & conſtitutiones obſervantiæ noſtræ, quas uſitato nomine ceremonias nuncupamus, ipſe lucubravit, emendavit, diſtinxit, & impreſſioni commendavit.

Bingionum cum ſuis Dominis pro venatione diſſenſio.

Anno item prænotato magna inter oppidanos Bingenſes & Dominos eorum Canonicos majoris Eccleſiæ Moguntinæ fuit ſuborta diſſenſio, propter venationes in nemore Bingionum, quarum uſum à multis retrò annis oppidani (ut aſſerebant) liberum ſemper habuerant, & in poſſeſſione quieta. Contradicebant his Canonici, & omnem ejus venationem interdicentes, hanc libertatem venandi non oppidanis, ſed ſibi ut Dominis eorum ſolis competere aſſerebant. Interpoſuit Bertholdus Archiepiſcopus vices ſuas ad concordandum, auditíſque querelis partium pro Canonicis tulit ſententiam, & oppidanos non debere intendere venationibus, nec jus habere venandi penitus judicavit. Hoc ſuum decretum litteris atque ſigillis confirmatum, partibus perpetuò tradidit obſervandum. Conſenſit abſque voluntate ſenatus, non jure ſed injuria vociferans judicatum: cùm (ut ipſi dicebant) à tempore, cujus initij nemini ſit memoria, & jus venandi ſemper habuerint & uſum. Non diu ſtetit violenta concordia; dolentes námque Bingij præreptam ſibi venationem avitam, contemptis ſpretíſque litterarum monimentis jam pridem datis & acceptis, jus venandi reſumere ſuum tentaverunt antiquum. Armatam igitur multitudinem juventutis quadam die cum canibus & retibus venatorijs in ſylvam miſerunt, exiſtimantes ſe tali uſurpatione præſcriptionem poſſe continuare interciſam. Verùm ſecus quàm ſperaverant accidit. Archiepiſcopus enim Bertholdus ad inſtantiam Canonicorum cum quadringentis viris armatis ad Bingen ſecretiùs redijt, & ante lucem mane per poſtícum ad caſtellum Klopp, quod oppido in monte adjacet, intromiſſus fuit. Semper enim Canonici ſuum in eo caſtello ſolent habere præſidium. Igitur viceſimâ ſeptimâ die menſis Novembris, anno præſignato, memoratus Archiepiſcopus ad arcem Bingionum latenter intromiſſus, ad ſe vocavit ſenatum: quorum alios conjecit in vincula carceris, alios extra Diœceſin proſcripſit. Prima dehinc die menſis Decembris Senatum, Scabinos, Judices, & Officiales novos inſtituit, & rempublicam pro ſuo arbitrio reformavit. Ne verò in emptionibus, locationibus, & impignorationibus bonorum immobilium doli committerentur, & fraudes, novum ſenatui dedit ſigillum atque commune. Prius enim quilibet Judex ſive ſcabinus quaslibet litteras venditionis coram ſe lectas ſuo roborabat ſigillo: fiebántque deceptiones multæ; cùm ſæpius una domus aut vinea impignoraretur aut venderetur duobus.

Bingiones factam ſuper venatione concordiam violarunt.

Bingionum Senatus proſcribitur vetus, inſtituitur novus.

MCCCCLXXXVII.

MCCCCLXXXVII.

Anno Blasij Abbatis tertio, Indictione Romanorum v. in mense Martio, Nicolaus mirabilis Eremita apud Helvetios sive Suitenses obijt, & in sua capella solitudinis, ut petierat, sepelitur, de quo ante septennium retro plura scripsimus. Verè námque Eremita fuit nostrâ tempestate admirabilis, qui vixit in solitudine temporibus multis, & in xx. annis nihil penitus manducavit. Scio, nec dubito, mirabitur super his posteritas omnis, in duásque divisa partes, nos altera mendacij arguet, altera ignorantiæ. Sed neque mendaces in hac parte sumus, neque veritatis ignari, quippe qui plus quàm centies mille hominum testimonio confirmatam recensemus historiam, non vulgarium modò, non Suitensium aut Lucernensium, congentilium ejus tantùm, sed summorum quoque Principum, Sixti videlicet Papæ IV. Innocentij VIII. Friderici Imperatoris III. Archiducis Austriæ Sigismundi, Thomæ Constantiensis Episcopi, & complurium aliorum Pontificum, Ducum & Prælatorum, quorum alij proprijs in personis, alij per suos Oratores, procul sit dubium, sagaciſſimos indaginem veritatis facientes, omnia invenerant esse probata.

Nicolaus mirabilis Eremita Helvetiorum obijt.

Nemo igitur posterorum dubitet, in ambiguum nemo revocet, hodie sunt manifesta, probata, & in omnium Germanorum penè cognitione certissima, quòd iste Eremita Nicolaus in proximis xx. annis, qui mortem ejus continuatim præcesserunt, nihil omnino manducavit, discernendi gratiam ultra mensuram suæ conditionis habuit, profunda Scripturarum mysteria referare potuit, plenus prophetiæ spiritu plurima prædixit. Unum producamus in medium, cujus exemplo plurima fiant manifesta.

Nicolaus Eremita sapientiâ plenus & Propheta magnus fuit.

Abbatem novimus quendam Ordinis nostri, virum doctum per omnia & religiosum, sed aliquantulum plus rerum temporalium, ac divitiarum hujus mundi cupidum, tenacem & avarum. Is cùm aliquando ex ordinatione Provincialis Capituli Monasteria Ordinis nostri per Diœcesim Constantiensem visitaret, curiositate magis, quàm devotione motus Eremitam hunc etiam videre voluit mirabilem. Comitem itineris & socium habuit Visitationis Conradum Abbatem in Wiblingen memoratæ Constantiensis Diœcesis, virum moribus & conversatione valdè notabilem, atque veracem, à quo nos factum audivimus. Cùmque perveniſſent ad Eremitam Nicolaum, cæpit eum alter ille Abbas multis tentare sermonibus, de varijs interrogare quæstionibus scripturarum, quanquam sciret illum litteras ignorare.

Abbas quidam Nicolaum tentans confusus est.

Ad omnia promptissimè respondit Eremita, humillimum se habuit in cunctis, nec aliquod impatientiæ signum ostendit, quamvis plurimum urgeretur ab Abbate, qui omnino voluit experiri, quid in eo lateret. Inter multa, quibus illum Abbas tentator vexavit, dicebat: *Tune es ille, qui se gloriatur in tot annis nihil comedisse?* Cui Eremita respondit: *Bone Pater ego nunquam dixi, nec dico me nihil comedere.* Rursus cùm urgeret ille cupiens irritare mansuetum, de avaritia incidit sermo, & dixit ad Eremitam: *Quid est avaritia?* Respondit ille dicens: *Quid de avaritia me interrogas hominem indoctum & nihil habentem, cùm tu utpote vir doctus & dives, non solùm melius me noveris, quid sit, sed etiam sis jam satis expertus, quid operetur in corde hominis avaritia, quando priori anno, 27. plaustra vini optimi, non sine avaritiæ incendio, pro vili pretio comparâsti, quæ anno revoluto vendidisti*

Nicolaus providè Abbatis latentem denudat audaciam.

pro

pro magno pondere auri? Sed avaritiam tuam intercipiens Episcopus tuus cupiditate suâ punivit; cùm te invito & reclamante vinum omne illud 27. plaustrorum & tibi & Emptori præripuit, & suis cellarijs violenter introduxit, pro quo tibi nec unum obolum persolvit, nec in antea soluturus est. Hæc avaritiæ testimonio in fronte tua scripta sunt, in corde radicata, & tibi non sine mœrore manifesta.

Nicolaum Eremitam spiritum habuisse prophetiæ certum est.

Obstupuit his dictis Abbas, & vehementer consternatus animo, nihil ultra potuit respondere. Et quis non obstupesceret, audiens, ea referare in publicum hominem idiotam, plusquam 60. milliaribus à loco facti procul distantem, quæ nullâ relatione hominum præsertim in vasta solitudine accepit? Nulli sit dubium, quin ea non ab homine perceperit aliquo: sed per Spiritus Sancti revelationem, cui toto corde solus servivit.

Avaritiæ historia, quam dixerat memorato Abbati.

Hujus autem facti talis fuit historia. Memoratus Abbas tempore vindemiarum 27. plaustra vini coëmerat à vini cultoribus, pro quolibet plaustro sex florenos pendens Rhenenses. Anno sequente crevit pretium vini, ac vendidit memoratum vinum cuidam civi Nürenbergensi, quodvis plaustrum pro XXIV. florenis. Quod audiens Episcopus, pravorum instigatus consilio, priusquam emptor suos disponeret currus, vinum omne rapuit, & navigio impositum sua in cellaria perduxit. Non enim jacuerat in Monasterio vinum, sed in villagio, ubi fuerat per Abbatem comparatum. Et sic avaritia punivit avarum, quod latere non potuit sanctum Eremitam Christo dilectum.

Experimento didicerunt Helvetij sanctitatem Nicolai.

Multa denique memoratus F. Nicolaus multis vera prædixit, & ab omnibus, qui noverant eum, ut verax Dei servus & propheta habitus est. Nec temerè quidem. Conjurati námque Suitenses de Lucerna imprimis, cùm famaretur nihil comedere, tantâ eum solicitudine industriâ & sagacitate observabant, primò secretius ipso nesciente, postea etiam manifestè ipso sciente, ut non fuerit possibile cibum inferri per aliquem quovis modo vel ingenio, quod eorum curiositatem latuisset. Et revera scimus illius gentis sævitiam, & populi terræ furorem, qui si fraudem, deceptionem aut simulationem in homine reperissent, sine misericordia confestim ab eis fuisset occisus. Archidux quoque Austriæ Sigismundus Physicum suum Doctorem Burckardum de Horneck virum non minus doctum, quàm rerum novarum sagacissimum inquisitorem, qui hodie octogenarius nobiscum vivit apud Peapolim, ad eundem misit Nicolaum observandi causâ, utrum fama continuati esset vera jejunij, an falsa. Diligentissimâ curiositate per plures dies ab eo observatus & noctes, certius certo probavit, eum nihil manducare. Simili curiositate Sixtus Papa quartus, Fridericus Imperator tertius, Episcopus Constantiensis, & multi Principes alij hominem tentantes observari fecerunt, & veram extitisse famam observantiæ perpetuæ omnes invenerunt: fertur post mortem pluribus clarere miraculis.

Capitulum Ordinis nostri Provinciale XXVI celebratur.

Anno prænotato, Dominicâ tertiâ post Pascha, quæ fuit VI. dies Maij, celebratum fuit Ordinis nostri Capitulum Provinciale XXVI. apud Moguntiam in Monasterio sancti Jacobi. In quo præsederunt Henricus Weissenburgensis, Conradus in Wiblingen, Bertrammus sancti Gothardi prope Hildesheim, & Joannes in Selgenstatt Monasteriorum Abbates.

Ortus Ligæ Sueyicæ.

Eodem anno magna illa civium regni Germanici confœderatio, quam Ligam vulgariter Suevicam nuncupant, Imperatoris Friderici, &

Regis

Regis auspicio Maximiliani sumpsit exordium, eâ videlicet ratione & causâ, ut sese mutuis auxilijs contra indictæ pacis quoslibet violatores unanimi firmitate defenderent. Quæ quidem civium confœderatio nonnullis Principibus Germaniæ valdè displicuit, pluribus etiam placuit, qui & in eorum consortium pari amore transierunt. Brevi námque tempore valdè crevit ista societas, & multis nimium cæpit esse formidabilis.

Quantam hæc Confœderatio pacem hominibus dederit.

Quantum verò bonum hæc tanta consœderatio protulerit regno, quantam Civibus pepererit pacem, quot contentiones & bella alioquin futura extinxerit atque prævenerit, nemo vel mediocriter expertus poterit ignorare. Omnes enim Principes, Episcopi, Duces, Abbates, Comites, & Cives regni, quotquot in hanc jurarunt Ligam seu confœderationem, sic sibi mutuò sunt coadunati, ut quidquid unum concernit, omnes concernere videatur. Multi sunt: justi sunt: formidabiles sunt: & suorum defensores acerrimi, quod non sine rerum suarum gravi dispendio nonnulli fuerunt experti, qui mutire in eos præsumpserunt. Communibus impensis cùm opus fuerit, militant, suorum libertatem acriter defensant, justitiam singulis administrant, neminem nisi prius læsi perturbant, & ideò fortes, constantes, & unanimes in sua confœderatione perseverant, annis jam XXVI. usque ad præsentem diem.

Conventus fit Principum Nürenbergæ.

Anno item prænotato, Fridericus Imperator, & Maximilianus Rex apud Nürenberg oppidum regni Conventum indixerunt Principibus, ubi multis convenientibus inter varios tractatus multa fuerunt proposita, dicta & agitata de bello in Turcas movendo: sed præter verba, nihil aliud sequebatur, omnibus quæ sua sunt quærentibus, non quæ Jesu Christi.

Bellum Sigismundi Archiducis in Venetos.

His temporibus, Archidux Austriæ Sigismundus bellum indixit Venetis, Germanorúmque coadunato exercitu Roveritum Venetorum oppidum obsedit, cepit, ac funditus destruxit. Venetorum autem Capitaneus Athesi fluvio transmisso exercitum movit ad urbem Tridentinam: contra quam exercitus Sigismundi festinans ad pugnam congreditur, bellum atrox committitur, & ambiguo marte diutiùs pugnatur. Tandem Germani obtinuerunt victoriam, & Venetorum plurimi fuerunt occisi, alij præcipites in flumine demersi, reliqui salutem fugâ quæsierunt, & omnes turpiter ad sua redierunt confusi. Eo bello Ruperti Severinatis filius Antonius Maria Dux Venetiani exercitus ad singulare certamen, quod *Monomachiam* græci vocant, provocare Germanos non metuens, vel ut suæ gentis gloriam quæreret, vel ut nominis famam posteris suis commendaret, citò pœnas dedit temeritatis. Joannes enim Comes de Monte solis vulgariter Sonnenberg præsumptuoso congrediens eum vicit & occidit.

Decimam omnium proventuum à Clero Innocentius exigit.

Anno quoque præsignato, Innocentius Papa VIII. decimam omnium proventuum partem à Monachis & Clericis Regni Germanici Censurarum sub fulmine postulavit. Cúmque harum novitatum rerúmque Nuntij & Exactores per singulas Diœceses discurrere cæpissent à Pontifice deputati, fiunt mox Clericorum hinc inde Conventus, varia habentur consilia, & postremò metu Censurarum à Papa non rectè informato, ad Papam benè informandum appellatio cunctorum adhæsione interponitur. Fridericus autem III. Imperator timens, ne vel Cleri fieret à Papa discessio, vel in Ecclesia Dei aliqua divisio, Pontifici scripsit, & eum à malè cæptis prudenti consilio & efficaci persuasione revocavit.

Bellum inter Walesios Suitenses, Mediolanenses.

Eodem anno, XXVIII. die mensis Aprilis, factum est atrox bellum inter Ducem Mediolani & Cives urbis Walesiæ, qui secum habuerunt conjuratos Suitenses in auxilium contra Lombardos. Ancipiti marte pugnatum est diu, & multi ab utráque parte ceciderunt, vulnerati plures, nonnulli abducti sunt captivi, donec pax inter eos fuit reformata.

Henricus Comes Palatinus nascitur.

Anno prænotato, XV. die mensis Februarij Heidelbergæ oppido nascitur Henricus septimogenitus Philippi Comitis Palatini Rheni Bavariæque Ducis ac Principis Electoris; qui annum hodie agens XXVI. præpositus est Ecclesiæ S. Albani prope Moguntiam.

Udalricus Wirttenbergiæ Dux nascitur.

Eodem quoque anno natus est Udalricus Comes de Wirtenberg patre Henrico & matre Comitis filiâ de Bitsch, quem infantem adhuc & in cunabulis jacentem Eberhardus senior Comes Barbatus per duos à Secretis cum nutrice ad Stutgardiam occultè fecit deferri, ibíque nutriri, ac summa cum diligentia educari. Hic est Udalricus ille Princeps magnificus, qui hodiè annorum ætatis XXVI. Ducatum Wirtenbergensium strenuè gubernat, pacem servat, justitiam cunctis administrat, divitijs, gloriâ, virtute ac potentiâ nulli Ducum secundus, non minus ad bellum (si oportuerit) quàm ad pacem dispositus.

Census & proventus hujus Monasterij auctí hoc anno.

Anno etiam prænotato, Blasius Abbas hujus Monasterij proventus & census annuos notabiliter augmentavit. Censum unius floreni annuum pro viginti à Leprosorio apud Wilam redemit. Bona quoque & possessiones in Lüzenhart prope Bergenhausen centum viginti auri nummis comparavit. Pro curte quadam Dizingvilla, quingentos & quinquaginta similiter expositit. Unam quoque & viginti Hallensium libras dedit pro reliqua parte Würen fluminis prope Schaffhausen villagium. Viginti quoque libras Hallensium, pro quibusdam agris & pratis in Waldeck expositit.

MCCCCLXXXVIII.

Maximilianus Rex à suis subditis in Flandria capitur.

Anno Blasij Abbatis IV. Indictione Romanorum VI. cùm Rex Germaniæ Maximilianus paucis comitatus familiaribus descendisset in Flandriam, Philippi filij sui rebus consulturus, qui annum ætatis tunc agebat sub tutoribus decimum, à Burgensibus consilio Gandavensium cum suis omnibus capitur, ac diutius in custodia cujusdam habitationis honesta detinetur, cunctis ab eo seclusis familiaribus, præter coquum, ut ferebatur, unicum. Enimverò cùm Philippus Archidux, quem secum habebant in Flandria, puer adhuc, non esset ad regimen Principatuum terræ idoneus, & Patris ordinatione non per incolas terræ, sed extraneos omnia disponerentur & fierent, indignabantur Flandrenses, quasi viderentur despecti: & seditione factâ manus in Regem injecerunt violentas.

Causam ut Regem caperent Flammingi variam intulerunt.

Inferebant etiam, quòd Regentes ac Præfecti, quos Rex terræ præposuerat, annis jam pluribus retroactis incredibilem pecuniarum levassent summam, quam ubi, cui, quomodo vel in quem usum expositissent, nulli fecerint rationem. His ergo nimiâ importunitate Regem urgebant, volentes inprimis, quòd omnes deponeret Præfectos terræ ac Regentes: se quoque penitus abdicaret renuntiarétque omni juri Comitatus Flandriæ: & jam deinceps omnem administrationem Principatus filio permitteret liberam & absolutam: quem ipsi pro suo recognoscerent Domino, & alium neminem, neque Patrem. Renitentem postulatis Regem diutius

diutius furiosi detinuêre captivum, venenato consilio Venetorum, prope in ejus necem parati, sic more suo scribentium: *Homo mortuus non facit guerram.* Quorum consilium, qui non intelligit, nihil intelligit. Sed armis pugnant Germani, non invisibili magisterio. Nihilominus ex familia ejus atque nobilibus aliqui vesaniâ Brugensium fuerunt occisi: cæteri fugâ labentes vix evaserunt.

Imperator contra Flamingos congregavit exercitum.

Interea Fridericus Imperator tertius Pater Maximiliani Regis audiens filium à Brugensibus captum, imprimis avisat Romanum Pontificem Innocentium octavum de facto, qui Majestatis læsæ reos statim excommunicat. Deinde Principum & Civium regni auxilio congregavit exercitum: & descendit cum multis Principibus atque nobilibus in Flandriam, ut liberaret filium. Habuit autem in suo exercitu Equitum tria millia, quadringentos & viginti duos, peditum verò duxit quinque millia nongentos & viginti quinque. Currus autem habuit ducentos & viginti duos.

Gandavum à Cæsare obsidetur. Rex quoq; dimittitur.

Cum his veniens in Flandriam, quidquid erat in villis & agris extra munitiones, irato devastare animo cæpit. Brugenses autem cùm audissent Cæsaris adventum, non confidentes oppidi sui muris atque fossatis, captivum Regem tradidêre Gandavis. Quod ubi Cæsar intellexisset, Gandavum obsedit ac fortiter impugnavit. Decimo sexto Maij cernentes Gandavi, quòd Cæsaris viribus diutius non possent resistere, humiliati pacem ab eo petunt, & sub certis conditionibus impetrant; plurimorum judicio veniâ indigni videbantur. Et sic pater filium potenter liberavit.

Joannes Palatinus Comes Ratisbonensis Episcopus nascitur.

Anno prænotato, septima die mensis Maij, nascitur Heidelbergæ oppido Joannes octavo genitus Philippi Comitis Palatini Rheni Bavariæque Ducis ac Principis Electoris: qui hodie annorum quinque atque viginti Ratisbonensis in Bavaria Episcopus habetur & confirmatus, bonæ Indolis & spei Princeps.

Monasterium Elwangen transfertur ab Ordine.

His fermè temporibus Monasterium in Elvvangen Ordinis Divi Patris nostri Benedicti, Augustensis Diœcesis, in quo viri olim non solùm eruditione omnimodâ scripturarum, sed etiam vitæ merito complures sanctissimi claruerunt, perjurio, mendacio & apostasiâ perversorum, impiorum & Deum negantium, Abbatis & Monachorum, ab Ordine translatum est in Ecclesiam Sacerdotum (malè dicerem Canonicorum) sæcularium. Canonicus etenim Regularis est: qui Regularis est, regulariter vivit, qui autem regulariter vivit, Ordinem suum rectè custodit, & ab eo nullatenus recedit. Sed isti Monachi & Abbates Apostatantium socij Angelorum, quales fuerint, quàm temerarij, quàm iniqui, perversi & irregulares, non meo sermone fuerit ostendendum, cùm eorum sit impio facto satis manifestum. Et quid tam impium, quid tam temerarium & sceleratum, quàm votum Deo solemniter factum revocare? Et non modò

Omnes Monachi ab Ordine suo recedentes sunt mali.

verbis, verùm & factis, mente, corde & ore, totísque & viribus & conatibus negare? Monasticum schema semel pro Deo voluntariè assumptum temerè abijcere, Deo mentiri, dolum & fraudem committere? Monachis constructam mansionem nullâ justitiæ causâ existente in habitationem sæcularium transferre Clericorum? Sed ne repente videar Concionator factus, neglectâ quam cæpi historiâ, impetum spiritus cohibebo. Videant isti, quàm boni sint Canonici, qui Monachi prius fuerunt mali; cùm ex

Canonico malo per sanctæ conversionis ascensum sæpe factus sit Monachus bonus & sanctus; cùm à bono descendere, bonum non faciat, sed malum.

Inter Abbatem sancti Galli & oppidanos ejusdem dissensio.

Anno etiam prænotato, gravis dissensio fuit exorta inter Udalricum Abbatem sancti Galli in Suevia & ejus oppidanos suos ibidem, simul & eos, qui Abbacellenses vulgo nuncupantur, & ex tali occasione: cùm prædictum Monasterium sancti Galli ejus in oppido constitutum, consuetudine introductâ per incuriam præcedentium Prælatorum, diurnis simul & nocturnis horis sit omni tempore apertum, ut cunctis oppidanis, non solùm in die, sed etiam in nocte semper pateat introeundi facultas; nec tantùm viris, sed & mulieribus quibuscúnque: considerans Abbas memoratus, quàm esset hoc institutioni Monasticæ adversum, cupiénsque cum suis Monachis regularem sub quiete in Cœnobio servare disciplinam, valvam Monasterij claudere nocturnis maximè temporibus, ut par erat, suorum consilio deliberavit.

Oppidani sancti Galli Monasterij portas violenter effringunt.

Verùm non ignarus malorum, quæ contingere possent, si hæc absque senatus præsumpsisset consensu, mentem suam in eorum non semel sed pluries cum summa discretione atque modestia refert consilium, rationibus multis eam Monasterij clausuram oppidanis ipsis non minus fore honestam, quàm Monachis pro custodia regularis disciplinæ omnino necessariam. Cúmque multis rationibus ageret causam, nullum tamen ab eis potuit obtinere responsum. Unde postremò illorum dissimulatione contemptâ Monasterium claudi nocturnis horis præcipit. Claudebatur itaque jussu Rectoris nocte primâ, claudebatur secundâ, claudebatur & tertiâ, & ecce in ipsa nocte furiosi homines armis induti quasi ad bellum ante fores Monasterij conveniunt: portas omnes & valvas violenter effringunt, Monasteriúmque clamantes ingressi, nihil ferocitatis stultæ omittunt.

Abbas Monasterij in alium locum transferendi licentiam obtinuit.

Hac eorum temeritate motus Abbas, consilium suorum habuit, & Monasterium transferre si posset extra oppidum, cogitavit. Quod quia fieri non potuit sine auctoritate majorum; primò consensum Romani Pontificis Innocentij octavi obtinuit, deinde Friderici Imperatoris tertij permissum similiter impetravit. Et quia funiculus triplex non facilè rumpitur, in eo Provinciali Capitulo, quod ante triennium tunc Augustæ celebravimus, Abbas sæpe dictus misso ex suis Monacho etiam Ordinis impetravit consensum; ut novum in loco sibi conveniente Monasterium construeret. Sed antiquum in oppido minimè desolaret, quo minus in utróque teneret Conventum, & utrúmque sub unius Abbatiæ titulo juxta regulam gubernaret.

Abbas Monasterium novũ construit in loco, qui Roschah dicitur.

Indulgentiâ igitur Superiorum de construendo novo Monasterio, ut diximus obtentâ, conductis operarijs Abbas in eo loco, qui Roschach nominatur, & in fundo Monasterij sancti Galli proprio, distátque uno ab oppido milliario, aut paulo plus, copiam habens aquarum, lapidum, lignorum, calcis, arenæ, & omnium, quæ vel ad mansionum constructionem erant necessaria: vel ad sustentationem Monachorum quolibet tempore oportuna. Cæpit ædificare Cœnobium novum, amplum, & pulchrum, quemadmodum priùs in mente sua idealiter fuit conceptum. Capellam inprimis statuit, in qua Missam Monachi quotidie coram laboraturis

raturis in die celebrabant. Deinde ambitum, Refectorium, Dormitorium, Infirmitorium & alias Monachorum officinas pulchrâ dispositione, regulari ordine, & monasticâ locavit institutione. Magnæ fuerunt impensæ, operarij multi, labores continui, ita quod in triennio mediam Cœnobij partem consummavit.

Monasterium in Roschach ab oppidanis destruitur.

Interim dum circa novum Monasterium ædificandum Abbas Udalricus & sui fratres occuparentur in annum jam quartum à nullo prohibiti, à nullo impediti, imò contradicente nullo, sive jure sive injuriâ saltem manifestè, & sanctum opus magnis impensis ultra consummationis medium perfecissent: consurgunt subitò Abbacellenses cum oppidanis sancti Galli, fremunt & conspirant in malum contra Dominum suum, contractisque armatorum manibus mille quingentorum virorum, anno prænotato, vicesimo quarto die mensis Julij, hoc est, in vigilia sancti Jacobi Apostoli venerunt ad Roschach, & Monasterium novum igne submisso cum omnibus structuris funditus everterunt.

Abbas graviter læsus Conjuratorum invocat Judicium.

Abbas tam insigni contumeliâ læsus, quod prius fecerat sæpius, iterum provocat eos ad Conjuratos Suitenses; quos eorum consuetudine, quatuor nuncupant angulos, vel si mavis angulares, Thuricenses videlicet, Lucernenses, Suitenses & Glaronenses, aut si foret necessarium, ad conjuratos omnes, & quorsum illi partes decreverint remittendas. Sed obstinati Abbacellenses cum Divi Galli oppidanis, quemadmodum proprium spreverant Dominum, ita Confœderatos sibi quadrangulares impietatis spiritu penitus contempserunt.

Oppidum sancti Galli obsidetur & pax reformatur.

Sed Conjurati suorum non ferentes inobedientiam, contractis copijs oppidum sancti Galli obsederunt, & tam ipsos rebelles oppidanos, quàm Abbacellenses ad subjectionem & obedientiam redire compulerunt. Post hæc oppidani & Abbacellenses memorati, cum Domino suo Abbate sancti Galli in concordiam redeuntes, omne damnum quod Monasterio ejus intulerant & rebus, Conjuratorum judicio rependere coacti sunt: quarum summa impensarum quadraginta florenorum millia excedit. Abbas verò destructum à furiosis Monasterium iterum apud Roschach instaurans ædificat, perficit, & in finem deducit optatum: in quo & Monachos jam habet & Priorem.

Corpus S. Aurelij Hirsaugiæ levatur tumbâ.

Anno Dominicæ Nativitatis prænotato, ultima die mensis Julij, Blasius Abbas hujus Monasterij Hirsaugiensis animarum Christi ovium vigilantissimus Pastor, ex magna & singulari devotione, quam mente gerebat ad sanctum Aurelium Episcopum, primum Hirsaugiensium Patronum, cupiens demonstrare & opere, cum suo toto Conventu processionaliter Ecclesiam ultra pontem Nagolthæ ipsius accessit: Missam indutus Pontificalibus de eodem solemniter cantavit; sacra ejus ossa de tumulo levans, ne humiditate nimiâ computrescerent, loco sicciore ac decentiore summâ pietate locavit.

MCCCCLXXXIX.

Camberg Monasterium transfertur ab Ordine.

Anno Blasij Abbatis V. Indictione Romanorum septimâ, Monachi Cœnobij S. Nicolai Pontificis in Camberg haud procul ab oppido Sueviæ, quod à salis decoctione Hal sive Hallesium nuncupatur, in oppido castri Limpurg, Diabolo persuadente omnis mali amico, & Abbate ipsorum Joanne de Holtz præcedente omnis boni inimico, monasticæ segregatio-

nis habitu abjecto, Professionis chirographo temere abnegato, Deo cui se devoverant contempto, ex Monachis malis, iniquis atque perversis, facti sunt Canonici, non boni, non regulares; sed quod erant prius in occulto, jam deinceps in aperto, sine regula injusti, lascivi, Domino mendaces, Christo inutiles, sibíquemetipsis crudeles: atque insigne Monasterium, quod olim comites de Rottenburg non pro Canonicis sæcularibus, sed pro Monachis Ordinis Divi Patris Benedicti, circa Nativitatis Dominicæ annum millesimum octogesimum octavum, ut ibidem diximus, fundaverant, in Ecclesiam sæcularem transtulerunt, falsis Papam narrationibus decipientes.

Camberg non Canonicis, sed Monachis fundatum est.

Eodem anno, Comes de Oetingen sine scitu, sine consensu, & sine requisitione Abbatis Blasij, vendidit advocatiam Præposituræ in Rott Friderico Marchioni Brandenburgensium, qui morabatur in Onolzbach. Quod ubi ad notitiam Abbatis memorati pervenit, se constanter opposuit, & tam Marchionem, quàm Comitem jure convenit. Postremò Eberhardus Comes de Wirtenberg cognomine Barbatus se medium interposuit, & inter dissidentes concordiam tali pacto reformavit: quòd advocatia super Rott Monasterio Hirsaugiensi debeat sine mora restitui, & cum eo deinceps manere perpetuò. Facta sunt hæc in Gammundia Sueviæ oppido Regali anno prænotato.

Advocatia Præposituræ Rottensis ad Hirsauw pertinet.

His quoque temporibus Blasius Abbas jam dictus piscinam in horto Conventuali majorem fieri ordinavit. Pro cujus consummatione quadringentos auri florenos exposuit. Secundum quoque latus de ambitu cum fonte in annis quinque perfecit, pro quo mille centúmque auri nummos expendit. Organum in Ecclesia centum quinquaginta florenis renovavit. In corpore quoque majoris Ecclesiæ Monasterij ad aquilonem Capellam à fundamentis novam construxit: tabulam super Altare posuit, sedilia in ea locavit: pro quibus omnibus auri nummos quadringentos exposuit. Capellam hanc in memoriam & honorem omnium Sanctorum fecit consecrari, in qua & postea, sicuti vivus ordinaverat, juxta parietem mortuus requiescit sepultus. Domum quoque balneariam cum æstivario parvo ducentis & quinquaginta florenis ædificari fecit. In Luzenhart domum pro familia, stabulum pro jumentis, & horrea construxit, pro quibus ducentos florenos expendit.

Blasius Abbas hoc anno multa construxit & varia.

MCCCCXC.

Anno Blasij Abbatis VI. Indictione Romanorum VIII. Dominica secunda post festum Paschatis, quæ fuit vicesima quinta dies mensis Aprilis, Nürenbergæ apud sanctum Ægidium celebratum fuit septimum atque vicesimum Ordinis nostri Provinciale Capitulum: in quo præsederunt Georgius sancti Stephani Herbipolensis, Joannes sancti Ægidij Nürenbergensis, Henricus Blaubeurensis, & Blasius Hirsaugiensis Monasteriorum Abbates.

Capitulum Ordinis nostri Provinciale XXVII. celebratur.

Eodem anno tricesima die mensis Maij, quæ fuit solemnitate Pentecostes insignis, oppidum Bingen quod à Moguntia Civitate in descensu Rheni fluminis quatuor fermè distat milliaribus, casuali fuit incendio magna ex parte combustum. Incipiens autem flamma circa forum & muro superiori portam contiguam, usque ad inferiorem, quæ dividit oppidum à Rheno. domos 240. consumpsit: Capellas etiam SS. Laurentij

Oppidum Bingen Ecclesiæ Moguntinæ crematur incendio.

&

& Nicolai devoravit: Prætorium Senatûs cum litteris, regiſtris & privilegijs civium nonnullis in cinerem reſolvit, & damna multa fecit.

Matthias Ungariæ Rex moritur.

Anno prænotato, Matthias Rex Ungarorum Viennæ in arce moritur, malleus Turcorum, qui multa in eos bella geſſerat victor & glorioſus triumphator, cujus Cadaver in Ungariam relatum, in Alba Regali ſepelitur. Quo mortuo Maximilianus Germanorum Rex, Viennenſem urbem, novam quoque Civitatem, & reliquas Auſtriæ munitiones, quas ille ante paucos menſes Friderico Imperatori III. non minus dolo, quàm fortitudine abſtulerat, armis & gladio potenter expulſis Ungaris obtinuit, patrique reſtituit.

Uladislaus regnat ſuper Ungaros.

Poſt Matthiæ Regis obitum Rex Germaniæ Maximilianus Regnum Ungariæ ſibi jure debitum ingredi paravit, ſed præventus ab Uladislao filio Regis Poloniæ Bohemorum Rege, bellum contra eum ſtatuit movere; quod & ſine mora feciſſet, niſi mediantibus amicis facta fuiſſet inter eos ſub conditionibus certis amica pacis concordia. Uladislaus itaque Maximiliani conſenſu in Regem Ungariæ confirmatus hodie regnat pacificè in annum jam XXIII. pro majori temporis parte debilis & infirmus.

Civitas Metenſis à Duce Lotharingiæ fruſtra obſidetur.

Eodem anno, Renatus Dux Lotharingiæ cum Metenſibus graves habens inimicitias, multis ac varijs æſtuabat cogitationibus, quo modo urbem capere potuiſſet. Eſt autem Metis (quondam Mediomatricum dicta) Civitas Regni Germanici opulentiſſima, muris, turribus atque foſſatis valdè munita, & quod magis conſuevit hoſtibus incutere terrorem, à viris prudentiſſimis gubernata, & tam circumſpectè omni tempore cuſtodita, ut non facilè à quoquam capi poſſet vel obtineri. Dux ergo Renatus poſt multam deliberationem contractis copijs ſpem habens urbis potiundæ (quanquam ſecus acciderit) eam obſidione vallavit, ac fortiter oppugnare cæpit. Metenſes autem non ſolùm muris & turribus muniti, ſed etiam viris armatis atque fortiſſimis bombardis, machinis bellicis, & quidquid ad illas requiritur, lignis quoque, victualibus, & cunctis ad defenſionem neceſſarijs in triennium ad minus copioſè proviſi, ut eorum eſt conſuetudo, hoſtem viriliter exceperunt. Cernens verò Dux Metenſium animos & vires inſuperabiles, facti pœnituit, & ſolutâ obſidione cum diſpendio receſſit.

Innocentius Papa ad ſe Romam vocat Oratores Principum.

Anno prænotato Innocentius Papa VIII. Romæ conſilium privatum cum ſuis Cardinalibus habuit, ad quod omnium penè Europæ Regum & Principum Oratores litteris evocavit. Quorum multis ad eum convenientibus cauſam propoſuit, conſenſum poſtulavit. Et hæc ejus propoſitio fuit, ut expeditio totius Chriſtianitatis moveretur in Turcos, pro cujus inſtituto, quia multis opus eſſet pecunijs, tale medium adinvenit: miſit in univerſam Germaniam plenarias Indulgentias Jubilæi non ſolùm pro vivis, ſed etiam pro defunctis, quæ ſicuti eatenus fuerunt raræ, ita etiam plurimorum diſputationi expoſitæ. Summa diſputationis hæc erat: Quòd Papa de plenitudine poteſtatis non ſolùm viventibus contritis & confeſſis pœnam poſſit remittere peccatis alioquin debitam, ſed etiam omnium in Purgatorio exiſtentium animarum ita remittere pœnas, ut ipſum Purgatorium ſi velit penitus evacuare poſſit. Habuit hæc aſſertio nova impugnantes, habuit & aſſertores, qui varia in utrámque partem,

ut

ut movebantur, synthemata scripserunt; cautiùs tamen quàm liberiùs, ne fortè proscriberentur & ipsi.

Raymundus Archidiaconus cum Indulgentijs mittitur.

In hoc opus gratiarum à Pontifice Romano in Germaniam mittitur Raymundus Beraudi Alniensis, Xanctoniensísque Ecclesiarum Archidiaconus, postea Cardinalis, vir doctrina scripturarum & morum integritate Deo indubitanter amabilis, qui syncerâ & optimâ intentione Christi negotium promovit, & in Cruciatam contra impijssimos Turcos multa florenorum millia congregavit. Vidisses admirabilem in simplicitate populi fidem, in fide devotionem, in devotione largitatem, in largitate constantiam.

Cruciata per totam Germaniam prædicatur contra infideles.

In cunctis Germaniæ Civitatibus, & in omnibus fermè oppidis Crux videbatur erecta, pro collectura pecuniarum in opus Dei arca similiter apposita, Confessores ordinati complures, & Commissarij secundum operis exigentiam, ubique sine superfluitate dispositi: concurrebant sine numero homines devotione armati, non minùs, quàm peccatis, confitebantur, absolvebantur, juxta impositam eis quotam pecunias contribuebant in arcam, alij plus, alij minus, prout quemque, aut juvit substantia, aut impulit devotio. Multa certè florenorum millia ex ea gratiarum largitione per Germaniam fuère collecta, quorum tamen nescio si vel unus denarius in prædicatum Cruciatæ opus contra Turcos fuerit expositus. Raymundum tamen, omnes qui noverunt, virum rectum, integrum & sanctum de malè consumptis eleemosynis pauperum Christi judicant innocentem, quippe qui nihil optabat magis, quàm ut Christianorum in Turcos suo tempore moveretur expeditio.

Inopia panis totam afflixit Alemaniam.

Eodem anno panis magna penuria fuit, & Sueviam totam fames nimium occupavit. Unum námque siliginis maldrum sex Hallensium libris monetæ Wirtenbergensis comparare volentibus necessarium fuit. Vinum denique hoc ipso anno majori ex parte nimio frigore perijt in vitibus, & multa calamitas cum inopia & egestate pauperes afflixit.

Sex Insulæ Fortunatæ inhabitari cæperunt ab hominibus.

His etiam temporibus Hispaniarum Rex Ferdinandus Insulas, quas vetustiores dixère Fortunatas, hominibus fecit habitabiles, & regno suo per omnia subjecit. Sunt autem sex numero in majori Oceano, positæ post S. Jacobum de compostella inter meridiem & occidentem; quarum prima vocatur Ombriona, in qua nulla unquam eatenus fuerunt ædificia. Secunda vocatur Junonia major, in qua una duntaxat fuit ædicula constructa. Tertia dicitur Junonia minor, & est majori quàm proxima. Quarta nominatur Capraria magnis abundans serpentibus. Quinta dicitur Nivaria propter nives in ea manentes perpetuas. Sexta vocatur Canaria, quia canibus & magnis & multis abundat. Has Insulas multi veterum propter ingentem fertilitatem & magnam aëris temperiem, terrestrem Paradysum esse putarunt.

Amalia Comitissa Palatina Duxque Pomeranorum nascitur.

Anno supra notato, xxv. die mensis Julij Heidelbergæ oppido nascitur Amalia nonogenita Philippi Comitis Palatini Bavariæque Ducis ac Principis Electoris, quam post annos xxiii. ut suo loco dicemus, Georgius Pomeranorum ac Stetinensium Dux filius Bogislai Ducis accipit uxorem anno post obitum Philippi patris ejus quinto.

MCCCCXCI.

MCCCCXCI.

Anno Blasij Abbatis VIII. Indictione Romanorum IX. Dominica tertia post Pascha, quæ fuit XXIV. mensis Aprilis, circa medium noctis, oppidum Mons Thabor nuncupatum, quod vulgo Monthabor appellant, Trevirensis Diœcesis, quatuor distans à Confluentia milliaribus, igne casuali, nescitur quomodo, incensum, cum Ecclesia, domibus, turribus & propugnaculis totum in tribus horis exustum perijt & in favillam redactum fuit, non sine incommodo maximo incolarum.

Mons Thabor oppidum Archiepiscopi Trevirensis comburitur.

Eodem anno, Monasterium nostri Ordinis, quod Clingenmünster nuncupatur, in Diœcesi Spirensi non procul ab oppido Landavv, ad instantiam perversorum Abbatis & Monachorum inibi regularem vitam professorum, sed irregulariter viventium, in Ecclesiam sæcularem translatum est. Legitima translationis nulla extitit causa, sed falsis narrationibus mentem Papæ circumvenientes nihil aliud timebant quàm reformari, nihil quærebant nisi pernicioſam vitæ libertatem. Nec diu supervixit ex Abbate malo Præpositus peior, apostatarum Dux, inimicus veritatis, mendacij cultor, amator tenebrarum, sed brevi horrendâ & subitaneâ sublatus morte, quàm malè fecerit votum retractans solemniter factum, tardè cognovit, cùm ejus judicio astitit, cujus normam violavit.

Clingenmünster Cœnobium ab ordine nostro transfertur.

Anno prænotato Carolus Rex Gallorum VIII. Margaritham Regis Germanorum Maximiliani filiam sibi à Patre Ludovico XI. ante IX. annos, ut supra diximus, cum magna solemnitate desponsatam, remisit ad Patrem in Flandriam, opere demonstrans se vacuum fide, avaritiâ plenum. Erat autem Margaritha duorum annorum, & Carolus agebat sextum, quando sponsalia inter eos fuerunt celebrata. Mansit ergo in Gallia novem annis, & cùm remitteretur ad patrem, annum agebat undecimum. Quæ autem fuerit causa remissionis Margarithæ ad patrem, dicam paucis, ut noverit posteritas omnis, nullam in virgine fuisse culpam, nec patrem Gallo, quâ remitteretur, præbuisse occasionem, sed Carolum levitate motum, ambitione & avaritiæ stimulis concitatum, egisse quod non debuit, quódque vix jure potuit. Annam Britanniæ Ducis filiam Rex Maximilianus per suos legitimos procuratores sibi futuram desponsaverat uxorem, cum ea ut unicâ hærede habiturus & Britanniæ Ducatum. Quod ubi Gallo innotuit, ut Ducatum potuisset habere, Britanniæ rapuit hæredem, & uxorem duxit contra Jus & æquitatem, Maximiliano priùs legitimè desponsatam, non sine scandalo plurimorum. Hæc fuit causa, non alia.

Margaretha Maximiliani filia repudiatur à Gallo sine causa.

Maximiliani Regis sponsa Britanniæ Dux rapitur à Gallo.

Eodem anno, vigesimo primo die mensis Augusti, nascitur Heidelbergæ oppido Barbara decimogenita Philippi Comitis Palatini Bavariæque Ducis ac Principis Electoris. Vixit annis quatuordecim & virgo moritur plorata.

Barbara Comes Palatina nascitur.

His temporibus Eberhardus Comes Wirtenbergensis cognomine Barbatus, ad honorem Omnipotentis Dei novum in vasta solitudine Monasterium construxit cum Ecclesia, Ambitu, Refectorio, Dormitorio & alijs mansionibus necessarijs, in eo loco, qui ab antiquo Schönbach nominatur, quod magnis tandem consummatum impensis, providâ largitione sufficientissimè dotavit. Consumato Monasterio, non Monachos cujusvis regulæ approbatæ, non Canonicos regulares, non denique sæculares introduxit

Ordinis S. Petri nova religio in Suevia instituitur.

introduxit Canonicos; sed novum quoddam genus hominum, qui nullam profitentur alicujus Ordinis regulam, sed vivunt in communi; & ob id Fratres de communi vita nominantur. Hos ad novam introducens domum, quam plantaverat auctoritate Apostolicâ, griseum habitum in flavum commutavit, statuens ut Ordinis sancti Petri Fratres nuncuparentur & essent; in cujus Patroni memoriam clavem de albario panno lineo ante pectus tunicæ portarent assutam. Et hæc ejus prima institutio fuit, ut in eum sancti Petri Ordinem reciperentur de Comitatu Wirtenbergensium duntaxat oriundi, pauperes sive depauperati, honestæ tamen conversationis presbyteri sex, de illorum genere quos nobiles vocant sex, & de oppidanis seu villarijs similiter sex, & quod nobiles deberent præesse cæteris, etiam Sacerdotibus. Sed hæc ultima constitutio sic postea mutata fuit, & hodie servatur, ut non ex nobilibus Laicis, sed ex Sacerdotibus unus sit Prior, cui cæteri omnes teneantur obedire.

Bingiorum temeritas in Palatinenses.

Anno prænotato, post incendium oppidi Bingen, de quo anno proximè elapso diximus, cùm oppidanorum magistri, præfecti & telonarij non solùm Laicos & pauperes rusticos, sed etiam Sacerdotes & Monachos in Principatu Comitis Palatini, & Ducis Joannis Bavariæ commorantes, novis & inconsuetis gravarent in foro hebdomadali exactionibus, malum grande sibimetipsis paraverunt. Ex antiqua enim consuetudine ultra memoriam hominum introducta forum sive emporium hebdomadatim in prædicto Bingiorum oppido quartâ feriâ servabatur, ad quod omnes in circuitu ad tria milliaria homines de Palatinatu, aut empturi aliquid aut vendituri confluebant. Bingij autem sive avaritiâ ducti, sive Palatinensium odio concitati, Clericos, Monachos simul, & Laicos ex Principatu Comitis Palatini oppidum introgressos, qui aliquid emissent, teloneis novis, exactionibus inconsuetis & alijs vexationibus insolitis ultra mensuram antiquitatis gravabant, irridebant, nolentésque indebita solvere verberabant. Præsumpserunt & alias novitates, ne dicam præsumptiones penè innumeras, pedagia & telonia exigentes violenter & cum verberibus, à religiosis atque claustralibus, qui non solùm jure & privilegio, sed etiam introductâ possessione, atque manifestè probatâ apud majores eorum fuerunt ab omni talium præstatione semper immunes atque liberrimi. Super his Bingij simul & eorum Domini majoris Ecclesiæ Moguntinæ Canonici sæpius interpellati à multis, ut ab injusta & inconsueta pedagiorum exactione pauperum & Clericorum Palatinensium desisterent, & Patrum suorum vellent terminis esse contenti, ac si fabulam surdo recites, nihil curaverunt. Unde pauperum clamoribus tandem compulsus Albertus Göler de Ravenspurg vicem tenens & Præfectus Philippi Comitis Palatini apud Stauronesum, vir temporibus aptus, ad ipsius notitiam Principis omne detulit negotium. Philippus igitur Palatinus Comes volens commoditati suorum consulere, & pauperes ab oppressione liberare Bingiorum, forum seu emporium feriâ quartâ hebdomadatim servandum apud Monster villam, quam à Rheni Comitibus paulò ante comparaverat, juxta Nahum fluvium non longè ab oppido Bingen servari mandavit, sub magnis pœnis interdicens suis, ne quis emporium Bingiorum accederet, seu quidquam venale inferret. Qua constitutione publicata ubique per continuos tres annos emporium fuit

Bingij gravant Palatinenses inconsuetis exactionibus.

Moniti à Palatino Bingij contemnunt.

Emporium de Bingen transfertur ad Monster villam.

apud

apud Monster villam prædictam, ad quod Rhenensibus cunctis liber omni tempore permittebatur accessus; simul & emendi vendendíque facultas, ita tamen quòd nihil hîc emptum oppido inferrent Bingiorum. Afflixit hæc translatio fori haud parùm Bingios, & magnam panis ac frumentorum eis penuriam induxit. Soli etenim ipsi publico Principis edicto ab accessu Monasterienſis emporij hujus arcebantur. Nam præter vinum, pisces & aquam, simul & sal, quidquid ad victum pertinet, Bingijs difficulter aliunde, quàm ex Comitatu Spanheimensi & Palatinatu infertur. Enimverò neque frumentum habent, neque legumina, neque fœnum stramen, neque ova, neque carnes, neque butyrum, & his similia. Humiliati ergo post triennium vix impetrare potuerunt à Palatino Canonici, ut emporium Bingiorum oppido habendum denuo redderet.

Inter Archiepiscopum Moguntiæ & Palatinum longa dissensio.

His temporibus fuerunt & aliæ dissensionum causæ plures inter Bertholdum Archiepiscopum Moguntinum & supra dictum Philippum, Palatinum Comitem, quarum importuna nimietas bellum sine dubio inter eos tandem peperisset, si non prudentia superasset malitiam. Quis alteri tunc injuriam fecerit, omnibus erat manifestum, & quod eo tempore unius patientia consultè dissimulare studuit, post annos ferme tredecim in altero satis clarè cum afflictione multorum justitia vindicavit. Ita nihil est stabile, nihil firmum, nihil constans in humanis, quoniam ut veraciter dixerat expertus: *Cuncta sub ancipiti pendent mortalia casu, & sponsent propria mobilitate fugam.* Unde meo judicio non satis prudenter suum moderatur officium, qui cùm habeat fortem & potentiorem timere supra se, vel æquales contemnit, irritat, provocat & despicit, vel inferiorem contra justitiam affligit. Est providentia in Cœlis ima & summa intelligens, discernens & moderans omnia, quæ etsi ad tempus multa dissimulat, non tamen in æternum. Dissensionum ista fuerunt capita. Via est publica & strata regalis per pontem super Nahum fluvium haud procul supra oppidum Bingen, per quam itur & reditur de Bacherach & alijs inferioribus locis cis Rhenanis ad Altzen, Wormatiam, Heidelbergam, & reliqua Gavij superioris loca. Hanc publicam stratam Bingij seu dominorum suorum jussione, seu propriâ temeritate (parùm ad me) præter antiquam consuetudinem ab utraque pontis & fluminis parte interpositis repagulis & seris obstruxerunt, aliquoties in die, semper autem in nocte, ut eques nemo transiret. Quam eorum novitatem cùm Philippus Comes Palatinus dissimulare nec posset nec vellet, utpote qui nuntijs tam suis, quàm regalibus iter necessarium omni tempore non minùs in nocte quàm in die tuebatur apertum, Bingijs bis, ter, quatérque mandavit, ut pontem & vias per illum ad ascensum & descensum necessarias non clauderent, oppidum verò suum quantâ vellent clausurâ munirent. Sed Bingij mandata Principis contempserunt. Unde Albertus Göler de Ravenspurg ante dictus apud Stauronesum oppidum præfectus Palatini Comitis, vir magnanimus, audax, in multis prudenter expertus, ad mandatum sui Principis nocte quadam cum paucis Stauronesum egressus, Bingionum oppidum accessit, & valvam exteriorem ferramentis quibusdam volubilibus artificiosè compositis, ita clausit, & ad invicem firmavit, quòd aperiri non poterat, nisi frangeretur. Quo magno sub silentio artificiosissimè facto, retrocessit ad pontem, & omnia repagula, clausuras & seras pulvere bombar-

Stratam regalem & publicam Bingii claudere volebant.

Comes Palatinus monuit Bingios, ne publicum iter clauderent.

Albertus Göler Præfectus in Creuznach malleis Bingiorum seras confregit.

bombardarum, factáque in ligneis repagulis foramina plura simili pulvere implevit & clausit: ex parte parvis foraminibus inducillis artificiosè relictis, per quæ ignis haberet ingressum. Omnia tam secretè támque prudenter ordinavit, ut neque vigiles in arce, quæ oppido supereminet, neque leprosi juxta pontem habitantes quidquam audire seu videre potuerint, quia sonitum fecit nullum, & ignem abscondit. Cunctis ut voluit ordinatis vicinum montem cum suis ascendit, ut inde prospectaret exitum negotij. Interea per fila sulphurata paulatim ignis ascendens tandem factus est contiguus intromissis pulveribus, cùm ecce subitò flamma erumpens repagula & seras in mille partes cum tanto fragore disiecit, ut decem bombardas crederes unâ vice simul & semel emissas. Prospiciunt ab arce custodes, super pontem lapideum ignem cernunt, in repagulis ardentem, sed neminem audiunt, neminémque vident. Consternati nimium in oppido Bingij, & hostem adesse putantes muros conscendunt & turres, bombardas in incertum emittunt neminem ferientes. Demum veniunt cum clavibus ad portam Burgimagistri, emissuri quempiam ad explorandum, quid ageretur in ponte. Sed frustra tentant, quia valvam aperire non poterant. Hinc magis territi & nimio stupore attoniti, quid paterentur, quidvé agerent penitus ignorabant. Manè autem facto cùm valvam in securi & ascia dejecissent, claves invenerunt volubiles, quibus ligna sese contingentia ex adverso ad invicem fuerant artificiosâ inventione memorati hominis colligata, & omnes mirabantur. Sed non cessarunt propterea Bingij occludere vias, quo minùs novas super pontem restituerent fortiores prioribus clausuras. Verùm Stauronesi Præfectus, quem nihil horum potuit latere, paucis diebus dissimulans iterum nocte venit ut priùs, ignem suppositit, clausuram ut antea destruxit. Quid multis loquamur? Quoties Bingij repagula posuerunt nova, toties ab Alberto varijs modis ingenióque subtili fuerunt incensa. Nec aliqua profuit eorum custodia, tanta fuit hominis in consilio prudentia. Evicit nihilominus tandem in hac parte Comes Palatinus judicio regis & principum justificatus, coëgítque Bingios Pontem cum via dimittere liberum & apertum, non minùs in nocte quàm die. Quinquennio duravit ista dissensio.

Albertus Golcr quanto ingenio Bingios tribulavit.

Valvas portarum Bingij dejicere quomodo compulsi fuerint.

Albertus Gólcr toties destruxit quoties Bingij ædificarunt.

Secundum inter memoratos Principes dissensionum caput hoc erat: contendebat Palatinus Comes Monasterium sancti Ruperti Monialium nostri ordinis in oppositio Bingiorum oppidi ab altero Nahi fluminis littore ad suum pertinere dominium. Sed hoc jure non potuit, quod non solùm negavit præscriptio, sed ex fundatione simul & privilegio Papali citatus in testem ego, ut notitiam existimatus habere gestorum transacti temporis, luce clarius ostendi, Palatinum Comitem nihil juris in eo Cœnobio penitus obtinere, quod soli Archiepiscopo Moguntino pro tempore existenti tam in spiritualibus quàm in temporalibus est subjectum, de cujus fundatione sanctâ Hildegarde instituente longe supra diximus, anno Dominicæ Nativitatis millesimo centesimo quadragesimo septimo.

Monasterium Divi Ruperti, non Palatini, sed Archiepiscopi est.

Tertius dissensionum articulus fuit de itineris securitate præstanda (quam nostri vocant Salvum conductum) à molendino Bingiorum per pontem usque ad Ecclesiam sancti Clementis, & villam Drechtigeshausen juxta Rheni descensum: quam jurisdictionem sibi utérque vendicare con-

De Salvo conductu, inter Archiepiscopum & Palatinum contentio.

contendebat. In hac tamen contentione Archiepiscopus jure prævaluit, ac possessione præscripsit, ut videlicet in suo dominio temporali duntaxat salvò conducere habeat iter facientes. Nihilominus diu prius duraverat inter eos ista contentio, antequam cederet juri præsumptio, non quidem amore, sed necessitate compulsa. Cæteras verò causas dissensionum inter Ecclesiam Moguntinam & sæpedictum Comitem Palatinum consultâ ratione transimus, non quod ignoremus, sed quia nescire putamur. Quid enim ad nos, quod nihil ad nos? Historiam transacti temporis complurium scripsimus annorum, semper liberi, semper securi, semper & tuti, neminem uspiam timentes. Nunc autem in ea pervenimus, quæ nostrâ sunt gesta ætate, inter magnos & potentes, quorum palmæ comparantur & manus. Historiam compellimur abbreviare, scientes, quia dies mali, & veritas odium parit maximè in eos, qui Principum non sinunt latere perperam facta. Ero tamen scriptor fidelis, & sicuti plura intermittam necessariò vera, ita nulla inferam falsa.

Initium historiæ tribulationis Monasterij Weissenburg.

Fuit his diebus in Curia Comitis Palatini Marscalcus quidam nomine Joannes de Drott, patriâ Thuringus, Germanus Thilmanni Mersburgensis Episcopi, homo præsumptuosus potiùs quàm audax, temerarius non prudens, Cleri & Monachorum contemptor, & parum de pietate sentiens Christianæ Religionis, consilio subdolus, actione perversus, qui suis artibus pravis usque adeò dementaverat Principem, ut sine illo vivere non posset. Omnium tunc in curia existentium fuit opinio, Comitis Palatini animum maleficis dæmoníque artibus per Marscalci memorati fraudes captivatum. Usque adeo enim hujus perversi hominis astutia prævaluit apud mansuetissimum Principem, quòd eum tandem in Excommunicationem Ecclesiæ perduxit.

Henricus Abbas prius in Mersburg, postea in Weissburg.

Erat enim tunc temporis Abbas Monasterij Weissenburgensis exempti in Diœcesi Spirensi Henricus de Homburg Hassius, vir in observantia regulari strenuus & summa pietate devotus. Hic primò apud Bursfeldiam Monachus factus & religiosissimè conversatus, post annos aliquot Abbas in Cœnobio Mersburgensi constituitur, qui cùm privilegia & jura Monasterij acrius defenderet, Episcopum memoratum Thilmannum contra se fecit adversarium. Crevit paulatim inter eos contentio, quo usque tandem Abbas se nimium sentiens gravatum, ad Apostolicæ Sedis audientiam Episcopum citavit, & contra eum victoriam tandem obtinuit.

Contentio inter Episcopum & Abbatem Mersburgenses Romæ.

Nihilominus crudelitatem prædicti metuens Episcopi, quam habuit exploratam post victoriam causæ, Abbatiam in manus Fratrum suorum spontaneâ voluntate resignavit. Sciebat enim ab inimico reconciliato, præsertim potentiore cavendum, in quo fidei nulla poterat esse constantia, sed quotiens læsum se cogitaret ab infirmiore, totiens animum relaxaret ad vindictam. Ut autem ex uno ejus facto intelligas sævitiam Episcopi, quod crudeliter, si non fecit per se, fieri tamen per suos consensit. Conradus, qui nunc Abbas est in Gösseck, Capellanus erat memorati Abbatis Romæ causam agentis, qui & litteras citationis & alias quaslibet ex curia deferebat in patriam. Hunc die quâdam ministeriales Episcopi non procul à Mersburg obvium habentes capiunt, & irruentes in eum parùm abfuit quin occidissent, nisi ab uno rationem tantisper sequente

Conradus Monauris Abbas in Gösseck.

fuissent prohibiti. Furore tamen Petrino sævientes amputaverunt auriculam ejus dexteram. Quæ crudelitas cùm ad notitiam Sixti Romani Pontificis querulatione perveniſſet Abbatis; nimium commotus contra Episcopum sententiam excomunicationis in eum fulminavit, & nisi preces Ernesti Saxoniæ Ducis interveniſſent, à dignitate Pontificia fuiſſet depositus. Hinc rancor in Abbatem sumpsit exordium, & sævæ persecutionis Episcopo suisque materiam præstitit contra virum sanctum.

Episcopus Mersburgensis accusatur apud Papam.

Denique post annos paucos cùm Fridericus Comes Palatinus Monasterium Weissenburgense reformaſſet, quemadmodum supra diximus, Henricus iste quondam Mersburgensis promotione Patrum Abbas illic fuerat institutus. Verùm mortuo tandem Friderico, & in Principatu succedente Philippo, cùm Joannes de Drott supradictus miles in ejus curia cunctis esset potentior simul & tyrannior à secretis, multis modis variisque dolis & fraudibus memoratum Abbatem Henricum tribulavit, injuriosè cupiens vindicare, quod ille olim apud Mersburg Abbas in Episcopum Fratrem ejus non injuriâ, sed jure commiserat; eo námque tempore Monasterium Weissenburg cum oppido sub tuitione fuerat Comitis Palatini.

Joannes Drott Abbatem Henricum injustè persequitur.

Per annos plures duravit ista crudelis in virum sanctum tyranni persecutio, & quantis potuit injurijs, contumelijs & gravaminibus eum omni tempore molestavit. Nemora, sylvas, venationes, aquas, piscationes, villas, castella, decimas, census, proventus, jurisdictiones & libertates Monasterij Weissenburgensis violenter occupavit, rapuit & possedit, Abbate non semel nec iterum, sed centies (si dixero plus non mentiar) vociferante ad Principem, & contra violentum sacrilegum justitiam postulante, sed frustra; nam aliquoties audientiam obtinuit, justitiam verò nunquam; ad omnia enim quæ præsumpsit impietas, semper tacuit, & dissimulavit implorata etiam cum lachrimis æqua potestas.

Abbas Romam profectus Palatinum cum Tyranno citavit.

Evolutis in tanta miseria multis diebus, mensibus quoque & annis, cernens Abbas Henricus, quòd propter denegatam sibi justitiam nihil omninò proficeret, sed quotidie instarent graviora, consilio accepto à quodam Principe, Romam petijt, & sacrilegum tyrannum una cum Palatino Comite ad tribunal Innocentij Papæ octavi citari fecit; illum, quia raptor & violentus invasor bonorum Monasterij Weissenburgensis extitit; istum verò, quòd injuriantem contra justitiam temere defensavit.

Palatinus cum suo Marscalco Romæ à Papa excommunicatur.

Citati autem fuerunt & quidam alij ministeriales Principis, inter quos fuit & Joannes de Morsheim, qui jussu Domini sui Scabinos in villa quadam mutaverat jurisdictioni Abbatis immediatè subjecta. Quid plura? Omnes qui fuerant citati, pro defensione induêre contemptum, & neque per se, neque per legitimos procuratores Romæ comparuerunt. Processit Abbas gradatim in causa litis adversum contumaces, donec eos postremò Excommunicationis involvit censuræ. Jam tunc primum evigilare cæperunt sopore pernicioso depressi, & varias quærere vias, quomodo ab his laqueis possent evadere, quod ideò fieri non potuit, quia raptor sacrilegus restituere ablata recusavit. Mansit ergo excommunicatus, ab illo tempore usque ad mortem, excommunicatus obijt, excommunicatus sepultus fuit.

Joannes Drott in excommunicatione mansit usq; ad mortem.

Comes

Comes autem Palatinus Papæ censuras timuit, non contempsit, & quia Princeps erat Catholicus, dicier excommunicatus patienter ferre non potuit; Romam procuratorem misit, absolutionem petijt, sed contradicente læso impetrare non potuit. Sæpius tamen interea fuit absolutus sub spe concordiæ ad breve tempus cum reincidentia termino lapso, quamvis concordia nulla intervenerit unquam. Multa enim tentavimus media non sine gravibus expensis, plures indicendo & servando conventiones Spiræ, Heidelbergæ, Weissenburgi & alijs locis, sed concordiam invenire nunquam potuimus, dum à Principe magna peterentur, & nihil se debere Cœnobio responderet. Interposuere vices regni Principes multi, Joannes Trevirorum, Hermannus Colonienſium, Bertholdus Moguntinensium Archiepiscopi, Ludovicus Spirensis, Albertus Argentinensis, Joannes Wormatiensis Episcopi, Christophorus Marchio Badensis, Joannes Palatinus Comes Bavariæ Dux Coméſque in Spanheim, Wilhelmus Hassiorum Landtgravius, Georgius Bavariæ Dux, Eberhardus Junior Wirtenbergensium Dux, & Alexander Dux Bavariæ, Comes Geminipontis & Veldentiæ, non simul unà, sed vicibus diversis, vel per se, vel per suos Oratores magna cum diligentia pacem & concordiam facere cupientes. Sed neque omnes, neque singuli quicquam profecerunt, causam dixi; Abbate námque in litis pendentia existente apud Romanos, non erat penes conventum plena concordandi potestas, idcirco tempus consilio redimentes 60000. florenorum pro damnis expensísque in curia & extra habitis exigebant. Quis daret? Palatinus? Sed damnum ipse non fecerat. Sacrilegus ipse Marscalcus? Sed unde solveret, tantam pecuniarum summam non habuit, nec si habuisset, reddere consensisset; fuit enim obstinatus, induratus, perversus & contemptor Ecclesiæ factus, utpote qui nec Deum timuit, nec hominem reverebatur. Mansuetissimum Principem reperit, qualem suis adulationibus, dolis & sinistris machinationibus fecerit, noverunt, qui nôrunt. Sed parcendum dormientibus, à quibus ut perijt confessio, ita penitus cessavit & contra incusationes defensio. Seductus nihilominus & à se procul abductus Princeps nobilis, clemens, humanus, magnum famæ, æstimationis, & rerum suarum detrimentum incurrit, dolis & fraudibus Joannis de Drott Marscalci impij circumventus.

Magna dissensio concordiam non admisit.

Omnium causa & auctor malorum fuit impius ille Drott.

Postremò tandem annis fermè tredecim in contentione pernicioſa consumptis, concordiam, ut suo loco dicemus, qualemcúnque fecit desperata necessitas. Sed operæ pretium fore judicamus, & reliqua summatim perstingere, quæ sub litis pendentia in eadem causa facta sunt.

Erat Conventus Monachorum de Observantia Bursfeldensium eo tempore apud Weissenburg notabilis & insignis, numero non pauciores triginta, qui posteaquam Abbas Romam petijt, usque adeò dispersi sunt in omnem terram, ut quatuor duntaxat in loco remanserint. Cujus quidem dispositionis duæ fuerunt causæ; altera videlicet, quòd omnes census & proventus, quos extra oppidum habebant, lite per totum durante præripiebantur ab adversarijs: altera verò, quòd pecuniam certè non modicam pro litis actione Romam mittere Abbati videbatur necessarium, quam pluralitas Fratrum domi consumpsisset. At posteaquam Joannes de Drott se ad instantiam Abbatis à Papa intellexisset excommunicatum, non

Conventus 30. Monachorum in dissensione. dispergitur

Omnia Monasterij bona extra oppidum occupantur à tyranno.

non solùm contempsit, sed in furorem actus graviora præsumpsit, & peccato peccatum accumulans omnium in se bonorum hominum censuram provocavit. Castellum S. Remigij, quod non longè ab oppido Weissenburg distat, expulso præsidio Monachorum, occupat, villas Monasterij, curtes & proventus omnes invadit, capit & usurpat, & quamdiu vixit, violentâ possessione retinuit. Quæ cùm innotuissent Abbati, graviora in eum fulmina procuravit censurarum, & auxiliatores ejus omnes Comites & nobiles Papali sententiæ subjecit.

Henricus Abbas Româ digreditur, & Florentiæ obijt.

Interea post annos aliquot Henricus Abbas Philippum Comitem Palatinum, Joannem de Drott, Emichonem Comitem de Liningen, Comitem quoque alium de Bitsch & complures alios habens in Excommunicatione Papali, cùm ægritudinem incidisset, consilio medicorum secessit urbe, veniénsque valetudinarius ad Florentiam mortuus est, & ibidem sepultus.

Quod mox ut Procuratori Comitis Palatini Romam denuntiatum est, Papam accessit, & nomine Principis sui Monasterium de Weissenburg in sæcularem transferri Ecclesiam petijt, & consensum impetravit, sub ea tamen conditione, si Maximiliano Regi translatio ipsa placeret.

Translatio Monasterij Weissenburg impetratur.

Expedivit Bullam procurator (inscio Principe) tribus florenorum millibus, & certum per nuntium eam ad Heidelberg destinavit. Lætabantur omnes, qui sua non Deum quærebant, putantes jam se de Monachis reportâsse triumphum. Verùm secus accidit quàm speraverant, Rex námque Maximilianus in translationem renuit præbere consensum, non ignarus, quantam Abbas & Monachi paterentur injuriam. Sic delusa pravorum ambitio in mærorem commutavit de iniquitate lætitiam. Accepit & mercedem suam procurator iniquus, qui Monasterium comparavit, justè damnatus exilio.

Wilhelmus fit Abbas Weissenburgensium, & translatio revocatur.

Interim verò quòd Procutator Bullam translationis Romæ impetravit à Papa, Monachi Weissenburgenses ejus fraudis ignari cum bona mora diem pro electione novi constituerunt Abbatis. Quâ instante Wilhelmum Priorem Conventus Abbatem suum unanimiter elegerunt, qui litteris Maximiliani Regis promotus mox Romam pro Confirmatione simul & litis continuatione profectus est, & spes vanas, ne dicam iniquas, Monasterij translationem optantium serpentinâ prudentiâ & columbinâ simplicitate delusit. Cernens etenim Romanus Pontifex, quòd Maximilianus Rex non solùm non vellet in translationem præbere consensum, sed Electum insuper litteris promotorialibus commendaret, fecit utrúmque, quod & rogabatur, & decebat eum, quia confirmavit Abbatem, & revocavit illicitè præsumptam Monasterij translationem. Confirmatus Abbas Romæ permansit vigilans in causa, ne siniſtris informationibus, aut subverteretur negotium, aut excommunicationis vinculum temerè rumperent inimici.

Wilhelmus Abbas de curia revertitur mortuo tyranno.

Tandem Joanne de Drott omnium auctore malorum in excommunicatione Papali mortuo, & asini sepulturâ terræ commendato, vultum aliquantisper serenavit Noverca bonorum fortuna: & Monachos Weissenburgenses omnipotentis Dei miseratio, intuitu clementiore respexit. Enimverò securus rediit ad Cœnobium Abbas, & insidias tyranni jam non metuit extincti. Veruntamen cum Palatino Comite pacem firmam

&

& aliqualem refusionem damnorum & expensarum non subitò conseeutus est; quousque tandem nisa est rota in medio rotæ, per quam florenorum quindecim millia exposuit. Joanne autem de Drott morte serâ defuncto, pars ablatarum possessionum & rerum Monasterio non ipsius ordinatione (quippe qui statuit nihil omnino restituendum) sed Principis fuit imperio restituta. Pars sub lite remansit. Et nunc de miserabili tribulatione Monasterij Weissenburgensis quondam Regalis & insignis summariè dictum est satis, historiæ cursum prosequamur.

Joannes de Caba Monachus hic primam canit Missam.

Anno Dominicæ Nativitatis prænotato, secundâ die mensis Julij, hoc est, in solemnitate Visitationis innocentissimæ, castissimæ, gloriosissimæque semper intactæ Virginis Mariæ, cujus & amator, cultor & venerator est ardentissimus Joannes de Calvve postea hujus Cœnobij Hirsaugiensis vigilantissimus Abbas, qui hodie, cùm hæc scribimus, præest, primam in ordine Sacerdotij Missam cantavit, lætantibus in cœlo Angelis & congaudentibus in Cœnobio Monachis; illis quia collaudatorem, istis quia commilitonem susceperunt.

Census per Blasium Abbatem aucti.

Eodem anno simul & transacto Blasius hujus Monasterij Abbas, redditus & proventus ejusdem, ut sequitur, notanter ampliavit: imprimis enim octo maldrorum avenæ censum comparavit annuum in Osteltzheim pro sexaginta quinque florenis. In Wila triginta solidos annui census emit. Ita Hessicken curtem unam pro ducentis florenis comparavit, de qua Monasterio proveniunt singulis annis septem maldra siliginis & avenæ maldra octo. Speltæ quoque septem, & duæ urnæ vini. In Gechingen & Tuffringen duas partes decimarum emit pro florenis ducentis. Curtem in Schaffhausen à quodam cive de Wila comparavit pro centum sexaginta nummis auri. In Riderchingen duas libras & solidos sex annui census pro sexaginta libris. In Talbingen, Sultz & Effringen pro quibusdam curtibus & censibus exposuit sexcentos viginti quatuor florenos.

Structuræ & ædificia per Blasium hoc tempore facta.

Eodem quoque anno idem Abbas Blasius in Castello Stamheim novam domum & Capellam à fundamentis construi fecit: pro quarum consummatione supra ducentos auri florenos exposuit. Domum quoque frumentariam in Herrenberg novam pro ducentis florenis constituit. Hoc ipso etiam anno latus tertium ambitûs Monasterij consummavit: in quo plus quam quatuor centum florenos expendit. Piscinam circa infirmitorium, & aliam parvam in horto Conventuali eodem anno fieri mandavit, in quibus ducentos quinquaginta florenos exposuit. Refectorium Fratrum hyemale ampliavit, quod picturis, fenestris & cælaturis pulchrè satis ornavit impensis trecentorum florenorum. Fenestras cum rotundis (id est Schyben) & picturis ad tria latera ambitûs Monasterij fieri jussit; pro quibus plus quàm trecentos auri florenos exposuit. In quarto verò latere picturas sine rotundis fecit duntaxat. Imaginem quoque Crucifixi JESU Christi Salvatoris nostri, quæ stat in gradibus chori erecta, pro uno & triginta florenis emit, ad quam plures Indulgentias à multis impetravit.

Maximilianus Rex à Blasio susciptur.

Anno item prænotato, venit ad Regale oppidum Wil Maximilianus Rex Germanorum, quem Blasius hujus Cœnobij Abbas civium supplicatione rogatus, & Pontificalibus ex more indutus cum processione Cleri, ac populi pulchrâ ordinatione solemni obviam factus ad oppidum introduxit:

duxit: & in domum Hirsaugianam in eodem oppido positam debito cum honore suscepit hospitio.

MCCCCXCII.

Regnum Granatæ cum urbe per Hispaniæ regem capitur.

Anno Blasij Abbatis octavo, Indictione Romanorum decima, die Mensis Januarij septima, Ferdinandus Hispaniarum Rex meritò Christianissimus cum Elisabetha uxore sua regina, & exercitu toto decem videlicet millium equitum, & quinquaginta millium peditum Granatam Bæticæ regionis civitatem Baudelis Mauritaniæ Regis Mahumeticæ perfidiæ sectatoris, quam biennio firmâ impugnatione obsederat, Triumphator Christo largiente intravit: eliminatáque Saracenorum spurcitiâ urbem ipsam cum universo Granatæ regno Christianis restituit, quod Mauri vanissimi professores Mahumeticæ vanitatis annis octingentis occupaverant, Regem Granatæ in ultimos Hispaniæ fines relegavit: Saracenos expulit omnes: Dei cultum non solum in civitate, sed per totum quoque Regnum more Christianorum instituit: pro cujus reverentia Ecclesias multas fabricavit.

Judæi Corpus Christi in Sternenberg lacerant.

Eodem anno perfidissimi canes Judæi in oppido Sternenberg, quod situm est in Ducatu Megaloburgensi, venerabile Sacramentum Dominici Corporis in duabus hostijs, altera majore, altera minore à quodam Sacerdote Petro nomine, pretio comparantes incredibili furore malè tractaverunt. Perniciosâ etenim curiositate ducti, cultellis & aculeis hostias pungentes, tentabant experiri, quid in eis Divinitatis lateret, quas venerantur Christiani. Et ecce Deo miraculosè in suo Corpore præstante miraculum, sanguis de puncturis subitò fluere cæpit, & mensam cruor totam respersit. Recesserunt ad sacrilegum Sacerdotem Judæi scelerati, factum aperiunt, consilium petunt.

Sacramentum sub terra reperitur sanguineum.

Communi tandem consultatione particulas sanguinem fluere non cessantes in terram defodiunt, & abeuntes jam latere factum penitus in antea confidunt. Territi sunt impij, non compuncti: conturbati non compuncti. Latere factum quomodo potuit, quod Deus miraculo fecit manifestum? Non enim poterat abscondi sub terra, qui cœlum fecit gubernátque & terram.

Sacerdos capitur, damnatúrque ad ignem, cujus mira contritio.

In notitiam res miraculo cruoris devenit populi fidelis. Capiuntur Judæi, examinantur, crimen aperiunt, atque triginta eorum numero ignibus traditi concremantur. Presbyter autem qui Dominicum Corpus tradiderat impijs pro vili pretio, captus est similiter cum Judæis: qui seorsim examinatus, cum multis lachrimis suum confitebatur peccatum. Cúmque ad mortem duceretur extra oppidum igni cremandus, tantâ miserante Deo contritione resolutus est, tantis cum lachrimis suum accusabat reatum, tótque ululando potiùs quàm lamentando gemitus emisit atque singultus, quòd omnes ad commiserationis fletum provocavit. Cúmque ad locum perveniisset supplicij, stans in lictoris potestate ligatus, vidit inter promiscuum vulgi concursum, stantem in amaritudine matrem, quam propiùs accedere magna cum instantia rogavit, cui & dixit: *Justum est, mater, dignum est, & necessarium te lachrimari, & flere multum sine modo, sine mensura, sine consolatione, quamdiu vixeris in hoc mundo, propterea quòd me filium peperisti, lactâsti, & nutrivisti tam impium, malum & sceleratum; qui Dominum Majestatis cœli & terræ, Creatorem ubique gloriosè regnantem*

regnantem impijs tradidi Judæis rursus crucifigendum. Væ mihi omnium indignissimo peccatori! Væmihi & iterum væ, qui Salvatorem vendidi, tradidi, atq; sum Juda negavi. O quid feci! O quid pœnarum & suppliciorum non commerui! Quis mihi det omnium tormentorum genera & cruciatus posse in corpore meo experiri & sustinere usque in finem sæculi, pro tam horrendis sceleribus meis! O si fieri posset, ut pro meo scelere tanto, centies ignibus tradar, centies moriar, centiésque resolvar in pulverem! Hæc dicens cum lachrimis multis continuavit verbum ad matrem: *Peto:* inquit, *abs te mater unam petitionem, quam ut mihi promittas te facturam, post mortem meam oro.* Cui mater se facturam promisit juxta vires quodcunque postulaverit. At ille: *Rogo,* inquit, *ut tres mihi peregrinationes in pane & aqua, laneis duntaxat induta, nudis pedibus facias. Primam ad Aquasgrani: secundam ad S. Jacobum in Compostella: & tertiam ad limina Apostolorum Romam. Et quotiens interrogata fueris ab aliquo, quare tam duras agas peregrinationes, dicito, quòd ideò, quòd me tam nefandum, tam improbum & sceleratissimum pepereris filium, qui Corpus Domini Judæis vendiderim tradiderimque pro pretio blasphemandum. Et vide ne unâ dormias nocte, ubi aliâ quieviſti, nihilque omittas eorum, quæ rogavi.* Promisit mater filio, quod petijt, & fideliter implevit.

Duram pro filio mater peregrinationem assumpsit.

Deinde conversus ad Judicem & populum astantem: *Domine Judex & vos optimi cives, audite precor, attendite paucis. Justissimè lata est in me omnium totius mundi hominum sceleratissimum peccatorem sententia mortis, qui mille mortibus dignus sum: quia Judam imitatus, Salvatorem Judæis vendidi: ordinis mei oblitus simul & presbyterij dignitatem contra Dominum executus. Et quamvis sum Juda longè deterior, quoniam ille Christum Judæis mortalem, ego autem vendidi glorioſum. Unde etsi peccatum meum sit maximum, nequaquam tamen Judam imitabor desperando, quem prô dolor peccando secutus sum: sed confido in misericordiam Dei, quòd me recipiat pœnitentem, quem tam enormiter peccantem patienter tulit, & non subitò extinxit. Mortem commerui: mortem quantumlibet duram non solùm patienter sustinebo, sed ex voluntate quoque subibo libenter. Verùm non est satisfactio condigna pro tanto scelere mori. Precor vos Judices, ut pro uberiore pœnitentia immanissimi sceleris mei permittatis, quatenus diuturniore cruciatu inteream, & amputentur mihi primum digiti manuum & pedum articulatim: deinde manus & pedes: postea nares & aures: consequenter brachia & tibiæ: postremò corpus truncum unà cum abscissis membris imponatur super rogum, & ignibus concremetur. Non enim sum cæterorum instar malefactorum morte dignus, sed acerbiore atque turpissimâ, quâ longior sive prolixior nulla queat inveniri.* Hæc ejus miranda contritio multos astantium provocavit in fletum: quorum alij petitionem ex comiseratione decreverunt admittendam: alij verò ex pietate negandam. Sed ille tantâ petitionis instantiâ rogans lachrimánsque perseveravit, quòd moti tandem Judices tantis fletibus consenserunt, ut fieret quod postulaverat. Miranda hominis contritio, stupendáque in tali articulo mortis devotio! Membratim truncatur sicut petierat, & in tantis cruciatibus voluntarijs summam exhibuit patientiam. Postremò jam truncus dixit cum gemitu: *Deus propitius esto mihi peccatori, & clementer accipe hos corporis mei durissimos cruciatus pro satisfactione sceleris mei.* Et cùm præ nimio dolore atque sanguinis effusione inciperet jam penè deficere, truncus super rogum ponitur, & igne suppositio brevi compendio suffocatur: tunc & abscissa membra in ignem projecta

Petri Sacerdotis verba ad Judicem & populum.

Salutem se sperare manifestat.

Membratim Sacerdos ut rogaverat, dividitur & comburitur.

cremantur. Et iste finis hujus miserandi Sacerdotis fuit: cujus animæ pœnitentiam tam magnam & manifestam, quis dubitare posset veniam obtinuisse apud Deum?

Dominici Sacramentum Corporis stupendis coruscat miraculis.

Corpus autem Dominicum summa cum veneratione, præcedente Clero, & populo subsequente ad Ecclesiam reportatum in sacello ponitur, & pro miraculi testimonio cum punctauris sanguine rubricatum hodie servatur. Fit illico ad Sternenberg magnus populorum concursus, non solùm de locis vicinioribus, sed etiam de remotis, & usque in præsentem diem stupenda in eo loco ad invocationem Domini nostri Jesu Christi fiunt miracula.

Miraculum unum è multis.

E quorum numero penè innumerabili unum nos posteritati commendare sumus persuasi, quod suâ raritate fidem simul & omnem credulitatem hominum procul videtur excedere: quanquam in toto Magdeburgensi Ducatu cunctisque finibus ejus adeò famâ sit celebri divulgatum, ut neminem latere queat. Neque enim nos hoc tam stupendum miraculum, ullâ vel credere vel scribere ratione possemus, nisi veraciter factum non modò vulgarium narratione, sed etiam Principum illius terræ manifesto sciremus testimonio. Est autem tale mirabile miraculum.

Homo contractus & reptans manibus, sanatur & erigitur.

Erat in regione illa homo quidam pauperculus, & contractus, qui more pecudis incurvatus manibus & pedibus reptando super terram incessit. Neque enim stare aliquando potuit: neque in altum se quomodolibet erigere. Is cùm tanta fieri miracula crebrius audiret in Sternenberg, suspirans animo referentibus dixit: *O si & ego essem ibi, considerem me sanitatem omnino recepturum, sed quomodo illuc perveniam, qui nusquam progredi possum?* Cui astantium dixit aliquis: *Non desperaveris, sed reptando incipe proficisci ut potes; dabitque auxilium Deus, ut pervenias.* Acquievit consilio pauper monentis, & tandem post multos labores ad locum pervenit. Et ecce mira clementia Christi! oravit homo cum lachrimis, Deo miserante convaluit, & jam non rependo sed gradiendo ad locum unde venerat, remeavit. Stupebant omnes, qui noverant eum, qui quem contractum reptantémque incedere solitum, nunquam erectum viderant, incedentem rectè tam subitò conspiciebant. Et notum factum est hoc miraculum non solùm in oppido illo, sed per totam regionem.

Recta fides cum oratione potest omnia.

Castellanus miraculo incredulus à Deo sensit vindictam.

Pervenit rumor signi ad Castellanum oppidi, hominem incredulum, temerarium & superbum, qui non solùm referentibus factum non credidit, sed eos cum irrisione & quadam blasphemia contempsit. Misit tamen, & pauperem fecit adesse sanatum. Cui dixit astanti: *Tunè es ille, qui te sanatum affirmas in Sternberg ad invocationem Sacramenti?* At ille respondit dicens: *Ego sum, gratias ago Domino Deo, qui me sanavit.* Ad quem Castellanus: *Ergóne sani fiunt omnes, qui peregrinantur illuc?* Respondit pauper in sua simplicitate: *Sani certè.* Ad quem Castellanus canem videns à casu præterire claudicantem, spiritu blasphemiæ tumens cum indignatione: *Tolle*, inquit, *canem hunc quem cernis claudicantem, & ducito illum ad Sternberg peregrinatum, ut sanitatem recipiat, qui dixisti omnes ibi sanari.*

Castellanus insanit, furit, latrat & mordet ut canis.

Hæc cúmque tumido spiritu protulisset, mox vesanus effectus latrabat ut canis, & in medium prosiliens canum suorum illos mordebat ut canis. Deinde prorumpens de Castello cucurrit vesanus in oppidum latrans & mordens inter canes quasi unus ex ipsis: & quod mirandum est amplius,

amplius, crevit subitò ex spina dorsi hominis cauda canina vestibus longior præeminens ultra unius mensuram palmæ. Capitur à suis inmedio canum latrantium & mordentium, & vinctus in Castellum reducitur, pro cujus liberatione peregrinatio cùm donis & oblationibus ad Sternbergab uxore & familia promittuntur: quibus completis insaniâ quidem liberatus est, caudam verò caninam habere compulsus est in testimonium facti, quamdiu vixit. Et ecce denuò mirando succedit mirabilius; quoniam nullâ arte, nullo ingenio, nullo vestimento, caudam, ne videretur, abscondere potuit. Nam si largiora fecit vestimenta, prolixior subitò fuit & cauda; si breviora, brevior; semper tamen ultra mensuram palmæ longior eminebat visibilis.

Unius historia facti plurimorum est comprobata testimonio.

Historiam scripsi, non fabulam; rem gestam, non confictam; non mendacium, sed veritatem plurimorum testimonio comprobatam. Cujus quidem rei gestæ tot ante septennium, cùm in Marchia essemus Brandenburgensium, ac tales audivimus testes, ipsum videlicet Electorem Imperij Marchionem Joannem, Henricum Megaloburgensium Ducem, Senatores Vesulinos, aliósque tantos, quibus non credere meritò judicaremus iniquum. Omnipotens ille mundi Creator & Rector Deus, qui Nabuchodonosor Babyloniæ Regem inter boves fœnum manducantem fecit, blasphemum ut voluit, humiliare potuit.

Conventus fit Principum in Confluentia cum Cæsare & Rege.

Anno quoque supra notato, in mense Septembris, Fridericus Imperator mundi tertius, & Maximilianus Rex Germanorum filius ejus semper invictus, Conventum Regni Principibus apud Confluentiam oppidum Archiepiscopi Trevirorum consensu indixerunt unanimi, quorum multis in præsentia constitutis Raptus desponsatæ Maximiliano Annæ Ducis Brittanniæ per Carolum Regem Galliæ præsumptus in medium proponitur, & quid fieri decernant Principes, consultatio communis habetur. Erant tum qui bellum Gallo indicendum consulerent, utpote qui non solùm leges temerâsset Germanas inferior, sed jus etiam violâsset Imperij simul & Christianæ veritatis. In id tandem convenit pars sanior, tempori concedendum, cùm Brittanniæ Ducatus, neque Germaniæ Regno, neque Brabantiæ Principatui eâ tempestate conduceret. Maximilianus itaque Rex consilio Principum levigatus animum remisit iratum.

Incursores Moguntiæ vastant Ecclesiam.

His temporibus fuerunt quidam homines perditissimi, eorum de ordine, qui se nobiles non verentur gloriari, cùm impietatis plus habeant, quàm virtutis, Bertholdi Archiepiscopi & Ecclesiæ Moguntinæ hostes, imò raptores iniqui, quos penitus judicamus indignos, quorum nomina in nostris Commentarijs memoriam posteritatis consequantur, vel immortalitatem. Hos à crudelitate facti quidam nostrorum Testipremos appellavit, pro eo quòd Clerum & Sacerdotes Domini per Diœcesim Moguntinam persequebantur invasione hostili, capientes eos, atque captivos abducentes, & pro pecunia crudeli nimis punitione torquentes. Eos verò quos captivos abducere qualibet occasione non poterant, inauditâ hactenus, ut sequerentur per se ad loca eis præfixa cum pretio redemptionis, impietate cruciabant. Habebant enim feras quasdam ferreas diabolicâ non dubium excogitatione adinventas, sub quarum arcta clausura testiculos Sacerdotum comprimebant. Has autem feras semel clausas, præter ipsos qui clauserant, nemo poterat aperire. Denique tam artificiosè fuerant

fabricatæ, ut nulla conjunctio potuisset notari partium; támque duratum erat ferrum, ut limæ nullam admitteret corrosionem.

Unde cujuscunque testes tali ferramento fuissent compressi, non poterat liberari ab alio, quàm ab his qui seram imposuissent. Nec satis erat singula instrumenta singulas habuisse clausuras, sed quodlibet unum quatuor, aut quinque seris occultissimis claudebatur, ut si casu forsitan una fuisset inventa sive aperta, reliquæ tamen penitus latuissent. Compressis ergo testiculis hoc instrumento Clericus si voluit liberari, necesse fuit eum Testipremos cum pecunia seu liberationis pretio sequi ad locum quem determinassent. Sacerdotum plures calamitate ista durante in diversis locis per Moguntinam Diœcesim à perversis testipremis istis fuerunt capti, cruciati, vulnerati, spoliati, abducti, & nonnulli supplicijs varijs sine culpa interfecti.

Alexander fit Papa VI. & præfuit annis XI.

Item anno prænotato, XXVI. die mensis Julij, obijt Romæ Innocentius Papa VIII. anno Pontificatus sui VIII. Post hunc in Pontificatu successit Cardinalium promotione suffectus Theodoricus Cardinalis Episcopus Portuensis natione Hispanus, Apostolicæ Sedis Vice-Cancellarius, dictusque Alexander ejus nominis VI. apud S. Joannem in Laterano, XXVI. die mensis Augusti, quæ fuit dies Dominica post Festum S. Bartholomæi Apostoli, pompâ solemni coronatus est, & præfuit annis XI. & paucis diebus.

Judæi omnes fuerunt expulsi Hispania per Regem.

Eodem anno Ferdinandus Rex Hispaniarum ad instantiam uxoris suæ & quorundam Fratrum Minorum omnes de Regno suo Judæos infra certum terminum præcepit exire, & quicunque post præfixum terminum inveniretur remansisse, per totum regnum sine misericordia occideretur. Interdixit etiam, quòd neque aurum, neque argentum, neque lapides pretiosos secum deferrent, sed pro his vinum, frumentum, oleum aut pannos emerent ab incolis regni secundum justam pretij æstimationem, abduceréntque secum, quò vellent navigio. Erant enim auro, argento, gemmis pretiosis ultra modum locupletati, ideóque ne suo modo spoliarent Hispaniam, omnia hæc post se relinquere compulsi sunt. Navibus itaque dispositis exiverunt unâ vice de Hispania centum viginti quatuor millia Judæorum, & classem per mare Mediterraneum versus Constantinopolim verterunt, ac direxerunt. Remanserant etiam ultra terminum eis præfixum in Hispania plus quàm tria millia, quos navibus perforatis Rex jussit imponi, & in profundum æquoris demergi, quorum bona omnia ad suum fiscum præcepit referri.

Imperator Fridericus movet castra contra Ducem Bavariæ generum.

Anno item prænotato Fridericus Imperator III. contractis undique copijs exercitum movit contra Ducem Bavariæ Albertum, qui morabatur in oppido Monacensi. Et hæc fuit causa dissensionis inter eos. Habebat Cæsar ipse filiam unam Regis Maximiliani sororem, quam Dux Albertus (quoniam maturior erat) invito patre sibi accepit uxorem, ipsâ tamen consentiente. Nec diu postea quasi propter eam jure posset, Ratisbonam Regni Germanici urbem non ultimam Civium consensu dominio suo subjugavit, & contra voluntatem Cæsaris aliquandiu possedit. Cúmque sæpius moneretur ab Imperatore, ut abstineret à civitate Regni, & non adverteret, iratus tandem Fridericus ex Liga Suevorum & aliunde magnum pugnantium conduxit exercitum, & movens in Bavariam juxta

Lici

Lici fluminis ripas castra locavit. Videns autem Dux Albertus quorsum res tenderet, pacem postulans obtinuit, & Ratisbonam urbem Regno iterum restituit. Concordia fit inter Cæsarem & Ducem Bavariæ Albertum.

Eodem anno septima die Novembris, cecidit è nubibus aëris in pago qui nuncupatur Suntgavve prope oppidulum, quod dicitur Ensisheim haud procul à Basilea Civitate Germaniæ, fulgetra sive lapis miræ magnitudinis, pondo, sicut audivimus ab his, qui viderunt, librarum videlicet 255. hoc est, centenariorum duorum simul atque semissis, & quinque librarum. Qui quidem lapsis ex violentia cadendi duas in partes fuit divisus, cujus pars major ante fores Ecclesiæ memorati oppidi Ensisheim cum ferrea catena in testimonium veritatis & memoriam usque in præsentem diem videtur suspensa.

Anno item prænotato, ultima die mensis Decembris, quæ finis est anni, obijt Melchior Abbas Schonaugiensis, Ordinis nostri, Diœcesis Trevirorum, vir doctus & Regularis observantiæ cultor integerrimus, qui visitando, exhortando, libróque Divini cultus emendando & imprimendo per annos quatuor & viginti, quibus in Abbatia laudabiliter præfuit, multa pro decore & utilitate observantiæ nostræ Bursfeldensis bona fecit, pro quibus haud dubium æternæ fælicitatis præmium recepit. Fuit enim vir optimus, ingenio promptus, consilio cautus, actione præcipuus, conscientia purus, vita regulari sibi durus & rigidus, nihil eorum negligens, quæ ad rectæ conversationis Monasticæ pertinent rationem. Eo die quo de hoc mundo erat migraturus, in lecto jacens ægritudinis plenâ utens ratione & loquelâ. Missam fecit coram se celebrari (habebat siquidem altare consecratum in Camera) cui diligentissimè intendebat, prædixerat enim illâ die se & horâ moriturum. Cúmque Sacerdos post Dominici Corporis & sanguinis participationem in lavando & tergendo calice moram faceret, ille clamavit: *Festina Frater complere Missam, ne fraudes me benedictione finali, quia manere diutius non possum.* Complevit illicò Missam Sacerdos, deditque optatam benedictionem morituro, quâ datâ dixit Abbas: *Accedite nunc Fratres.* Quibus astantibus dixit: *Pax Christi sit semper vobiscum charissimi Fratres, Ego nunc vado, orate pro me.* Statímque subjunxit: *Domine JESU Christe Fili Dei vivi in manus tuas commendo Spiritum meum.* Et subitò exspiravit, cujus Fratres Cadauer non sine opinione sanctitatis terræ commendaverunt. Scripsit autem nonnulla, ingenij sui præclara opuscula, è quibus nos vidimus subjecta. De Mandato Capituli annualis elucubravit declaratorium Cæremoniarum & Ordinarij Divinorum Observantiæ nostræ Bursfeldensis, in uno volumine, quod prænotavit opusculum pacis, libros duos. Monotessaron Dominicæ Passionis ex quatuor unâ pulcherrimâ continuatione fecit, librum unum. Accentuarium & modū cantandi atque legendi pro unione Bursfeldensium, librum unum. Orationes quoque multas in utroque Capitulo editas, plenásque dixit eruditione. Et alia nonnulla, quorum hac vice memoriam non tenemus.

Melchior Abbas S. Florini Matyris in Schonaw obijt.

Melchior Abbas mortem suam præscivit & prædixit.

Melchioris Abbatis quædam opuscula.

Eodem anno, Blasius hujus Monasterij Abbas insignis quædam bona & possessiones in villa Kenten pro quadraginta quinque florenis Monasterio comparavit. Hoc ipso quoque anno piscinam circa domum pecorum trans pontem circa sanctum Aurelium novam fieri constituit, pro

cujus

cujus conservatione plus quàm tercentum florenos auri expositit, & piscibus eam adimplevit.

MCCCCXCIII.

Helena Comes Palatina nascitur.

Anno Blasij Abbatis nono, Indictione Romanorum XI. die mensis Februarij IX. Heidelbergæ nascitur Helena undecimo-genita Philippi Comitis Palatini, Bavariæque Ducis ac Principis Electoris, quæ postea cùm annorum esset viginti, parentibus jam vita defunctis nupsit Fratrum promotione adjuta Henrico Duci de Megaloburg, qui prius uxorem habuit sine liberis mortuam Joachimi Marchionis Brandenburgensium sororem nomine Ursulam, Princeps ut ferunt nimis speciosa atque modesta.

Capitulum Provinciale XXVIII. Hirsaugiæ celebratum est.

Eodem anno Dominica tertia post Pascha, quæ fuit XXVIII. dies mensis Aprilis, celebratum fuit Ordinis nostri XXVIII. Provinciale Capitulum hîc in isto Monasterio Hirsaugiensi, in quo præsederunt Joannes Trithemius tunc Spanheimensis, Conradus in Wiblingen. Bartholomæus S. Crucis in Werdea. & Andreas Montis Monachorum propè Bambergam, Monasteriorum Ordinis memorati Abbates. Blasius verò hujus Monasterij Abbas cum ingenti lætitia Patres, qui convenerant, suscipiens, & in victualibus abundè tractans, laudem & honorem totius Capituli reportavit.

Insulæ quatuor in mari Indico repertæ sunt per Hispanos.

Anno prænotato, Ferdinandus Hispaniæ Rex posteaquam opulentissimum Granatæ Regnum unà cum urbe suo dominio potenter subjecit; terrâ non contentus, etiam mare disquirendum putavit. Ordinatis igitur navibus Christophorum quendam præfectum constituit, quem ad inquirendas Cosmographis incognitas per mare Insulas destinavit. Suscipiens ille naves ab Oriente in Occidentem direxit, æquórque sulcans spatia multa, quatuor tandem reperit Insulas mari circumdatas Indico, quarum in Europa prius apud Cosmographos cognitio nulla fuit. Unde novis Insulis nomina etiam nova imponentes, primam S. Salvatoris nuncuparunt; secundam verò de Conceptione S. Mariæ vocarunt; tertiam autem in memoriam Regis sui Ferdinandam dixerunt; quartam verò Hispaniola nuncuparunt in memoriam Hispanici Regni, unde oriundi erant. Quales autem sint Insulæ jam dictæ, in qua parte orbis sitæ, qui populi & habitatores earum, quibus ritibus vivant, aut moribus, in ea continetur Epistola, quam memoratus Christophorus scripsit, & ubique circumfertur impressa.

Fridericus Imperator III. moritur anno regni sui 54.

Anno item prænotato, XIX. die mensis Augusti, moritur Fridericus Imperator III. in oppido Austriæ Linz, anno ætatis suæ septuagesimo nono, Regni verò Germanici quinquagesimo tertio, mense quarto; Romanorum autem Imperii, anno quadragesimo quarto, ex abscissione cruris putridi, cujus Cadauer ad Viennam delatum in Cathedrali Ecclesia S. Proto-Martyris Stephani tumulatur in sepulchro, quod sibi dudum satis pretiosè fecerat præparari. Filium reliquit Maximilianum Regem Germanorum & unam filiam, quam Albertus Dux Bavariæ, ut diximus, habuit uxorem.

Turcarum gens impia devastat Croatiam & Carniolam.

Eodem mense quo Imperator obierat, nefandissimi Mahometis sectatores Turci magna cum multitudine pugnatorum de finibus suis egressi Croatiam & Carniolam incursione hostili vastarunt; omnia rapina, ferro & igne crudelissimè more suo depopulantes. Contra quorum insultus incolæ regni & provinciæ Christiani, utpote numero & viribus longè

longè impares pugnaturi, ab eis facilè superantur, cæduntur & capiuntur. Nam decem Christianorum millia in ea Turcorum incursione occisa ferebantur & capta.

Maximilianus Rex contra Turcos movit in Croatiam.

His ad Maximiliani Regis notitiam relatis, funeralibus (quæ genitori paraverat celebranda) in aliud tempus convenienter suspensis, magnum pugnatorum congregavit exercitum, Turcos de Croatia expulsurus. Sed Turci strage factâ quam diximus, vicis & urbibus incensis, cum præda & captivis retrocesserunt, nec Regis præstolabantur adventum. Rex ergo Maximilianus præsidio sufficienti per Croatiam posito in Austriam redijt, & funeralia quæ aliquandiu intermiserat, genitori mortuo celebravit.

Funeralia Viennæ Imperatori celebrantur.

Anno igitur prænotato, septima die mensis Decembris, quæ fuit Sabbathum post Festum S. Nicolai, Viennæ Austriæ in Cathedrali Ecclesia S. Stephani Proto-Martyris Maximilianus Rex Patri funeralia celebrari mandavit in Principum multorum præsentia, Episcoporum, Abbatum, Ducum, Comitum, atque Nobilium. Aderant & missi Oratores Romani Pontificis Alexandri, Regum quoque Galliæ, Hispaniæ, Bohemiæ, Ungariæ, Poloniæ, Apuliæ, Siciliæ, Daniæ, & omnium penè Germaniæ Principum, multarúmque Civitatum Regni. Sacerdotes qui Missas celebrabant illa die pro anima defuncti Imperatoris numerati fuerunt, & octingenti adfuisse inventi.

Jacobus Monachus hujus Cœnobij scriptor insignis moritur.

Eodem anno, durante Capitulo Provinciali mortuus est Jacobus de Oppenheim hujus Cœnobij Hirsaugiensis Monachus de primis Reformatoribus unus, vir in divinis scripturis admodum eruditus, nec minus vitæ merito, quàm scientiâ doctrinæ venerabilis. Qui Novitiorum Magister pluribus annis extitit, quos verbo & exemplo vivere ad puritatem Regularis Observantiæ instruere ac docere non cessavit. Scripsit de titulis Psalmorum quædam synthemata. De utilitate quoque Psalmorum Opusculum. Orationes ad Deum & sanctos supplicatorias plures. Carmina & Rythmos de diversis rebus majorum; Epistolas quoque multas elegantes ad diversos hinc inde lucubravit amicos.

Joannes nunc Abbas hujus Monasterij fit Magister Cocorum.

Anno etiam prænotato, Joannes de Calvve Monachus hujus Cœnobij, & post mortem Blasij Abbas, ut infra suo loco dicemus, Magister Cocorum institutus est, in quo quidem officio per biennium fermè Fratribus diligenti sollicitudine ministravit, ambulans coram eis in simplicitate cordis, & nihil eorum negligens, quæ habuit in commissis. Tam enim sollicitum in suo se ministerio, támque studiosum se exhibuit per omnia, quòd Blasius Abbas majoribus dignum & aptum judicans biennio transacto in majorem cellerarium Monasterij ordinavit.

Hoc ipso quoque anno prænotato Blasius Abbas ligneum in Ecclesia Monasterij tabulatum, simul & in duabus ejusdem absidibus fieri fecit, pro qua structura 150. florenos exposuit. Tabulam etiam in refectorio positam hyemali ad mensam Præsidentis, in qua depicta est Cœna Domini pro 34. florenis fieri disposuit. Eodem quoque anno Tabernaculum quod est supra majus altare fabricari mandavit, pro quo florenos 80. impendit.

MCCCCXCIV.

Maximilianus secundam ducit uxorem, sed sterilem.

Anno Blasij Abbatis X. Indictione Romanorum duodecima, mensis Martij die XXVI. quæ fuit Feria quarta, & die altera post Festum Dominicæ Annuntiationis, Blanca Maria Galeatij Ducis quondam Mediolani filia,

Maximiliano Germanorum Regi prius desponsata venit ad oppidum Inspruck, & ingente cum pompa suscipitur, nec diu post celebratis solemniter nuptijs Regi conjungitur, cum quo vixit annis fermè quindecim, & sine liberis obijt, mulier corpore parva, sed animo magno, suæque gentis amatrix.

Maximilianus Rex movet in Geldriam contra Carolum.

Eodem quoque anno in mense Julio, Maximilianus Germanorum Rex & Cæsar Augustus contractis undique copijs exercitum movit in Geldriam contra Carolum, qui se gessit pro Duce, geritque usque in præsentem diem. Qui audiens Regis adventum, quia non satis erat viribus ad resistendum paratus, secessit quo potuit secretius in Lotharingiam, & ibi latuit, quamdiu voluit. Maximilianus autem Rex omnem Ducatum & quidquid extra munitionem erat, prædâ incendióque vastavit, gentem tamen suo imperio rebellem usque in hunc diem subjugare non potuit, licet prius & posterius crebrò tentaverit. Erat autem exercitus Maximiliani Regis satis magnus & validus, in quo plures fuerunt, qui magis inopiâ compulsi, quàm vel justitiâ, vel Regis incitati profectu militabant, nebulones perditissimi, sine religione, sine pietate, sine miseratione prædam sequentes, non Principis cujuscúnque victoriam. Hi sceleratissimi stratiotæ quanta pauperibus terræ incolis mala fecerint, præter, imò contra bellandi jus & æquitatem, nec ego dixerim facilè, nec si dicam crediturí sunt posteri, & illi præcipuè quibus pietas Maximiliani Regis fuerit explorata. Dicam tamen vel unum, cujus insinuatione reliqua credibiliora fiant, non ad Maximiliani clementissimi Regis injuriam, vel contumeliam, cùm eo nesciente facta sint hæc omnia mala, sed ut noverint cuncti mortales, quàm reprobi sint omnes & longè à salute, qui sua sponte bella sequuntur.

Auri sugæ puerum quendam assaverunt propter pecuniam.

Ruricola quidam pauper audiens Maximiliani Regis adventum, dimissis in villa liberis & uxore, in proximum sese oppidum Novimagium tutelæ gratiâ recepit. Venit cum exercitu Rex, & ante oppidum castra locavit. Interim verò quod in papilionibus residebat exercitus, dilabebantur auri sugæ prædones quidam sceleστissimi occultè, & discurrentes per vicos & domos rusticorum prædæ inhiabant. Venerunt in mansionem rustici memorati, & inventa uxore cum liberis, ubi esset maritus, urgebant. Audientes autem, quòd in oppidum fugisset, mortem comminabantur, nisi pecuniam daret pro vita. Cúmque lachrimans illa juraret, se nullam penitus habere pecuniam, puerum quem lactabat, de manibus ejus rapuerunt, & colligatum lanceæ nudum assare cæperunt ad ignem. Quod videns illa cùm non haberet unde parvulum redimeret, quanto mærore cruciaretur, unusquisque poterit cogitare. Nec puerum assare crudeles stratiotæ cessaverunt, donec spiritum exhalaret.

Cœnobium Monialium S. Ruperti propè Bingen reformatur.

Anno prænotato, Cœnobium S. Ruperti Monialium nostri Ordinis per beatam Hildegardem olim in monte juxta Nahum flumen in oppidi Bingiorum opposito constructum reformari cæpit mandato Bertholdi Archiepiscopi Moguntini, per Gerlacum Abbatem Tuitiensem. Cujus quidem reformationis occasione turbationes plurimæ fuerunt subsecutæ inter Philippum Comitem Palatinum & Ringaugienses. Monialium autem deformatarum aliæ recesserunt causam augentes dissensionum; aliæ verò in Cœnobio remanserunt observantiæ Regulari submittentes colla

cum

cum his, quæ de Schönaugiensi Monasterio advenerant. Non post multos dies cùm diabolus paci & saluti animarum sibi præreptarum invideret, dolerétque prostibulum earum Monialium, quæ matres esse mallent, quàm virgines, in domicilium castitatis & pudicitiæ reformatum, tentavit si posset ædificium pietatis subvertere totum. Misit ergo cogitationes amaritudinis nequam in corda earum, quas de antiquis diximus remansisse cum novis, & omnes unâ nocte (præter anus duas progredi non valentes) de Monasterio clam submissæ per muros abierunt in terram Palatini Comitis eis proximam, proximorum contra reformatas auxilium invocantes. Census autem sive proventus memorati Cœnobij annuales, sive in frumentis, sive in pecunijs, & plures numero, & pretio majores in dominio habet Palatini. Per continuum ergo triennium profugæ Moniales sua confugia in Palatinatu habentes, amicorum & cognatorum suorum violento patrocinio census & proventus Monasterij omnes in Palatini Principatu ubicunque cedentes rapuerunt in usus proprios convertentes. Quod quàm injustè ac temerè fecerint, nemo qui Regularis vitæ materiam intelligit & puritatem, poterit ignorare. Interea Ringaugienses, quibus animo semper est aurea libertas, nescio cujus rumore falso concitati (quasi Palatinus Comes Monasterium S. Ruperti machinaretur invadere) montem ipsum præoccupare statuerunt, ne videlicet Palatinensibus pateret accessus. Erat enim inter Moguntinos & Palatinenses eo tempore, sicut diximus, non parva simultas. Ringaugienses ergo trecentos viros armatos cum machinis & bombardis ad præoccupandum Cœnobium S. Ruperti miserunt, qui multo tempore ibidem permanentes non parva sororibus loci damna intulerunt. Domos enim intra muros Cœnobij & plures numero & pulchras ædificio funditus destruentes igne consumpserunt. Denique murum Cœnobij exteriorem in circuitu, cùm tandem abire concluisissent, funditus dejecerunt, ne si post eorum discessum Palatinus occuparet Monasterium, aliquod præsidium in eo defensionis contra Bingiorum oppidum haberent impugnandum. Et quidem vana hæc Ringaugiensium suspicio fuit, cùm Palatinus Comes nunquam in mentem acceperit, quòd vel occupare Monasterium, invaderéve oppidum Bingen cogitasset. Quod ubi tandem experimento sicut loquimur verum didicissent, post impensas factas inutiliter nimis in sua redierunt.

Moniales fugitivæ census Monasterij in Palatinatu occupant.

Ringaugienses Monasterium S. Ruperti præoccupant.

Eodem quoque anno, ultima die mensis Octobris, oppido Heidelbergæ, nascitur Wolffgangus duodecimogenitus Philippi Comitis Palatini, Bavariæque Ducis & Principis Electoris, qui postea Canonicus fuit Ecclesiæ Wirtzburgensis, hodiéque annum ætatis agens nonum decimum studio litterarum incumbit apud Parisios.

Wolffgangus Comes Palatinus nascitur.

Anno item prænotato, Carolus Rex Gallorum auditâ morte Ferdinandi Regis Neapolitani, & quòd Alexander Papa VI. Alphonsum per Joannem nepotem suum Cardinalem coronasset in Regem, contractis terrâ marique copijs in Italiam celerius movit, Campaniámque mox, deinde Neapolim fugato Alphonso sibi subjugavit. Enimverò stipatus quinquaginta millibus pugnatorum Italiam præsidio destitutam invasit, omnia vitæ necessaria suâ multitudine consumens, tantámque victus penuriam inducens Italiæ, Apuliæ quoque & Calabriæ, ut pauperes multi

Carolus Rex Gallorum cum exercitu intrat Italiam.

præ inopia panis fame perirent. A Pisanis & Florentinis invitatus atque susceptus urbes eorum pacificè ingressus est. Inde contra urbem Romam dirigens pedem Calabros obviam habuit milites, qui progressum interdicere frustra conabantur. Factâ enim congressione Calabri cum Gallis, eorum in acie mille, Gallorum verò trecenti ceciderunt. Unde nihil morati versus Romam iter Galli maturabant. Inter autem eundum captis nonnullis Ecclesiæ castellis & urbibus, multis etiam datis in prædam, nullo ætatis, sexûs, seu conditionis habito respectu homines, ut pecudes, sine causa, sine pietate, sine aliqua necessitate passim trucidarunt. Cúmque Romam pervenissent, urbem obsidione cinxerunt, causam in primis duplicem contra Pontificem assignantes. Quarum altera fuit principalis, quòd Papa regnum Neapolitanum post obitum Ferdinandi Regis Carolo Regi Gallorum (sicut ipse asseruit) hæreditatis jure debitum, concessisset Alphonso, eúmque sicut diximus in regem feciſſet coronari. Altera fuit causa, quòd Pontifex audito Gallorum adventu regis Alphonsi & Calabriæ Ducis præsidium contra Gallos recepisset in urbem. Fuerunt & aliæ plures causæ displicentiarum Regis contra Pontificem, quas consultò transimus.

Causæ ob quas Galli Romam obsidere cæperunt.

Pontifex autem tantâ multitudine hostium obsessus, ad cavendum graviora mala, Regem postremò intromisit in urbem, sub ea videlicet conditione in fide jurata, quòd eum, Cardinales populúmque Romanum in eorum personis & rebus tutos per omnia servaret, securóque & illæsos. Quæ quomodo servaverint Galli, testimonium præbuerunt opera eorum, spoliationes, violentiæ, cædes, ruinæ domorum & effractiones, prædæ, furtáque. Sed & ipse Pontifex metu Gallorum in arcem S. Angeli fugere compulsus est. Postremò tamen si voluit ab incursione Gallorum liberari Papa, necesse fuit inire concordiam, non qualem ipse voluit, sed qualem Rex Carolus in medium produxit. In ea Confœderatione Pontifex Regi tradere compulsus fuit munitiones quasdam Ecclesiæ versus regnum Neapolitanum: præsidium quoque Regis Alphonsi dimittere, ad Regnum Neapolis & Siciliæ Gallum investire. Postulavit etiam tunc Rex Carolus & obtinuit Zizimi fratrem Bagiazith Imperatoris Turcorum, quem à Rhodianis ante annos fermè novem Papa Innocentius acceperat, quasi per eum Turcos omnes à finibus Regni Apuliæ Gallus Rex posset expellere. Sed Galliam Zizimi non pervenit, quia in itinere Neapolitano mortuus fuit.

Alexander Papa intromisit Gallos sub conditione pacis.

Malè servata conditio.

His Romæ compositis, Rex Carolus movit in regna Neapolis & Siciliæ, quæ ambo mox ut potuit videre, obtinuit, Alphonso Rege fugato, & jam nullo penitus resistente. Audax Caroli facinus & memoriâ dignum, quòd adolescens annum ætatis agens septimum decimum, qui viri neque nomen, neque virtutem habere potuit, intra unius anni spatium, totam ferè Italiam penetrans adinstar fulminis, quæque obstantia pessumdedit, atque in suam Apuliæ regnum potestatem redegit. Sed quid? Cùm nihil stabile in humanis, posteaquam enim omnia, quæ volebat in Apulia, suo imperio subjecisset, relicto ubique suorum præsidio in Galliam reversus est, & omnia quæ vel in Italia, vel in Apulia cum maximis impensis acquisierat, brevi sine labore magno ad pristinos possessores revoluta sunt.

Carolus Rex Gallorum Regnum Neapolitanum obtinuit.

Anno

Anno memorato, Blasius Abbas Monasterij duas villulas Hugstatt & Altenbubach cum omnibus juribus & Pertinentijs earum pro florenis 782. comparavit ad communem hujus Cœnobij profectum & utilitatem. In villa quoque Itenmaden quinque florenos annui ceusus emit pro centum.

Hujus Monasterij census aucti & hoc anno structuræ factæ.

Eodem anno, quartam Ambitus partem construxit, pro qua structura 500. florenos exposuit. Verùm artificis vel ignorantiâ, vel negligentiâ, postquam ipsa pars ad plenum fuerat consumata, funditus eam propter scissuras & rupturas, quas habuit plurimas, dejicere cogebatur, quia stare non potuisset, & restaurare de novo; latomus per artis suæ magistros ad hoc specialiter vocatos, ut judices in centum florenis Abbati condemnatus fuit.

MCCCCXCV.

Rudolphus Episcopus Herbipolensis moritur anno Pontificatus XXIX.

Anno Blasij Abbatis XI. Indictione Romanorum XIII. die mensis Aprilis XXVIII. moritur Rudolphus de Scherenberg ultimus in genealogia sua, Episcopus Herbipolensis & Dux Franciæ Orientalis anno Pontificatus sui XXIX. ætatis verò centesimo in majori Ecclesia sepultus, Princeps per omnia certè magnificus, & apud omnem posteritatem Würzburgensium Canonicorum æternâ memoriâ dignus, utpote qui Ecclesiam Herbipolensem in multis millibus florenorum ære alieno gravatam reperit: quam suâ industria Deo miserante à cunctis debitorum oneribus liberavit; & successori thesaurum non parvum in auro, argento, frumentis & vino dereliquit. Multis ante mortem annis veteri morbo calculi Præsul iste laboraverat. Moriturus autem suis commisit, ut cùm vitâ defunctus juxta morem antiquum veniret exenterandus, facerent etiam aperiri vesicam, prospecturi oculis, quantos sustinuerit calculi dolores. Factum est quod jusserat, & ecce vesicâ exenteratâ repererunt in ea lapidem pondo unciarum sedecim, quæ libram unam faciunt paduanam, quæ drachmas octo pro uncia capiunt una. Hunc lapidem in Aquisterio majoris Ecclesiæ Herbipolensis pro testimonio dictorum repositum conspeximus.

Laurentius de Bibera fit Episcopus Herbipolensis.

Eodem anno duodecima die mensis Maij, quæ fuit feria tertia solemnitate sancti Pancratij Martyris festiva, Laurentius de Bibera majoris Ecclesiæ Præpositus à Capitulo in Episcopum Herbipolensem & Franciæ Ducem Orientalem concorditer electus fuit. Vir prudens, consilis cautus & actione præcipuus, amator Cleri, defensor populi, cultor pacis, omniúmque Claustralium observantiam vitæ Regularis custodientium fautor, promotor, & benefactor singularis: & qui Ecclesiam ædificijs, proventibus & bonis meliorem reddere, quantum cum Deo potest, quotidie non cessat, suâ scilicet prudentiâ & industriâ sine cujuscunque injuria.

Conventus Principum Wormatiæ.

Anno prænotato Conventus Principum in Wormatia magnus fuit, & diu duravit, ubi convenerunt inprimis isti Principes majores: Maximilianus Germaniæ Rex, Imperator Romanorum electus, Bertholdus Archiepiscopus Moguntinus, Joannes Archiepiscopus Treverensis, Hermannus Archiepiscopus Colonienſis, item Archiepiscopus Salisburgensis, qui & obijt in Franckenthal, Philippus Palatinus Comes Rheni, Fridericus Saxoniæ, Joannes Marchio Brandenburgensis, Otho Dux Bavariæ dictus de Mosbach, quoniam ibi morabatur, Georgius Dux Bavariæ cognomento Dives, Albertus de Monaco de Bavaria, Joannes Dux Bavariæ in Spanheim, Alexander Dux Bavariæ Comes in Veldenz, Wilhelmus Dux

Montis & Juliacensis, Reinhardus, quem quidam Galli malè Renatum fingunt, Dux Lotharingiæ, Ericus Dux Brunschvvicensis, Joannes Dux Clivensis, Christophorus Marchio de Baden, Wilhelmus Landtgrafius Hassiæ. Affuerunt & alij plures Episcopi, Principes, Abbates, Duces, Comites, Barones, Nobiles, Civium Regni Oratores, quos omnes nominatim exprimere nimium fieret tædiosum. Neque enim constat nostrâ memoriâ talem fuisse conventum, in quo tot Principes Germaniæ convenerint personaliter.

In eodem Conventu anno prænotato, XIV. die mensis Julij, Maximilianus Rex ornamentis regalibus ex more indutus, & sedens in solio Majestatis loco eminentiori ad hoc fabricato ex tabulato ligneo, in ea planicie urbis, per quam de S. Martino itur ad Carmelitas in suburbanum, circumdantibus inprimis Principibus Electorij Ordinis, ac postea quibusdam alijs, in multa Principum, nobilium, & populi frequentia, quibusdam novellis Principibus Regalia seu feudalia ex antiqua consuetudine postulantibus concessit.

Comes Wirtenbergiæ Eberhardus creatur in Ducem.

Deinde XXI. die mensis Julij, anno prænotato Maximilianus Rex, proprio ut ferebatur motu, ad nullius instantiam Eberhardum seniorem Barbatum Comitem de Wirtenberg virum sciens prudentem, strenuum, & non minus armis, quàm rebus atque divitijs potentem, in publica Principum confessione de Comitum numero in Ducem sublimavit, adhibitis in eo negotio solemnitatibus debitis & consuetis. Ex eo tempore Duces in Wirtenberg ex Comitibus facti Duces gloriosè perseverant usque in præsentem diem.

Multa in eo Conventu tractata sunt contra Turcos & Gallos.

Duravit autem Principum Congregatio, quasi mensibus quinque, & multa in ea tractata fuerunt pro utilitate Regni communi. Inter alia in medium producta fuerunt consilia, quomodo Rex Gallorum pelleretur de Italia, qui plura temerè contra Romanam Ecclesiam, & ejus tentavit Pontificem: & non minus Imperij Jura per Lombardiam & Italiam ubique violavit. De movenda in Turcos expeditione multa fuerunt dicta, multa concluſa, & nihil sequebatur in actu. Cujus fuerit culpa, quid mea interest, qui non judicantis, sed scribentis sumpsi officium? Habebatur etiam consideratio de Cameræ Regalis judicio, in quo unicuique administraretur justitia. Indicta tum fuit consensu Principum generalis quædam contributio per universum Germaniæ Regnum, in subsidium contra Turcos per quinquennium duratura, in qua omnes Religiosi & sæculares, Clerici & Laici, liberi & servi, viri & mulieres, fœminæ viduæ & virgines, quicunque tertiumdecimum contigerat annum, sic per singula capita fuerunt taxati, quod viginti quatuor homines in uno quoque anno contribuerent aureum florenum unum. Et nihilominus quilibet Monachorum Abbas, Præpositus aut Prior localis, clauſtraliúmque Prælatus & singuli pro se in dignitate aliqua constituti solverent unum florenum, præter hoc quoque dare pro subditis & familiaribus tenebantur. Ponamus exemplum: Ego qui tunc Abbas eram in Spanheim, sit quod Monachos conversos atque donatos habuerim viginti quatuor, servos & ancillas, vel etiam præbendarios viginti quatuor, exigebant à me collectores, ne dicam importuni exactores, quolibet anno tres florenos; primum pro me, secundum pro subditis, tertium pro familiaribus, & sic fieret summa contri-

Contributio contra Turcos indicitur.

contributionis meæ per quinquennium floreni quindecim. In primo quidem anno (ut loquar de his quæ mihi sunt nota) in Comitatu Spanheimensi & circumcirca per illam partem Diœcesis Moguntinæ Claustralium simul & Clericorum plures tributum eis impositum solverunt, Laicorum verò nullus dedit vel obulum. Quod considerantes quidam astutiores in Clero, quippiam solvere & ipsi recusarunt, metuentes futurum quod contigit, licet Commissarij pertinaciter instarent. Qui solvit, perdidit, qui non solvit, nihil peccavit, quia contributio per annum sequentem continuata non fuit; & quod primo collectum fuerat, in præordinatum à Principibus usum minimè pervenit.

Monstrum in Burgstatt puellæ duæ infrontibus conjunctæ.

Anno prænotato, decimo die mensis Septembris, in villa Burgstatt non adeò procul à Wormatia mulier quædam pauperis rustici uxor monstrum enixa est, peperit enim puellas duas corporibus, manibus, pudendis, pedibúsque per omnia distinctas, quarum & duo erant capita, ora, nares, oculos & aures habentia distinctim propria. Frontibus autem sibi mutuò cohærebant taliter conpactæ seu concretæ, quod nullâ poterant arte separari ab invicem, quin statim morerentur ambæ. Vixerunt ultra triennium non sine bona stipe parentum, & crebrò cùm altera dormiret, altera vigilabat, alterâ flente una ridebat. Postremò unâ moriente altera supervixit aliquantis diebus, vixissétque diutius, nisi Cadauere sororis putrescente jam etiam fœtore fuisset extincta.

Odenheim Monasterium Spirensis Diœcesis transfertur.

Eodem quoque anno Christophorus de Angeloch Abbas Monasterij Ordinis nostri homo temerarius, ignarus & perditæ præsumptionis, qui ante paucos annos simulato devotionis spiritu Regularis disciplinæ observantiam Ludovico Spirensium Episcopo mediante assumpserat, Fratres ex Hirsaugia duos, ex Gozaugia duos, ex Spanheim duos ad Odenheim Cœnobium suum deformatis tunc omnibus expulsis intromisit, ad obedientiam suscepit, Monasterio incorporavit, & per annos fermè quatuor sicut legitimos Conventuales habuit, hoc anno turpiter expulit, & antiquos deformatos iterum recepit, cum quibus eodem mox anno ab ordine apostatavit. In quem Tetrastichon quidam tunc fulminavit: *Depósui Benedicte tuam rapúique Petrinam Vestem, sic Ditem fallere posse ratus. At mihi nil prodest vestis mutatio, nam me prodit calvities, & mea lingua levis.* Verè mendax dicere potuit, qui me præsente in reformationem sub jurejurando consensit & secundum Regulam sanctissimi P. N. se victurum semper in antea promisit, sed omnia factis & verbis turpiter negavit.

Neuwiler transfertur ab Ordine.

Horum apostatantium Monachorum pravitatis exemplum Abbas in Neuwiler & Monachi sceleratissimi eodem penè tempore sequentes Argentinensium Episcopo (sicuti fecerunt & reliqui) dissimulante Ordinem sanctum, quem fuerunt legitimè professi, cum habitu abjecerunt, facti ex Monachis malis Canonici pessimi, ex mendacibus perjuri, & ex devotis Deo socij & imitatores apostatantium Angelorum. Omnis apostata brevis vitæ, quod verificatum testamur in multis, quorum major pars subitaneâ & miserabili morte interierunt, pœnam suæ temeritati debitam recipientes. Responsum cujusdam viri nobis bene cogniti, quo taxavit apostatam his libet inferre. Cùm ex permissione Apostolica in præsentia Episcopi Argentinensis Commissarius habitum sanctæ Religionis auferret à Monachis memorati Cœnobij, cappam monachalem Abbati primò detraxit,

Abbas apostata facto cujusdam hominis responso taxatur.

traxit, super mensam reponens Rocketum, quod superpellicium nuncupant, ut Canonicus fieret, eum induit. Astabat inter plures ministerialis quidam Episcopi Nobilis, qui mox cappam Abbatis arripuit, & eâ se induens per jocum circumstantibus dixit: *Ecce quàm pulcher ego sum Monachus.* Quod cernens apostata Abbas iucrepavit illum dicens: *Non licet vobis jocari cum his rebus, habitus enim sanctus est, & Deo consecratus Monachorum.* Cui ille dixit: *Quid ergo? habitus sit sanctus, vel non sit, quem nequam abjecit, nequam induit,* se comparando apostatæ non inferiorem. Riserunt omnes hominis facetum responsum.

Eodem anno, Blasius Monasterij venerabilis Abbas novo Duci Wirtenbergensium Eberhardo de consensu & voluntate Conventûs mille florenos præstitit, pro quibus singulis annis Monasterio huic floreni proveniunt. 50.

MCCCCXCVI.

Eberhardus Dux Wirtenbergensium primus moritur.

Anno Blasij Abbatis XII. Indictione Romanorum XIV. die mensis Februarij 25. Eberhardus Dux Wirtenbergensis & in Teck, quem ob multiplices animi dotes atque virtutes Maximilianus Germaniæ Rex anno præcedente, sicut dictum est, Wormatiæ in Comitijs motu proprio cum solemni pompa ex numero Comitum inter Duces collocarat, excoriatione vesicæ, alijsque corporis doloribus cruciatus diem clausit extremum, anno necdum in Ducatu expleto. Cujus corpus ut petierat, habitu Fratrum Ordinis S. Petri, quem ipse ut supra diximus, instituerat, involutum, & ad novum Monasterium ab eo constructum in nemore Schönbach evectum solemni funere sepelitur.

De vita moribus & conversatione Eberhardi.

Fuit autem Eberhardus iste Princeps staturâ quidem corporis aliquantulum brevior, sed magnaminus ad quævis ardua, promptus & imperterritus, consilio providus & cautus, sermone succinctus, moribus omni disciplina principali ornatus, vita & conversatione singulari maturitate venerandus. Ad Deum rectitudine mentis devotus exstitit, in cujus quotidiano cultu nihil eorum, quæ ad quemlibet pertinent Christianum Principem vel optimum, neglexit. Nova etenim templa pro Christi honore suis impensis plura condidit, nec minus antiqua & penè collapsa restauravit. Monachos bonæ, Religiosæque vitæ sectatores in magna reverentia habuit, eorúmque causis, & necessitatibus operam suam gratiosè omni tempore accommodavit. Sacerdotibus Dei & Ecclesiarum honorem pro Christi amore debitum exhibuit, & eorum Privilegia, libertates, immunitates inviolata conservavit.

Malæ vitæ homo non erit bonus Judex.

Quantum ad suam personam pertinebat, vitæ custos erat Christianæ, rectæ atque Catholicæ, Deum timens & recedens à malo, Dei & Ecclesiæ mandatis obediens propriam curavit salutem. Cum vicinis Principibus & Civitatibus Regni, quantum in ipso erat, semper fuit pacificus, atque inter alios dissidentes mediator ad pacem studiosus. Justum & æquum se judicem populo suo in omnibus semper exhibuit, & scienter à via justitiæ nunquam temerè declinavit. Neque passim, quod multi quidem faciunt, quibuslibet in suo Principatu judicandi potestatem commisit, sed viros ex multis elegit pauciores doctos & in Jure peritos, Nobiles quoque moribus & vitâ probatos, non raptores, non fures, non adulteros, non fornicatores, non concubinarios, non defloratores virginum, non usurarios, non vitijs deturpatos publicis, ut populum terræ judicarent. Nam etsi scripturarum

pturarum fuerit ignarus, utpote Principum consuetudine in juventute neglectus, multum tamen conversatione virorum Doctorum & allocutione consueverat delectari. Quâ id fecerit intentione, temerè non judicandum. Inter omnes Germaniæ Principes nostrâ, quos novimus, tempestate, nullus fuit, qui Curiam suam tot viris omnifariam eruditis, promotísque in aliqua facultate doctoribus manuteneret ornatam, ut Comiti Wirtenbergensium aliquo modo videatur comparandus. In Conventibus denique Principum publicis Wirtenbergensium ipse Comes Eberhardus, si ad numerum Doctorum respicias atque nobilium, facilè semper & ubique obtinuit principatum, quorum & consilio Comitatum feliciter gubernavit. Magna in Principe virtus, si aut ipse Philosophus, aut casto Philosophorum consilio Rempublicam sibi moderetur commissam; ut Princeps iste modestissimus fecit, cujus lateri nunquam defuerunt viri Doctores in Theologia: in Jure tam humano, quàm Divino: in historijs quoque & Medicinis peritissimi, quorum valde delectabatur contubernio, & ad varias disputationes eorum studia concitabat. Denique in favorem Doctorum virorum, quos piâ semper mansuetudine amavit, in oppido suo Tubingen universale gymnasium Apostolicâ, ut supra diximus, auctoritate instituit, quod magnificè satis dotavit. Collegiatam nihilominus Ecclesiam in eodem oppido erexit: Monasterium quoque novi Ordinis sui sub titulo D. Petri Fratribus vitæ communis in Schönbach construxit.

Junior Eberhardus fit Dux Wirtenbergensis annis 2.

Post mortem hujus clarissimi Principis Eberhardi Ducis Wirtenbergensium primi, vocatur ad Ducatum à primoribus terræ junior Eberhardus senioris defuncti ex patruo nepos, filius videlicet Udalrici Comitis, qui frater fuerat Ludovici genitoris Eberhardi primi Ducis jam memorati. Is Eberhardus Junior eo tempore profugus vitam extra patriam agebat senioris metu, in quem deliquerat, expulsus: qui proximus hæres juxta dudum concordata vocatus ab incolis venit, Episcopo comitatus Augustensi, & certis nobilibus, à suis jam debito honore suscipitur, Dux & Patriæ Princeps consalutatur. Rexit autem, ne dicam destruxit, Wirtenbergensem Ducatum annis ferè duobus: postea ut dicemus fumositate cerebri agitatus Principatum deseruit.

Dux iste Junior non sedebat inter edendum, sed stabat semper.

Erat ei consuetudo, sicut vidimus, dum cibum caperet, nunquam sedere ad mensam, sed stare semper, si autem aliquando tantisper sedere placuisset, interea cessabat penitus ab edendo, bibere tamen licebat dum voluit. Hunc etiã in mensa Regis Maximiliani & quorumlibet Principum edendi morem servabat. Non erat mihi tanta fiducia, ut causam hujus novitatis ab eo sciscitarer, quia homo fuit inhumano sidere natus, duos tamen à secretis conveni, ut mihi dicerent, quid vanitas ista significaret. Ambo se nihil præter incertam vulgi opinionem habere dicebant. Erant enim viri docti vitâ & moribus integerrimi, & ideò potiùs à remotis, quàm à secretis in curia tenebrionum habiti. Primus opinabatur, quoniam Dux non parum erat ventrosus (ut ego sum) nimium, ne crassitudo excederet, stando potiùs ederet, quàm sedendo. Ad quem ego: *Mà dia, Porci apud nos edunt stantes, ut Dux vester, non sedentes, & nihilominus intrassantur & pinguescunt. Dormiat potiùs stans, edátque sedens, & consummabitur ista, quam tu proposuisti, opinio.* Secundus opinionem suam introducturus dixit:

Porci stantes manducant & pinguescunt ut iste.

dixit: *Sunt qui credant Ducem noſtrum, olim cùm Comitem ageret profugum in terra non ſua, vagúmque & egenum, ſe hoc aſtrinxiſſe voto*: Si pacem, quietem & abundantiam rerum neceſſariarum fuerit aſſecutus, cibum deinceps non capturum ſedendo ut homo, ſed ſtando ut pecus. Riſi non Ducem ſed opinionem, quamquam ſi & illum, non erraſſem, quoniam omnes mihi conteſtabantur Wirtenbergenſes, qui hunc novêre Ducem, quàm in eo verificata fuerit Pſalmiſtæ ſententia dicentis: *Homo cùm in honore eſſet non intellexit; comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Sepelienda ſunt multa non mortua; quis enim tutò ſcriberet omnia maximè his temporibus, quæ perperam geruntur à magnis & potentibus? Ea tamen mihi conſideratio, ut Dei ſervum decet, eſſe debebit, & eſt, in conſcribendis Principum geſtis poſteritatis profectum & ſanctam utilitatem magis quærere, quàm curioſitatem.

Capitulum Ordinis Provinciale xxix. celebratur in Selgenſtatt.

Anno prænotato, Dominicâ quartâ poſt Paſcha, quæ fuit prima dies menſis Maij, celebratum fuit Ordinis noſtri Capitulum Provinciale nonum atque vigeſimum in Monaſterio Sanctorum Martyrum Marcellini & Petri apud Selgenſtatt oppidum Diœceſis Moguntinæ; in quo præſederunt Hermannus S. Jacobi propè Moguntiam, Bernardus in Northeim, Conradus S. Udalrici in Auguſta, & Joannes S. Ægidij in Nürenberga Monaſteriorum Abbates.

Burgenſium apud Stauroneſum oppidum pernicioſa ſeditio.

Eodem anno, facta eſt ſeditio magna inter oppidanos Creuzenach in Comitatu Spanheimenſi, cujus iſta fuit occaſio. Albertus Göler de Ravenſpurg loci præfectus quendam incolam oppidi retruſit in carcerem pro delicto quod commiſerat. Cujus amici querimoniam deferentes ad vicinos, & illi rurſum ad alios, jus civile clamitabant, aſſerentes hominem in oppido commorantem modò fide jubentes dare poſſit, non eſſe incarcerandum, ſed jure contra eum procedendum. His clamoribus concitati animo plures per oppidum diſcurrunt, carcerem violenter confringunt; vinctum auctoritate propriâ, ne dicam temerariâ educunt. Inter clamandum quoque, ut conſuetudo eſt populi furentis, etiam in Principes verba contumelioſa fulminarunt, plus furori concedentes ſuo, quàm judicio rationis.

Ad notitiam res defertur Principum. Seditionis auctores capti reponuntur in carcerem. Poſt dies paucos adveniunt proprijs in perſonis vindictam in eos facturi, qui turbationem ſuſcitaverant, Philippus Comes Palatinus Rheni, Bavariæque Dux & Elector, qui Heidelbergæ apud Budoras morabatur: & Joannes ejusdem generis Comes Palatinus, Bavariæque Dux & Comes in Spanheim, cujus reſidentia fuit in oppido Simeren apud Cynonotos. Producuntur in forum captivi, læſæ Majeſtatis rei judicantur, puniuntúrque ut perjuri, & qui fidem Dominis ſuis juratam temerè violaſſent. Amputabantur quibuſdam manus dexteræ, duo quibus pejeraverant digiti; alij ferro ignito adurebantur in fronte, atque perforatis alij maxillis torquebantur, populo cum Principibus in medio fori proſpectantibus. Nonnulli etiam marſupijs exenteratis, ut Plautus inquit, cruciatus pecuniâ redimebant.

Burgenſium apud Andernach contra præfectum ſeditio.

Anno item prænotato, ſimilis memoriæ ſeditio facta eſt in oppido Colonienſium Archiepiſcopi Andernach Trevirenſis Diœceſis, cujus oppidani contra loci præfectum, quem Hermannus Archiepiſcopus poſuerat,

fuerat, insurgentes, periculosam suscitaverant in populo turbationem. Enimverò dominationem præsidij graviter ferentes conspirant in eum, parúmque abfuit, nisi fugisset in arcem, quin fuisset occisus ab eis. Fuit enim homo severus, immitis & crudelis, duo in se habens quasi generalia Præfectorum vitia, quorum altero marsupium nummis dilatare suum, altero Principis gratiam nanciscì & habere favorem summopere curabat. De Deo, de justitia, de conscientiæ munditia, si quid in eo solicitudinis fuit, locum obtinuit procul dubio in studijs ejus postremum. Novimus hominem cum Poëta intus & in cute, Domino suo fideliter servivit cum injuria plurimorum, sed quo fine, quâ mercede, audiant similes, & Deum timentes ita serviant homini, ut Creatori omnium noverint dare actorum suorum exactam aliquando rationem. Proverbio dicitur: *Principibus fideliter serviendum, sed timidè confidendum.* Diem viximus, quâ memoratus Husmann (sic enim dicebatur) præfectus, qui multis annis Domino suo mortali contra immortalem in pluribus cum injuria pauperum servivit, cunctis ab eo spoliatus est bonis, in carcerem conjectus, in carcere miserabiliter & mortuus. Hoc illorum pro meritis præmium, qui Principes in interitum concitant subditorum. Deus præferendus est homini, & publica justitia privatæ utilitati. Venit Archiepiscopus Hermannus ad oppidum Andernach in manu suorum valida, sumpturus de his qui seditionem commoverant, legum declaratione vindictam; verùm cùm esset Princeps omnium suo tempore mitissimus, Deum timens, & justitiam unicuique cum pietate ministrans, neminem eorum qui fuerant delati, aut membro permisit truncari, aut quovis genere cruciatus in carne torqueri, sed alios in carcere servavit ad tempus, alios pecuniâ taxavit, atque alios in exilium proscripsit, pœnam unicuique moderans juxta modum delicti.

Seditionum Principes extra provinciam proscribuntur.

Anno præscripto, cùm Ecclesia Padelbornensis in Westphallia propter continuas Episcopi ægritudines, senium quoque & varios in corpore morbos grave in utróque statu dispendium pateretur, Canonici ejusdem consilio cum Episcopo maturâ deliberatione habito, Hermannum Colonienſem Archiepiscopum in administratorem suscipiunt, qui Alexandri Papæ VI. auctoritate confirmatus administrator per annos XII. mansit, quibus supervixit.

His quoque temporibus morbus ille turgentium pustularum, quem nullo medicis usitato nomine exprimere possum, à Gallis incipiens per Italos venit in Germanos. Habuit autem suæ infectionis pestiferæ principium in Hispania, ab Hispanis pullulavit in Gallos, â quibus in Italiam profectis contra Regem Neapolis Alphonsum, infecit & Italos, & illi quoque Germanos malorum suorum constituerunt participes. Unde apud Gallos morbus iste nuncupatur malum Hispanicum; apud Italos malum Neapolitanum; & apud Germanos malum Gallicum, aliàs Malfranzos. Est autem mirabilis, contagiosa & nimium formidanda infirmitas, quam etiam detestantur leprosi, & eâ infectos secum habitare non permittunt, metuentes graviori, quam sit lepra, infici morbo.

Morbus Gallicus.

Eodem anno Philippus Archidux Austriæ Maximiliani Regis Germanorum filius annum agens ætatis octavum decimum Patre jubente duxit uxorem, Ferdinandi & Elisabethæ Regum Hispaniæ filiam; cum qua

Philippus Archidux Austriæ annorum 18. ducit uxorem.

vixit in Brabantia, ubi residentiam habebat consuetam annis decem, & genuit ex ea filios duos Ferdinandum & Carolum; quorum alter hodie regnat in Hispania, alter sub tutela Maximiliani Regis avi paterni Dux commoratur in Brabantia.

Anno etiam præsignato, sexta die Maij in oppido Heidelberg, nascitur Otho Henricus decimo tertio genitus Philippi Comitis Palatini Bavariæque Ducis & Principis Electoris, qui puer in innocentia sua mortuus transivit.

Inter Abbatem & Conventum orta dissensio.

Eodem anno magna inter Blasium Abbatem & majorem partem Conventûs hujus Monasterij Hirsaugiensis fuit exorta discordia, quæ loco non parvum in utróque statu dispendium generavit. Erant enim qui pacem inter eos turbabant homines quidam faciles ad detrahendum proximo suo; qui mendacia quædam, ut nos confidimus in Abbatem falsò conficta, circumferebant, non solum inter Fratres, verùm etiam apud sæculares, summo id studio meditantes, ut Abbatem quovis modo possent à sua dignitate Abbatiali dejicere. Credebant falsis delationibus Fratres, & in tantum deceptore omnium bonorum diabolo cooperante crevit dissensio, ut in duas partes unio Conventûs scinderetur. Viri senes consilio maturi & prudentiores de Conventu (non mentior) contra Blasium Abbatem steterunt, causas quidem verisimiliter allegando rationabiles, quas tamen probare nequiverunt. Quid opus est multis, me paucis pro Viri & Fratrum absolvam honore.

Quatuor Abbates deputati eramus ad visitandum per annale unionis nostræ Capitulum: visitavimus, & per viginti continuos dies summis conatibus pro pace laborantes inquietum pelagus revocare ad tranquillitatem nequaquam potuimus. Quid plura? Ut vel aliquantulum cedendo magis quàm resistendo mitigaremus furorem, Abbatem non sine dispendio rerum temporalium ab administratione unius anni tempus suspendere cogebamur, omnem in utróque statu auctoritatem penes Priorem & Cellerarium constituentes. Anno autem transacto iterum visitantes administrationem Blasio Abbati restituimus, & pacem ut licuit reformavimus. Triennio ista duravit turbatio; quousque tandem in se reversi Abbas cum Fratribus rancorem omnem deposuerunt.

MCCCCXCVII.

Monasterium prope Sunsheim transfertur ab ordine.

Anno Blasij Abbatis XIII. Indictione Romanorum XV. Monasterium S. Michaelis Archangeli propè Sunsheim in Kreichgavio Spirensis Diœcesis ab Ordine sanctissimi P. N. Benedicti Alexandro Papâ dispensante ad falsas Monachorum informationes, & Ludovico dissimulante Pontifice Spirensium ordinario loci, transfertur in Collegiatam Ecclesiam sæcularem; cujus Monachi & Abbas vicinorum suorum in Odenheim provocati exemplo, votum S. Religionis Omnipotenti Deo solemniter factum unà cum habitu conversionis suæ turpiter abjecerunt.

Boppardiani se contra Archiepisc. Trevirens. erigunt.

Eodem anno Burgenses oppidi Regalis Boppardiæ juxta Rhenum, quod Ecclesiæ Trevirorum à temporibus Caroli quondam Imperatoris IV. ut supra diximus, usque in præsentem diem dignoscitur impignoratum, quorundam nobilium sibi adhærentium consilio & auxilio animati se contra Joannem Archiepiscopum Trevirensem Dominum suum in utráque jurisdictione unicum contumaciter erexerunt. Nobiles enim terræ

terræ quasdam in Boppardia libertates & jurisdictiones à multis retrò annis in possessione quieta habuerunt, quos Archiepiscopus quorundam consilio seductus inquietare tentavit. At illi Burgensibus juncti Officiales & Vicarios sive Ministeriales Archiepiscopi omnes de oppido ejecerunt, clausisque portis multo tempore ad resistentiam se parârunt, neminem intromittentes, de quo possent habere aliquam suspicionem. Mendicos omnes unâ sententiâ excludebant.

Oppidum Boppardiæ ab Archiepiscopo Trevirorum obsidetur.

Anno igitur prænotato, XXII. die mensis Junij, Archiepiscopus Trevirorum prænominatus conducto exercitu stipendiario Boppardiam obsedit, & per aliquot dies fortiter impugnavit. Nec minus audacter, qui erant in oppido, se defendere conabantur adversum obsidentes. Verùm non erant obsidentibus numero pares, neque poterant aliunde quicquam exspectare salutis; idcirco post maturam deliberationem inter se habitam, oppidum sub certis conditionibus Archiepiscopo duodecimâ die obsidionis suæ tradiderunt: nonnullis ab utráque parte machinarum, seu bombardarum ictibus miserabili morte sublatis. E quibus unum ex militarium ordine novimus Joannem de Schvvalbach virum bonum, integrum, & timentem Deum, qui stabat super murum armatus: vidit bombardista quidam in exercitu, incensóque pulvere lapidem machinæ tam validè in eum jaculavit, quòd superiorem corporis partem ab inferiore divisit, ac si gladio pro lapide usus fuisset. Denique tanta violentia fuit in impetu lapidis expressi, quòd caput eminus projectum per aëra cum parte corporis superioris nunquam potuit inveniri.

Magnam pecuniam Principibus Archiepisc. dare cogitur.

Joannes itaque Trevirorum Archiepiscopus, eos quos conduxerat in adjutorium Principes, pecuniâ remunerare promissâ, mox oppido capto fuit astrictus. Aderat enim Philippus Comes Palatinus cum virorum non parvo exercitu in Cœnobio monialium nostri Ordinis propè oppidum & circa, mansionem & castra statuens. Wilhelmus autem Hassiorum Landtgravius cum magno exercitu ab alia parte Rheni ex oppido Boppardiorum fixerat sua tentoria, & lapides machinis in oppidum mittebat. Aderant & alij Principes, Comites & nobiles multi mercede conducti, quorum solutio marsupium Trevirensis Ecclesiæ penitus evacuavit, & magnam ad inopiam redegit. Magnam siquidem pecuniarum summam in eo negotio exposuit, quoniam uni Principum florenorum triginta millia, alteri viginti millia, alteri verò plus, alteri minus, secundum uniuscuiúsque vel numerum pugnatorum, quos adduxerat, vel impensas quas se fecisse dicebat, persolvere coactus est, & tamen parum emolumenti ex omnibus habuit.

Monasterium S. Jacobi Herbipolense reformatur.

Anno item memorato, XIII. die mensis Julij, reformatum est Monasterium S. Jacobi Apostoli majoris in Suburbanis Civitatis Wirzburgensis transpontem jussione Apostolicâ, Papæ scilicet Alexandri VI. per Laurentium Episcopum Herbipolensem Orientalísque Franciæ Ducem, & Fratres observantiæ Regularis Bursfeldianæ unionis eâdem die de Cœnobio S. Proto-Martyris Stephani fuerunt introducti, qui sine Abbate sub Priore Domino Deo militarunt annis VII. Conrado Abbate memorati Cœnobij S. Stephani ex commissione prædicti Reformatoris Domini Laurentij Episcopi, vigilante super eos, viro per omnia religiosissimo, & in observantia regulæ monasticæ studiosissimo, cujus solicitudine & instantiâ

ego Joannes Trithemius eandem Abbatiam D. Jacobi post annos novem assumpsi, & Spanheimensem cum ingratis Monachis plenam inutilium curarum, meóque proposito penitus contrariam dimisi.

Quæ fuerint causæ moventes Episcopum ad reformationem.

Causa movens ad reformationem dicti Monasterij S. Jacobi præfatum Episcopum Laurentium Deus principaliter fuit, ad cujus obsequium Embricho quondam Wirzburgensium antistes anno Nativitatis Dominicæ MCXL. Indictione Romanorum III. idem Monasterium fundavit, in quo & sanctissimi viri plures per successum temporis claruerunt, qui Omnipotenti Deo in omni pietate mentis & corporis servierunt. Deinde successores eorum paulatim à recto tramite conversationis monasticæ deviantes, & in utróque statu nimium deficientes in profundum malorum delapsi sunt. Ad tantam postremò venerunt inopiam, ut non habentes unde viverent, Monasterium sæpiùs vacuum dimitterent. Nam aliquando Abbas in eo fuit sine Monachis, cum meretricibus consumens, quod reliquum fuerat, aliquando Monachus sine Abbate unus; interdum nec Monachus in eo fuit, nec Abbas, sed scriptor aliquis, aut Laicus Monasterium suo nutu in eo cum uxore, aut concubina sedens regebat. Et hoc non semel contigit, sed pluries, quemadmodum ex eorum libris constat manifestum.

Cœnobium fuit sine Abbate & Monachis.

Anno denique memorato, Philippo Abbate ultimo deformatorum in eodem Cœnobio vitâ defuncto, qui nullum Monachum habuit, Monasterium utpote vacuum, & nulli aliorum jure debitum, Episcopi mansit ordinatione providendum, qui Monachos sicut diximus de bona regulari observantia introduxit. Qui cùm ordinarius sit simul & hæreditario jure fundator, potuerítque suâ auctoritate ordinariâ facere omnia, quæ fecit, maluit tamen consensum Romani, summíque intervenire Pontificis, quàm ut dicerent æmuli tenebrionum defensores Ergasterij, passas injuriam de prostibulo pulsas esse meretrices. Rem in ea reformatione Laurentius fecit antistes, omni dubio remotissimo, gratam Deo, acceptam Superis, Pontificali officio dignam, animæ suæ proficuam, Christianæ Religioni conformem, præsentibus cum honestate utilem, posteris memoriâ venerandam; siquis sentit contrarium, carnem sapit non Deum.

Tutius est reformare Monasteria quàm in sæculum transferre.

O si tam securi essent in suis conscientijs coram Deo, qui Monasteria in Ecclesias cum Monachis transferunt sæculares, quàm hic præsul est noster Laurentius, qui repudiatis deformatissimæ vitæ Monachis, Cœnobium sibi pleno jure subjectum secundum normam S. Benedicti Monachis regulariter viventibus instauravit. Utinam sic fuissent antistites, qui Laurentium præcesserunt, non tot ab ordine sancto Monachi apostatâssent, nec tot nobis essent ablata Monasteria.

Sine commodo suo ra us, qui laudat Monachos apostatas.

Dissimulavit si non consensit Joannes de Nassauvve Moguntinus Archiepiscopus in translatione Monasterij S. Albani, Bertholdus de Hennenberg, in dimembratione Cœnobij S. Ferrucij Martyris in Blidenstatt. Joannes de Grumbach Episcopus Herbipolensis cum Monasterio S. Burckhardi, Rudolphus Episcopus ibidem in translatione Monasterij Camberg. Quid dicam de Ludovico Spirensium Episcopo, sub quo translata fuerunt ab ordine nostro in sæculares Ecclesias Collegiatas Monasterium in Klingenmünster, Monasterium Odenheim, & Monasterium in Sunsheim. Nonne & sub Alberto ex Comite Palatino Argentinensium Episcopo

Episcopo translata sunt nostris temporibus Monasterium in Sels & in Neuvviler? vereor et si fas est, non dubito, sed credo, non Deum esse in causa, quoties Principes in ejusmodi tractationes consentiunt. Triennium est, quòd simia intecta & bellua coronata, regularis observantiæ temerarius & pertinacissimus osor, detestator & blasphemator Abbas Cœnobij nostri Ordinis Murhardt Herbipolensis Diœcesis volens præcedere Monachos in apostatando ad infernum, habito cum eis pravitatis diabolicæ consilio unanimiter concluserunt, ut Cambergensium exemplo, & aliorum similium recederent ab Ordine. Miserunt ergo Priorem suum Conventualem ad Curiam Romanam, qui Bullam translationis ab Ordine falsis narrationibus, ut cæteri similes, à Julio Papa II. impetravit. Res acta innotuit Udalrico Duci Wirtenbergensium Defensori Monasterij, qui Zelo Dei motus & Ordinis Bullam impetratam subdolè, atque repositam in Augusta Civitate Rhætiorum apud Bavaricos præripuit, & impiorum conatus magno fervore penitus impedivit. Comprehensum quoque Priorem, qui Bullam impetraverat, posuit in carcerem, in quo pretium recepit, quod meruit.

Dux Wirtenbergiæ in facto Murhardt laudandus meritò.

Nec eo contentus, Oratores suos ad Laurentium sæpè dictum misit Episcopum postulans ei Ordinarium dari consensum, & mitti Commissarios aliquos de suis ad Monasterium quantocius reformandum. Libenter acquievit Episcopus, quippe cui summè amica est in Claustralibus Observantia Regularis, & nihil magis detestatur in Monachis, quàm si contra normam Ordinis sui vitam ducunt inordinatam. Misit ergo suis impensis duos Abbates & unum à secretis, qui communicato ad invicem consilio Monasterium ad Observantiam quomodo esset reducendum, formam Ducalibus præscripserunt. Itaque non post multos dies Abbas Monasticæ disciplinæ contemptor iniquus deponitur, & cum reprobis Monachis procul foras eliminatur: introducti sunt Fratres de Cœnobio Lorch, qui vitam & observantiam profitentur, & custodiunt Regularem. Utinam sic fecissent Episcopi & Principes supradicti, sub quorum dominio tot Ordinis nostri Monasteria sunt translata, essent procul dubio in suis conscientijs tutiores coram Deo, si reformassent ea per Monachos bonos, quàm quòd malos in Canonicos transire permiserunt.

Cœnobium S. Jacobi ultimâ fuit inopiâ pressum.

Sed historia nos vocat, prosequamur vocantem, & paucula quæ restant, de reformato Monasterio S. Jacobi breviter continuemus. Ingredientibus locum Fratribus de S. Stephano pro reformatione deputatis, tantâ fuit Monasterium inopiâ pressum, ut quod uno die sufficere posset ad victum, præter panem & vinum canonicalis præbendæ majoris Ecclesiæ non haberent. Non erat in Monasterio vinum, non frumentum, non pecuniarum quidquam, sive multum sive parùm, non aliquid omninò quod coqueretur, nec ligna, quibus foveretur ignis ad coquendum. Sed neque utensilia domûs ad quotidianum usum habebantur necessaria, non lectisternia, non mensalia, non mapalia, non manutergia, non scutellæ, non disci, coclearia, non stramenta Fratribus ad nocte quiescendum. Quid multis? Breviter dico totum, si dixero nihil penè fuisse repertum. Hoc unum tamen invenerunt, Cœnobium ære nimis alieno gravatum.

Joannes Hikerich fiscalis & promotor S. Jacobi,

Erat in tempore illo Procurator fisci memorati Pontificis Laurentij Joannes Hikerich, patriâ Franeus Civitate Wirzburgensi oriundus, vir

Deum

Deum timens, & profectibus Monasterij S. Jacobi valdè congaudens. Quidquid enim ex mortuorum testamentis computatione factâ, legatis debitísque solutis uspiam residuum mansit, ex commissione sui Pontificis ad profectum & utilitatem Fratrum & Cœnobij eorundem promtissimâ devotione impendebat. Solicitator ad Præsulem & quoslibet vitâ defunctorum executores ultimæ voluntatis pro Monasterij & Fratrum necessitate relevanda vigilantissimus fuit, quorum causas coram ipso Pontifice Antistite, alioquin loco & Monachis suâ sponte valdè inclinato, summâ diligentiâ promovit. Ejus devotione ac studio dabantur necessaria Fratribus, soluta sunt debita, & pulchrè intrinsecus renovata, varijsque decorata ornatibus, ut hodie videtur, Ecclesia. Unde meritò supradictum Laurentium Pontificem, secundum Monasterij nostri fundatorem habemus, & dicere possumus; cujus fidelissimum in hoc opere sancto Ministrum & Cooperatorem fuisse Joannem Hikerich affirmamus.

Carolus Rex Gallorum VIII. sine liberis moritur.

Anno supra designato, VII. die mensis Aprilis, obijt Carolus Rex Gallorum VIII. sine liberis, anno ætatis suæ XVII. necdum impleto, cujus Cadauer cum magna pompa ultimâ die mensis ejusdem de Ambasia per Civitatem Parisiensem delatum ad Monasterium S. Dionysij cum majoribus suis Ecclesiasticam in eo accepit sepulturam. Uxorem habuit Annam Britanniæ Ducem, quam, ut supra diximus, Ducatûs ambitione rapuerat Maximiliano Regi prius legitimè desponsatam, cum qua tres genuit liberos, qui tamen omnes decesserant infantes. Unde moriturus doluit maximè, quòd filium non haberet, qui succederet in Regno. Et quis novit sensum Domini! si forsan divina in eo Justitia vindicaverit? quia Maximiliano Germanorum Regi desponsatam rapuit, & Margaretham sponsatam sibi virginem ad patrem sine causa remisit?

Alterius sponsam rapuit, suam dimisit.

Ludovicus fit Rex Gallorum XII.

Quo mortuo Ludovicus ejus nominis XII. Aurelianorum & Valesij Dux Mariâ Clivensi matre natus, qui quarto stirpis gradu Carolum contingebat, dum Blesis agit, Rex assumitur: statimque sepulto Carolo Rhemis inungitur, & hodie regnat super Gallos in annum XVI. Mox consensu Alexandri Papæ dimissâ Joannâ uxore legitimâ, quoniam non satis pulchra ei videbatur, Annam Caroli relictam sibi copulavit, dato Joannæ in partem successionis Bituricensium Ducatu.

Maximilianus Rex devastat superiorem Burgundiam.

Interea dum hæc agerentur in Gallia, Maximilianus Germanorum Rex contractis copijs exercitum movit in Sequanos, id est, superiores Burgundos, in alteram Burgundiam impetum facturus. Quod cùm innotuisset novo Regi Ludovico, tumultuarium contra eum misit exercitum, quanquam viribus imparem Germanorum. Concurrentibus tamen in mutuum conspectum partibus atrox bellum committitur, & à Germanis mox Galli superantur, haud paucis eorum interemptis. Verùm instante jam hyeme interpositæ sunt induciæ, quas Treugas vocant.

Joannes Veri Ord. Prædicatorum impugnat Conceptionem B. V.

Eodem anno in Festo purissimæ Conceptionis Beatissimæ Mariæ semper Virginis, quam præservatam ab omni macula culpæ Originalis octavâ die mensis Decembris sancta veneratur Ecclesia, quidam Frater Ordinis S. Dominici Theologus Parisiensis verbum salutis dicturus ad populum in Dieppe oppido Rothomagensis Diœcesis, amplo inter alia boatu clamabat, eandem Castissimam Dei Genitricem non fuisse præservatam ab originali peccato, sed post contractum mox purgatam & mundatam

à Deo

à Deo. Erat ei nomen, qui hoc dixit, Frater Joannes Veri. Ex hac temeraria po itione magnum in populo Dei scandalum fuit secutum, propterea quòd S. Romana Ecclesia, Cardinales quoque, Archiepiscopi & Episcopi, penè omnes Doctores Parisienses, Colonienses, Lovanienses, cum alijs multis simul & Claustralium Regularium Professores cuncti cum toto populo Christiano præter paucos Fratres Ordinis memorati, sentiunt, credunt, docent & prædicant, Beatissimam Dei Genitricem peccato nunquam subjacuisse Originali, sed præservatam & immunem semper ab omni macula delicti tam Originalis quam Actualis in æternum.

Joannes Veri compellitur malè prædicata revocare.

Verùm postquam prædicatio jam dicti Fratris Joannis Veri ad notitiam fuit delata Patrum, Theologicæ facultatis Doctorum Parisiensium, ad eorum examen fuit citatus, & sequenti anno, 16. mensis Septembris propositiones suas publicè revocare compulsus. Denique sub jurejurando coram omnibus promittere coactus est, quòd nunquam deinceps aliter credere, sentire, docere, scribere, aut prædicare debeat, aut velit de Conceptione totius pulchræ semper Intactæ Virginis Mariæ, quàm eadem Schola Parisiorum determinavit, quæ præservatam non dubitat credere, sentire, ac prædicare, quemadmodum anno sequenti latiùs dicetur.

Albertus Saxoniæ Dux devastavit Geldriæ Ducatum.

Anno igitur prænotato, Albertus Saxoniæ Dux jubente Maximiliano Rege magnum pugnatorum congregavit exercitum, & intravit Ducatum terræ Geldriensis, habere tamen Caroli Ducis congressum non potuit, eò quod in oppidis & munitionibus suo more latitaret. Unde rapinâ igne ac ferro devastatâ crudeliter Regione, datisque pauliſper inducijs recessit.

Pro defensione oritur contentio.

Anno superius notato, Abbas & Conventus Monasterij Cistertiensis Ordinis, quod Alba nuncupatur, in Diœcesi Spirensi sub tuitione & defensione situatum Ducum Wirtenbergensium, nescio quâ causâ vel ratione moti, Christophorum Marchionem de Baden in tutorem auctoritate propriâ suscipere non in parvam rerum suarum jacturam præsumentes, ejus vexillum in eminentiori loco ipsius Monasterij publicè fixerunt. Quæ novitas cùm ad aures Eberhardi Ducis perveniſſet secundi, volens ille Jura suorum inconvulsa servare majorum, anno prædicto, 15. die mensis Decembris cum 500. peditibus simul & nonnullis equitibus ipsum Cœnobium potenter intravit, vexillum Christophori Marchionis Badensis erectum temerè dejecit. Diu res postea cum gravi dispendio Monasterij apud quosdam Principes Regni actitata est, & postremò sub conditione hujusmodi concordata, quòd videlicet Duces Wirtenbergenses, qui pro tempore fuerint, earum Albensis Monasterij villarum, curtium, & possessionum sive rerum debeant esse tutores, quæ sunt in eorum situata Ducatu, & extra nemus in campestribus Suevorum: Marchio autem Badensis earum sit rerum atque bonorum tutor protector sive defensor, quæ in sylvestribus & in suo Dominio sunt.

Blasius Abbas privilegiorum Cœnobij defensor fuit acerrimus.

Eodem quoque anno quidam homo rusticanus & malefactor timens à potestate capi, & ad ultimum supplicium judicari, quò fieret à pavore securus, ad Monasterium præsens Hirsaugiense confugit. Quod audiens Dux Eberhardus Junior, missis equitibus miserum de Monasterio extrahi manu violentâ præcepit. Venerunt ad Cœnobium missi, hominem violenter capientes abduxerunt, qui cùm acceptâ sententiâ mortis ad ultimum jam duceretur supplicium, Abbas vices suas interposuit, postulans à Duce

hominem sibi liberum ad Monasterium restitui, aut pœnam dare, quam privilegium Regale imponit his, qui ausi fuerint immunitatem Cœnobio violare concessam. Quàm primum Dux consilium suorum admittens liberum dimisit hominem, timens & Regem offendere, & pœnam pro facto positam incurrere. Laudandus in his meritò Blasius est Abbas, qui Ducem maluit offendere, quàm Monasterij sui libertatem & privilegium pro viribus non manutenere ac defensare. Similia olim pluries fuêre tentata, mansit tamen semper inviolata libertas.

MCCCCXCVIII.

Wilhelmus Hassiorum Landtgravius ducit uxorem.

Anno Blasij Abbatis XIV. Indictione Romanorum primâ, Wilhelmus Hassiorum Landtgravius senior uxorem duxit Elisabeth filiam Philippi Comitis Palatini, Bavariæque Ducis ac Principis Electoris, annum agentem ætatis quintum decimum, nuptijs apud Franckenfurt Regale oppidum solemni pompâ celebratis. Vixit cum ea duntaxat unius anni spatio, & sine liberis decessit, unde Elisabeth reversa cum sua dote ad patrem aliquanto tempore in statu viduali permansit, & postea nupsit Philippo Marchioni de Baden, Senioris Christophori filio.

Monasterium in Blidenstatt ab ordine transfertur.

His etiam temporibus Eckardus Abbas & Monachi S. Ferrucij in Blidenstatt, Ordinis nostri, Moguntinæ Diœcesis, dispensatione Romani Pontificis Alexandri falsis narrationibus impetratâ, à sancta Religione Monastica recesserunt, votum Deo factum simul & Ordinem cum habitu abjicientes, nullâ translationis suæ causam habentes aliam, quam omnino depravatam sceleribus voluntatem, & odium pertinax disciplinæ Regularis, facti ex Monachis dissolutis Clerici, quales ex similibus fieri solent semetipsis turpiores. Si Æthiops lavando fit albus, & Apostata Monachus erit Canonicus bonus.

Statutum Parisiensium de Conceptione contra Maculistas.

Anno prænotato Professores SS. Theologiæ Gymnasij Parisiensis & cæteri Doctores, quorum interfuit, omnes in unum convenerunt 17. die mensis Septembris, hoc est, alterâ die, quâ Joannes Veri Ordinis Fratrum Prædicatorum Theologus, de Conceptione semper Intactæ Virginis Mariæ in Ambone malè prædicatum revocavit errorem, unanimique constitutione sanxerunt, determinârunt & statuerunt: quòd nullus deinceps dictæ universitati inscribatur, & præsertim in Theologia lectiones auditurus, nisi prius Juramento confirmet manifesto, quòd eam positionem assertæ credulitatis, quæ credit, & sentit & docet Beatissimam Dei Genitricem semper totam pulchram & Intactam Virginem Mariam, ab Originali peccato speciali privilegio Spiritûs S. præservatam, & illi nunquam subjacuisse vel ad punctum, credere velit atque tenere, ac illi adhærere, eámque pro viribus defensare. Erant autem Doctores & promoti in Theologia numero præsentes 82. qui hoc Decretum pro defensione purissimæ Conceptionis Marianæ statuerunt, qui omnes juraverunt, se huic veritati adhæsuros, ut legimus in ipso statuto.

Colonienses & Moguntinenses cum alijs similiter statuerunt.

Horum exemplo provocati Theologicæ facultatis Professores Universitatum Colonienſis, Moguntinensis, & quarundam aliarum, simili pietate moti ad Sanctissimam Dei Genitricem, quam omni laude, quæ non derogat Creatori, noverunt longè dignissimam, Hieremiâ quoque & Joanne Baptistâ tanto meliorem, quanto præ illis nomen accepit dignitatis, quo Mater Dei nominaretur & esset, nec Evâ matre cunctorum mortalium

mortalium inferiorem, quam Divina potentia ex Adæ costa sine originali macula produxerat innocentem, statuerunt in suis Gymnasijs consimilia perpetuò juranda servandáque, ut ad Lectionem Theologiæ nullus admittatur deinceps, nisi juret prius, ut supra.

Conventus Principum fit in Friburgo Brisgaviæ.

Eodem anno factus apud Friburgum in Brisgauia Conventus Principum Maximiliani præcepto, duravit non paucis diebus, in quo multa pro communi Reipublicæ commodo & utilitate fuerunt proposita, plura tractata, nec pauca in diversis negotijs concluſa, de bello videlicet in Turcos movendo, de continuando judicio Cameræ Regalis ante triennium apud Wormatiam satis providè instituto & erecto, de pace firma ubique servanda in Regno, & de coërcendis rebellibus puniendísque latronibus & violantibus pacem. Alia quoque multa fuerunt satis utiliter proposita, quæ utinam fuissent & practicata.

Expeditio Maximiliani Regis adversus Carolum in Geldriam.

Anno præscripto, Maximilianus Rex quorundam Principum suorum præsentiâ simul & copijs adjutus iteratò movit contra Ducem Carolum in Geldriam, exercitum pugnatorum habens ingentem, cepitque nonnullas in ea munitiones, cepissétque forsitan plures, nisi hanc expeditionem propter conjuratorum Suitensium incursiones coactus fuisset intermittere. Enimverò gens illa Suitensium homines nunquam quieti, Rege absente incursiones faciebant hostiles in Comitatum Tyrolanum, & in alia Domûs Austriacæ Dominia eis vicina, propter quod necesse fuit eorum temeritati finem imponere.

Joannes Moërs Comes ultimus sine liberis moritur.

Eodem anno mortuus est Joannes ultimus Comes de Moërs sine liberis, Coloniæ apud S. Pantaleonem nostri Ordinis in absíde meridionali cum suis progenitoribus & clypeo seu gloria Insigniorum sepultus. Post cujus mortem Archiepiscopus Colonienſis, Dux Montensis, Dux quoque Geldrensis & alij Principes, à quibus feudale quippiam habuerat, quidquid hoc erat, ut liberum in Jus suum quisque revocavit, Comes verò de Wieda Moërs Castellum defuncti Comitis obtinuit, in quo & hodie nunc resídet.

Leonberg oppidum Sueviæ comburitur.

Anno item prænotato, Leonberg oppidum Ducis Wirtenbergensium situm in Suevia, casuali quodam sed miserabili casu & igne incenditur, & domus in eo non minus 40. cum stabulis & horreis concremantur, in grave damnum incolarum. Factum est hoc incendium die Simonis & Judæ Apostolorum.

Eodem anno Hieronymus de Ferraria Doctor SS. Theologiæ Ordinis FF. Prædicatorum S. Dominici, vir certè in scripturis eruditus, & qui antehac docendo, prædicando, & suæ Religionis plures per Italiam Conventus reformando, multa bona fecerat, & laudabilem duxerat vitam, postquam Florentiæ aliquandiu miracula & horrenda quædam nova prædicâsset ad populum, & inter alia contra Summum Pontificem Alexandrum VI. linguam vibraret procacem, ob idque libenter audiretur à populo, & ab omnibus haberetur, ut Homo sanctus & Dei Propheta viventis, quippe qui multa in ambone proponebat occulta, quasi ex revelatione Angelica sibi nuntiata, cùm tamen confícta essent, & falsa, tandem Romanam contra se provocavit Censuram. Alexander enim Pontifex audiens, quòd animos Florentinorum contra Ecclesiam sollicitaret Romanam, semel, bis, & tertiò monuit hominem, ut desisteret à malè cœptis,

quem in sua contumacia firmatum atque rebellem tandem fecit ut hæreticum examinari, convictum atque confessum quædam, quæ malè comiserat, ignibus tradi atque concremari. Hujus facti processus quoniam circumfertur impressione vulgatus, hodie paucos esse puto, qui nesciant.

Turci devastant Regnum Poloniæ.

Anno etiam prænotato, Turcorum gens impia cum magno exercitu intravit Poloniam, & in latitudine 5. milliarium crudeliter omnia devastavit igne sæviens, & quidquid extra munitiones erat, aut gladio necavit, aut captivum abduxit, villas incendit, homines & jumenta abegit, plures occidit, & strage factâ miserabili cum spolijs atque captivis multis in sua repedavit.

Sepulchrũ S. Aurelij renovatur.

Eodem anno, Blasius hujus Monasterij Abbas penultimâ die mensis Julij, Tumbam S. Aurelij Pontificis aperuit, ossa ejus cum magna reverentia extraxit, & conspicienda Fratribus ostendit. Deinde Missam de eodem sancto Pontificalibus indutus, debita cum solemnitate cantavit, quâ celebratâ reposuit sacra Busta in cryptam retro summum altare, ubi priùs jacuerat, loco mundato, pulchriúsque ornato schedulam apponens, Fratrum nomina continentem.

Hoc ipso anno idem Blasius tabulam cum picturis & Imaginibus ad altare S. Nicolai Pontificis fieri mandavit, pro cujus perfectione operis florenos 130. ad laudem Dei & decorem Domûs suæ exposuit.

MCCCCXCIX.

Capitulum Ord. nostri Provinciale xxx. celebratur.

Anno Blasij Abbatis XV. Indictione Romanorum secundâ, Dominica III. post Pascha, quæ fuit 21. dies mensis Aprilis, celebratum fuit tricesimum Ordinis nostri Provinciale Capitulum in Cœnobio S. Stephani Proto-Martyris apud Francos in Civitate Herbipolensi, in quo præsederunt Joannes de Spanheim, Andreas Montis Monachorum, Joannes S. Michaelis in Hildesheim, & Thomas SS. Marcellini & Petri Martyrum in Selgenstatt, Monasteriorum ejusdem Ordinis Abbates.

Bellum Suitensium contra Maximilianum Regem.

Eodem anno, in primo mensis Martij, Suizeri Confœderati homines nimium quietis impatientes terminos suæ temeritatis egressi, Domus Austriæ fines incendio & rapina demoliri & vastare hostili præsumptione cæperant. Erat eo tempore Maximilianus Rex in bello Geldrensium, ut prius dictum est, occupatus, qui mox ut conjuratorum molitiones audivit, intermisso Geldrensium negotio cum toto exercitu venit ad Constantiam. Incæperant enim jam sui auxilio Suevicæ Confœderationis motui Suizerorum potenter obsistere. Utrum conjurati justam belli causam habuerint, injustámne, non est meum dare sententiam, qui judicis non occupo locum, sed hoc dico, hoc scribo, hoc litteris posteritati commendo, quod omnes hodie nôrunt, qui nobiscum in Germania vivunt,

Suitensium descriptio.

omnes dicunt, qui mores Suitensium nôrunt, quoniam homines sunt naturâ superbi, Principibus infesti, rebelles, & jam ex multo tempore contrarij, & inobedientes Dominis, contemptores in alijs, usurpatores in semetipsis, in bello subdoli, fraudem habentes amicam, in pace nunquam satis constantes, nec justitiam ipsi, quod jure deberent, sequuntur,

Hoc est laudedignum.

in his maximè, ubi de præsumpta eorum libertate res agitur. Dico tamen, quòd in bello sunt non solum audaces, sed prudentes etiam, & sibi mutuò in omni necessitate fideliſſimi auxiliatores, nec alter alterum in periculo deserit, nec dives pauperem contemnit.

Maximiliano

Maximiliano igitur in urbe Constantiana existente, miserunt ad eum Principes Regni, ut jusserat, auxilium contra Helvetios, alius plures, alius verò pugnatores armatos numero pauciores. Miserunt & cives Regni suppetias in ministerium Regis contra Helvetios, quos omnes numero & viribus liga sive confœderatio Suevica longè superavit; nam & magis Helvetijs erant vicini, & graviori versabantur in periculo. Enimverò si conjurati Suitenses Regnum illo tempore, uti speraverant, evicissent, primi eorum tyrannidem Suevi, ut viciniores, fuissent experti. Convenerunt in eam expeditionem cum Rege Maximiliano contra factiosos Suitenses multi Comites, Barones, Milites & Nobiles, qui conjuratos sine dubio delevissent ad unum, si ordine debito adversum illos processissent. Proverbio námque dicitur: ibi confusio, ubi regnat multitudo: & nunquam diu res bene regitur, ubi plura capita in una Monarchia principantur.

Maximilianus de Geldria venit contra Suitenses.

Consilio inter se apud Constantiam habito, qui cum Rege Maximiliano erant, bipartito agmine moverunt in Helvetios, altero videlicet in Athesi contra eos, qui dicebantur de Confœderatione seu Grisea Liga homines ferocissimos ex montibus Curiensibus adunatos, altero verò ad Rheni flumen à Basilea usque ad Lacum Alemanicum sive Constantiensem. Venerunt itaque in arma duo finitimi populi, atque nunc medijs, nunc secundis, nunc verò tertijs alis, nunquam tamen totis copijs bellatum fuit, licet in diversis locis & conflictibus viginti millia pugnatorum ab utraque parte cæsa referantur. In eo bello conjurati plures munitiones & villas ad Austriæ Ducatum pertinentes incendio penitus destruxerant, multa incolis terræ mala contra Deum & Justitiam inferentes, pro quibus & ipsi non minora receperunt.

Maximilianus Rex devastat superbos Helvetios.

Accesserunt Helvetijs in auxilium sicut diximus, homines de Grisea Liga nuncupati, Rhætiæ superioris, qui & Curienses incolæ, satis bellicosi, eisque parent Abbacellenses, gens rebellis, & à Domino suo proprio Abbate S. Galli transfuga, justitiæ ac pacis inimica, sanguinem sitiens & prædam, quos tamen Suevicæ Confœderationis viri bellicosi haud modicè humiliârunt, igne simul & ferro per circuitum vastantes, damna & cædes plurimas eis intulerunt. Ad ultimum apud Rauracos inter partes durè fuit pugnatum, & multi Suizerorum ceciderunt. Verùm post obtentam de conjuratis victoriam, in tentorijs licentioribus victores de parte Maximiliani depositis armis degentes, dum otio vacant, hoste contempto, Helvetij resumptis viribus, & ex cæde suorum facti animis ferociores, subitò in Regales nil tale metuentes irruunt, & plures eorum hostiliter occidunt. Ceciderunt in eo conflictu ex utraque parte 1500. viri, inter quos fuerunt in parte Regis occisi Henricus Comes de Fürstenberg, Wickert Comes de Bitsch, & Baro de Castelvvartt, cum alijs ex militari ordine viris multis & in armis exercitatis.

Liga Grisea i. e Curienses fuerunt exparte Conjuratorum.

Anno prænotato, 29. die mensis Augusti, quæ fuit decollatione B. Joannis Baptistæ solemnis, Galeatij Mediolani Ducis Orator & Vicarius, qui propterea missus fuerat à Domino suo, ut pacem & concordiam inter Maximilianum Regem & Suizeros conjuratos reformaret, post multos tandem labores apud Basileam Germaniæ civitatem inter eos pacem, composuit. Huic negotio exparte Regis interfuit Casimirus Marchio

Concordia Basileæ facta inter Maximilianum & Suitenses.

Brandenburgensis, Philippus Comes in Nassavv, Paulus de Liechtenstein miles, Paulus de Absberg, & Cyprianus Sarentinus à secretis Regius. Et hic tandem post mensem quintum cessavit ista miseranda populorum commotio, in qua sicut dictum est, plusquam 20000. hominum perierunt.

Hæretici Bohemi & Conjurati Helvetij quid sunt in Regno?

Duæ sunt in Germania gentes, quæ cladem aliquando pernicioſissimam regno allaturæ videntur, nisi Omnipotens DEUS providentiâ suâ frenum imponere dignetur maxillis eorum. Utraque serpit, ut morbus cancer nimium contagiosus, utraque quotidie dilatat terminos suos; altera corrumpendo Sacrosanctam fidem Catholicam, altera insidiando Germaniæ Regno non minus quàm Imperio, quæ ad hoc intendit principaliter, ut extinguat omnem justitiæ principatum. Duo hic, ut scriptura loquitur, in mundo sunt gladij & sufficiunt, alter spiritualis in manu Romani Pontificis, alter sæcularis in manu est Imperatoris. Vide nunc quemadmodum hæretici, qui sunt in Bohemia, Romani Pontificis auctoritatem despiciant, & suas hæreses paulatim in Moravos, & vicinas illis Regiones plantare non desistant. De his paulò superiùs tempore Sigismundi & Concilij Constantiensis, qui sint & quales, quantúmque gladio noceant spirituali, satis nos dixisse meminimus. Sed vide etiamnum, quid agant isti Helvetij conjurati Suitenses, quid intendant, & quorsum feratur eorum incorporata superbia, qui temporalem gladium & Regni & Imperij non minus extinguere cupiunt, quàm Bohemi hæretici sanctam auctoritatem Papæ. Cerne, precor, & considera, in annis, quibus nostra potest reminisci memoria, quemadmodum gens illa terminos suos dilatavit, in Germanici exterminium Regni; Basileam (quis nesciat?) urbem Regiam suis implicuerunt conjurationibus (& si dici fas est) conspirationibus apostatam & perjuram fecerunt. Constantiam nisi cum suo Pontifice constantem toties solicitatam jam diu similiter decepissent. Argentina Civitas regni vigilans esto, in te sunt oculi conjuratorum, ut perjures. Væ tibi Culmaria, & nemus Franci Hegenonis, Rodopolis à conjuratione perfidorum non erit immunis. Quid expectabimus, nisi ut præeuntes ad interitum sequatur Neometis, & quidquid in circuitu est Budarorum. O Wangionopolis altero claudicans pede à primo introitu Palestinæ salutis, in illo tempore claudicabis, imò trunca jacebis utróque. Jam in te seminarium est mali, quod concupiscis. Non cessabit in libertatem superbia, donec aut Regni Principes cum tempore & successivè exterminet omnes, aut exterminetur ab eis. Quiescere non potest, nescit mensuram, stare penitus ignorat, augetur vel minuitur semper.

Hæretici Papam, Conjurati Suizeri contemnunt Imperatorem.

Helvetij nunquam suis terminis erunt contenti.

Serpit ista lues ut cancer, Principibus cavenda.

Anno prænotato facultas Theologica Universitatis Almæ Coloniensis statuit, sanxit, atque decrevit Constitutione firmâ & perpetuâ, sentiendum, credendum, docendúmque, ac pro viribus ubique defendendum ab omnibus sibi membris jam suppositis & in futurum supponendis, quod Beatissima Dei Genitrix semper Immaculata Virgo Maria præservata fuerit ab omni macula culpæ sive peccati Originalis, munere Pietatis Divinæ singularis, & quòd nunquam peccatum contraxerit, vel habuerit etiam ad brevissimum instans. Quicunque huic Positioni maturâ deliberatione factæ contra sentire, facere aut docere in antea præsumpserit, ab ipsa sit Universitate seclusus, omnibúsque privilegijs, emolumentis & libertatibus

libertatibus ejus in perpetuum privatus. Item placuit adjicere & hoc, ut nullus deinceps admittatur, in Theologia studens, nisi prius juraverit hoc statutum de Conceptione servare illibatum.

Wilhelmus Hassiorum Landtgravius sine liberis obijt.

Eodem anno moritur Wilhelmus Hassiorum Landtgravius, qui filiam Philippi Comitis Palatini Elisabeth, ut priori diximus anno, habuit uxorem sine liberis. Unde mulier 16. annorum redijt ad patrem, & post annos paucos Philippo nupsit Marchioni de Baden, quod sæpè diximus. Huic Wilhelmo in Hassiorum Principatu successit patrui ejus minor filius ejusdem nominis Wilhelmus, homo tyranno similior quàm Principi, sicuti nos, prôh pudor, experientia docuit in bello, quod contra Palatinum Comitem jussu Regis postea egit Maximiliani. Hujus frater æquè Wilhelmus natu major infirmus detinebatur in custodia clausus.

Alter Wilhelmus defuncto successit.

Post mortem senioris Wilhelmi Hassiorum Landtgravij uxore ad patrem, sicut diximus, reversâ, magnæ inter Philippum Comitem Palatinum genitorem puellæ, & Wilhelmum juniorem Landtgravium fuerunt exortæ discordiæ ratione dotis mulieri adscriptæ dudum à marito. Nam Palatinus loca & oppida dotis in usum filiæ conservanda, quam diu viveret, habere voluit. Sed Landtgravius pertinaciter contradixit, asserens, sibi licere pecuniâ redimere dotem puellæ assignatam. Duravit ista pernicioſa contentio annis quinque, & tandem post belli finem, quod sequebatur, fuit extincta.

Inter Palatinum & Landtgravium dissensio.

Anno prænotato, nonâ die mensis Septembris, quæ fuit altera post Festum Nativitatis Beatæ Mariæ semper Virginis, Clerus Wormatiensis propter multa, ut asserebat, gravamina, quibus molestabatur à civibus, propriâ sponte de Civitate sunt egressi, & decem annis foris manserunt. Canonici majoris Ecclesiæ secesserunt ad oppidum Laudenburg, ubi residentia est Episcopi. Canonici autem Beatissimæ Virginis ad Oppenheim, & illi de S. Martino ad Peterstein secundum antiquitus introductam consuetudinem. Cives autem cum summa diligentia per totum illud decennium portis urbis continuam adhibuêre custodiam, ne quis Clericorum, qui fuerant egressi, denuò haberet introitum. Erant ergo decem annis Ecclesiæ sine ministris, domus Clericorum vacuæ atque desertæ, & populus sicut oves in montibus errantes. Plebani tamen & Fratres Ordinum mendicantium in civitate remanserant. Clerus itaque mox ut de civitate fuerunt egressi, curam pro defensione libertatum & privilegiorum suorum habentes, actionem contra cives instituerunt coram Judice Apostolico, quo in contumaces ferente sententiam, Wormatienses aliquamdiu fuerunt anathematizati, interdicti, & execrationi suppositi. Multi Principes inter eos pro concordia sæpius laborârunt, sed erat durum contra durum, quorum neutrum alteri cedere novit. Tandem elapso decennio sub contentione partium continua, non sine magnis expensis earundem, Friderico Duce Saxonum intermediante reformata est pax, ut suo loco dicemus.

Clerus de Wormatia exijt, & decennio foris mansit.

Cives Wormatienses fuerunt excommunicati sæpius.

Eodem quoque anno, Sabina filia Bavariæ Ducis Alberti, desponsatur Udalrico Duci Wirtenbergensium, annum ætatis agenti undecimum, quorum nuptiæ post annos duodecim apud Stutgardiam fuerunt celebratæ, ut ibi dicetur.

Sabina desponsatur Udalrico Duci Wirtenberg.

Anno

Heidingsfeld venditur Ecclesiæ Herbipolensi.

Anno supra notato, in diebus hebdomadæ Pentecostes, facta est seditio inter Senatum & Burgenses Communitatis oppidi Heidingsfeld, præsente Domino eorum Christophoro de Guldenstein Bohemo, cujus causa fuit exorta turbatio. Communitas enim recognovit & suscepit eum ut verum Dominum suum, sed qui erant de consulatu, jugum dominij ejus cupientes excutere, Marchionem Brandenburgensem Fridericum sibi ut Dominum proclamabant. Quid plura? sive traditione suorum, quod ipse constanter asseruit, sive motu proprio (nihil meâ interest) Christophorus à Marchione capitur, & aliquandiu captus detinetur. Liberatus tandem, & rebellium præsumptionem temerariam non immeritò detestatus, oppidum Heidingsfeld Herbipolensi Ecclesiæ vendidit.

Mediolani Dux fugatur à Ludovico Rege Gallorum.

Anno item præscripto, in mense Septembri, Ludovicus Gallorum Rex duodecimus cum magno exercitu, faventibus sibi Januensibus, Legatis quoque Apostolicis simul & Venetis, Sabaudianis, & Mantuanis Longobardiam ingreditur, & Duce fugato Mediolanum sexto die mensis Aprilis cum ingenti pompa intravit, & tam à Clero quàm à populo honorificè susceptus, liberator patriæ salutatur. Ludovicus autem Sfortia Dux cum Ascanio fratre Cardinale, sublatis prius thesauris à facie ejus fugerat, & veniens cum duobus filijs suis ad Regem Maximilianum in Inspruck ibi mansit ad tempus. Rex autem Gallorum Duce fugato non solùm Mediolanum, sed totum Ducatum brevi obtinuit, & ab omnibus Longobardiæ incolis sine resistentia susceptus fuit. Inde progrediens Romam pervenit, & ulterius movens exercitum contra Neapolim ire decrevit. Interea Rex Angliæ fines Gallorum bello devastare cæpit, quâ necessitate compulsus Rex Ludovicus rebus per Longobardiam compositis, & præsidijs ubique locatis, per Sabaudiam mense Decembri in Galliam revertitur.

Rupertus Comes Palatinus ducit uxorem.

Anno prænotato, carnis-privij ultimâ, quam ab introitu Missæ: *Esto mihi*, nuncupant, Rupertus tertiogenitus filius Philippi Comitis Palatini Bavariæque Ducis annum agens ætatis octavum decimum uxorem duxit filiam Ducis Georgij avunculi sui, Romano Pontifice Alexandro dispensante, nuptijs Heidelbergæ cum ingenti pompa celebratis, decimâ die mensis Februarij. Vixit cum ea in septimum annum, & relictis duobus liberis quasi uno tempore obierunt.

Catharina Comes Palatina nascitur.

Eodem anno quartadecimâ die mensis Octobris, Heidelbergæ nascitur Catharina quartodecimò genita Philippi Comitis Palatini, Bavariæque Ducis, ac Principis Electoris, quæ hodie Monialis est nostri Ordinis in Cœnobio Neuenburg propè oppidum Heidelberg. Post quam uxor ipsius Palatini cessavit parere.

Adam Abbas S. Martini Colonienſis moritur feliciter.

Anno memorato, penultimâ die mensis Februarij, obijt Adam Abbas Monasterij S. Martini in Colonia de oppido S. Wendelini Treverensis Diœcesis oriundus, vir sanctissimæ conversationis, & Regularis Observantiæ nostræ Bursfeldensis cultor ferventissimus & propagator insignis, qui non sine multis laboribus, periculis & impensis plura Ordinis tam Monialium quàm Monachorum per Diœcesin Colonienſem & Trajectenſem reformavit Cœnobia, quorum incolas ad melioris vitæ semitas verbo & exemplo revocavit. Non fuit nostrâ ætate similis illi cujuscunque etiam Religionis alius, nec surrexit post eum quisquam usque in præsentem

diem

diem, tam Zelosus amator, custos & reformator disciplinæ Regularis in se sibique subjectis. Unde plurium fuit pater & visitator Monasteriorum in urbe Colonienſium simul & extra, non solùm nostri Ordinis, sed etiam aliorum ex commissione Archiepiscopi. Erat vir conversatione sincerus, maturus & integer, conscientiâ purus, in jejunio strenuus, in oratione devotus, atque die simul & nocte penè continuus. In docendo eruditus, in exhortando validus, in consolando firmus & efficax, in monendo solidus, in corrigendo mixtâ pietate severus. Nemo illum unquam reperit otiosum, nemo vidit levem aut dissolutum, verbum ex ejus ore nunquam audivi otiosum. Sacræ lectionis, quocunque proficiscebatur, secum ferebat libellos, & frequenter dum potuit, aut ipse aliquid ædificationis legit, aut Capellanum suum vel Notarium audivit legentem. Erat enim satis doctus, tam in Jure Canonico, quàm in divinis scripturis, quod ex lucubrationibus lector facilè intelliget. Inter quos libellus est prænotatus tali inscriptione. *Sermo Magistralis de S. Benedicto*, incipiens, *Ego in innocentia mea ingressus sum.* Multa scripsit monita salutis ad sibi commissos. De hujus viri operibus inferam vel unum, quo ejus integritas posteritati fiat manifesta.

Conversatio hujus Abbatis sancta & integerrima fuit.

Est Cœnobium Monialium in Colonia nostri Ordinis, ad S. Agatham nuncupatum, in quo fuit Monialis una, quam dæmonium multis & varijs modis tribulando vexavit, aliquando visibiliter in specie viri æthyopis, tauri, lupi, aut alterius monstri apparens, aliquando invisibiliter terrendo eam, & in terram elidendo, trudendo & percutiendo miserabiliter & enormiter valdè. Pro qua Sorores cùm orationes, jejunia, & disciplinas facerent ad Deum, & nihil proficerent, in magna turbatione fuerunt. Quanto enim plures orabant, tanto miseram dæmonium crudelius vexabat. Unde custodiam ejus necessariò habentes die ac nocte circa eam vigilare cum timore maximo coacti sunt. Quoties illa dæmonium vidit, mox tota contremuit, sed nihil præter motum seu collisionem patientis cæteræ poterant videre Sorores. Tam violentum erat dæmonium illud, quod patientem de manibus quatuor Monialium tenentium eam aut excussit, aut omnes simul impulsionis violentiâ in terram prostrârit.

Dæmonium per Censuram expulit.

Postremò ubi nihil profecerunt quæcunque adhibita remedia, prædictus Adam venerabilis Abbas, cujus providentiæ & solicitudini memoratum Cœnobium fuerat commissum, se judicem negotio exhibuit, atque dæmonium illud per verba simul & litteras citavit, ad certum terminum ut compareret, dicturum coram eo, quo Jure Dei famulam tribularet. Inde non comparens præfixo in termino, iterum litteratoriè, ut consuetudinis est, monuit, & Censuram Excommunicationis contumaci minatus fuit. Cùm verò nec sic quidem compareret dæmonium, sedens pro tribunalibus Abbas, ut judex, hanc tulit sententiam in scriptis. *Nos Adam Abbas Presbyter & Servus Omnipotentis Dei Patris & Filij & Spiritûs Sancti. Quoniam Dei auctoritate ipsius omnium Conditoris te spiritum, quicunque es, qui hanc famulam coram astantem toties vexare ac tribulare præsumpsisti, citavimus, monuimúsque, ut nostro compareres judicio, allegaturus causam, si quam haberes adversus eam, alioquin ad intelligendum te Censuris nostris involvendum, si non discesseris ab ea. Tu autem comparere despiciens, nihil in ea te Juris habere patenter ostendis. Idcirco auctoritate Omnipotentis Dei Patris & Filij & Spiritûs Sancti, & totius*

Abbas citat dæmonium.

Sententia in dæmonem contumacem.

Ecclesiæ mandamus & præcipimus tibi, quatenus mox post promulgationem hujus sententiæ ab hac Dei famula, & toto isto Cœnobio recedas, & deinceps redire non præsumas, sub pœna Excommunicationis latæ sententiæ, quam (si nostris mandatis feceris contrarium) in te ferimus in his scriptis. In cujus rei fidem propriâ manu subscripsimus. Ab illa die recessit à Moniali dæmonium, & amplius eam non vexavit, sicuti ex ejus ore audivimus, & cæteras Moniales omnes unanimiter contestantes. O virum sempiternâ memoriâ dignum, cujus Imperio dæmones exire compelluntur.

Historia dæmonum horribilis cum Monialibus facta.

Libet his, qui post nos futuri sunt, terribilem commendare historiam; quam ex ore præfati Abbatis accepimus, qui vidit, interfuit, & audivit eam fieri simul & factam. Est Monasterium quoddam Monialium in partibus Frisiæ, in quo ante paucos annos dæmones visibiliter apparentes tantâ importunitate molestârunt ipsas Moniales, ut neque die pacem haberent, neque nocte. Ascendere per fenestras in specie juvenum videbantur, & saltare in dormitorium, & per cellas discurrere singulas: dormientibus se conjungere, atque in stratis jacentibus vim inferre turpitudinis non cessantes. Igitur his malis incipientibus territæ nimium Moniales, quædam relicto Cœnobio ad parentes & cognatos abierunt: reliquæ autem in Monasterio permanentes à dæmonibus obsessæ sunt omnes. Jam deinceps miranda cum eis fecerunt apparentes nihilominus inter eas tanquam visibiles in diversis figuris, virorum, canum, ursorum, simiarum, aliarúmque diversarum bestiarum, & inaudita turpitudinis coram eis & cum eis commercia exercebant. Postremò autem taliter intus & foris sunt ludificatæ Moniales, quòd & certis intervallis ipsæ dæmones esse putarentur (*ut ita dixerim*) incarnati. Conveniebant more consueto ad Chorum: horas confusè ululando magis, quàm canendo faciebant Canonicas: Missam tamen ad finem cantare minimè potuerunt, dæmonibus vocem interrumpentibus. Quotiescunque enim Missam cantare solebant, omnia satis compositè & ordinatè faciebant sine confusione usque ad *Sanctus* exclusivè. Mox verò ut canendo pervenissent ad *Sanctus*, humanas voces mutârunt in diabolicas, mixtim ululando & horribiliter clamando, non uno sed vario modo atque confuso, cum tanto horrore, quòd nemo sine maximo eas timore poterat audire. Cadebant in pavimentum spumantes, & volutabantur sicut porci, quarum vocem emittebat quasi lupi una: alia ut canis: atque singulæ singularum bestiarum more clamabant: ita quòd nemo poterat dubitare, quin dæmonum voces essent non humanæ. Nec quisquam fuit tam magnanimus, qui hos clamores audire sine maximo horrore potuisset. Missâ tandem celebratâ, quieverunt à vociferando, & similes dormientibus jacebant ad horam. Postea in se reversæ, quasi nihil passæ incolumes & sanæ mentis videbantur. Non enim continuè, sed per intervalla insaniebant. In Missa tamen semper à *Sanctus* vexabantur inclusivè usque ad finem. Unde perturbati Sacerdotes Missam coram eis celebrare nullus audebat. Sive enim legeretur Missa coram eis, sive cantaretur, idem semper patiebantur ad *Sanctus*.

Dæmones ululabant per Monialcs.

Frater Ord. Minorum Missam coram eis celebrat.

Audiens quidam Frater Ordinis Minorum de Observantia hanc miserabilem novitatem, curiositate ductus voluit experiri veritatem, & veniens ad Cœnobium, Missam cantare in Monialium præsentia cœpit. Respon-

Resonderant celebranti modestè, & canebant ordinatè, quoúsque Præfatione finitâ *Sanctus* diceret in altari. Tum subitò Moniales pro cantatione fletus, ululatus, latratus tam diversos, tam varias & horribiles voces emittebant, quòd frater ille celebrans penè desperâsset semetipsum in altari. Cùm difficultate magna & timore incredibili Missam legendo continuavit: quâ finitâ dixit, in tanta se anxietate fuisse, in quali vel quanta nunquam fuerit in omni vita sua: nec aliter sensisse, quàm si totus exercitus adfuisset inferni: nec se pro toto mundo velle denuò Missam coram eis celebrare.

Contigit post hæc, memoratum virum venerabilem Abbatem S. Martini causâ Visitationis per Diœcesin Trajectensem venire ad partes illas, & inter plura Monasteria etiam illud visitare Cœnobium, in quo dæmones dictas vexabant Moniales, qui rogatus ab incolis loci, conjuravit eos, & præcepit, ut causas dicerent, quare Deus permiserit eis tantam sæviendi potestatem in Moniales? Cui dæmonium respondit. *Causa peccatum est.* Cæpit nonnulla Monialium revelare delicta, quæ melius est silentio transire quàm scribere, cùm nihil ædficet si sciatur, sed noceat potius infirmis.

Adam Abbas S. Martini conjuravit dæmonium.

Anno prænotato, Blasius hujus Monasterij Abbas novam domum frumentariam construi fecit in Herrenberg oppido, impensis ducentorum florenorum, ubi ante annos octo & aliam pro simili pretio, ut supra diximus, ædificaverat. In Castro Stamhem eodem anno fecit novam domum, pro cujus structura exposuit centum quinquaginta nummos auri Rhenenses. Ad altare quoque S. Sebastiani Martyris in Ecclesia Monasterij majoris tabulam eodem anno fieri mandavit, pro qua centum florenos exposuit.

MD.

Jubilæus Romæ celebratur à Papa.

Anno Blasij XVI. Indictione Romanorum tertiâ, Alexander Papa sextus annum Remissionis (quem Jubilæum Hæbrei nuncupant) Romæ celebrat: ad quem continuè durans toto anno maximus hominum concursus ex Germania & Anglia Ungariáque præcipuè factus est. Currebant viri & mulieres, viduæ & virgines, monachi & moniales, senes & juvenes, rustici & nobiles, divites & pauperes, cum tanto fervore, cum tanta devotione & alacritate, quod mirum fuit, remissionem suorum consequi peccatorum cupientes. Non curabant Obedientiam Claustrales, sed multi absque licentia suorum Fratres Romam currebant & Sorores.

Jacobus de Baden fit Coadjutor Archiepisc. Trevirorum.

Eodem anno Joannes Archiepiscopus Trevirorum Jacobum ex Marchionibus de Baden Christophori filium in Coadjutorem de consensu majoris partis Canonicorum assumpsit: quem Alexander sextus sub spe successionis in Archiepiscopatu confirmavit. Decanus autem majoris Ecclesiæ cum alijs Canonicis quatuor, se contra Jacobum erigentes nitebatur Confirmationem hanc Papæ, quantum ad successionem pertinet, varijs modis impedire, sed non potuerunt. Prævaluit enim Jacobus, & Joanne post triennium mortuo Archiepiscopus factus est, licèt non diu supervixerit.

Modon Civitas in Morea Christianorum, capitur à Turca.

Anno prænotato undecima die mensis Julij, Bagiasith Rex Turcorum in propria persona Modon urbem Græciæ pulcherrimam & opulentissimam, quæ fuit sub dominio Venetorum, obsedit, habens in exercitu suo centum millia pugnatorum, quam triginta diebus fortiter impugnans, tandem nonâ die mensis Augusti expugnavit, & Deo permittente obti-

nuit, in qua multa Christianorum millia crudeliter interfecit. Fuit autem Civitas Modon Archiepiscopalis Christianorum; quanquam & multi essent in ea de fide S. Pauli Apostoli, qui nuncupantur de cingulo, sita in Morea, & in finibus seu angulo Achaiæ. Morea præter unum exitum strictum ab omni parte circumsepta est mari.

Conventus fit Principum in Augusta.

Eodem anno Conventus fit Principum in Augusta Rhætiorum, in quo & Rex Maximilianus cum multis Principibus personaliter comparuit. Plura denuo fuerunt proposita, tractata & concluſa, & præsertim de expeditione in Turcos; quæ tamen mansit in suspenso usque in præsentem diem. Generalis etiam contributio pecuniarum pro necessitatibus Regni communis fuit indicta: sed unoquóque suos nimium tondente subditos, non habebant pauperes, unde solverent.

Soror quædam Lucia Christi stigmatibus insignita.

Claruit his temporibus apud Italos in Civitate Ferrariensi Soror quædam Virgo nomine Lucia, de tertia Regula S. Dominici Ordinis Fratrum Prædicatorum, Dominicæ Passionis meditatrix devotissima, quinque vulneribus, sive stigmatibus Crucifixi Salvatoris instar visibiliter insignita. Quæ etsi continuum sentiat eorundem vulnerum dolorem, quartis tamen & sextis ferijs per amplius cruciabatur. Hæc in ea stigmata multi notabiles viri palpârunt & viderunt, qui testimonium miraculo perhibent, & confitentur veritatem.

Cruces apparuerunt in vestibus hominum.

Anno prænotato Cruces apparuerunt in lineis vestimentis hominum in camisijs, in linteaminibus, in mensalibus, in peplis mulierum, in albis Sacerdotum, & Corporalibus, non solùm in his, quæ in quotidiano habebantur usu, sed etiam in illis, quæ abscondita jacebant in cistis, ad quæ nullus poterat aëris penetrare influxus. Cæperunt autem inprimis apparere circa Rhenum, ac deinde per totam Germaniam, in Suevia, in Francia Orientali, in Bavaria, in Austria, in Bohemia, in Saxonia, in Dacia, in Polonia, in Hollandia, in Brabantia, per Galliámque totam; non sine timore & horrore magno mortalium: subitò & insperatò apparuerunt, ut cadere quodammodo putarentur de cœlo, ita quod aliquando cum *Salve Regina* cantaretur in Ecclesia, XL. vel L. homines insigniti Crucibus subitò viderentur, maximè in peplis mulieres. Erant autem Cruces parvulæ, confusi & subrubri coloris, ac si pannus aliquâ pinguedine mixti coloris fuisset intinctus. Non poterant aliquâ lotione deleri, sed post nonum diem ut plurimùm per se evanescebant. In quibus etiam cum Crucibus magnis apparuerunt multæ Cruces parvulæ, characteres in modum græcarum litterarum, clavi quoque, lancea, spinea corona, virgæ, flagella, & reliqua Dominicæ Passionis insignia, erátque videre terribile miraculum. Astantibus enim in Ecclesia Canonicis apparuerunt in Rocchetis eorum, simul & in pallis Altarium, & præsertim in peplis mulierum, non omnium, sed quarundam, & solùm in lineo. Magna mortalitas has Cruces secuta est.

In lineis pannis tantùm apparuerunt.

Caput S. Annæ à Moguntia furtivè transfertur in Duren.

Anno præsignato, Canonici Ecclesiæ S. Stephani Proto-Martyris in Moguntia, turrim ipsius templi, ut hodie cernitur, in altum erigentes, habebant artificem inter alios artifices lapicidam unum, qui multis diebus pro diurna mercede in ea structura laboraverat. Is argenteam imaginem pectoralem, in qua cerebellum erat S. Annæ Matris Deiparentis Intactæ Virginis Mariæ furatus cum ipsis reliquijs auffugit, deveniénsque ad Duren

cem oppidum Ducatûs Juliacensis in Diœcesi Colonienſi, ſacrum verticem cum argento Eccleſiæ ibidem Parochiali donavit. Acceperunt Durenſes furtum cum gaudio magno, & ſacras Reliquias in honore maximo habere cæperunt, ſummóque venerantur uſque in præſentem diem. Statímque fit magnus populorum concurſus non ſolùm de vicinis locis, ſed etiam de remotioribus, qui haud parvas conferunt oblationes.

Durenſes nullâ poſſunt inducí ratione, ut Caput reſtituant.

Canonici autem memoratæ Eccleſiæ S. Stephani multos labores & expenſas pro ſanctiſſimi Capitis reſtitutione fecerant, ſed Durenſes citati ad Regem Maximilianum, ad Raymundum quoque Cardinalem Apoſtolicæ Sedis Legatum, excommunicati etiam nihil curaverunt, nec unquam induci poterant, ut Caput tantum redderent, quod furtivè ablatum eſſe ſciebant.

Ludovicus Dux in Galliam ducitur captivus.

Anno etiam prænotato, Ludovicus Sfortia Dux Mediolani contracto mercenario exercitu Conjuratorum Suitenſium & aliorum, intravit in Longobardiam, & recuperavit Mediolanum. Inde converſus Novarienſem Civitatem obſedit, impugnavit & cepit. Contra quem Gallorum exercitus in magna veniens potentia eum cum ſuis in urbe obſedit. Erant in utróque exercitu plures conjuratorum Suitenſium mercede conducti, qui ſibi mutuò congredi recuſantes, grande malum Duci paraverunt. Cùm enim contra Fratres ſuos pugnare grave ducerent, Gallus Civitatem obtinuit, & Ducem ne fugeret, obſervari cautiſſimè præcipit. Conjurati verò, qui erant in urbe, acceptâ licentiâ egrediendi per unam Civitatis portam in ordine, Ducem in medio agminis veſtitum quaſi unum ex ſuis collocarunt, ut cum eis incognitus per medium inimicorum à dextris & à ſiniſtris in armis ſtantium poſſet exire. Sed cognitus à Gallis captus eſt, ductúſque in Galliam objit in vinculis. Scio quod plurimorum hodie ſententia eſt & fortis opinio, quòd Conjurati acceptâ pecuniâ tradiderint eum Gallis, quod verum ſit an falſum, ego ſicut neſcio, ita judicare non volo. Reliquit filios duos apud Regem Maximilianum. Rex autem Gallorum Ludovicus Ducatum Mediolani obtinuit annis XII. poſtea filiorum Ducis alter nomine Maximilianus eum Cæſaris ope recuperavit.

Carolus Archidux Auſtriæ naſcitur.

Eodem anno, XXII. die menſis Februarij, naſcitur Carolus Archidux Auſtriæ Patre Philippo, matre verò Anna, Avo paterno Maximiliano Rege Germanorum, materno verò Ferdinando Rege Hiſpaniæ victoriosiſſimo. Vivit hodie in Brabantia annum agens ætatis ſuæ XIII.

Albertus Dux Saxoniæ moritur.

Anno prænotato in menſe Octobri, moritur Albertus Dux Saxoniæ frater Erneſti Principis Electoris, tres relinquens filios, Georgium in Principatu ſucceſſorem, Henricum qui moratur in Friburgo, & Fridericum Moguntinæ Eccleſiæ Canonicum, & poſtea Ordinis Theutonicorum in Pruſſia. Iſte Dux Albertus multis annis ex commiſſione Maximiliani Regis bellum geſſit contra Gröningenſes in Friſia, ſæpiùs victor gentis, quæ fidem non ſervat.

Nobilium Franciæ & Norimbergenſium diſſenſio.

Hoc ipſo anno facta eſt magna diſſenſio inter Nobiles Franciæ Orientalis, & Cives oppidi Norimbergenſis, propter militem quendam Conradum Schott, qui multa multis intulerat mala; poſtremò per Comitem Palatinum concordati ſunt.

Anno præſcripto, I. die menſis Junij, maxima fuit inundatio aquarum in valle Hirſaugiana, quæ totam Eccleſiam S. Aurelij uſque ad genua

implevit. In Capella B. Mariæ semper Virginis etiam altare cooperuit. Domus quoque pecoris aquis plena fuit. Quintâ die mensis ejusdem major subitò inundatio venit, quæ muros ædificiáque plura in certis locis præsertim circa Regale oppidum Wyl penitus subvertit. In pratis & hortulis multa pauperibus damna fecit, agros & pascua in vallibus graviter læsit.

Sepulchrum S. Wilhelmi aperitur.

Eodem anno, 4. die mensis Maij, Blasius Abbas hujus Monasterij tumbam B. Wilhelmi quondam Abbatis præsente toto Conventu aperiri fecit, & mox odor suavissimus de tumulo exivit. Corpus verò quod annis 9. & 300. sub terra jacuerat, integrum repertum fuit cum baculo, sandalijs, dalmatica & planeta sine mitra, quæ omnia erant serica.

Hoc ipso anno, confugerat in Monasterium hoc præsens, homo quidam nescio cujus criminis reus, locum quærens refugij & immunitatis; quem Burgenses de oppido Calve armati sequentes violenter de Monasterio rapere voluerunt. Quod mox ut Fratribus innotuit, portas Cœnobij præcluserunt, & pro libertatibus & privilegijs suis fortiter constantes tandem rationibus illis persuaserunt, quod cessantes à præsumptione cæpta recesserunt.

Anno prænotato, Blasius Abbas hujus Monasterij domum Abbatialem veterem, quæ miserabili incendio penè consumpta erat, deposuit, & novam lapideam, sicut hodie cernitur, construxit, pro qua plusquam octingentos auri nummos exposuit. Alia etiam nonnulla construxit, quæ summariè dicemus.

MDI.

Margaretha Comitis Palatini Uxor Heidelbergæ moritur.

Anno Blasij Abbatis XVII. Indictione Romanorum IV. in die Conversionis S. Pauli Apostoli, obijt Margaretha uxor Philippi Comitis Palatini Bavariæque Ducis ac Principis Electoris, Heidelbergæ in Choro Ecclesiæ S. Spiritûs honorabiliter sepulta, mulier honestissimæ conversationis. Cujus tricenarium diem funeralem in proxima sequente quadragesima in memorati Spiritûs Sancti Ecclesia cum solemni pompa celebrari fecit, præsentibus ibidem oratoribus Maximiliani Regis & multorum Regni Principum. Aderant etiam Ludovicus Episcopus Spirensis, & Joannes Wormatiensis, qui rem celebrabant divinam, & multi Abbates ex Palatinatu propterea vocati.

Aderat & Blasius hujus Monasterij Hirsaugiensis venerabilis Abbas, missus nomine vice & ex parte Domini sui Principis Udalrici Comitis de Wirtenberg, cujus & locum tenuit in Choro, & in mensa, sicut moris est Principum. Pro pauperibus & mendicis coquina in campis extra oppidum fuerat dispositа, ubi maxima convenit multitudo, qui omnes abundè reficiebantur.

Capitulum Ordinis nostri Provinciale xxxi. celebratur.

Eodem anno, 11. die mensis Maij, quæ fuit Dominica III. post Festum Paschatis, celebratum fuit xxxi. Ordinis nostri Provinciale Capitulum in Monasterio S. Salvatoris apud Fuldam, in quo præsederunt Joannes Trithemius Spanheimensis, Joannes S. Ægidij Norinbergensis, Joannes Husburgensis, & Joannes in Elchingen Monasteriorum Ordinis S. Benedicti Abbates, qui nihil novi constituerunt.

Anno prænotato, in Festo Epiphaniæ Domini, sub summa Missa, quando homines erant in Ecclesia, venit Joannes de Elck cum quibusdam equitibus

equitibus & peditibus armatis per naves in Rheno & per terram, & nullo resistente intravit Boppardiam oppidum Regale Trevirensi Ecclesiæ dudum impignoratum; ejectísque omnibus qui fuerant ex parte Archiepiscopi, super muros in turribus, & ad portas custodes de suis constituit, & neminem ex Trevirensibus intromisit. Castellum similiter obtinuit, & telonium cum omnibus pecunijs occupavit.

Boppardia capitur à militaribus iterum.

Anno item præsignato, facultas Theologica Gymnasij Moguntinensis exemplo Doctorum Parisiensium & Colonienſium laudabiliter provocata, 13. die mensis Octobris determinavit, statuit & decrevit, sentiendum, & defensandum fore, quòd Beatissima genitrix semper Intacta Virgo Maria nunquam subjacuerit peccato originali, sed præservata sit privilegio Gratiæ Dei singulari. Statuit etiam, quòd nullus deinceps apud Moguntinos debeat Theologiam audire, aut in eadem promoveri, nisi prius juraverit, quòd opinionem contrariam non velit tenere.

Constitutio Universitatis Moguntinæ contra Maculistas.

Surrexit his temporibus in Persida homo quidam nomine Sichin, quem alij Sophoi nuncupârunt, de stirpe Hasan Cassani Regis Persarum potentissimi, qui Dominio suo Parthiam, Panchæam, Mediam, Mesopotamiam, Armeniam, & magnam Orientis partem armis subjecerat, & obierat anno Dominicæ Nativitatis MCCCCLXXVIII. Cujus filius major natu cæteris fratribus interfectis Regnum sibi usurpavit paternum. Quo etiam postea mortuo, prædictus Sophoi Asambeti Hassan Cassani ex fratre nepos se intromisit de Regno: & convocatis ad se cunctis proscriptis, fugitivis, latronibus, malefactoribus, egenis & quibuscunque inopiâ pressis magnum brevi adunavit exercitum, cum quo Persidem ingressus obtinuit Regionem, interfectis omnibus, qui levare manus contra eum præsumpsissent. Omnem prædam militibus divisit; qua ex re tantum favorem & amorem consecutus est omnium, ut nullus fuerit, qui non pro eo mori esset paratus, vel quælibet subire pericula.

Novus in Persia Rex Sophoi, quem Prophetam nominant.

Multa in hostes prælia gessit, & si non semper, frequentius tamen victor extitit, & in paucis annis numero pugnatorum, potentiâ virium & gloriâ Regnorum mirabiliter auctus & dilatatus fuit in tantum, quòd hodie non solùm Turcarum Regi, sed omnibus etiam Orientis Regibus Principibus atque Tyrannis terribilis apparet ac metuendus. Plura de hoc homine in principio sui Regiminis dicebantur nova simul ac miranda, quorum notitiam certam non habemus, & ideò transimus. Triennio fermè de illo duravit rumor in tota Europa magnus, alijs dicentibus, illum Prophetam Dei esse novum atque potentem: qui totum mundum sibi subjecturus sit, & omnes Religionum diversitates revocaturus in unitatem. Erant, qui hominem ipsum dicerent esse finalem illum Anti-Christum, alij nescio quid aliud eum in orbe magnum somniabant esse futurum.

Sophoi Regnum recuperavit & ampliavit. avitum.

Sed plus omnibus lætabantur cæci & infelices Judæi per totam Europam ubilibet constituti, hunc suum rati Messiam, quem semper expectant nunquã futurum, quippe qui dudum jam venit Dominus noster Jesus Christus filius Dei vivi. credentibus in eum Salvator, ipsis autem Judæis & cunctis fidelibus Judex. Mittunt sibi mutuò nuntios Judæi, atque munuscula, spem erigunt, confortant animo desperatos, multa promittunt, maxima pollicentur, hunc esse testantur, quem sibi Salvatorem diu sunt præstolati,

Judæi hunc Sophoi suum sperabant esse Messiam.

præstolati, quo videlicet regnante magnum Palæstinæ sint brevi dominium recepturi. Sed erraverunt decepti ut sæpius, quoniam Sophi nullam gentem, ut dicitur, magis habet invisam, quàm Judæorum.

Joannes Mercurius Italus miranda profitetur, sed vana.

Apparuit his temporibus in Gallia homo Italus nomine quidem proprio Joannes, sed per arrogantiam ipse Mercurium se voluit appellari: uxorem habens & liberos: servos & ancillas, qui una cum ipso lineis duntaxat erant induti, singuli singulas catenas ad collum ferreas portantes, eo videlicet amictu incedentes, quo Damis Magistrum, & Philostratus scripsit incessisse Thianæum Apollonium. Hujus Thianæi Philosophi magi (ut vulgi se tunc habebat opinio) Mercurius iste imitatorem se gloriabatur, atque discipulum, & pollicebatur magna, inusitata, & prorsus mirabilia, (quid si dicam incredibilia) se námque veterum omnium Hæbreorum, Græcorúmque, Latinorúmque scientiam omnem perfectissimè gloriabatur assecutum, contemnens veteres penè cunctos, tam Philosophos, quàm Theologos, cùm præter se unum omnes diceret fuisse indoctos, & nullum ex eis omnino sapientem extitisse in arcanis. Unde profitebatur se in omni scientia mundi conversatum, mysteria & arcana rerum naturalium intelligere omnia, profundáque posse investigare omnium scripturarum, & nihil ignorare illorum, quæ scire homo quicunque possit in mundo. Magnam in publico gravitatem præseferebat, moribus & incessu quâdam severitate maturus, ducebátque vitam cum mendicitate satis austeram. Se natum ad res summas testabatur, Divino se numine plenum asseruit, & grandia posse clamavit. Metallorum veram transmutationem, quam Alchimistæ omnes non minus fatuè, quàm laboriosè inquirunt, Mercurius iste promittebat, voluitque videri omnia scire, & nihil penitus ignorare. Se infelicia posse felicitare, & felicia posse mutare in infelicia gloriabatur, quod non dæmonum auxilio, sed arte magices naturalis, (quam prisci Reges & sapientes habuissent in pretio) fieri oportere dicebat. Erat autem sicut audivi ab his, qui cum eo locuti sunt, homo quasi sine litteris, & neque satis linguæ peritus latinæ. Aliquanto tempore Lugduni mansit in Gallia, non postremo loco habitus apud Ludovicum Regem Gallorum, qui convocatis Doctoribus medicinarum, præcepit ut examinis gratiâ cum eo de scientia disputaret. Parentes mandato Regio Doctores Mercurium conveniunt, colloquuntur & disputant, promptulum ad cuncta inveniunt, stupent & mirantur hominem sine litteris ad sufficientiam latini sermonis ingenium habere tam profundum, maximè in medicinis. Redeuntes post examen ad Regem Doctores, dixerunt illum supra hominem sapere, sed unde hæc tanta habuerit, vel in eo lateat secretum, se prorsus ignorare.

Nihil scire convincitur, qui se omnia scire arbitratur, ut Mercurius iste.

Alchimista pauper ignarus, si autem novit, cur pauper?

Mercurius examinatur à Medicis, probatúrque sine lingua doctus.

Donavit iste Mercurius Regi Ludovico ensem, centum octoginta gladiolis refertum, & mirabili satis ingenio fabricatum, clypeum cum speculo singulari factū ingenio, quod nescio quid virtutis continere debeat occultæ. Pollicebatur denique Regi filium ex Regina nasciturum, quem ipse felicitare posset vellétque supra felicitatem magnorum Alexandri & Caroli Regum, etiamsi contrarium astra minarentur. Annos vivendi supra naturæ periodum viginti suâ se arte Regi daturum pollicebatur. Profitebatur & alia non solùm miranda, sed etiam ut mihi videtur impossibilia, nisi per Deum, qui solus omnia potest. Utrum ex Deo quippiam habuerit talium,

talium, ego scire non potui. Aurum quo fuerat honoratus à Rege Ludovico, mox ut Castellum exivit, pauperibus totum distribuit, suos nihil reservans in usus. Hæc primò litteris, postea sermone accepi à duobus viris doctis Eustachio & Narcisso, quorum alter hodie Lugduni, alter vivit Parisijs. Testem adduco tertium Joannem Virdungum de Hasfurt, Comitis Palatini Mathematicum, qui & ipse apud Budoras hodie vivit in humanis cum suo Principe Ludovico. Plura brevitatis causâ de hoc homine intermitto, ne fiam prolixior. Quò devenerit, vel ubi nunc sit mirabilis iste Mercurius, ego scire minimè possum.

Pelagius Ferrandus Cordubensis homo admirabilis.

Verùm ista nobis de Mercurio scribentibus occurrit Ferrandus, qui anno Christianorum millesimo quadringentesimo quadragesimo quinto, juvenis annorum viginti, miles auratus, artium Philosophiæ, Medicinæ, simul ac Theologiæ, atque Juris utriúsque Doctor cum octo equis de Hispania venit in Galliam, & suâ incredibili scientiâ omnes Parisiensium Doctores vertit in stuporem. Erat in omni facultate scripturarum longè doctissimus, vitâ & honestate conversationis morigeratissimè compositus, non superbus, non elatus, non vanè glorioſus, ut Joannes ille Mercurius, de quo diximus, sed humilis, mansuetus atque modestus, & omni reverentiâ decoratus. Quoties loquebatur cum viris eruditis, se puerum dicebat esse indoctum, nec dignum, qui cum peritis debeat habere colloquium, cùm tamen latinè disertè, eruditè, atque prudentissimè loqueretur in omnibus. Mirabili & penè incredibili vigebat memoriâ, quippe qui novum & vetus Testamentum, Nicolaum quoque de Lyra, scripta S. Thomæ de Aquino, Alexandri de Ales, Bonaventuræ, Joannis Scoti, & aliorum in Theologia complurium, decretum quoque, & omnes utriusque juris libros, in medicinis similiter Avicennam, Galenum, Hippocratem, Aristotelẽ, Platonem, Albertum, omnésque Philosophiæ libros tam plenè atque perfectè commendaverat memoriæ, ut similem non habuerit alterum. In allegando fuit promptissimus, in disputando solidus & acutus, semper vincens, à nullo unquam superatus. Linguas denique Hæbraicam, Græcam, Latinam, Arabicam & Chaldaicam perfectè noverat loqui, scribere, legere & intelligere, quod in tali juvene nimis fuit mirandum. Missus Romam orator per Regem Castellæ ad summum Pontificem Eugenium quartum, in omnibus Galliæ Italiæque Gymnasijs publicè disputans convicit omnes, ipse à nullo unquam vel in minimo convictus. Varia de ipso fuit apud Parisienses opinio, alijs magum, aut dæmonio plenum judicantibus, alijs contrarium sentientibus. Nec defuerunt, qui Antichristum fore putarent: quorum opinionem vita hominis per omnia Christiana redarguit.

Memoria viguit omnium librorum vivacissima.

Disputator fuit in omni facultate acutissimus.

Contempsit autem post annos paucos omnem scientiam hujus mundi, & pro Christi amore sæculo valedicens ad insulam navigavit Majoricam, factúsque Eremita solitarius Omnipotenti Deo usque ad mortem in sancto proposito servivit: scripsit ante conversionem in Almagestum Ptolomæi commentaria quædam subtilissima. In Apocalypsin quoque Beati Joannis Apostoli pulcherrimam expositionem & semiprophetica lucubravit. In Eremitorio autem suo & multa scripsit, & certè miranda opuscula: quorum prænotationes memoriæ non occurrunt. Præter illud opusculum quod *Perianacriseon boni numinis* prænotavit, in duobus

Pelagius fit Eremita pro Christo in Majorica insula.

Libanius Gallus.

libris, tractatu res incognita mihi. Ejus fuit discipulus & omnium hæres voluminum Libanius Gallus omnium hujus tempestatis Doctorum quos ego noverim facilè doctissimus: apud quem vidimus plura Divi Pelagij opuscula, quorum lectio nostrum excellit ingenium.

Crucigeri Pœnitentes veniunt ex Italia in Germaniam.

Anno supradicto venerunt ex Italia viri tunicis, aliqui lineis induti, alij verò laneis grisei coloris, nudis pedibus & discoopertis capitibus incedentes, qui Crucem de ligno parvulam in manibus singuli portabant, & neque saccum habebant, neque peram, neque baculum, neque pecuniam, vinum & cerevisiam non bibebant. Præter Dominicam omni die jejunabant, olera & radices cum sale manducantes & aqua, sine alicujus appositione pinguedinis, carnes, pisces, ova, butyrum, caseum aut lac nunquam manducabant. In Ecclesia se prosternebant in modum Crucis super terram prolixius orantes: nec ultro viginti quatuor horis in uno loco vel hospitio manebant, nisi forsitan infirmitas aliquem manere diutius compulisset: circumierunt per civitates, oppida & villas bini simul aut terni, aliquando plures. Cibum ostiatim cùm esurirent, & non ante mendicantes.

Plures inter eos fuerunt ex ordine Clericorum Sacerdotes, Diaconi & Subdiaconi: qui præter tunicam, Zonam, Crucem ligneam & breviarium nihil penitus habebant. Coloniam & Aquasgrani omnes visitare solebant. Et erat eis voluntaria ista pœnitentia: uni ad tres annos, alteri ad quinque, nonnullis etiam ad septem juxta voti qualitatem, quo se prius unusquisque diutius aut brevius ita servaturum spontaneâ voluntate obligaverat. Annis enim finitis, quos unusquisque ad pœnitendum cum peregrinatione assumpserat, mox ad sua reversus ab ea institutione, si voluit, cessabat. Per continuum fere septennium duravit ista pœnitentium peregrinatio, & nunc plures, nunc pauciores hujus conversationis viri per Germaniam circumire videbantur. Erant cum eis in ea peregrinatione nonnulli etiam Germani, qui simili se constrinxerant voto pœnitendi; quia recipiebant omnes in suæ peregrinationis Comites, præter Monachos & mulieres.

Fames & inopia frumenti magna.

Eodem anno per totam Sueviam fames magna & multa frumentorum inopia pressit mortales. Argentinenses verò Cives, qui tempore ubertatis sibi providerant, in ea necessitate communi frumentis abundabant: qui & non minus charitativi ad omnes, quam providi ad semetipsos, cunctis undecunque adventantibus frumenta vendebant in foro competenti.

Monasterium in Gengenbach debuit reformari.

Anno item prænotato, Philippus Comes Palatinus & Albertus Argentinæ Episcopus, quorum ille tunc erat in temporalibus, iste verò in spiritualibus Dominus, ad instantiam Senatus oppidi Gengenbach memoratæ Diœcesis vocarunt ad se Heidelbergam quosdam Ordinis nostri Abbates de Observantia Bursfeldensium, cum quibus secretum habuere tractatum de reformando Monasterio dicti Ordinis in oppido Gengenbach constituto, cujus Monachi nimis deformatè vivebant. Complacuit res sancta concilio, dies in quadragesima circa Dominicam *Lætare* statuitur, in qua cum Monachis reformatis apud Schutterense Cœnobium Reformatores debeant comparere Abbates: & interea mitti debeant quidam à secretis, qui Monasterium Gengenbach auctoritate utriúsque Principis

cipis

cipis præoccupent, ac viam parent ad reformandum. Die præstitutâ conveniunt Abbates cum Fratribus ex diversis Monasterijs ad reformationem sæpedicti Cœnobij coassumptis, quemadmodum Heidelbergæ fuerat concluſum, ad Schutteren. Joannes videlicet Spanheimensis, Blasius in Hirsaugia, Marcarius in Limpurg, Joannes in Schutteren, & Gerhardus in Alberspach Monasteriorum Ordinis nostri Abbates, Monachos reformatos adduxerunt secum, ex Spanheim unum, ex sancto Jacobo Moguntiæ duos, & ex sancto Joanne Ringaugiensi similiter duos, ex Hirsaugia duos, ex Selgenstatt duos, ex Alberspach duos; verùm unus consiliariorum Comitis Palatini non satis ad negotium cautus, cùm esset in itinere versus Gengenbach, Civem ex Argentina obvium habuit, cui sciscitanti quò pergeret, arcanum inconsideratè aperuit, & rem in toto confudit. Nam civis ille doctor Argentinensis famulum suum eadem sub nocte misit ad Gengenbach, & quid esset in foribus scripsit Abbati. Auditis his Abbas contractis mox privilegijs Monasterij, monimentis quoque litterarum, registris censuum, clenodijs, & quicquid in promptu habere potuit, summo diluculo, priusquam venirent Palatinenses, de Monasterio recessit, & ad Argentinam declinavit. Cùm autem venissent ad Monasterium Ordine præpostero, & comperissent Abbatem cum omnibus clenodijs recessisse, Palatinenses infecto negotio ad sua confusi redierunt. Abbates etiam qui apud Schutteren convenerunt, cognitis impedimentis reformandi, cum suis Monachis, quos adduxerant, in sua sunt reversi.

Abbates quinque cum Monachis XI. in Schutteren conveniunt.

Abbas de Gengenbach cum clenodijs fugit Argentinam.

Eodem anno circa festum Dominicæ Resurrectionis ad mandatum Regis Germanorum Maximiliani conventus Principum Nürenbergæ factus est, & multis diebus cum magna Principum & aliorum frequentia duravit.

Anno item prænotato, Cives Regiæ urbis Basilienſis Regi Maximiliano simul & Regno Germaniæ sine aliquo medio subjecti, proprij & jurati, sine scientia, sine voluntate & sine consensu (ut ferunt) confœderationem inierunt cum Suitensibus conjuratis perpetuam. Et facta est Basilea Conjuratorum angulus novus. Scriptæ sigillatæ & datæ sunt hujus alienatæ Confœderationis litteræ in oppido Lucernensi nonâ die mensis Junij anno dicto.

Basilea Civitas Regni Conjuratorum Suitensium assumpsit fœdera.

Eodem anno decima die mensis Augusti, quæ fuit Martyrio sancti Laurentij festiva, in eodem Lucernensium oppido ad Suitensium conjurationem suscepti sunt oppidani de Schaffhausen, qui ut talium moris est, eâdem die juraverunt, litteras dederunt, & acceperunt, & sunt facti Suitenses.

Anno etiam præscripto, Alexander Papa sextus Raymundum Cardinalem sanctæ Mariæ novæ Gurcensem Episcopum cum gratia & indulgentijs Jubilæi ad Germaniam Legatum misit de Latere magna cum facultate. Qui aliquandiu in Tridentina Civitate moratus est: propterea quòd ei necdum constabat, utrum Maximilianus & Principes Regni Electores, quorum intererat, vellent eum admittere, nec ne. Tandem de admissione certior factus venit in Inspruck ad Maximilianum Regem, & mansit cum eo aliquot mensibus, annóque sequente venit ad Nürenbergam, ubi tunc erant Principes.

Raymundus Cardinalis in Germaniam Legatus mittitur.

Eodem anno Cardinali Raymundo adhuc apud Tridentum existenti, Blasius Abbas præsentis Monasterij misso ad eum nuntio gratiam ab eo Jubilæi plenariam, sicuti fuit & dabatur anno præterito in urbe Roma, pro se, pro Fratribus quoque, familia & omnibus sibi commissis impetravit.

MDII.

Raymundus Cardinalis Moguntiam ingreditur Legatus.

Anno Blasij Abbatis XVIII. Indictione Romanorum quintâ, Sabbato post Dominicam Passionis, Raymundus Cardinalis sanctæ Mariæ novæ Gurcensis Episcopus & Apostolicæ Sedis Legatus intravit Moguntiam, per quem gratia remissionis Jubilæi publicatur per totam Diœcesin. Eriguntur in cunctis penè oppidulis Cruces, trunci pro custodia parantur oblationum; quàm à principio lentus fuerat hominum concursus propter inopiam sive incuriam eorundem, crevit nihilominus postea cum tempore devotio populi: & multum in diversis locis pecuniarum pro defensione fidei Christianæ offertur. Per totam námque Germaniam nuntij destinantur atque Commissarij: sed non æquè in omnibus locis proficiunt. In Norvvegiam destinatus commissarius non tantam de indulgentijs & dispensationibus levavit pecuniam, quantam pro impensis expositi.

Pestilentia per totam Germaniam sæviens multos consumpsit.

Eodem anno, magna ubique per omnem Germaniam pestilentia grassabatur, & multa millia hominum consumpsit, præsignata, ut multorum fuit opinio per Cruces, quas in lineis vestibus hominum ante biennium apparuisse diximus, quarum casus in annum duravit tertium, non simul & semel in locis omnibus, sed jam in isto, tunc verò in alio. Videbantur etiam nonnulli Cruces habuisse in suis corporibus ad cutem, qui ut plurimum omnes eodem anno, vel sequente fuerunt consumpti à peste.

Joannes Abbas de Bursfeldia moritur.

Anno prænotato, vicesimâ primâ die mensis Maij, obijt Joannes Abbas Monasterij sanctorum Thomæ Apostoli & Nicolai Episcopi in Bursfeldia, quartus in reformatione Abbas: homo simplicitatis & humilitatis cultor & amator præcipuus, in Observantia Regulari strenuus, vitâ & conversatione integer & sanctus, ingenio subtilis, eloquio disertus, & in divinis scripturis non mediocriter doctus, quod ejus testantur opuscula, quæ ad ædificationem tam suimetipsius, quàm Fratrum suorum lucubravit. E quibus extat de profectu Claustralium opusculum unum in tres partes divisum, eruditionis ac totius ædificationis plenum. De Novitiorum institutione multa & varia conscripsit, quorum prænotationes memoriæ non occurrunt. Magnæ humilitatis vir extitit: & in omni extremitate victus & amictus juxta Regulam Divi Patris nostri Benedicti semper contentus fuit.

Post hunc Henricus institutor Novitiorum fit Abbas, homo & ipse in omni Religione conspicuus, ingenio mitis, eloquio dulcis, amator & custos tam in se, quam in suis Observantiæ Regularis fidelis & integerrimus.

Gerlacus Abbas de Tuitio capitur à Coadjutore Archiepiscopi Trevirensis.

Eodem anno Gerlacus de Breitbach Abbas Monasterij Tuitiensis nostri Ordinis juxta Rheni flumen in oppositio Coloniæ Agrippinæ, navigio ascendit versus Treverim ad Capitulum Provinciale apud sanctum Matthiam celebrandum. Cùmque perveniisset ad Pallatiolum haud procul à Treveri oppidum, ubi residentiam habere consuevit Archiepiscopus, quotiens Trevirorum appropiat urbem, à ministerialibus Jacobi Marchionis de Baden Coadjutoris Ecclesiæ Trevirensis violenter captus est, & quatuor mensibus in custodia cum Monacho Capellano detentus. Causam

sam hujus captionis eo tempore cognovimus talem. Germanum habuit Ecclesiæ Trevirensis Canonicum nomine Othonem de Breitbach, qui memorato Jacobo Coadjutori Archiepiscopi multum adversabatur: fecitque contra eum processus quosdam in valvis Ecclesiæ Trevirorum publicari sub nomine dicti Fratris sui Gerlaci Abbatis tanquam Apostolici Commissarij, qui falsitatis arguebatur. Verùm scimus, quòd Abbati sit facta injuria, qui se commissarium in ea causa nec scripsit, nec exhibuit Apostolicum, sicuti nec fuit, nec esse concupivit. Si quid ergo fraudis aut doli commissum in eo negotio fuit, non Abbati sed Germano ejus Othoni totum adscribendum, qui cùm sit homo in curialibus multum peritus & expertus Doctor, essétque unà cum suis consentaneis per Alexandrum Papam (cujus obnitebatur ordinationi) ad Jacobi Coadjutoris instantiam excommunicatus, Germani sigillum Abbatis præfatione commentitiâ præripuit, litteras quales voluit absolutionis scripsit, quas sub nomine Abbatis memorati Tuitiensis publicavit. Quod si & ipse Otho fuit innocens, majori contumeliæ meritò adscribitur totum.

Liga sotularia rusticorum contra Clerum & omne dominium.

Anno item prænotato, rustici quidam in Dominio Ecclesiæ Spirensis juramentorum suorum temerarij transgressores contra Dominos suos Episcopum & Canonicos in unum conspiraverunt, in juramento se mutuò obligantes more Suizerorum, & paulatim numero crescentes in occulto multiplicati sunt. Et nisi tempestivè conspiratio eorum denudata fuisset, in brevi evasissent multitudine insuperabiles. Sumpsit autem hæc Liga rusticana (quam sibi Buntschue vulgariter nuncupabant) exordium in villa quadam Spirensis Diœcesis Undergrünbach dicta per rusticos duos, qui astutiâ suâ paulatim in eandem conjurationem traxerunt plures, non solum in ea villa, sed etiam in circuitu per gyrum in alijs multis. Et sicuti quidam eorum in tormentis confessi sunt, media pars virorum oppidi Bruchsal in eam conjurationem dederunt consensum. Mittebant hinc inde per vicos & oppida sollicitatores suos occultos, qui multos in eandem contra Principes, Clerum & omnem majoritatem dominij provocarent.

Capitaneos ordinaverant belli & vexillum Conjurationis.

Duos jam sibi capitaneos præfecerant, qui multitudinis congregandæ ad bellum essent ductores, quibus & cæteri omnes sine contradictione obedirent. Vexillum sibi ordinaverant fieri bicoloratum, album videlicet & blavium, in quo imago Crucifixi Salvatoris deberet esse depicta, sicuti Beato Gregorio dicitur apparuisse, ad cujus latus alterum sotular unum in signum Ligæ sotulariæ formaretur, in altero verò rusticus geniculando staret complosis manibus depictus, super cujus verticem ita scriptum legeretur in vulgari: Nichts dann die Gerechtigkeit Gottes. Hoc est: *Nihil quærimus, nisi Justitiam Dei.* Sed in sequentibus ex confessione captorum facilè ostendemus, quòd Justitiam Dei non quæsierunt iniqui, quin potius eam impugnare & exterminare laborabant. Divinâ etenim providentiâ disponente consilium impiorum denudatum est, & plures eorum capti sunt, qui primi conjurationis auctores extiterunt. Exponuntur quæstionibus, & arcanum impietatis suæ faciunt manifestum, quod ut liquidius pateat omnibus, per articulos placuit litteris commendare.

Liga sotularia manifestata destruitur.

Articulus Ligæ primus.

Articulus primus confessionis eorum: dicebant se hanc sotulariam societatem eâ intentione principaliter incœpisse, ut posteaquam aucti

numero ad bellum viderentur idonei, & posse sufficere, jugum omne servitutis violenter excuterent, & sibi omnimodam libertatem more Helvetiorum armis vendicarent.

II. Secundò confessi sunt, quòd unusquisque, dum in eorum temeritatem jurasset, primum quinquies Orationem Dominicam cum Angelica salutatione ad memoriam quinque principalium vulnerum Christi dicere flexis genibus teneretur, in eum finem, ut Deus eorum proposito ad justitiam prosperum largiretur effectum.

III. Tertiò, Symbolum sibi constituerunt Dominam nostram S. Mariam, Beatum Joannem, signum verò inter se maturæ cognitionis hoc posuerunt: dicebat ad alium interrogans hujus conjurationis, scire cupiens, si & ille conjurâsset: Was ist euch für ein Wesen? Respondebat interrogatus, si fuit de conjuratione: Wir mögen vor den Pfaffen nicht genesen. O iniquitas rusticana semper Clero molesta.

IV. Quartò, in tormentis & extra confessi sunt, quòd intentio eorum fuerit omnem Principatum, & Dominium extinguere, proposuerintque, mox ut multiplicati fuerint, ad præliandum contra quoscúnque turmatim cum vexillo procedere, & omnes sibi obsistentes sine miseratione aliqua trucidare.

V. Quintò dicebant, quòd concluisissent inprimis oppidum Bruchsal, quod est ditionis Episcopi Spirensis, invadere, in quo jam mediam partem virorum conjuratam sibi gloriabantur habere; quo, ut sperabant facilè obtento, procederent ulterius armati contra Marchionatum de Baden omnia devastantes.

VI. Sextò concluserant, quòd bona Monasteriorum, Ecclesiarum quoque Cathedralium, & Collegiatarum, simul & Clericorum per circuitum omnium, violenter direpta inter se velint suo arbitrio dividere, & ministros Ecclesiæ humiliare, & quantum possent, multis peremptis ac fugatis, in paucitate degere.

VII. Septimò inter se convenerant, quòd semel ad vastationem Regionis in multitudine sufficienti congregati, ultra viginti quatuor horas post habitam de resistentibus victoriam, non deberent in uno loco remorari, sed potius ad ulteriora semper proficisci, quoúsque omnia suæ subjecerint conjurationi.

VIII. Octavò, tantam habuerunt in præsumptione fiduciam, quòd putabant se omnino jam certos, quoniam si convenissent vel semel ad expeditionem belli, jam nemo eis contradixisset subjectorum hominum, sed rustici omnes oppidani & cives universi amore libertatis spontaneâ voluntate, non compulsi, in eorum venissent consortium.

IX. Nonò confessi sunt, quòd inter eos concluśum fuerit, ut feriâ sextâ in profesto S. Georgij Martyris, insimul convenire debuissent, & armatâ manu oppidum Bruchsal manè diluculo invadere, quod per traditionem eorum, qui erant interius, conjuratorum obtinuissent, si non fuisset aliâ occasione impedita conclusio.

X. Decimò confessi sunt, quòd principalis intentio eorum fuerit contra Monasteria, Ecclesias Cathedrales, & Collegiatas, omnémque Clerum, quos & bonis omnibus spoliare decreverant, & dominium eorum supprimere,

primere, censúsque & decimas dare de cætero neque Clero neque Principibus, sed neque nobilibus intenderant.

Undecimò sunt confessi, quòd concluserint inter se bello & armis libertatem sibi vendicare omnimodam, & deinceps nullius pati dominium: non dare censum alicui, non decimas, non precarias Principibus, non vectigal, nec aliud quicquam, sed velint ab omni tributorum gravamine penitus esse liberati. XI.

Duodecimò proposuerunt, venationes, piscationes, pascua, nemora, & omnia quæ Principum consueverunt exceptione usibus deservire privatis, in communitatem revocari; ut cuique Rustico liceret venari, atque piscari, ubi & quando voluerit, sine impedimento, vel prohibitione cujuscunque omni tempore & loco. XII.

Tertio decimò decreverunt in manu suorum valida procedere primò contra Marchionem Badensem, contra Episcopum Spirensem, contra Monachos & omnem Clerum, sicut diximus, in circuitu. Et quicunque contradixisset eis, sine misericordia interficeretur tanquam Justitiæ DEI contrarius inobediens & rebellis. Hæc & alia plura in perniciem Reipublicæ contra Principes Episcopos & omnem Clerum excogitaverat vesana Rusticorum temeritas, in Underngrünbach, in Jolingen, in oppido Bruchsal, alijque in villis & locis diversis, quorum Omnipotens DEUS malitiam suâ bonitate præveniens non permisit, ut consequerentur effectum. Manifestatâ enim conjuratione impiorum plures ex eis capti sunt & mancipati vinculis, de crimine per tormenta, ut est moris, interrogati. XIII.

Mandato Regis Maximiliani conjurati traditores capti sunt.

Quæ res delata ad aures Maximiliani Regis, animum ejus haud mediocriter commovit, utpote, qui optimè noverat, quanta hæc præsumptio Rusticorum si prævaluisset, mala intulisset Reipublicæ, quæ brevi destruxisset Regnum & omnem Principatum. Unde ut præveniretur, quod imminebat periculum, cunctis Regni Principibus atque Prælatis per edictum Regale mandavit, quatenus in hujusmodi perjuros nebulones & Petrones animadvertant, eósque juxta sceleris qualitatem sic puniant, ut cæteri metuentes, qui viderint, vel audiverint, similia non præsumant. Præscripsit nihilominus pœnam in litteris, quâ essent singuli plectendi. Et ista fuit constitutionis pœnarum ab eo definita sententia. Omnes & singuli, qui conjuraverunt in hanc Ligam Sotulariam contra Principes, vel Dominos suos, ætatis legitimæ cùm jurarent existentes, voluntariè & scienter una cum capitaneis hujus maledictæ societatis, & quicunque juramentum receperunt ab alijs, & qui consilium, vel auxilium huic pestiferæ novitati præstiterunt, morte jussit turpissimâ condemnari: & ut traditores in quatuor partes eorum corpora viventium dividi, scindi atque secari, & bona eorum omnia Dominio confiscari. Atque in majorem terrorem cæterorum liberos eorum proscribi extra patriam in exilium præcepit. Capitaneos verò & primos incæptores hujus conjurationis ad caudas equorum ligari mandavit, & foras trahi ad locum mortis destinatum; alijsque etiam singulis pro qualitate commissorum pœnas determinavit speciales.

Convocatio fit Principum Heidelbergæ contra Ligam Sotulariam.

Anno igitur Dominicæ Nativitatis prænotato, penultimâ die mensis Maij, quæ fuit secunda Feria post Festum Corporis Christi, convenerunt in oppido Heidelberg Legati & Oratores quorundam Principum, mandante Rege

Rege Maximiliano, & consilium habuerunt cum Philippo Comite Palatino super his negotijs, quorum jam fecimus narrationem, ad præcavendum in antea, ne rusticana temeritas similia contra Dominos & superiores suos valeat amplius attentare. Conceperunt ergo certum modum, & quosdam ordinaverunt articulos, quorum usu & practicâ facilè jam erit conjurationes subditorum præcavere. De conjuratis autem quotquot inveniri poterant, sumptum est supplicium juxta decretum Regis, & cessavit ista nova turbatio, alijs occisis, alijs mutilatis, seu aliter punitis, fugientibus multis.

Conventus fit Principum in Nürenberg.

Eodem anno, fit Conventus hic in oppido Regali Nürenberg, mandato Regis Maximiliani, qui quidem lentè cæpit, at diutius duravit. Prævenerat alios Principes Regio nomine Bertholdus ex Comitibus de Hennenberg Archiepiscopus Moguntinus, qui Patres trium Observantiarum Ordinis nostri Mellicensum videlicet, Castellensium & Bursfeldensium sæpius antea sollicitaverat, summo enitens studio, ut posset omnes in unam Observantiam Regulæ sanctissimi P. N. Bendicti conformem, adunare. Quæ illum consideratio in hoc permoverit opus, etsi nos minimè lateat, parum tamen ad rem pertinet si scribamus, cùm ex altero bonus certavit affectus; ex altero sit indignatione laboratum. Consenserunt tamen Duces familiarum ejus audire propositum, quamquam constaret ex prænotis, fieri non posse in tanta diversitate unionem; neque enim Bursfeldensibus, qui recentiores, & ob id ferventiores in disciplina Regulari, animus fuit aliquid remittere observantiæ suæ, neque Mellicensibus & Castellensibus quicquam placuit assumere constitutionis alienæ. Ad complacendum tamen Archiepiscopo memorato Præsidentes & Definitores annalis Capituli observantiæ Bursfeldensis apud S. Pantaleonem in Colonia præcedenti anno celebrati ordinaverunt ex suis quatuor Abbates, videlicet Joannem Trithemium Spanheimensem, Macarium Limpurgensem, Thomam Selgenstattensem, & Conradum S. Stephani Herbipolensem, ut cùm vocati fuerint à præfato Archiepiscopo, coram eo comparere debeant, ejusque audire propositiones, & quibus inniteretur medijs unitatis, advertere.

Trium observantiarum Ordinis nostri unio sæpe frustra tentatur.

Comissarij quatuor Abbates Nürenbergam revocantur ad Archiepisc.

Anno igitur prænotato, sæpe dictus Archiepiscopus ad se Nürenbergam vocavit prædictos quatuor Abbates, qui octavo die mensis Julij, coram eo comparentes negotium audire & tractare cæperunt una cum sex alijs Mellicensium & Castellensium Observantiarum Abbatibus, qui ad idem fuerant negotium vocati. Magno conabatur anniśu Bertholdus de tribus observantijs facere unam, sed magna se difficultas interposuit, & ideò fieri unitatem eo tempore impossibile fuit. Enimverò sicut nobis ad inferiora descendere, laxiorémque vivendi formulam assumere non placuit, ita illis nostra conversatio quasi dura, & importabilis fuit contraria. Calumniabantur in observantia nostra multa, quæ per Articulos complacuit annotare.

Prima Cavillatio contra reformationem Bursfeldensem.

Primum quod carnem sapientibus in Observantia Bursfeldensium displicet, nomen est humile: cujus displicentiæ causa quam sit vana, & temeraria, nemo, qui Dei Spiritu agitur, ignorat. *Verecundum est*, inquiunt, *ut tam insignis Religionis Observantia nomen à Campo suscipiat rustico, quæ potius nuncupari debuerat ab aliquo Monasterio insigni Regali notissimo & magno.*

Ad

Ad quam Cavillationem breviter respondemus: *Meritò nomen Observantiæ à loco ubi cæpit imponitur, ut laus primi reformatoris etiam posteris commendetur. Non locus observantiam, sed locum observantia commendat. Scio, Præmonstratensis, Cistertiensis, Carthusiensis, Vallis umbrosæ, pluréſque Religiones Claustralium aliæ, nomen sui retinent Principij, quod sicut honorem ostendit auctoris, ita nulli contumeliam infert subsequenti. Nec verè Monachus est formatus, qui de nomine loci, vel exultat, vel confunditur, quia non locus Monachum, sed locum bonus Monachus reddit gloriosum.*

Secundò. Visitationes in Observantia Bursfeldensium, simul biennale & annale Capitulum detestantur nobis adversarij dicentes: *Occupationem esse omnino superfluam, & inutilem pecuniarum expositionem, sive in itinere consumptionem.* Secunda Cavillatio.

Ad hanc breviter dicimus: *Quod celebratio Capituli annalis & Visitationes Monasteriorum in Ordine conservant Observantiam Regularem. Propterea Mellicenses & Castellenses à primo fervore ceciderunt, quia Capitula non celebrarunt; de Visitatorum expensis, quam injustè murmurent, si quis scire desiderat, Benedicti Papæ XII. de hac ipsa materia in Bulla extravagante legat. Quantum est si biennio semel Visitatoribus tuis tres florenos tantum exponas? Nunquid vel propterea Monasterium destituis tibi commissum, vel mendicus panem quæris ostiatim? Dum ea facis quæ sunt Ordinis, non facis malum, quia bonum est Ordo, & nihil sine Ordine bonum: memento Canonis, in quo dicitur. Hoc tollit fiscus, quod non accipit Christus. Verè, quod exponere debitum Ordini contemnis & negligis, in alium usum converti sine ordine videbis.* Responsio ad secundam.

Tertiò: *Jejunia nostra culpant strictissima, continuum reprehendunt silentium, & disciplinas maximè detestantur, quas in Adventu Domini, & in Quadragesima ter in hebdomade consuevimus ab Abbate, vel Priore suscipere.* Jejunia & silentium Monachorum ornamenta.

Nec locus capit, nec tempus, nec ratio permittit Historiæ, ut his longo sermone cavillationibus ordinemus responsum, præsertim cùm ea calumnientur Conversationis nostræ Principia, quæ in Regula S.P.N. Benedicti fundantur. *Jejunium quod servamus ipse mandavit, silentium nobis ipse præcepit, Disciplinas verò per Adventum, & Quadragesimam non ex præcepto Regulæ suscepimus, sed exemplo Patrum, quorum pœnitentiam novimus, approbatam.*

Quarto loco modum nostrum orandi cantandi & legendi reprehendunt: *Propterea quòd vel in quibusdam discrepamus â veteribus, vel legendas, & historias Sanctorum plures in Choro lectionibus non miscemus.*

Ad istam cavillationem plura adduceremus, nisi nos ratio ad alia compelleret festinare. Audiant tamen Mellicenses, audiant & Castellenses si volunt: *Ordinarius noster Divinorum Officiorum per Apostolicam Sedem examinatus, & confirmatus est, quis vestrum confirmavit? Necessaria in opere Divino admittimus, superflua resecamus.* Ordinarius Bursfeldensis confirmatus est.

Quid multis? In unum convenientibus nobis mentem suam & desiderium super uniendis tribus observantijs memoratis aperuit Archiepiscopus, sed auditâ rerum difficultate cæpit & ipse negotium remittere, & de sui executione propositi aliquantulum desperare. Remansit ergo trium observantiarum separata divisio, ut antea fuerat, in præsentem diem, pro quarum unione facienda multi sæpius ante annos 30. laborarunt licet frustra, inter quos Eichstättensis Episcopus commissionem habens Apostolicam Unio trium observantiarum sæpius frustra tentatur.

ſtolicam non ultimus magno ſtudio deſudavit, ſed unionem perficere non potuit.

Raymundus Cardinalis Legatus venit ad Hirſaugiam.

Anno ſupra ſcripto, 28. die menſis Maij, Raymundus Cardinalis Tituli S. Mariæ novæ Gurcenſis vulgariter nuncupatus Apoſtolicæ Sedis à Latere in Germaniam Legatus ab Alexandro Papa VI. cum gratia Jubilæi deſtinatus, & Principum conſenſu per Maximilianum admiſſus venit ad Hirſaugiam, ſuſceptúſque cum ſummo honore ab Abbate & Fratribus, manſit cum eis diebus non minus quatuordecim ſine Monaſterij gravamine ſuis in expenſis. Qui ne hoſpitio videretur ingratus, denuo gratiam Jubilæi Fratribus contulit, & multa Cœnobio Hirſaugienſi privilegia perpetuò valitura conceſſit. Habebat in ſuo Comitatu Conradum Ordinis Carmelitarum Epiſcopum Nicopolitanenſem, qui fuit aliquando Vicarius Epiſcopi Metenſis in Pontificalibus. Hic Juſſione ipſius Legati ultimâ die menſis Maij, duo in Eccleſia Hirſaugienſi Altaria conſecravit, alterum in honorem S. Annæ Aviæ Chriſti, alterum in honorem S. Aurelij Confeſſoris, & poſtulantibus Abbate cum Fratribus, utrúmque Indulgentijs ditavit, majoribus tamen S. Annæ, quam ſpeciali devotionis venerabatur affectu. Receſſurus tandem Fratres ad locum Capitularem convocat, præmiſsâque exhortatione, plenâ charitatis, & eruditionis, omnium ſe orationibus commendat, & gratiam Jubilæi, ſicut diximus, iterum petentibus donat, ſtatimque inde profectus eſt.

Eliſabetha Ducissa Wirtenbergenſis in Hirſaugia hoſpitatur.

Eodem anno Peſtilentiâ ſæviente per totam fermè Germaniam, & multos in Civitatibus oppidis caſtellis, & villis utriúſque ſexus homines ubique conſumente, Domina Eliſabetha uxor Eberhardi profugi ſecundi Ducis Wirtenbergenſis & in Teck, quondam filia Alberti Marchionis Brandenburgenſium, aërem cupiens ad tempus declinare corruptum, venit cum ſua familia præſens ad Monaſterium Hirſaugienſe, manſítque in eo ſine gravamine aliquo proprijs in expenſis ſex menſibus ſummâ quiete manſuetudine & tranquillitate, familiam habens in ſua comitiva honeſtatis admirandæ, qui omnes cum ſua Principe toto illo tempore non ſecus converſabantur in omni pace ſilentio & modeſtia, quàm ſi aut Monachi fuiſſent, aut Moniales; nulla vox ibi reſonabat incompoſiti clamoris, non cantilenæ audiebantur ullæ, non rixæ, non contentiones, non ludi exercebantur, neque ſpectacula, ſed omnia cum ſilentio fiebant, & honeſtate Principali: Fratres in locis Conventualibus manebant, quieti ſine incurſu, vel occurſu cujuſcunque, & Domina cum ſuis in habitatione veteris Abbatiæ juxta portam ſibi deputatam reſidebat, unde per curiam ad exteriorem tranſibat Eccleſiam, interiora Monaſterij Fratrum uſibus dimittens liberaneminem ſuorum ingredi permittebat.

Eliſabeth matrona devotiſſima plura contulit Monaſterio.

Mulier hæc Princeps in Deum religioſiſſima, etſi Monaſterio huic Hirſaugienſi nunquam fuerit oneroſa, ſed etiam omnia ſemper uſque ad quadrantem etiam minimum legaliſſimè ſolverit, & quæcunque oblata receperit: nihilominus, ut maternum animum ſuum erga Fratres Domino in humilitate ſervientes manifeſtius oſtenderet gratioſum, multa pro decore Domus Dei contulit ornamenta in uſum miniſterij Chriſti. Nam blavij coloris cappam choralem ſericam ſatis pretioſam dalmaticáſque duas, & planetam Sacerdotalem cum omnibus ad miniſterium Divinum neceſſarijs Eccleſiæ contulit, pro quibus nullum Fratribus gravamen viciſſitudinis

cissitudinis indixit, sed Dei solius remunerationem exspectavit. Casulas denique sacerdotales octo viridis coloris optimi panni lanei Sacristiæ Monasterij obtulit, clenodia quoque & jocalia de argento Monasterio similiter contribuit: & alia non pauca Monasterio beneficia ostendit.

MDIII.

Hyems prolixa & æstas fuit calidissima.

Anno Blasij Abbatis XIX. Indictione Romanorum VI. hyems dura fuit atque prolixa: quam æstas subsecuta est calida nimis & dura siccitatis occursu: quoniam in 4. mensibus non pluit super terram, maximè quia pluvia nascentijs humi fuerat necessaria. Unde fœnum ante maturitatis tempus aruit, & avena pauca crevit, quò factum est, ut omnia frumenta in pretio nimium ascenderent. Adhuc sæviens pestilentia consumpsit mortales, & pecorum ingens mortalitas fuit, præstiterúntque jam tunc, quæ apparuerunt Cruces ante biennium, significationis suæ formidabile triplicis futuræ calamitatis principium.

Joannes Archiepisc. Trevirorum obijt anno Pontificatus sui XLVII.

Eodem anno, 19. mensis Februarij, quæ fuit Dominica sexagesimæ proximè post Festum S. Valentini Martyris, obijt Joannes ex Marchionibus de Baden Archiepiscopus Trevirorum anno Pontificatus sui XLVII. ætatis verò LXXIX. cujus corpus in majori Ecclesia Trevirensi fuit sepultum in sarcophago, quem sibi fecerat in vita præparari. Reliquit Ecclesiam satis tenuem, & ære non parum gravatam alieno, cujus inopiæ causam nonnulli triplicem assignarunt. Prima fuit Bellum, quod cum Boppardiensibus habuit, in quo plus quam centum florenorum millia expendit. Secunda fuit nimia ejus in alienos clementia, quippe qui multis multa contulit ingratis, & qui nihil tale vel ab eo, vel ab Ecclesia Trevirorum meruerunt. Ex cujus ore paucis ante obitum mensibus audivi. *Nihil*, inquiebat, *magis cruciat animum meum, quàm eorum ingratitudo, quibus non merentibus beneficì: quoniam ecce quos exaltavi de stercore, fecíque magnos & divites, jam contemnunt me, & partes contra me sequuntur mihi adversas.* Causam deficientiæ tertiam suorum quidam Alchimistarum deceptionibus adscribentes eum plus quam triginta millia florenorum in ea vanitate referunt expendisse. Quam ipse de se opinionem suorum, & novit & redarguit esse falsam, asserens me aliquando præsente subjurejurando, quòd in Alchimistarum schola ne dicam Sophistria quingentos, & non plures magistris errorum discipulus instituendus exposuisset auri florenos. Sit ita vel non sit, tribus calamitatibus pressum constat, quarum occasione pauper evasit.

Pœnituit eum assumpti Coadjutoris Jacobi jam contemptus à suis.

Jacobus Marchio Badensis fit Archiepisc. Trevirensis annis VIII.

Huic in Archiepiscopatu successit Jacobus ex Marchionibus de Baden Christophori ex fratre Nepotis primogenitus, qui prius Coadjutor ejus fuit, ut ante biennium supra diximus, cui & Alexander Papa VI. de successione providebat, licet Decano, & plerísque alijs non placeret, prævaluit tamen, & Joanne Genitoris Patruo viam universæ carnis, sicut est dictum, ingresso, Archiepiscopatum obtinuit, & annis in eo supervixit octo tantùm, homo certè eloquio, & ingenio talis, cui similem ea non tulit ætas. Hic antecessori suo funeralia solemni pompâ celebrari fecit in oppido Confluentino Feria 3. post Dominicam Quadragesimæ 2. Patre Christophoro præsente, ubi multorum comparuerunt nuntij & Oratores Principum Regni.

Anno prænotato, posteaquam diræ sævitia pestis Epidimiæ humanum genus plusquam 12. menses graviter oppressisset, & tertiam partem hominum in quibusdam, mediam in plerísque (*non mentior*) consumpsisset, nova & dira supervenit ægritudo mortalibus, cujus multi tabescentiâ interierunt. Fuerunt enim febres pestilentiales in hominibus per totum Regnum Germanum ubique, fuerunt calores, & dolores capitis ferè intolerabiles, fuerunt & diseriæ fluxus horribiles, cui miseriæ curam adhibere etiam periti medici non noverunt. Annus totus nimium calamitate plenus nil nisi malum figurabat, in quo plures viri notabiles morborum nimietate oppressi decesserunt.

Febres pestilentiales cum disenteria affligunt genus humanum,

Eodem anno, 27. die mensis Julij, quæ fuit Feria 5. post Festum S. Jacobi Apostoli, circa undecimam horam post meridiem in nocte, Heidelbergæ moritur Joannes Camerarius Dalburgius Ecclesiæ Wormatiensis Episcopus anno Pontificatus sui XII. cujus Corpus relatum in Wormatiam in majori Ecclesia debito honore traditur sepulturæ: miserabilem casum tanti Pontificis flentibus per Germaniam cunctis hominibus bonis, & viris facultate qualibet eruditis, cui similem inter Episcopos nostrâ ætate non habuit Germania, nec fortè in multis sequentibus habitura. Fuit enim trium principalium linguarum Hæbreæ, Græcæ, Latinæ satis admodum peritus, & plura in his congregavit volumina, in omni penè facultate litteraria rara & pretiosa, in quorum lectione, quoties à curis Reipublicæ vacare potuerat, summâ delectatione versabatur. Erat enim Philippi Comitis Palatini Archicancellarius, & supremus à secretis, cujus ratione officij necesse fuerat ipsum continuò in multis occupari. Præceptorem habuit in litteris Hæbraicis & Græcis Rudolphum Agricolam Frisium ex Grüningen oppido natum; hominem undequaque doctissimum, in Ecclesia Fratrum Minorum Heidelbergæ sepultum, quo docente maximum utriúsque linguæ notitiæ consequutus est documentum.

Joannes Camerarius Dalburgius Episcopus Wormatiæ obijt.

Joannes Dalburgius trium fuit linguarum peritus.

Inter nostræ tempestatis Pontifices facilè doctissimus extitit, quem non solum Germani, sed Itali & Galli sæpius mirabantur orantem, dum & Romæ sub Innocentio Papa publicè peroraret in Consistorio, & Parisijs coram Rege Ludovico. Scripsit ingenij sui quædam opuscula in Mathematica præcipuè, sed præ nimijs & continuis occupationibus Reipublicæ, quibus detinebatur, in hanc lucem pauca edidit inopinatâ morte præventus. Vidimus in ejus Bibliotheca Laudenburgi oppido ejus residentiæ inter alia, quæ jam absolverat, de inventione, ratione & qualitate monetæ lib. unum. De origine nobilitatis lib. 1. De numerorum arcanis mysterijs lib. 1. De Convenientia linguarum Græcæ & Theutonicæ multa comportavit, in quibus plusquam tria millia vocabulorum extraxit, consignavítque Theutonica, quæ & Græcis consonant, idémque significant. E Græco sermone orationes nonnullas transtulit in Latinum, & quædam alia. Verè Mœcenas hospes, & patronus omnium bonorum atque doctorum virorum hujus tempestatis unicus extitit Joannes Dalburgius, inter Doctores doctissimus, inter eloquentiores facundissimus, inter Philosophos Plato, inter Musicos Timotheus, inter Oratores Demostenes, inter Astronomos Firmicus, inter Arithmeticos Archimedes, inter Poetas Virgilius, inter Cosmographos Strabo, inter Pontifices Augustinus, inter

Opuscula Joannis Dalburgij Episcopi.

Episcopus Wormatiensis nostrâ tempestate doctissimus.

Cultores

Cultores pietatis Numa Pompilius. Huic in Pontificatu successit Reinhardus de Sickingen vir bonus & honestæ conversationis.

Alexander Papa VI. Romæ veneno filij moritur.

Anno prænotato, 18. die mensis Augusti, Romæ obijt Alexander VI. anno Pontificatus sui undecimo cum certis diebus completo, apud S. Petrum solemni pompâ sepultus. Fertur autem venenato interijsse poculo, quod Valentinus filius ejus cuidam paraverat Cardinali, quem destinaverat necandum insidiosè, verùm errore ministri factum est, quòd hausit Papa venenum, Cardinalis autem salvus evasit, cui fuerat ab impio homicida paratum.

Pius fit Papa III. & præfuit diebus tantum 26.

Post Alexandrum Cardinalium electione unanimi summum in Pontificem creatus est Franciscus de Piccolominibus tituli S. Eustachij Diaconus Cardinalis Senensis vulgariter nominatus; & dictus est Pius III. præfuitque diebus tantum 26. Vir certè ingenio clarus doctus, & longâ rerum experientiâ venerandus, Pij II. ex Laodemia sorore nepos; quare mox ut Pontificatum fuit adeptus, cœpit in Gallos conspirare, graviter ferens, eorum tyrannide Apuliam Lombardiam, & Italiæ partem non modicam occupari, sed morte præventus oppetijt sedecim Pontificatus sui diebus exactis, non sine suspicione veneni eorum, qui partes tantum sequebantur Gallicanas.

Julius fit Papa II. & præfuit annis x.

Quo sublato Julianus Cardinalis Presbyter S. Petri ad vincula Hostiensis Episcopus PP. suffragio in Papam electus, & Julius dictus ejus nominis secundus, præfuit annis 10. vir strenuus & longo tempore in curiæ negotijs valdè expertus, qui Ecclesiam S. Petri Romæ sumptuoso apparatu construxit, Concilium quoque Lateranum Generale celebrare cœpit, bella contra Venetos, & alios Ecclesiæ rebelles plurima gessit, Ravennam & alia multa recuperavit.

Dux Wirtenbergensis Udalricus Maximiliano charus.

Anno etiam præsignato, cùm Udalricus Dux Wirtenbergensis sub tutoribus constitutus, quos ipsi Regentes nuncupabant, eorum nutu ipse regeretur simul & Ducatus, vices suas Maximilianus Rex interposuit, amotis Regentibus omnem administrationem Principatus eidem ut legitimo hæredi moderandum commendavit, cùm annum ageret ætatis 16. Pensiculabat enim jam tunc Maximilianus Rex in Adolescente animum generosum, nobilem atque maturum, tum ingenio tum viribus pro ætate mirabiliter decoratum, qui satis ad gerendas res, & Patriæ defensionem videretur idoneus. Erat sanè tum Adolescens supra ætatem intelligens, ingenio subtilis, eloquio facundus & affabilis, & quod maximè commendatur in Principe, mansuetus, non severus, non crudelis, non superbus.

Ad mandatum itaque Maximiliani Regis convocantur in oppido Ducalis residentiæ Stutgardiam, Prælati, Abbates, Nobiles, & Communitates terræ Wirtenbergensis, quibus congregatis Legati Regales astiterunt, & præceptum Regis confirmantes documento litterarum, & vivo sermone luculenter exposuerunt, eam in animo Monarchæ residere sententiam, patriæ non conducere ad utilitatem, si diutius regatur dominio plurimorum, sed convenire melius, ut unius moderamine Principis gubernetur.

Udalricus Dux gubernacula Principatûs sui accipit.

Consultatio de his inter eos facta est, matura cum deliberatione, quibus tandem placuit obedire edictis majoris, & unum habere potius, cui rerum committeretur summa, quàm plures; depositis igitur magistratibus

bus Dux Udalricus Adolescens, sicut diximus annorum 16. gubernator patriæ unus assumitur, & à cunctis ut Princeps Wirtenbergensium verus & legitimus salutatur.

Conventus fit Principum Electorum in Franckfurt

Eodem anno, in mensi Octobri, circa Festum SS. Apostolorum Simonis & Judæ, factus est in oppido Regali Franckfurt conventus quorundam Principum, & diebus fermè 14. duravit. Convenerant enim Hermannus Archiepiscopus Colonienſis, & Bertholdus Archiepiscopus Moguntinus, Jacobus Archiepiscopus Trevirorum, Philippus Comes Palatinus Rheni, & Joachim Marchio Brandenburgensis, quinque videlicet Electoriæ dignitatis Principes. Porrò ex parte Friderici Ducis Saxoniæ comparuit Henricus de Banavv auratus eques doctissimus; causas autem conventus eorum paucis voluerunt esse manifestas. Aderant etiam in eodem conventu Legati Maximiliani Regis Germanorum, Raymundus quoque Presbyter S. Mariæ novæ Cardinalis Episcopus Gurcensis & Apostolicæ Sedis Legatus per Germaniam de latere, vir doctus & integerrimus, de Colonia navigio ascendens per Rhenum & Moganum cum Familia sua venit ad Franckfurt, & in eodem conventu finem legationis fecit. Inde post dies 14. iterum descendit ad Moguntiam, postea verò per Wormatiam ad Spiram, & deinde per Augustam in Italiam profectus est. Qui veniens Romam à Julio Pontifice maximo & Cardinalibus summo cum honore susceptus est, & magnis divitijs auctus Viterbij dominium accepit.

Regina Daciæ de captivitate Suedorum liberatur.

Anno etiam prænotato, Regina Daciæ uxor Joannis Regis & mater Christierni hodie in Dacia regnantis, quæ per 4. annos in Regno Sueciæ manserat captiva, industriâ & ope Raymundi memorati Cardinalis, cùm legatione suâ fungeretur in Ducatu Holsatiæ, Civiúmque Lubecensium, auxilio liberata est, & in Daciam cum honore & gaudio reducta. Cùm enim Daciæ Rex memoratus ante annos 4. accepturus Regnum, Sueciam cum uxore & navibus multis fuisset ingressus: Suedi nolentes eum regnare super se, resistere occurrenti cœperunt, & eo cum suis vix evadente navibus, Regina remansit captiva.

In Ecclesia Eichsel multa fiunt per sanctas miracula.

His temporibus facta sunt plura miracula & virtutes sanitatum in Ecclesia parochiali villæ cujusdam, Eichsel dictæ, Constantiensis Diœcesis, non procul ab oppido Reinfelden, quod est Basilienſis Diœcesis, ad memoriam & invocationem 3. SS. Virginum in eadem Ecclesia corporaliter quiescentium, videlicet Kunegundis, Wiberadis, & Mechtildis, quæ licet ab Ecclesia Romana canonizatæ non sint, ut sanctæ tamen habentur ab incolis terræ, & miraculis quotidie coruscant ingentibus. Audiens hunc miraculorum rumorem Legatus Apostolicæ Sedis Raymundus, cùm esset apud Basileam, misit ad prædictum villagium Eichsel unum à secretis, anno prænotato Jacobum videlicet Merboldum Clericum Bambergensem pro inquisitione veritatis eorum, quæ fama sparserat. Qui veniens ad locum Feria 4. post octavas Pentecostes, quæ fuit Vigilia Festi Corporis Christi, vidit mulierem uno oculo cæcam per 16. annos, ad memoriam & tumbas prædictarum sanctarum illuminari, & defectum oculi penitus auferri, sicque veteris deinde in ea nullum apparuit morbi vestigium.

Mulier cæca illuminatur in eadem Ecclesia.

In Sabbatho sequenti venit mulier, quæ biennio contracta fuit, adeò quòd continuò lecto decumbens nusquam progredi potuerit, neque ambulare,

ambulare, neque de stratu se movere; hæc audiens, quòd miracula in Eichsel fierent, ad memoriam, & invocationem prædictarum sanctarum, se vovit cum oblationibus ad easdem, & ecce voto hujusmodi facto subitò convaluit, surgénsque de grabato, in quo jacebat, per se sana votum promissum adimplevit.

Mutus ad invocationem SS. loquitur.

Adolescens annorum 18. cùm esset adhuc puer in tertio anno constitutus incipiens jam loqui, ex tonitru & coruscatione loquelam amisit, & per annos quindecim loqui non potuit. Ejus Parentes & amici cùm audissent, quòd miracula tanta fierent in Eichsel, votum pro salute ipsius ad SS. Virgines emiserunt, quod mox ut cum eo perfecerunt, loquutus est sine impedimento, ac si mutus nunquam extitisset: multa & facta sunt & quotidie fiunt ad memoriam sæpè dictarum Virginum miracula, quæ brevitatis causâ omittimus.

Blasius Abbas hujus Monasterij 41. obijt.

Anno præsignato, 22. die mensis Julij, quæ fuit solemnitas B. Mariæ Magdalenæ festiva, Blasius hujus Monasterij Abbas quadragesimus primus senio & morbo gravatus, sacrísque præmunitus Ecclesiæ Sacramentis, & datâ benedictione Fratribus, non tam moriens, quàm dormiens in Domino quievit, anno regiminis sui octavo decimo mense nono, die verò septimo decimo. Cujus Corpus in Capella omnium Sanctorum, quam ipse à fundamentis construxerat novam. Fratres non sine lachrimis multis debito cum honore sepelierunt, funeralia pro ejus salute celebrantes magnifica, convocatis è vicinia Sacerdotibus multis.

Blasius Abbas quanta huic Monasterio fecerit bona.

Quanta fecerit huic Monasterio bona tempore sui regiminis in construendis novis ædificijs, in reparandis antiquis, in augmentandis proventibus, & comparandis Ecclesiæ ornamentis, & in præcedentibus partim annotavimus, & replicare hoc loco non gravamur. Fuit enim vir talis, cujus memoriam justè Hirsaugiana celebrabit familia æternam, nec fuit in trecentis annis Hirsaugiensium Abbas aliquis, qui Monasterium in structuris, clenodijs, ornatibus, & bonis temporalibus, ut ipse, dilataverit. Structuras etenim tam in Monasterio, quam extra in possessionibus ejus meliores fecit plusquam in decem millium æstimatione florenorum. Abbatiam ædificavit novam, ambitum quoque per tria latera cum fonte aquarum viventium: Refectorium tam hyemale, quam æstivale, non sine magnis sumptibus fecit utrúmque novum cum picturis. Cæteras ædificationes ejus novas atque structuras per ordinem majori ex parte jam ante dixeram.

Res Monasterij auxit in viginti quatuor millibus florenorum.

Non minorem summam pecuniarum expossuit ad communem utilitatem Monasterij, pro fundis & bonis temporalibus, pro agris, pratis, nemoribus, aquis, aquarúmque decursibus, simul & piscationibus, quemadmodum in præcedentibus juxta seriem annorum, in quibus factæ sunt hujusmodi emptiones, ex parte jam diximus. Pro clinodijs argenteis & inauratis, scyphis, atque potorijs non minus quàm mille florenos expossuit. Ecclesiam tabulis picturis, ornamentísq; divini ministerij valdè decoravit, & cunctis Monasterij officinis quæque vasa, instrumenta & domus utensilia numero & pretio meliora comparavit. Constat enim, quòd Monasterium sub ejus Regimine structuris possessionibus proventibus melioratum est, in summa viginti quatuor millium florenorum.

Qui

Blasius Abbas invidiâ æmulorum non caruit.

Qui cùm talis esset tam utilis Monasterio, tantúsque prudentiâ circumspectione rerúmque penè omnium experientiâ insignis prælatus, invidiâ tamen pravorum hominum simul & quorundam odio Fratrum carere non potuit, quorum improbitate ad tempus graviter exercitatus fuit. Ad hunc Blasium Abbatem ego Joannes Trithemius tum Abbas Spanheimensis librum Πανδικὸν de ordinis nostri ruina lucubravi, & scripsi ab eo rogatus, qui liber ad mensam legebatur Abbatum, quando Capitulum Provinciale ante decennium hic agebatur in Hirsaugia.

De Joanne secundo, hujus Monasterij Hirsaugiensis Abbate XLII. qui hactenus præfuit XIII. annis.

Joannes Hasmann Abbas Hirsaugiensis XLII.

ANno Domini nostri JESUChristi prænotato millesimo quingentesimo tertio, Indictione Romanorum sextâ, post mortem & sepulturam Blasij Abbatis æternâ memoriâ digni, qui sicut diximus obierat in die sanctæ Mariæ Magdalenæ, hoc est, vigesimâ secundâ die mensis Julij, Prior & Fratres hujus Monasterij Pastoris solatio destituti, ne viduitatis suæ incommoda diutius deplorarent Ecclesia, diem mensis Augusti secundum pro electione novi statuerunt Abbatis. Vacavit interim Abbatia diebus decem, quibus absentium à Monasterio præstolabatur adventus. Instante autem termino præfixo jejunium Fratres triduanum juxta morem Ordinis præmiserunt. Et in ipso electionis die Missâ de Spiritu Sancto solemni devotione cantatâ, singulis quoque Sacerdotibus sacrificium Deo Patri offerentibus, communicatis non celebrantibus, ad locum Capitularem DEI nomine se contulerunt: ubi præmissis iterum orationibus, & factis juramentis consuetis feliciter negotium incæperunt.

Viâ compromissi mixtâ scrutinio in electione processerunt.

Complacuit autem omnibus per viam compromissi mixto scrutinio ad electionem procedere: propterea quòd hic eligendi modus & communior sit, & securior. In tres ergo de Conventu Fratres compromiserunt seniores viros per omnia maturos, boni testimonij & Religiosissimæ conversationis, de quorum integritate nihil fuerat dubitandum; Joannem videlicet de Rodt Priorem quondam in Reichenbach, & in Schönrein, Joannem quoque Gächinger procuratorem in Gilstein, & Conradum de Rudlingen custodem & præpositum S. Aurelij transpontem. His tribus cæteri omnes scrutandi vota singulorum commisserunt officium, sub eo videlicet moderamine conditionis, ut singulorum votis in secreto receptis, & per notarium coram duobus testibus in scedulam signatis illum vice & nomine totius Conventûs eligerent nominarent, & publicarent Abbatem, qui multitudine votorum excelleret; quòd si duo vel plures paribus convenirent in votis, non habentes in numero superantem, penes compromissarios ipsos maneret auctoritas, quem judicaverint magis idoneum eligere ac nominare pastorem. Scrutatis igitur per Ordinem votis singulorum pars major numero & potior Auctoritate Conventus in Abbatem hujus Monasterij Hirsaugiensis quadragesimum secundum concorditer elegit Joannem cognomine Hasmannum de Calvve majorem cellerarium, virum ingenio mitem placidum & mansuetum moribus

Joannes Abbas electus est cognomine Hasmann ante major cellerarius.

moribus integrum Religiosum & honestum, qui ut se nominari audivit in Abbatem esse Conventualiter electum, obstupuit, & electioni consentire recusavit. Nihil enim minus cogitaverat, quam se futurum Abbatem, non quòd alicujus malefacti eum terreret conscientia, sed quia semper de sua humilitate contentus maluit subesse humiliter alteri, quàm alijs praesse cum periculo. Tamen victus tandem precibus Fratrum praebuit electioni de se factæ consensum, confirmatúsque à Ludovico Spirensium Episcopo, & per ejus in Pontificalibus Vicarium ex more benedictus, cum debita solemnitate, hodie agit in Abbatia annum decimum.

Joannes Abbas Patriâ Suevus erat.

Abbas iste Joannes natus in oppido Leonberg parentibus liberis & honestis, sed majori vitæ suæ parte nutritus in oppido Calvve, patriâ Suevus, in pueritia positus ad studium litterarum, cùm esset ingenio docilis, brevi tempore multa discendo profecit. Deinde Spiritu Sancto indubitanter vocante, venit ad Monasterium anno Domini millesimo quadringentesimo octuagesimo primo, & Monachus factus est sub Bernardo Abbate, qui cùm esset Juvenis ingenio naturali praeditus bono, & memoria vigens singulari, citò apprehendit docente Magistro, quicquid ad institutionem Novitiorum pertinet simul, & quomodo Monachum vivere oporteat secundum intentionem sanctissimi Legislatoris nostri Benedicti, Patrúmque sanctiones observantiæ Bursfeldensis. Hæc Juvenis cùm in Novitiatu simul & primo tyrocinio Monachatûs sui perfectè didicisset, memoriæque tenacissimè mandasset, ne videretur otiosus auditor legis, in cujus verba juravit, summo studio summóque conatu & maximâ diligentiâ, quantum fieri potuit annisus est, ut non minùs opere quam scientiâ Monachus evaderet. Unde sicut audivimus ab ijs, qui hominem intus & in cute noverunt, pluribúsque annis cum eo in Domo Dei ambulantes conversati sunt; ex eo tempore quo semel habitum S. Conversationis assumpsit, & deinceps usque in horam, quâ fuit Abbas electus, tam purè tam Religiosè, tam humiliter támque innocenter in medio Fratrum conversatus est, ut monasticæ virtutis exemplar cunctis non minus esset quàm socius. Enimverò considerans, quare venerit ad Monasterium, & cupiens voto satisfacere, quod distinxerant Deo labia ejus, pacificè tranquillè & irreprehensibiliter transivit ante faciem suam, nulli gravis, nulli molestus, nulli onerosus, sed obsequiosus omnibus, humilis obediens, & ob id dilectus universis. Nemo illum vidit sine ratione iratum, nemo risu aut levitate resolutum, nemo unquam expertus est illum injuriosum. Verùm ne videar hominem adhuc in carne viventem, aut nimio favore, aut adulationis studio laudare contra inhibitionem Viri sapientis, impetum dicendi cohibeo, & his qui post me finem ejus, & quod restat vitæ, reliquum scripturi sunt, gesta & virtutes tanti viri posteris imitanda relinquo, paucis tamen adjectis, quæ ad rationem ipsius historiæ videntur pertinere.

Joannes Abbas conversatione vitæ verè fuit Monachus.

Joannes Abbas in medio Fratrum sine querela vitam peregit suam.

Monachus igitur factus cùm velut alter Aoth ambidexter haberetur & esset, quod paucis contingit, primò per Abbatem Blasium magister coquorum institutus est, in quo ministerio biennio Fratribus diligentissimè & inculpatè servivit. Deinde major cellerarius ab eodem Abbate Blasio factus Marthæ officium strenuè gessit nonum in annum, qui juxta Pauli sententiam bene ministrando providentiâ Dei haud dubium ordinante gradum optimum ascendit. Jam nunc Lector, si placet ausculta, & ne fias

Joannes ve ut Aoth ambidexter ad omnia natus est.

Judex temerarius, si ego satis faciam officio meo honestâ necessitate compulsus.

Ordinatus Abbas Joañes iste, de quo nobis est sermo, qualis erga Deum fuerit, qualis erga seipsum, qualis erga sibi Fratres comissos, & qualis erga proximum, breviter posteritati, si possum, litteris faciam manifestum, non meâ opinione, non relatione vagâ, non intentione adulandi perversâ, sed narratione, informatione, & scriptis quondam charissimi apud Spanheimensis Monasterij gymnosophistas Discipuli mei Fratris Nicolai Baselij ex Durckheim oppido Comitum de Liningen Monachi Hirsaugiensis, & memorati Abbatis docti Magistri epistolarum, cujus ego verba subjungam, qui nescit mentiri, & adulari non consuevit. *Venerabilis*, inquit, *Pater Joannes Hasmann de Calwe, posteaquam novem annis Marthæ officium (majoris videlicet Cellerarij) strenuè utiliter & inculpatè sub moderamine Blasij Abbatis recolendæ memoriæ administrâsset, quarto nonas Augusti, quæ fuit solemnitate sancti Stephani Papæ & Martyris festiva, in Abbatem eligitur. Vir magnæ humilitatis, animo constans integer & sincerus, sine dolo, sine fraude, sine malignitate, devotus purus, & pientissimus in Deum: durus, circumspectus, ac vigilantissimus circa semetipsum in omnibus, quæ ad conscientiæ serenitatem pertinent: in observantia Disciplinæ Regularis tam in se, quàm in alijs subditis suis omni tempore studiosissimus, in corrigendis Fratrum delictis juxta præceptum sanctæ Regulæ summâ discretione utitur, bonis factus per humilitatem socius, malis autem, & qui verba Paternæ admonitionis despiciunt, durus, & severus. Dissimulare nescit scelera subditorum, sed mox radicitus amputare nititur, Patrem se benevolis & modestis verbis & operibus exhibens pientissimum. Duris autem corde austerum magistrum, dirum correctorem. Super omnia pacem diligit inter Fratres, nec ullâ ratione patitur, ut alter ab altero quâlibet occasione perturbetur. Qui licet curam sæcularium negotiorum necessariò gerat pro communi utilitate continuam, tamen internæ conversationis studium nullatenus intermittit. Ad Deum est in amore fervidus, ad se in conscientia serenus & purus, ad subditos justus rectus pius & mansuetus, in pauperes misericors, & munificus; quem in bono conservare proposito semper dignetur altissimus.*

Joannes Abbas qualis sit Nicolaus Baselius aperit.

Joannes Abbas est discretione præcipuus justus & mansuetus.

Priorem habuit Conventûs nomine Conradum Patriâ Suevum ex Ducali oppido Leonberg oriundum, virum in observantia Regularis disciplinæ studiosum, cujus adjutorio ut dexteræ manus non mediocriter relevatus, & interiora componit securior, & exteriora majori tranquillitate dispensat. Magna res est, & singulis quibúsque Abbatibus multùm necessaria, si Priores & Cellerarios habeant bonæ rationis, intelligentes Zelosos, atque fideles, in quorum ministerio securè quiescant. Talis certè est Conradus Prior memoratus Religionis monasticæ zelosus, amator custos & conservator in se, & Fratribus omni tempore studiosus, diligens & integerrimus, in quo Abbas securè possit quiescere, utpote qui verbo & exemplo talem se gerit in omnibus, qualem & Regula & observantia nostra Priorem requirit. Andream quoque Cellerarium consequutus fidelem, intelligentem, & morum integritate venerabilem, secura interna respicit, quia ministerio ejus in exterioribus adjutus in se redire frequentius post occupationes & multas & varias permittitur.

Conradus de Leonberg Prior Hirsaugiensis devotissimus.

Anno prænotato, mortuus est Georgius Dux Bavariæ cognomento dives, unicam relinquens filiam nomine Elisabeth, nuptam Ruperto filio Philippi

Georgius Bavariæ Dux cognomẽto dives moritur.

Philippi Comitis Palatini Bavariæque Ducis ac Principis Electoris, quemadmodum supra diximus anno nonagesimo nono supra quadringentesimum atque millesimum, dispensatione Romani Pontificis, quia juncti fuerant in secundo gradu consanguinitatis. Mater enim Ducis Ruperti soror fuerat Ducis Georgij, qui Dux Georgius re simul, & cognomine dives tantum in auro, argento, unionibus & lapidibus pretiosis, reliquit thesaurum, quòd ei nullus in Germania Princeps æstimatione poterat comparari.

Inter Albertum & Rupertum Bavariæ Duces dissensio.

Hanc ejus mortem infinita penè mala subsequuta sunt. Prius enim quàm moreretur, generum suum Ducem Rupertum de Heidelberga cum uxore & liberis ad se vocavit in Bavariam, cupiens eum hæredem instituere Ducatus sui, & omnium quæ possidebat. Venit ad socerum gener cum uxore & liberis anno fermè prius, quàm obiret, habitavit cum eo in Bavaria, & oppida quædam atque munitiones socero mandante in deditionem accepit. Moriturus autem Dux Georgius sæpe dictum Rupertum generum suum ex testamento hæredem universorum instituit, eúmque violenter ad Bavariæ Ducatum introduxit. Quæ res Alberto Bavariæ Duci, ut hæredi proximiori displicuit, & testamentum Ducis Georgij reclamavit. Sed Georgius Dux quam diu vixit, manu tenuit Generum, & sedulò ne discederet à testamento, se mortuo, admonebat. Quo tandem vita defuncto cùm Dux Albertus postulando nihil proficeret, Regis judicium imploravit.

Maximilianus Rex conabatur inter eos reformare concordiam.

Rex igitur Maximilianus vocatis ad se partibus, ut verus amator pacis & cultor justitiæ conabatur summo studio inter Duces reformare concordiam: propositisque multis & varijs remedijs nihil apud Ducem Rupertum (quem tamen singulari prosequebatur favore) profecit. Erat autem Dux Rupertus amabilis, inclitus, mansuetus, & humanus valdè, qui Regis non detrectâsset in omnibus sequi decretum, si res in ejus posita fuisset arbitrio. Annum ætatis tum agebat vicesimum secundum. Habebat in consilio quosdam à Patre sibi deputatos in directores, quorum arbitrio agere cuncta oportebat. Hi fiduciam ponentes in multitudine thesaurorum, Regis contempserunt sententiam, non prævidentes mala, quæ sequenti anno ex tali sequuta fuerunt inobedientia. Non semel sed sæpius Rex Maximilianus pietate motus Adolescentem admonuit, ut propositas sibi æquas conditiones acceptaret concordiæ & pacis: ubi eum semper reperit contumacem, Banno tandem imperiali cum omnibus ei adhærentibus notavit, quod anno sequenti cùm contigerit, temporis ordini scribendum reservamus.

Dux Rupertus concordiam à Rege propositam contempsit.

MDIV.

Capitulum Ordinis nostri provinciale biennio propter bella suspenditur.

Anno Joannis Abbatis I. Indictione Romanorum septimâ, Provinciale sive generale Ordinis nostri Capitulum, quod juxta recessum in Monasterio Fuldensi ante triennium scriptum hoc anno debuerat celebrari apud S. Udalricum in Augusta, propter malitiam temporum & imminentia bella, quæ jam tunc miserunt in altum radicem inter Maximilianum cum Principibus & civibus Regni, & Rupertum Comitem Palatinum & Patrem ejus Philippum Principem Electorem, necessariò fuit intermissum, & usque in annum Christi millesimum quingentesimum sextum suspensum.

Bellum totius Regni Germanici contra Palatinum instituitur.

Eodem anno, posteaquam Maximilianus Rex Germaniæ Romanorúmque electus & destinatus Imperator singulari benignitate, multâ clementiâ, & labore conatus suos frustra consumpsisset in eo displicentiarum negotio, quod pro Ducatu Bavariæ mortui Ducis Georgij, ut paulò ante diximus, hærebat inter Duces Rupertum & Albertum, & Dux iste Rupertus testamento inniteretur soceri, & non vellet obedire decretis Regalibus consilio suorum deceptus, imperiali banno cum omnibus sibi adhærentibus notatur. Verùm non attendens interdictum Regale Dux Rupertus contractis undique copijs munitiones Ducatûs soceri nonnullas occupat, & omnia quæ illius fuerant, sua esse testatur. Requisitus & præmonitus edicto Regio Philippus Comes Palatinus genitor Ducis Ruperti, ne filio exbannito faciat assistentiam, dubius & anceps diu animo fluctuabat: ex altera parte affectu paterno urgebatur ad subveniendum filio, ex altera verò Regio terrebatur edicto. Et quid faceret in tali Pater necessitatis articulo constitutus? Si filium deseruerit, judicabitur impius atque crudelis. Si adhæserit, si consilium, vel auxilium pro eodem dederit, inobediens Regiæ Majestati censetur meritò atque rebellis. In tali ambiguitate nutans vicit tandem affectus in eo paternus, & dissimulatâ interim, quam Regiæ Majestati debebat obedientiâ, naturam prætulit legibus humanis.

Comes Palatinus propter adhæsionem filij exbannitur à Rege.

His recognitis Maximilianus Rex totius Regni Principes, & cives unà cum ministerialibus in bellum contra Ducem Rupertum, ejúsque genitorem Philippum Comitem Palatinum & omnes cum eis sentientes convocat: bellúmque indicit Regni commune eisdem, tanquam in eos, qui mandatis Regalibus inobedientes fuerant atque rebelles contumaces, & ob id omni privilegio nudatos. Concessit etiam ut unicuique liberè & impunè liceret eos ut Regiæ Majestatis contemptores, & exbannitos invadere, spoliare, trucidare, & interficere.

Nomina Principum contra Palatinum personaliter moventium.

Et ecce conveniunt ad mandatum Regis mox in unam sententiam Principes multi, Cives quoque penè omnes in vicinia Regni, Comites simul & nobiles, & quasi ex condicto in Palatinum Comitem, & filium ejus unanimi consensu arma contulerunt. Et hæc sunt nomina Principum. Rex, Fridericus Marchio Brandenburgensis, Albertus & Wolffgangus fratres Bavariæ Duces, & in causa Principales, & Wilhelmus Landtgravius Hassiæ, Udalricus Dux Wirtenbergensis, Alexander Comes Palatinus Bavariæque Dux & Comes Veldentiæ, Henricus Dux Brunsvvicensis: auxilia miserunt Regi Maximiliano contra Palatinum, Episcopus Augustensis, Joachim quoque Marchio Brandenburgensis Princeps Elector; Cives insuper Regni, Argentinenses, Augustenses, Ratisbonenses, Nürenbergenses, Ulmenses, ex tota Liga Suevica cum alijs multis nobilibus & Comitibus in pernitiem Palatini unanimiter conspirantes arma moverunt. Plures etiam Comites & Militares, qui prius cum Palatino senserant, hâc superveniente necessitate Regísque urgente Imperio ab eo defecerunt.

Quatuor contra Palatinum producuntur exercitus.

Rege itaque Maximiliano præcipiente, quatuor à locis in Palatinum movetur expeditio, quam ipse primam ordinavit in Bavaria. Secundam Udalricus Wirtenbergensium Dux. Tertiam Wilhelmus Hassiorum Landtgravius, & quartam Alexander Dux Bavariæ & Comes in Veldenia.

tia, qui tamen parùm fecit, quia multum non potuit. Bertholdus Archiepiſcopus Moguntinus, Laurentius Epiſcopus Herbipolenſis, & Albertus Epiſcopus Argentinenſis, Ludovicus Epiſcopus Spirenſis, Reinhardus Epiſcopus Wormatienſis, Chriſtophorus Marchio Badenſis, Joannes Dux Bavariæ & Comes Spanheimenſis: Cives quoque Spirenſes & Wormatienſes, quia conterminant finibus Palatini Comitis terræ, ne ſe periculo involverent, quod eis è vicino inminebat, permiſſione ſeu diſſimulatione Regis à tumultu bellico quieverunt.

Primus exercitus fuit Regis Maximiliani in Bavaria.

Initium ſicut dictum eſt, hæc mala ſumpſerunt in Bavaria contra Ducem Rupertum Regio decreto inobedientem atque rebellem, in quem arma moverunt Maximilianus Rex Germanorum, Albertus & Wolffgangus Duces Bavariæ, Fridericus Marchio Brandenburgenſis, Epiſcopus Argentinenſis, & tota confœderatio Suevica cum Regni Civibus in circuitu univerſis. Qui omnes in unum convenientes numero & viribus magni & formidabiles nimium, ducatum qui aliquando fuerat Ducis Georgij, hinc inde per gyrum vaſtarunt, incendio & ferro cuncta deſolantes, munitionéſque caſtella & oppida non pauca obtinuerunt. Nürenbergenſes denique proprium exercitum ducentes contra Philippum, multa ei damna circa oppidum Amberg in Bavaria fecerunt, utpote qui & viciniores erant, & ſe læſos aliquoties ab eo graviter animis ferebant. Miſerat in Bavariam Philippus equites filio, qui ferrent auxilium in neceſſitate conſtituto, quanquam conduxerint parum.

Rex Maximilianus fudit exercitum Bohemorum in Bavaria.

Ex Bohemia etiam non parvum exercitum mercede pugnatorum conductum Rupertus evocaverat, contra quos Rex Maximilianus non longè à Ratisbona perſonaliter properavit ad bellum, habens in Comitatu Fridericum Marchionem Brandenburgenſem, & Albertum Bavariæ Ducem cum alijs Comitibus atque Nobilibus multis. Facto igitur congreſſu bellum atrox committitur; & aliquandiu ambiguo Marte pugnatur. Victoria tandem Regi ceſſit Maximiliano, & Bohemorum exercitus ab eo contritus eſt, è quibus in ore gladij ceciderunt mille ſexcenti viri, capti fuerant ſimiliter ſexcenti, reliqui fuga lapſi neceſſarium ſalutis perfugium quæſiverunt. Rex autem Maximilianus obtentâ contra Bohemos victoriâ milites plures creavit auratos, & partes hoſtiles in eo conflictu valdè infirmavit & contrivit.

Monaſterium Waltſaxa in Bavaria crematur ab hoſtibus.

Eodem anno durantibus in Bavaria guerris, Monaſterium Ciſtertienſis Ordinis Waltſaxa nuncupatum juſſu cujuſdam tyranni militis & Capitanei Marchionis Friderici fuit incenſum, & majori ex parte igne conſumptum, ſine ſcitu vel conſenſu Principis ſui, quemadmodum ejus ab ore proprio audivi, & credidi probationibus neceſſarijs ſufficienter informatus. Mox enim ut principi factum innotuit, de curia ſua incendiarium ejecit, cujus caput feciſſet amputari, ſi non precibus multorum à ſententia fuiſſet retractus. Verùm Domino Deo ſibi factas ulciſcente injurias non diu auctor incendij manſit impunitus, ſed veniens cum alio quodam in contentionem, ab eo fuit interemptus, & ſicut timendum eſt, duplici morte damnatus; ſcriptum eſt enim: *Qui templum Dei deſtruit, & ipſe à Domino deſtruetur.* Liberet, ſi conduceret aliquid, tempeſtatis noſtræ mores deteſtari humanos, quos hodie tam enormiter cernimus depravatos, in his maximè, qui de generis nobilitate gloriantur, quos rectius dumetinos

Incendiarium Monaſterij vindicta Dei conſumpſit.

Equites Maximilianus Rex appellare consuevit quàm nobiles, qui latrocinia & rapinas sequentes nec Deum timent, nec homines reverentur. Sed de his postea dicemus.

Maximilianus Rex contra Palatinum venit in Alsatiam.

Rex autem Maximilianus post habitam de Bohemis victoriam exercitum divisit, cujus alteram partem cum Duce Alberto & Marchione Friderico dimisit in Bavaria contra Ducem Rupertum, cujus vires jam tunc multum fuerant debilitatæ & imminutæ, alteram verò secum duxit in Alsatiam, Philippum Comitem Palatinum Ruperti Ducis genitorem impugnaturus. Qui cùm debellaretur à multis simul & semel in diversis locis, non potuit singulis ad pugnam occurrere, sed cogebatur patientiam in tribulationibus prudenter exhibere. Contractis enim mercede copijs duos habebat exercitus, quorum alterum filio misit in Bavariam ferre auxilium, alterum Heidelbergæ secum retinuit, quem contra incursores hinc inde per Palatinum Ducatum, prout requirebat necessitas negotiotum, ordinavit. Unde cùm resistere omnibus non posset, in multis prudenter dissimulavit, confidens de mansuetudine Regia, quòd gladium suum non ad internecionem extenderit omnimodam, sed ad paternam correctionem. Munierat jam ante satis fortiter principaliora oppida sua Heidelberg, Germersheim, Alzen, & alia per Principatum Castella, præceperátque commorantibus in rure subditis, ut res suas omnémque supellectilem, & quicquid à facie inimici optarent remanere securum, in viciniora sibi oppida atque castella transferrent, domos in villis stramine tectas operimento nudarent, ut nulla relinqueretur hostibus, aut spoliandi, aut incendendi facultas. Erant autem dies miseriarum pleni, & nusquam tuta fides in terra.

Palatinus exercitus ad patriæ tuitionem locatur.

Maximilianus multa obtinuit per Alsatiam.

At verò Maximilianus Rex posteaquam in Alsatiam, sicut est dictum, traduxit copias, Argentinensium auxilio regni terras & oppida impignorata Palatinatui, sine sanguinis effusione invasit & obtinuit, Geroldseck Castellum & Comitatum, Offenburg, Ortenberg, Gengenbach, & quidquid in circuitu Juris fuerat Palatini. Post hæc Rheno transmisso, Hagenavve, Luzelstein, Weissenburg, & omnem Regionem, quam nostri die Landtvogtey/ nuncupant, suæ subjecit ditioni nullo resistente, sed cunctis eum ut verum, & proprium dominum suum cum reverentia & honore ubique suscipientibus. His peractis Christophorus Marchio de Baden vices suas interposuit, & Regem, ne contra Palatinum progrederetur ulterius, precum instantiâ revocavit. Rex autem, qui Comitem Palatinum corripere & humiliare animo destinaverat, non delere, facilius acquievit, & retracto pede humiliatũ adgratiam recepit, quem si voluisset, in brevi totaliter destruxisset, viribus totius regni adjutus. Non enim possibile fuit, ut unus Regni Princeps (alioquin satis potens) impetum tot principum non læsus sufferret, qui duobus, vel tribus indubiè restitisset.

Secundum contra Palatinum exercitum duxit Wirtenbergensis.

Intereà dum Rex Maximilianus cum Principibus & civibus Regni bellum contra Philippum Comitem Palatinum, & ejus filium Ducem Rupertum gereret in Bavaria, Udalricus Dux Wirtenbergensis cum jussu Regio, tum propriam adversus memoratum Principem habens actionem, anno prænotato in mense Majo se litteris Heidelbergam publicè missis, hostem & inimicum, ut fieri solet, manifestat ejusdem. Deinde contractis copijs ad numerum, ut ferunt viginti millium pugnatorum peditum, & octingen-

octingentorum equitum, terras Palatini Comitis ingreditur, & in primis Monasterij Mulbrunnensis (quod Cistertiensis est Ordinis) possessiones & villas igne & ferro devastavit, quæ sub tuitione fuerant ipsius Philippi Comitis memorati, Werfen villam dicti Cœnobij cum alijs incendio cremavit, pecora rusticorum abegit, eisque plura incommoda & damna fieri permisit.

Mulbronna Cœnobium à Duce Udalrico obsidetur & capitur.

Postea ipsum Cœnobium Mulbronnense, quod in modum Castelli satis erat munitum, obsidione vallavit, in quo Palatinus Comes trecentorum virorum præsidium collocaverat. Abbas cum Fratribus ad urbem secesserat Spirensem, paucis senioribus in Monasterio relictis. Construxerat in monticulo ex oppositio Monasterij paulo prius Comes Palatinus pro defensione loci fortalitium quoddam in arcis modum fortiter munitum, non sine multis impensis, quod Dux Udalricus inprimis aggressus est, quassatúmque machinis cepit, & opus inchoatum sine intermissione jaciendo lapides continuavit. Videntes autem, qui erant in Monasterio, quòd tantæ potentiæ Ducis non possent resistere, quódque nullum de suo principe haberent auxilium, quamvis sæpius imploràssent, sub certis conditionibus Duci Monasterium tradiderunt. Dux itaque Monasterium introgressus potenter obtinuit, & eos, qui fuerant de parte Comitis Palatini, juxta condictum liberè, quo vellent abire permisit, susceptáque loci Advocatiâ Monachos revocavit. Inde progrediens fortissimum Knitlingensium agrum potenter subegit, & Palatini oppidum Bretheim obsidione cinxit, castra ponens ab ejus parte versus aquilonem. Obsidione firmatâ confestim muros, turres, & ædificia oppidi quæque bombardarum ictibus fortiter cæpit impellere ad ruinam, & magno conabatur annisu potentiæ suæ viribus obtinere victoriam. Sed qui erant in oppido & numero & audaciâ viri potentes in papiliones Ducis machinas direxêre tonantes, & se constanter & oppidum fortiter defensârunt. Erant enim pugnatores in oppido ad res bellicas instructi, quos nec metus in fugam, nec pusillanimitas Mulbronnensium instar facilè converteret in traditores; unâ námque dierum cùm Wirtenbergenses bombitonantes atque machinarum custodes otio, vino & somno dediti nihil minus, quàm oppidanorum suspicarentur excursum, Palatinenses de oppidulo otio homines memoratos vacantes quasi securos inveniunt, aggrediuntur, cædunt occidúntque, & bombardas nonnullas hostium violenter secum abducunt; ingens fit subitò clamor, & grandis sub confusione tumultus, dum præ gaudio Palatinenses attollunt in aëra voces, Wirtenbergenses autem ex subita incursione attoniti vociferantes, quid paterentur eorum tonantes, nescirent. Ex quibus nonnulli post excursum Palatinarum partium retrocedentes minus cautè secuti, cùm portam invenissent apertam, introgressi sunt, protinúsque clausis valvis crudeliter occisi, sed & plures in captivitatem abducti.

Bretheim oppidum à Duce Udalrico obsessum non capitur.

Oppidani faciunt excursum in Ducis exercitum.

Ceciderunt in eo tumultu ex utraque parte viri ducenti, & supra, plures tamen de Wirtenbergensium exercitu quàm Palatinorum. Sedatis postremò tumultibus Suevi mortuos suos in cæmeterio quodam non longè posito sepelierunt. Duravit ista oppidi Bretheim per Ducem Udalricum obsidio diebus uno atque viginti, quibus effluxis venit in papiliones Ludovicus filius Philippi Comitis Palatini primogenitus, quem Dux Udalricus

Udalricus de Wirtenberg cum honore ſuſcepit, & in tentorium ſuum lætanter introduxit. Quid inter ſe tractaverint, aut quas conditiones pacis dederint, & acceperint, me latet uſque in præſentem diem: ſolum hoc habeo compertum, quòd Udalricus Dux Wirtenbergenſis mox poſt Ludovici receſſum obſidionem amovit.

Peſeckheim oppidum à duce Udalrico & obſidetur & capitur.

Brethemij obſidione ſolutâ inde movit exercitum Udalricus Dux, & munitiſſimam arcem Palatini Comitis Peſeckheim firmiſſimâ obſidione coarctavit, lapides ſine intermiſſione bombardarum violentiâ intromittens, quibus haud parùm tribulavit obſeſſos. Qui cùm impetum machinarum ferre diutius non poſſent, neque auxilium ſe ſcirent aliunde habituros, communi decreto munitionem Duci Udalrico ſub conditione ſalutis tradiderunt. Dux autem oppidulo cum arce obtento victor ingreditur, & abire traditores permittuntur. Ultra progreſſus contra Ludovicum Comitem de Leuenſtein, qui erat in parte Comitis Palatini, quia ex patruo nepos, omnem Comitatum ejus incendio & vaſtatione hoſtili

Leuenſtein Caſtrum à Duce Udalrico obſidetur & capitur.

deſtruxit penitúſque deſolavit Caſtrum quoque memorati Comitis Leuenſtein obſedit, & in quatuor diebus obtinuit, ipſo Comite Ludovico in Bavaria cum Duce Ruperto exiſtente. Verum poſt annos quatuor Dux Udalricus quorundam nobilium precibus ad miſericordiam flexus caſtellum Leuenſtein cum cæteris ablatis omnibus prædicto Comiti ſub certis conditionibus reſtituit, unâ villâ duntaxat exceptâ, cujus incolæ nullâ ratione poterant induci, ut jam deinceps conſentirent ſub ditione Comitis eſſe Ludovici, cauſas habentes varias. Conſequenter Dux Udalricus in Comitatum de Winsberg movit exercitum, & incenſis per circuitum villis magnam terris intulit deſolationem. Poſt Comitatus hoſtilem

Winsberg Caſtrum à Duce Udalrico & obſidetur & capitur.

vaſtationem ipſum Caſtellum Winsberg obſidione vallavit, quod ſimiliter expugnavit in paucis diebus, & per deditionem obtinuit. Rurſúſque progrediens novam Civitatem Palatini Comitis oppidulum ſimili facilitate capiens in ſuam redegit poteſtatem. Deinde Meckmul cinxit obſidione, quod etiam brevi ſuæ poteſtati ſubjecit.

His per tempus, quo inter Regnum & Palatinum cæpta duravit contentio, per Ducem Udalricum XVIII. annum ætatis agentem gloriosè imò nullo reſiſtente peractis, mandato Regali ſubſecutæ ſunt treugæ, à bello ceſſatum, & tandem ſicut dicemus, facta concordia. Animus in Adoleſcente fuit Principe magnus, cujus impetum niſi Regia cohibuiſſet auctoritas, damna Palatinis graviora intuliſſet. Laudamus eum, quoniam in ea parte Chriſtianum ſervavit modum pugnandi, quo & Monaſterijs & Eccleſijs Deo conſecratis pepercit, quippe qui neque incendio conſecrata Domino templa ſubvertit, neque ſervorum Dei Cœnobia ſpoliavit, ſed animo ſtrenuus, potentiâ virtuoſus, ac pius in Deum, quoad fieri potuit, Eccleſiæ miniſtris pepercit.

Tertium contra Palatinum exercitum ducit Alexander Comes Veldentiæ.

Tertium contra Palatinum circumduxit exercitum Alexander Comes Palatinus Bavariæque Dux & Comes in Veldentia Moſellanus, qui morabatur in Gemino ponte, filius Ludovici quondam cognomento Nigri. Hic anno Dominicæ Nativitatis prænotato, in Vigilia ſancti Petri & Pauli Apoſtolorum Capitaneum ſuum cum exercitu parvo ruſticano & magis ad prædam idoneum quàm ad pugnam, in terras miſit Palatini, Spanheimenſi conjunctas atque vicinas Comitatui, qui Monaſterium Wilhelmitarum,

mitarum, quod Mariæ porta nuncupatur parùm distans à Spanheim, intrantes crudeliter spoliarunt, abigentes pecora, & omnia, quæ invenire poterant, secum in Meisenheim oppidum abduxerunt. Erat autem Feria sexta & Vigilia sicut diximus Apostolorum, nihilominus quidam in exercitu petrones repertas, quæ præcedente vespere superaverant, carnes devorabant. Spoliato Cœnobio retrocesserunt, & quasdam in itinere villas de Palatini dominio igne suppositò incenderunt, Merxheim, Nusbaum, & alias per circuitum oppidi Sobernheim. A Priore nihilominus & Fratribus memorati Cœnobij Wilhelmitarum ducentos extorsêre florenos, ut ab incendio, quod minabantur Monasterio, temperarent. Quis hic modus bellorum, ubi & Deo dicatis locis minatur incendium? Inde capitaneus exercitus Ducis Alexandri copias contra Palatinum duxit in partes Westrasiæ, atque per provinciam discurrens instabilis villulas quasdam incendio cremavit, pecunias à Monasterijs & Ecclesijs in Ottenburg, Clingenmünster, Uthersthal, Hartvvichshausen, sancti Lamberti Monialium, & alijs in circuitu, ne incendio perirent, extorsit, spoliavit, & sine commiseratione graviter afflixit. Posthæc Buleckheim villam Comitis Palatini ab oppido Landavv Spirensis Diœcesis uno duntaxat milliario distantem obsedit, & fortiter ut potuit impugnare cæpit. His autem, qui fuerant in præsidio collocati, villam constanter defendentibus, omnes hostium defecere conatus. Interea Comes Palatinus exercitus sui partem in auxilium misit obsessis, quorum adventu territus hostis obsidione solutâ discessit, plura passus incommoda, quam hostibus forsitan suis potuerit inferre.

Villam Buleckheim obsident Alexandrini, sed capere non possunt.

Dum hæc agerentur, Dux Alexander morbo laborans non fuit in exercitu, cujus absentiâ factum est, ut milites conductitij prædam sitientes plus hostem spoliare contenderent, quàm vincere. Discurrentes enim per totam regionem in circuitu Novæ Civitatis oppidi omnia per violentiam rapuerunt non solum in domibus & possessionibus rusticorum, sed etiam in Monasterijs & Ecclesijs Sanctorum. Non tamen omnes, qui fuerunt in exercitu, in hunc modum rapacitatis vitio intendebant, sed viri perditionis duntaxat, quibus nihil de timore Dei, nihil de publica honestate, sed totum de avaritia constabat. Quòd timor Dei non fuerit ante oculos eorum, ex eo fecerunt manifestum, quia neque Deo dicatis locis pepercerunt, neque Monachis, neque Ecclesiæ Dei ministris, utpote qui avaritiæ facibus insanabili desiderio inflammati sacrilegas manus in res divino cultui consecratas temere miserunt, spoliarunt templa Dei ornatibus cunctis, altaria pallis & linteamentis benedictis, & quod eatenus in Christianorum publicis bellis nusquam reperi factum, linteos attactu Domini pretioso Corpore sanctificatos (qui corporalia nuncupantur) rapuerunt de sacrosanctis Ecclesijs, & in suos usus illicitos deputarunt, ex quibus alij suis uxoribus fecerunt pepla, alij sibi applicuerunt ad pectoralia.

In absentia Ducis malè habet exercitus.

Inauditum nefas! ex corporalibus pannis facere pepla mulierum.

Anno prænotato, 9. die mensis Augusti, pedites cum equitibus Alexandrinorum, qui erant in oppido Meisenheim (quod duobus ferme à Monasterio Spanheim distat milliaribus) circa solis ortum mane irruerunt in villam Budesheim juxta oppidum Creuzenach inopinatè, raptísque omnibus inventis eam ignibus incenderunt. Fumo per aëra surgente

Budesheim villa prope Creuzenach ab Alexandrinis incenditur.

in altum, Palatinenses, qui erant in oppido jam dicto, turmatim contra hostes exiverunt usque ad villam procedentes ardentem. Sed Alexandrini mox ut villam incenderant, fugerunt, & abductis nonnullis ex Budesheim & Huffelsheim rusticis una cum inventis pecoribus & spolijs ad Meisenheim præsidium suum reversi sunt,

Windesheim villa 120. florenis servatur ab incendio.

Die undecimo mensis Augusti, Capitaneus Ducis Alexandri Henricus de Schvvarzenburg eques auratus ruricolas villæ Windesheim Cœnobio Spanheimensi vicinæ pro 120. florenis, ab incendio liberos dixit atque securos, noluit enim incendere villam, quamvis sub ditione Palatini constitutam, propterea quòd Dux Alexander patronus & collator esset Ecclesiæ Parochialis. Villam quoque Waldenhausen, quæ Juris est nobilium de vicino castello Dalburg, pro 300. florenis liberam ab incendio fore promiserunt Alexandrini.

Alexandrini pecora incolarum villæ Bickelheim abigunt.

Die quarto mensis Septembris, mane ante solis ortum exeuntes de Meisenheim Alexandrini silenter intraverunt Comitatum Spanheimensem, vaccásque 120. & porcos 20. juxta villam pascentes abegerunt. Villam quidem capere nisi sunt, sed non potuerunt, quam incolæ prius fossatis sepibus, & propugnaculis munitam die & nocte diligentius custodiebant. Die autem sequente mane surgentes viri de Bickelenheim numero viginti auxilio quorundam de oppido Sobernheim ante solis ortum se haud procul ab oppido Meisenheim in nemore absconderunt, donec pecora egrederentur ad pascua, quibus more solito egressis erumpunt de insidijs, qui latuerunt viri, pecora non suspicantibus Alexandrinis abigunt, & Bickelenheim velociter introducunt.

Sobernheimensium pecora abiguntur.

Unde nono die mensis memorati Septembris Alexandrini rursus de oppido Meisenheim turmatim exeunt, & circa nonam horam de mane in agrum Sobernheimensis oppidi cum silentio irruentes omnia, quæ invenerant, pecora, nullo percipiente in oppido, secum ducentes ad Meisenheim minaverunt. Est autem inter Sobernheim, & Meisenheim unius duntaxat milliaris distantia.

Castellum Zusch ab Alexandrinis spoliatum incenditur.

Vigesimo posthæc die mensis Septembris, quæ fuit sexta Feria post Festum Exaltationis sanctæ Crucis, Alexandrini mane diluculo venientes ad Castrum Zusch in nemore situm, quod Saonus nominatur à Spanheimensibus, Trevirensibus autem & Mosellanis Hydorus, donec egrederentur ad pascendum pecora latuerunt. Est autem nemus hoc in majori parte latitudinis unius theutonici milliaris, in minori semissis, cujus initium à Rheno inter Bingiones & Bacherachios captans per Comitatum Spanheimensem Cynonotósque Trevirenses & Lotharingios in fines porrigitur continuatum sine intercapedine Metensium. Ea pars nemoris memorati, quæ sub Moguntina continetur Diœcesi, nuncupatur Saonus, illa verò quam Diœcesis comprehendit Treverica, Hydorus nominatur, sylva certè quercubus, pascuis, & glandibus dives.

Joannes de Hohenstein captivus abducitur per eosdem.

Itaque latitantes in insidijs tecti nemore Alexandrini, mox ut pecora de Castello viderunt exire, submiserunt in habitu rusticano antea dispositos, qui portas, antequam clauderentur, præoccuparent. Quorum confestim insecuti vestigia ceperunt nullo resistente Castellum, ipsiúsque domicellum Joannem de Hohenstein adhuc dormientem in lecto ceperunt abducentes captivum. Deinde omnem scrutantes suppellectilem in prædam sumentes

sumentes abducunt, & Castrum igne suppositio redigunt in favillam. Non enim confidebant integrum se posse retinere Castellum, propterea quòd & Jure Feudali Archiepiscopo subjiceretur Trevirorum, & Joannes de Hohenstein Dominus castelli neque Palatino, neque alteri alicui hac durante guerrâ serviret. Unde cunctis rem medullitus intelligentibus visum est Alexandrinos gravem, & non dissimulandam feciſſe injuriam. Sed quid? non Judex judicat? Transeamus.

Merxheim villa per Alexandrinos spoliata incenditur.

Vigesimo octavo die mensis Septembris, Alexandrini de oppido Meisenheim rursum egressi Merxheim villam, ut supra diximus sub tuitione Philippi Comitis Palatini positam, quæ Juris erat immediati Svvidegeri de Sickingen equitis aurati, qui tunc in exercitu Ducis Ruperti fuerat personaliter occupatus in Bavaria, & Joannis captivi de Hohenstein memorati spoliaverunt, & igne submisso, quod reliquum fuerat à priore incendio, funditus destruentes, in favillam redegerunt magno damno incolarum. Eodem quoque die pars una exercitus Alexandrinorum villam & castellum SeynSvvidegeri militis de Sickingen, jam dicti spoliaverunt, & per incendium funditus destruxerunt irruentes more suo per turmas.

SeynCastellum & villa per Aleandrinos destruitur.

Dum hæc omnia, quæ diximus fierent, & quædam alia plura memoriæ non occurrentia nostræ, mandato Ducis Alexandri contra Philippum Comitem Palatinum tempus mensium quinque consumebatur, quo bellum duravit, intereáque agebantur, quæ sunt dicta prius de Maximiliani Regis in Bavaria exercitu, Ducis quoque Udalrici de Wirtenberg, & quæ sumus dicturi de crudeli vastatione Wilhelmi Landtgravij provinciæ Hassianorum. Verùm quia breviter descripsimus Alexandri Ducis memorati gesta contra Philippum Comitem Palatinum, sicut nostræ occurrebant memoriæ, ordo jam postulat rationis, ut quid Palatinenses auserint adversum partes ipsius Ducis Alexandri, quantum nobis constare poterit, breviter dicamus.

Quid Palatinenses egerint contra Alexandrinos.

Imprimis autem Nicolaus Brunonis, vel, ut propius accedam, Brunus de Schmideberg ex parte Palatini Capitaneus eorum, qui apud Stauronesum erant in præsidio, vir audax, fortis, & bellicosus in Vigilia Nativitatis sancti Joannis Baptistæ, contractis ex Stauroneso copijs Alexandri Ducis villas duas circa Nahum fluvium in vicino positas, Husen videlicet inferius, & superius invasit, spoliavit, incendit, ac præter Ecclesiam funditus destruxit: viros ruricolas, quotquot invenire potuit, cum pecoribus & præda captivos abduxit, quos pecuniâ interveniente postea liberos abire permisit. Sequenti die Festo Divi Baptistæ Joannis villam Rode simili vastatione deprædatus incendit, & nonnullos ex rusticis captivos abduxit. Reliquas etiam in circuitu villas, curtes, & quicquid sub tuitione fuerat Alexandri Ducis, hostili incursione devastans spoliavit, incendit, ac funditus destruxit.

Exercitus Palatini congregatur apud Stauronesum.

Post hæc 19. die mensis Julij, venit ab Heidelberga Joannes Landschad de Steinach eques auratus Palatini Capitaneus & Dux exercitus cum armatorum copijs ad oppidum Creuzenach, & manserunt ibi diebus sex, incrementum sui & machinas bombardarum expectantes. Quibus interea cum Bombitonantibus advectis 26. die mensis Julij, Stauronesum in magna multitudine per ordinem exierunt, primò pedites, ac deinde pulchro

apparatu disposiți equites iter contra Ducis Alexandri Principatum dirigentes. Erat autem mane circa horam septimam, quando primi exire cæperunt, & ordine sequentes alij continuo paulò post nonam horam ultimi exiverunt, fuit enim copiosus exercitus.

Palatinenses Monasterium S. Disibodi spoliarunt.

Eodem die venerunt cum festinatione ad planiciem, quæ est inter montem sancti Disibodi & Odernheim Ducis Alexandri oppidulum, & ibi castra fixerunt. Erant autem in ipso Monasterio montis S. Disibodi quinquaginta Stratiotæ pro custodia loci ab Alexandro deputati, qui cùm vidissent exercitum Palatinensium advenire, confestim relicto præsidio fugerunt. Ingressi Monasterium Palatinenses duos vel tres Monachos duntaxat invenerunt, cæteris cum Abbate hostium metu jam pridem ad loca tutiora translatis. Magnam Petrones crudelitatem in Cœnobio exercuerunt, quam veritatis amore transire non possumus. Vini plaustra non minus quinquaginta in Cellario repererunt, quod, si eo modestè fuissent usi, exercitui multis diebus potuisset sufficere, sed passim omnes, qui volebant irruentes sine ordine, sine modestia, sine discretione vinum potabant, & multo plus effundebatur in terram, quàm in usum verteretur humanum. Enimverò cùm instrumenta non haberent, vel ad perforandum opercula vasorum, vel in quibus possent recipere vinum: lanceis & pugionibus aperuerunt foramina, & bibentes, quantum poterant, reliquum defluere in terram permittebant. Quidquid in Monasterio repererunt, sine timore Dei totum rapuerunt, non relinquentes, vel cochlear unum, vel aliud quicquam minimum, nam plumbum de testis, atque fenestris, ferreos clavos de ligneis parietibus, pallas de altaribus simul & corporalia furtivè sustulerunt. Non milites, non nobiles, non equites ista fecerunt, sed nudi pedites & rustici petrones, qui vel jussi, vel ultronei se conjunxerunt exercitui. Nihil reliquerunt intactum, nihil integrum, nihil non violatum. Verùm Abbas providus futurorum calices, privilegia, libros, & quæque Monasterij pretiosa Clenodia tempestivè ad Meisenheim fecerat transferri. Fuerunt tamen nonnulli, qui de nobilitate gloriantur in Sobernheim oppido Palatini domicilium habentes, qui sublata publicè de Monasterio torcularia, vasa quoque vinaria, lectisternia, scamna, mensas, fœnum, stramina, & quicquid invenerunt utensilium seu rerum domesticarum, impunè rapuerunt, & curribus multiplicatis in sua nullo contradicente fecerunt abduci.

Rustici Petrones atq; sacrilegi omnia inventa rapuerunt.

Cotirodurum à Palatinensibus capitur.

Eodem quoque die, videlicet sanctæ Matris Annæ, Palatinenses oppidum antedictum Odernheim, quod Cotirodurum veteres nuncuparunt, obsidione cinxerunt, & machinis bellicis sive bombardis acriter impugnarunt. Nec minus, qui erant in oppidulo viri & mulieres, turribus & muris conscensis, balistis, bombardis, & lapidum ejectione fortiter se defensare conati sunt. Superati tandem multitudine impugnantium Odernheim, cùm se nec defensare possent diutius, nec aliunde sperarent auxilium, & se & oppidum sub certis quibusdam conditionibus in manus Palatinensium tradiderunt, die scilicet 28. mensis Julij, quæ fuit Dominica & Martyrio sancti Pantaleonis festiva, circa quintam horam post meridiem obsidionis die tertiâ.

Odernheimenses victi.

Oppidum Palatinenses ingressi, & per domos discurrentes, quicquid invenire poterant diripiebant. Oppidani autem cum uxoribus & liberis

suis

ſuis ad Eccleſiam confugerant Parochialem, in quam etiam res ſuas quáſque meliores ante triduum comportaverant, in qua ſalvæ manſerant. Joannes etenim Landſchad miles & Capitaneus Palatini memoratus cùm eſſet Chriſtianæ pietatis amator ſimul & juſtitiæ cultor, nullâ potuit ratione perſuaderi, ut quempiam ſuorum Eccleſiam permitteret ingredi. Omnia ergo ſalva manſerunt, quæ in Eccleſiam fuerant repoſita, nec minimum quid ex eis fuit ablatum, poſitis juſſu capitanei ad januam cuſtodibus, qui nulli concederent introitum. Deinde convocati ad Forum oppidani, ut moris eſt, in verba Comitis Palatini omnes juraverunt. Erat quidem parvum oppidum, ſed muris, turribus & foſſatis optimè munitum, habens ab Oriente Planum fluvium non facilè tranſmeabilem; propterea confiſi de firmitate loci per triduum oppidani, quamvis pauci eſſent numero, fortiter ſteterunt, promiſſum à Duce præſtolantes auxilium, quo non veniente bello præpoſuerunt ſalutem. Capto autem oppiduloPalatinenſes muros & turres per gyrum dejicientes impleverunt foſſata, ne relinqueretur Alexandrinis occaſio, vel ſpes aliqua recuperationis. Perierunt ab utraque parte nonnulli bombardarum lapidibus miſerabiliter obruti.

Palatinenſes devaſtant terram Ducis Alexandri ubique.

Inde moventes exercitum Palatinenſes per terras Alexandri Ducis iter verſus Luteram Palatini oppidum inſtituerunt, plures in medio villas adverſariorum deprædantes, incendio vaſtaverunt. Procedentes autem ulterius ordine cæpto Alexandrinos ab obſidione villæ Pikelheim, de qua diximus, fugaverunt. Pepercit in his omnibus Philippus Comes Palatinus Alexandro nepoti, quem indubitanter perdere potuiſſet, ſi ambo æquali odio laboraſſent, quorum alter plus voluit, quam potuit: alter noluit, quantum inferre mali potuit inimico.

Nicolaus Brunus devaſtat & incendit villasDucis Alexandri.

Poſt hæc 18. die Septembris, Nicolaus Brunus de Schmidberg Capitaneus Palatini Comitis in Stauroneſo contractis oppidanorum copijs terram Ducis Alexandri rurſus intravit, Moſchelen inferius cum alijs quibuſdam villis per circuitum ſpolians incendit, ruſticos nonnullos abduxit captivos, pecora quoque multa abegerunt, qui cum eo erant Stratiotæ. Tanta fuit in oppido Stauroneſo equorum, boum, & ovium copia ex Principatu Ducis Alexandri raptorum, quantam prius in his terris nemo viderat unquam. Vidimus tunc oves quingentas venundari pro florenis quinque atque viginti, equos, porcos, vaccas pro viliſſimo comparari pretio. Emptoribus tamen quibuſdam, quod de rapina comparaverant, Tholoſanum eſt verſum in aurum, ut pœnas avaritiæ luerent, qui ſcienter injuſtè acquiſita vili pretio ſibi uſurpaverunt.

Quartum contra Palatinum exercitum duxitLandgravius Wilhelmus.

Quartum contra Philippum Palatinum Comitem exercitum duxit Wilhelmus Haſſiorum Landtgravius, ſecum habens proprijs in perſonis Henricum Ducem Brunſvvicenſem, Henricum quoque Ducem Mechelburgenſem, Emichonem Comitem de Liningen, Comitem de Lippia, Comitem de Königſtein, aliósque plures Comites & nobiles, quorum aliqui odio Palatini laborantes, ut proprias cauſas prætendentes ſpontaneâ voluntate militabant; alij ſtipendio fuerant ab eo conducti.

Contractis itaque ſuorum copijs Princeps memoratus de Haſſia egrediens cum magno exercitu venit ad Franckfurdiam, quem Franckfurdenſes mandato compulſi regio per oppidum & pontem Mogani tranſire

Bensheim obſidetur à Landgravio, non capitur.

ſire permiſerunt. Qui movens exercitum in terram Palatini, Bensheim oppidum in Strata montana firmiſſimâ obſidione vallavit. Verùm Palatinenſium exercitus ab Heidelberga miſſus cum machinis, & bombardis in auxilium obſeſſorum, uſque adeò terruit hoſtem, quòd mox obſidione ſoluta ſine effectu receſſit, & omnes in circuitu villas juris Palatini ſpoliavit, incendit, & funditus evertens deſtruxit.

Lauriſſa Monaſterium ſpoliatur cunctis bonis per Haſſios.

Monaſterium LaureacenſePræmonſtratenſis Ordinis, quod aliquando fuit Ordinis noſtri, & una de quatuor Abbatijs Regalibus Germanici Regni, cunctis rebus & bonis inventis ſpoliavit, frumenta & vinum in proximas munitiones ſuas territorij de Geravv, quæ fuerunt aliquando Philippi Comitis ultimi de Kazenelenbogen, fecit abduci, non ſine injuria Dei & incommodo Fratrum graviſſimo. Novum caſtrum, quod Fridericus Comes Palatinus Tutor quondam Philippi & patruus in nemore conſtruxit ad ſiniſtram de Wormatia pergentibus ad Laudenburgum, & ex ſuo nomine Friderichſpurg nominavit, pulchrum & amæniſſimum igne ſubmiſſo in favillam redegit, Lamperten, & omnes in circuitu villas ſpolians incendit, & inventos ruricolas captivos abduxit. Deinde Caſtellum Stein nuncupatum haud procul à Wormatia traditione Caſtellani obtinuit. Cúmque omnia deſolaſſet ab iſta parte Rheni, quæ potuit, à Wormatienſibus tranſitum navigio per Rhenum in aliam partem ſibi concedi poſtulavit. Sed Wormatienſes Jura vicinitatis illæſa cuſtodire volentes non permiſerunt.

Philippus Comes Palatinus Heidelbergæ commorabatur.

Interea dum hæc agerentur, Philippus Comes Palatinus in ſua munitione fortiſſima reſidebat Heidelbergæ, finem & exitum rei expectans. Caſtrum ejus reſidentiæ muris, turribus, montibus & ſitu fortiſſimum eſt, nec facilis patet acceſſus, in quo tot machinas repoſuit bellicas atque bombardas numero & magnitudine ingentes, quantas vel quales ante hac apud unum principem non vidimus in Germania. Oppidum quoque Heidelberg ſatis ante munierat, & victualia pro triennio ſufficientia præparaverat, viros etiam audaciâ & fortitudine potentes pro loci defenſione in præſidio habuit, & hoſtium adventum ſecurus expectavit.

Wilhelmus Landgravius non acceſſit ad Heidelbergam.

Hæc non ignorans Landgravius in terminis Stratæ Montenſis lanceâ pugnat & ludit, ſed oppido Heidelberg metu bombardarum appropinquare non voluit, neque per Fluvium Neccarum ad ſuperiora Comitis Palatini villagia tranſivit. Et cauſa forſitan erat etiam alia, quòd bombardas tantæ molis & fortitudinis ſecum de Haſſia non adduxerat propter locorum diſtantiam, quibus vel muros potuiſſet dejicere, vel impugnare Civitates. In argumentum veritatis adjungo, quòd in toto calamitatis hujus tempore nec oppidum aliquod munitum cæpit violenter, neque caſtellum, niſi per deditionem eorum voluntariam, qui ad defenſionem poſiti animis defecerunt cuſtodiæ propoſitum abijcientes.

Landgravius apud Moguntiam tranſduxit exercitum ſuum.

Videns ergo princeps Landtgravius, quòd per Wormatienſes non poſſet ad Ultra-Rhenana Palatini habere commeatum, neque aliunde conquirere naves, quæ tantam exercitus multitudinem ſine periculo per Flumina Rheni transducerent, deſcendit ad Moguntiam, & conſenſu, uti dicebatur, eorum, qui locos & vicos tenebant Epiſcopi (tunc in Aſchaffenburgo reſidentis quietè) contractis undique navibus apud Weiſſenavv villam de oppido S. Victoris extra Moguntiam traduxit exercitum.

Venerat

Venerat jam tunc hora, in qua Clerus Moguntinus vices rependit Palatino pro damnis, calumnijs, contumelijs, quibus per annos decem, & amplius ab Officialibus ejus in Alzen & Creuzenach non mediocriter fuerat læsus & gravatus, quemadmodum in superioribus ex parte jam diximus. Non sunt nobis incognita mala, pericula, & damna, quæ omnis in Moguntia Clerus in censibus, in redditibus annuis, & libertatibus passus est per dissimulationem memorati principis, & per ejus in vicino ministeriales; justéne an injustè nihil ad nos. Erant quidam ex nobilium genere, qui causas, & querelas contra Ecclesiam Moguntinensem prætendentes adversus Bertholdum Archiepiscopum, & omnem per totam Diœcesin Clerum multis annis incursus fecerunt hostiles, frumenta decimarum, curtium, & aliarum possessionum, si pecuniâ Clericorum interpositâ non redimerentur, in agris & horreis igne concremantes. Quid loquar de Testipremis, parricidis & Sacerdotum detentoribus? quorum tanta nostris diebus fuit crudelitas in Comitatu Spanheimensi & circumcirca, ut nec Monachi Cœnobia, nec Presbyteri villagia quoque tutò egredi possent. Parco autem, ne historiam nimium exaggerando etiam cum veritate videar excessisse.

Hostes Ecclesiæ Moguntinæ multa fecerunt mala Clero.

Wilhelmus itaque Hassiorum Landtgravius postquam consensu, permissione, & auxilio Moguntinensium navigio traduxisset exercitum, castra posuit in villa Schornsheim non longè à Moguntia, omniáque in circuitu usque ad Oppenheim, quæ juris erant Palatini, devastavit, villas spoliavit, incendit, ac funditus destruxit. Magna fuit in exercitu ejus quorundam impiorum crudelitas, eorum maximè, quos incendio præfectos Brandmeister vulgò nuncuparunt, qui Ecclesias non solum villagijs contiguas, sed etiam aliquantulum remotas, cùm servare potuissent, ex industria proprio igne suppositò unà cum viculis incenderunt & destruxerunt.

Landtgravius castra posuit in villa Schornsheim.

A Schornsheim Landtgravius movens exercitum per terras circumduxit Comitis Palatini usque ad Alzen, & ibi non procul ab oppido castra metatus est. Positis autem papilionibus per gyrum, cuncta in agris frumenta, quæ jam erant maturitati proxima, equorum multitudine consumpsit, & reliquum conculcando destruxit, villas incendio dedit, spoliavit rapuit, & nec Deo consecratis Ecclesijs pepercit. Quidquid enim rerum, & substantiæ pauperum rusticorum in Ecclesias propter majorem fuerat securitatem repositum, totum cessit in prædam exercitui Hassiorum: omnia etiam vasa & ornamenta Ecclesiarum, quas non incenderant, diripuerunt.

Est oppidum inter Oppenheim & Alzen Gaviodorum nuncupatum Regni Germanici antiquissimum, quod à multis retrò annis Palatinatui dignoscitur impignoratum. Ad hoc oppidum Landtgravius exercitum ubi admovit, nimio pavore perterriti Cives in occursum ejus properant, portarum ei claves præsentant, & se suósque & oppidum ejus ditioni submittunt, quorum levitatem, ne dicam, perfidiam etiam hostis ipse detestabatur, quòd oppidum habentes muris, turribus atque fossatis munitum tradidissent, nullâ adhuc necessitate compulsi. Unde in pœnam perfidiæ cunctis traditores bonis spoliavit, dimissóque oppido retrocessit, & viros omnes in eo repertos secum captivos abduxit. Omnes in circuitu

Gauodernheim oppidum Regni in manus venit Landtgravij.

Gavij villas ſpoliavit & incendit, quæ ad dominium pertinebant Comitis Palatini, his duntaxat exceptis, in quibus Clerus Moguntinus vel curtes habuit, vel decimationes, quibus rogatus ab eis libenter pepercit. Multam in Gavio tam Oppenheimenſi, quam Wormatienſi circa Alzen & Stauroneſum, qui Nahagavv appellatur, prædam in frumento & vino & in varijs uſus humani rebus Landtgravius reperit, cepit, & in ſua ſecum abduxit. In duabus námque villis Saulheim & Weſthoffen plus quam mille vini optimi plauſtra invenit. Quid vel quantum in alijs tam multis & magnis putandus eſt reperiſſe villis atque caſtellis per meticuloſam deditionem obtentis?

Palatinenſium exercitus venit contra Landtgravium.

Interea cùm Landtgravius poſitis circa oppidum Alzen caſtris, omnia ſicut diximus, devaſtaret, compaſſus nec immeritò ſuis Comes Palatinus diſperſum convocavit exercitum, & miſit eum ſub manu Capitanei ſui Joannis Landtſchad contra Haſſios ad Alzeiam. Quorum adventu Landtgravius cognito, non duxit eorum expectare præſentiam, ſed movens inde per tria ferè milliaria noſtra diſceſſit inter duo noſtra villagia Blinch & Genztingen juxta Nahum fluviũ ſpatio dimidij milliaris à Stauroneſo ſive Creuzenach oppido caſtra locans, quinque ibi diebus in papilione manſit. Ad quem venit in caſtra Dux Alexander cum mille ducentis viris, qui dudum ei contra Philippum Comitem Palatinum fuerat confœderatus, & habuerunt inter ſe diutius optata colloquia. Riſerunt Ducem primores Haſſiorum, quòd Princeps tam inclyti nominis contra potentiſſimum adverſarium Comitem Palatinum videlicet majorem, non haberet exercitum. Dux verò Alexander peractis his, pro quibus venerat, in Meiſenheim reverſus eſt.

Haſſij omnia in circuitu Nahagaw devaſtaverunt.

Non vacabant otio in ſtatione Haſſij, ſed more ſuo circumcurrentes per totam regionem, omnia diripientes, villas cum Eccleſijs crudeli malignitate incenderunt. Habebant enim convenientes moribus ſuis flammarum præpoſitos, qui nec Deum timebant, nec hominem reverebantur, de quibus nemo dubitet, quoniam Omnipotens Deus & ſuas & pauperum ſuorum aliquando vindicabit injurias, ſi non in hac vita, in futura tamen, & forſan in utráque.

Imprimis autem ſpoliaverunt Armsheim villam, & incendio ſubverterunt, quæ non longe diſtat à Flanheim in via euntibus de Bingen ad Alzejam: Eccleſiam quoque in ea novam pretioſam atque pulcherrimam, quæ ante paucos annos in memoria hominum ex oblationibus fidelium ad memoriam Dominici Sanguinis illuc concurrentium fuerat conſtructa, ſpoliatam vaſis & ornatibus cunctis incenderunt funditus deſtruentes, Sacerdotibus aſtantibus & lachrimantibus.

Baſenheim cum Eccleſia, Lansheim cum Eccleſia, Armsheim cum Eccleſia.

Deinde villam, quæ Wansheim dicitur, ſpoliatam ſimiliter incenderunt, Baſenheim quoque villam & Eccleſiam ſimili veſaniâ ſpoliantes concremarunt. Lansheim quoque villam magnam cum Eccleſia pulchra & campanis funditus incendio deſtruxerunt, omnia diripientes quæcunq; invenerunt. Viri ejus loci audientes videntéſque inimicorum adventum, in nemus vicinum receſſerunt.

Heidesheim villam juxta rivulum ſitam, qui aurea ripa nominatur ab incolis terræ, cunctis bonis ſpoliatam igne ſubmiſſo totaliter everterunt, villas etiam Kappeslaubersheim, Erbsbuddesheim curtem novã & plures

per

per circuitum Nahagavij & Stauronesi, quorum omnium nomina memoriæ hac vice non occurrunt, cum Ecclesijs spoliaverunt, incenderunt, & penitus desolaverunt. Benzenheim, Genzingen, Bleinch & Wizenheim cum nonnullis alijs villis magnis non incenderunt ad preces quorundam simul & interveniente pecuniâ, quam Brandschatzung nuncupant, spoliarunt tamen pauperes omnibus, quæ reperire potuerunt, & secum abduxêre.

Viri de Sprenlingen omnes fugerunt à facie Hassiorum.

Est villa milliario distans à Creuzenach, fossatis, muro, sepibus & propugnaculis admodum satis munita, nomine Sprenlingen, cujus incolæ jam bello instante rogaverunt Palatinum, ut eos cum bombardis tantum, cum pulveribus & alijs necessarijs provideret, asserentes se & numero, & fortitudine ad defensionem villagij sufficere, nec stratiotarum indigere suffragio. Fecit Palatinus sicut petierant, noluitque gravare alienigenarum insolentiâ viros tam audacter promittentes parietes defensare domesticos; est enim villa non parvi momenti. Veniente in regionem illam exercitu Hassiorum solo ejus auditu territi nimium viri omnes, relicto villagio cum bombardis, rebus, mulieribus & liberis ad Alzeiam oppidum fugerunt: sic rusticorum stetit præsumptio, quæ grandia proponit in hostem, dum procul est, & fugit ante præsentem.

Landtgravius prædam in Sprenlingen reperit multam.

Reperit in eo villagio multam Landtgravius prædam, vini plaustra quater centum, frumentorum ingentem copiam, bombardas & variam in domibus rusticorum supellectilem. Erant enim homines admodum locupletes sub ditione Comitis Palatini Ducis Joannis in Simmeren habitantis indivisibili dominio constituti, quibus annuè contribuunt 500. auri florenos pro taxâ, quam ipsi precariam nuncupant subventionem. Villam ne incendio periret destinato, consuetudine Hassiorum acceptâ pecuniâ Landtgravius immunem fecit.

Schwabenheim Cœnobium Regularium ab Hassijs invaditur.

Cœnobium est Fratrum Canonicorum Regularium S. Augustini de Windesheimensium observantia Fratrum, quod Comites de Spanheim olim fundârunt, non longè ab eo loco situm, ubi inter Stauronesum & Sprenlingen castra posuerunt Hassij, in quod cum impetu irruentes non parva Servis Dei damna fecerunt & incommoda. Jussu tamen principis temperatum est, ne desolaretur in toto, pro qua liberatione ab incendio Prior loci ducentos auri nummos Landtgravio dare compulsus est, non attentâ paupertate seu inopiâ, quâ Fratres premebantur.

Interim verò quo Landtgravius apud Bleinchen villam in papilionibus traxerat moram, & plures de exercitu hinc inde vagantes omnia sicut dictum est, per anteriorem Comitatum Spanheimensem devastarent, spoliarent, & incenderent, nonnulli eorum extra ordinem discurrentes, à Palatinensibus perempti sunt, quorum aliqui mox in campis occidebantur, plures etiam ad oppidum Creuzenach ducebantur captivi homines Hassij pauperes & rusticani, qui mandato Landtgravij, cujus & subditi erant, venire in hanc necessitatem fuerunt compulsi. Nobiles verò & equites Stauronesio minimè appropinquârunt.

Landtgravius castris incensis movit exercitum versus Bingen.

Landtgravio autem præfato in loco per quinque dies cum exercitu commanente fama exijt, Joannem Landtschad Capitaneum Palatini cum toto exercitu ad oppidum Creuzenach contra Hassios esse venturum, sicuti & post biduum venit. Quod ubi Hassiorum innotuit principi, summo mane diei sequentis castra incendit, & exercitum versus Bingen

abduxit. Tanta subitò nebula seu caligo ex incensione castrorum surrexit, quod omnem circa regionem fumo & fœtore implevit usque adeò, quòd Palatinenses in oppido nihil penè viderent.

Villa Münster cum Ecclesia spoliatur & exuritur per Hassios.

In eo transitu de loco papilionum ad Bingen Landtgravius villam Monasterium dictam Bingijs proximam, quam Philippus Comes Palatinus ante paucos annos emerat à Comitibus Rheni, ut supradictum est, una cum Ecclesia satis pulchra jussit incendi, ac penitus in favillam desolari. Omnes autem de villa rustici metu Hassiorum prius fugerant, mulieribus duntaxat relictis cum parvulis. Sed & Presbyter loci Parochus simili pavore correptus discesserat. Ministris iniquitatis jussa perficientibus stetit jam villa in medijs flammis, Landtgravius verò cum Ducibus de Vico Brunonis & Megaloburgensi totóque suorum exercitu ab alia parte Nahi fluminis parvi & ubique transmeabilis equo insidens interitum villagij simul & Ecclesiæ malè gaudens prospectabat intuebatúrque.

Ardente jam in parte superiore Ecclesiâ, cùm nullus adesset Sacerdos præter Magistrum Henricum plebanum Ecclesiæ Bingiorum virum doctum morúmque honestate integerrimum, & verbi Dei præconem infatigabilem, qui ad hoc venerat, ut precibus incendium, si posset apud Principem obtinere, impediret, sed non potuit. Is ergo cùm videret ardere templum, Christianâ pietate commotus accurrit, & SS. Corporis Dominici Sacramentum de Hagiotheca manibus cum vasculo extraxit, flexísque in terram genibus cum multis lachrimis dixit: *Heu, heu, heu Domine Deus, siccine permittis humanam prævalere nequitiam, ut Te de sanctuario tuo ejiciat, domum tuam incendat, Téque migrare quasi hominem in aliena compellat!* Surgénsque confestim de terra, quoniam incendium ab omni parte urgebat, & portans in manibus Dominicum Corpus iter cum eo versus Bingen incæpit. Inter multa, quæ dixit mærore plenus, & amaritudine magnâ perturbatus, sic fertur increpâsse malignos: *O sceleſtißimi hominum, quando parceretis hominibus, qui creatori nostro parcere non novistis? Quem hodie persequimini, aut cui majorem infertis contumeliam? Contra Dominum universorum pugnatis, Omnipotenti Deo bellum indicitis: Salvatorem vestrum de mansione sua fugere compellitis, ejus templum cum pauperum domicilijs concrematis. Credite Principes, credite Duces, credite omnes, quoniam Justus & omnipotens Conditor & Rector totius universitatis, qui tantam à vobis hodie perfert injuriam, in longinquum non differet vindictam.* Hæc dicens cum lachrimis iter continuavit incæptum, & portavit in Ecclesiam Bingiorum venerabile Sacramentum. Fuerunt, qui dicerent, Landtgravium ad preces Bingiorum hanc in Monasterium exercuisse sævitiam, qui optarent villam semel destructam non amplius restaurari, memores injuriarum, quas ante 12. annos ut supra diximus, ablato ab eis per triennium emporio, sustinuerunt, quod Albertus Göler de Ravenspurg Palatini Comitis apud Stauronesum præfectus transtulerat.

Increpatio Magistri Henrici plebani contra Incendiarios Ecclesiæ.

Landtgravius cum exercitu suo intravit oppidum Bingen.

Monasterienſi villâ cum Ecclesia succensâ & ardente, Landtgravius cum suis oppidum Bingiorum intravit, quem Bingij magno cum honore suscipientes, ut hostis victorem communis ingenti lætitiâ salutârunt. Mansit in eo loco die uno, quo interim capta milites dividerent & venderent spolia. Erant sanè tunc temporis Bingiorum corda Palatinensibus haud mediocriter infensa, & tam apertè, támquè manifestè, ut latere

nec

nec possent, nec vellent. Si Moguntinos & maximè Clerum, si denique Ringavios (de cæteris tacebo) adscribam, certè non erravero. Quid enim? omnes, qui Palatino Comiti Philippo in hac turbatione fuerunt contrarij, etiam subditis ejus procul dubio extiterunt inimici. Ego autem, qui præco (si dici fas) harum tribulationum omnium sum positus, nihil aut parum causarum sive occasionum ignoro, saltem eorũ malorum, quæ sumus perpessi duro sub genere vindicandi, possem, si expediret, dicere multa, quibus nota paucis fierent manifesta. Sed in quem finem, ut nulli fieret vulgari æstimatione injuria? Transeo tamen consultò, ne aut in altera parte vindictam, aut in altera videar quæsivisse adulationem.

Landtgravius castra locavit contra Ingelheim villam Regiam.

Igitur Princeps Hassiorum Landtgravius ab oppido Bingiorum posterâ die movens exercitum, stratâ publicâ per terram versus Moguntiam iter assumpsit, cúmque ad regiam villam Ingelnheim, in qua magnus Carolus olim perhibetur nascendi sumpsisse principium, quæ tunc sub ditione extitit Comitis Palatini, pervenisset, castra inter Rhenum & Salisam rivulum ad meridionalem villæ plagam locavit, non dubius animo, quin aulam Caroli Regiam, quæ hodie Cœnobium Canonicorum est S. Augustini, nullo contradicente posset cum spolijs obtinere. Est autem locus ipse muris, turribus & fossatis per gyrum bene munitus, in quo & multæ sunt mansiones rusticorum, in quem viri & mulieres villagij omnes cum liberis & rebus suis confugerant, & ordinatis machinis præparaverant se ad defensionem contra venientem Palatini hostem: sicut enim longè supra diximus temporibus Caroli IV. Ingelheim ambæ villæ regales cum oppidis Lutern, Oppenheim, & Gauodernheim à Regno impignoratæ sunt Palatinatui usque in præsens.

Villani omnes in Aulam regalem satis tutam confugerunt.

Positis itaque castris Landtgravius in loco memorato copias misit, quæ Aulam in villa Ingelheim inferiori, aut primo si possent incursu caperent, aut si reniterentur, qui fuerant interius, obsiderent. Villani autem qui erant in Aula, videntes è turribus & muris exercitum appropinquare hostilem, portas dimiserunt apertas, ordinatis hinc & inde bombardis in occulto non solum intrinsecus post valvas, sed etiam in turribus & super muros, tantóque omnia silentio peregerunt, quòd neque vox audiebatur cujusquam, nec ullus tumultus.

Hassiorum exercitus ante Aulam in Ingelheim funditur.

Accedentes verò Hassij agminibus ordinatis contra portam Aulæ exteriorem, cùm eam reperissent apertam, & neminem viderent vel audirent, putabant metu fugisse omnes, & festinatione nimiâ valvas dimisisse reseratas. Cúmque jam primi secundæ appropinquarent portæ, qui latuerant Palatinenses, subitò præordinatas incendunt ex omni parte bombardas, quarum facies in turmam obviam fuerant omnes directæ. Fit mox clamor ab utraque parte magnus, & ingens tumultus: cadunt Hassij plures bombardarum ictibus tacti, retrocedere vel declinare medij, ad partem cæteri tutiorem festinare. Clausis deinde portis ad muros villani conscendunt & turres, jacula vibrant in hostes, & multos eorum occidunt. Hâc strage suorum acceptâ Landtgravius jussit admoveri machinas, & Aulam à plaga meridionali obsidione vallari. Hi verò, qui fuerunt in munitione, videntes quorsum res tenderet, cum tanto impetu lapides bombardarum miserunt in hostes, quòd obsidionem nullo poterant ingenio firmare, sed abire necessitate compulsi sunt. Multi Hassiorum in

hoc tumultu perierunt, quorum cadavera jussit Landtgravius sepeliri in vicino.

Hassiorum plures in domibus obruuntur incensis à mulieribus.

Denique incendio quamplures eorum interierunt, quibus sepulturam ignis præbuit. Enimverò Landtgravio cum exercitu villagio appropinquante, mulieres jussu virorum de Aula egressæ omnes villæ domos igne suppositò incenderunt, quod alioquin Hassos non dubitabant facturos. Cùm ergo Hassij pervenissent ad locum, quia putabant, quòd suorum quippiam vicum succendissent, cæperunt quidam spoliorum avidi per domos ardentes discurrere, & si quid esset relictum, quod raperent, diligentius investigare. Quorum plures cadentibus super se domibus in Cellarijs & alibi sub igne miserabili morte perierunt, spe lucri frustra decepti, cùm priùs omnia per villanos in Aulam fuerint deportata.

Landtgravius apud Moguntiam Rheno transmisso ducit exercitum.

Videns autem Landtgravius, quòd sine magna suorum clade nihil posset inferre Palatinis in Aula conclusis, removit castra, & cum toto exercitu suo Moguntiam, & paucis in urbe Moguntina peractis diebus copias navigio per Rhenum traducit, indéque progressus castellum quoddam Hohenburg nuncupatum, quod erat Comitis de Hanauvven partes Comitis Palatini defendentis, obsidione cinxit, expugnavit, & postremò per deditionem eorum, qui intus erant, obtinuit. Per dies igitur aliquot impugnando prædictum Comitem de Hanauvven, & alios Palatini fautores ab ista parte Rheni Landtgravius moram traxit. Et quia mente concluserat Rheno transmisso copias reducere in terram Palatini, & cujus jam villas spoliaverat & incenderat non munitas, etiam castella & oppida munita, quæ prius contingere non potuit, machinis & bombardis debellaret, cum magno labore, & multis impensis, quicquid instrumentorum, & machinarum habere potuit, ad se fecit adduci, bombardas videlicet & numero multas & satis ingentes.

Palatinenses præoccupant Rhenum, ne Hassijs reditus pateat.

Venit internuntius ad Stauronesum (ubi tum eramus) qui certissimâ exploratione præmissâ nuntiabat, Landtgravium in via constitutum cum exercitu suorum magno, habentem bombardas & machinas bellicas multas, & apparatum terribilem, illiúsque esse propositi, quòd copias Rheno iterum apud Moguntiam transmisso in terras Palatini velit reducere, & munitiones per Gavium omnes violenter expugnare. Jam enim non parvam machinarum partem per Franckfurdianos, & Mogani pontem ad Ruselsheim castellum suum traduci fecerat. Audientes hæc, qui erant in Creuzenach Palatinarum partium defensores, contractis sine mora copijs, in manu valida transierunt versus Moguntiam, & villam Weissenavv simul & montem S. Victoris præoccupârunt, Landtgravio interdicturi commeatum: non enim alio Rhenum transire potuit loco, quàm ibidem propter pondus machinarum, quas per Moganum traducere ad castellum in oppositò Moguntiæ villam non potuit. Displicuit Moguntinensibus non mediocriter, quòd montem S. Victoris & villam subjectam præoccuparent Palatinenses, quamvis nihil in contrarium præter indignationem vacuam nervis possent apponere. Landtgravius autem cùm didicisset, quòd Stauronesij montem præoccupâssent & vadum, substitit, & procedere ulterius dissimulavit. Misit tamen pedites quosdam ad tentandum, si navigio Rhenum transire quoquo modo potuissent illæsi. Qui cùm veniissent ad vadum, & jam naves intrâssent, cæpissentque

pisséntque alteram remigare in partem, bombardas ordinatas in eos solverunt igne Palatinenses, & retrocedere compulerunt. Retraxit itaque pedem Landtgravius, & propositum revocavit.

Promittunt Moguntini Palatinensibus repellere Hassios.

Quintâ die mensis Augusti, anno prænotato, Palatinenses venerunt in magna multitudine ad montem S. Victoris, & manserunt in eo sex diebus non sine damno & incommodo Clericorum, qui prius ad Civitatem omnes confugerant adventu eorum perterriti. Nec prius inde volebant recedere, quàm Canonici Moguntinenses una cum civibus & Archiepiscopi locum tenentibus promitterent, ac litteris cautionibúsque necessarijs firmarent, quòd Landtgravio transitum deinceps ultra Rhenum nullatenus essent concessuri. His promissionibus cum sufficiente cautela susceptis Palatinenses 12. die mensis Augusti ad sua redierunt.

Cuba oppidulum Palatini obsidetur à Landtgravio Hassiæ.

Cernens autem Landtgravius, quòd per Moguntinos transitum habere non posset, aliud in Palatinum destructionis non parvæ medium adinvenit. Est oppidulum cum adjacente in monticulo Castro nomine Cuba in descensu Rheni ad dexteram, parùm distans ab oppido Bacherach, satis pingue habens telonium, quod utrúmque Juris & dominij est Comitis Palatini. Existimans verò Landtgravius rebus suis optimum fore profectum, si hoc oppidum unà cum telonio posset acquirere, contractum prius illuc admovit exercitum, & decimo octavo die mensis Augusti Castra in monte contra oppidum locavit, ab eadem videlicet parte fluminis quasi ex opposito Bacherach. Non enim potuit exercitum propiùs locare, propterea quòd oppidum naturali situ munitum non sit accessibile multitudini, habens ab Oriente præruptos, & altissimos montes, à meridie verò flumen Rheni ab utraque parte montibus conclusum. Mons verò, in quo castra Landtgravius posuerat inter orientem & meridiem, sic manet dispositus, quòd obsessores in arcem, & in oppidum cùm volebant, poterant habere prospectum, si paululum ad ejus cacumen propius accessissent. Bombardarum tamen jacula haud facilè in oppidum trajicere poterant propter altitudinem montis, à cujus si parùm descendissent cacumine, facilius ab his, qui vel in arce fuerant vel in oppido, lædi machinis potuissent, quàm lædere, pro eo quòd bombardarum jacula certius diriguntur aliquantulum elevata, quàm omnino in bassum depressa. Unde plures Hassiorum, qui cum bombardis à montis cacumine aliquando descenderant, Cubanorum jaculis perierunt, cùm ipsi nullum aut rarum ex ipsis possent attingere, lapidibus projectis in Rhenum cadentibus. Duravit ista Cubana obsidio 39. diebus, in quibus Landtgravius arcem, & oppidum continuis penè machinarum ictibus pulsavit. Et licet partem turris & muri de castello tandem vi bombardarum dejecerit, arcem tamen propter inaccessum montis non potuit invadere, his qui fuerant intus viriliter obsistentibus. Erant in Cuba quingenti & mille pugnatores, qui Hassiorum insultibus fortiter reluctantes multos eorum ad legendas vuas, quæ jam cæperant matureſcere, in vineta descendentes, bombardarum jaculis occiderunt.

Castra Hassiorum in monte locata non attingebant oppidum.

Castra Palatina in opposito Hassiorum intermedio Rheno posita.

Vigesimo octavo die mensis Augusti, Joannes de Landtschad Comitis Palatini ductor exercitus à Stauronesso cum 300. equitibus & populo terræ in multitudine magna exiens in auxilium Cubanorum contra Hassios venit ad Bacherach, & posterâ die castra metatus est in monte juxta

oppidum jam dictum directè in oppositò papilionum Lantgravij, erátque inter duos exercitus istos grande satis intervallum simul, & præterfluens Rhenus, & nihilominus bombardarum se jaculis mutuò impetebant. Audiebatur strepitus machinarum utriúsque partis in alterutrum fulminantium apud Stauronesum in arce, cùm tamen non sit minus quatuor milliarium nostrorum distantia. Partem verò copiarum præfatus Capitaneus noctu misit in Cubam, quod in die non satis tutò fieri potuit propter Hassiorum prospectum, qui lapides instrumentis de monte projiciebant in Rhenum, nemo enim potuerat in die navigio vel terrâ intrare, vel exire Cubam, quem Hassiorum in montis cacumine bombitonantes non viderent. In nocte autem liberum Cubani habebant accessum & recessum, cùm eos Hassij neque videre possent, neque fulminibus impedire, aut lædere, vel impetere bombardarum.

Ingenio vario multa tentavit contra Cubanos Landtgravius.

Multa ingeniosè tentavit in ea obsidione Landtgravius, & pecuniam pro varijs machinis, & instrumentis bellicis profudit ingentem. Vasa implevit pice, sulphure simul & alijs rebus ardentibus multa, quæ de summitate montis, qui Cubæ supereminet, emittens in oppidum volubili cursu ardentia præcipitavit. Sed omnia frustra, omnia casso labore consumpsit, & non parvum rerum suarum dispendium recepit; nam omnia penè vasa bellica sive bombardæ in castris ad usum habitæ, quam primum semel, aut bis officio servierunt suo, rumpebantur. Quæ utrum fortuito casu seu maleficij alicujus interpositione contigerint, ignoramus, licet in Cuba unus fuerit ex Stratiotis, quem novimus gloriantem, quasi arte quâdam occultissimâ (ne dicam vanissimâ) ipse cunctas noverit confringere bombardas, etiam non præsens, modò videat, vel à longè, vel audiat strepitum facientes.

Cubani bombardas quasdam ab Hassijs præripiunt.

Quarto die mensis Septembris anno prænotato, cùm propter montis altitudinem, in quem Landtgravius castra posuerat, machinarum præfecti non prævalerent jaculis attingere castellum, & multo minus oppidum, quod erat inferius, sed major pars globorum in altum evadens nimium caderet in Rhenum, factis nocte fossatis bombardas majores, quas capitales atque Carthunas appellant, per declivum montis submisère catenis, arbitrantes locum ad opus machinarum se reperisse magis idoneum & aptiorem. Mane autem cernentes Cubani Hassios in declivo montis cum machinis laborantes, confestim è castro simul & oppido tam fortiter & sine intermissione jacula in eos direxerunt, quòd necessitate compulsi relictis in loco bombardis sine usu, ad quas nec Hassij poterant accessum habere in die, nec Palatinenses alternis inter se jaculis prohibiti. Sed neque in nocte licuit Hassijs vel custodire illas, vel sursum retrahere, tum quòd Cubani etiam in tenebris certum jam in eos scopum noverant, tum verò quòd magnitudo ponderis retractum non permisit. Postremò tamen machinæ in manus Cubanorum devenerunt. Exeuntes enim nocte quâdam viri audaces cum silentio de oppido, non sentientibus Hassijs, bombardas facili conatu per descensum montis traxerunt ad littus Rheni, & ulterius in Cubam, quos etiamsi Hostes vidissent, prohibere tamen minimè potuissent. Nocte diem 4. mensis Septembris sequente circa undecimam post meridiem horam ortum est in oppido Cuba casuale incendium per negligentiam unius hominis, qui pulverem incensorium

Locus castrorum Landtgravij non erat expugnationi conveniens.

rium malè custodivit ab igne, in quo viri undecim miserabili morte perierunt, ex Stauronesoillucdestinati, qui dormientes in superioribus domicilij prius, quàm evigilarent, ab igne fuerant præoccupati, domos viginti flamma consumpsit cunctis metu hostium confluentium ad muros.

Ludovicus Dux primogenitus Palatini missus in subsidium Cubanorum.

Sextâ die mensis Septembris Ludovicus Philippi Comitis Palatini Primogenitus cum quinquaginta equitibus & sexcentis peditibus ab Heidelberg ad Stauronesum, quæ & Creuzenach, oppidum, sequenti die processit ad Bacherach in auxilium Cubanorum, qui annum tunc agebat ætatis suæ sextum supra vicesimum, Princeps animo & viribus constans, pauci sermonis, sed verax & stabilis. Eâdem quoque die venit ad Landtgravium obsidentem Cubanos in castra Henricus Brunnsuicensium Dux, secum habens Comitem de Lippa Westfallum cum duobus pugnatorum millibus, bombardas adducens & machinas belli varias.

Cubana obsidio solvitur per Landtgravium die trigesimâ nonâ.

Anno Domini supra notato, 25. die mensis Septembris, considerans Landtgravius post multos labores & gravissimas impensas, quòd Cubam obtinere non posset, posteaquam novem & triginta diebus eam obsedisset, majoráque accepisset ab hostibus damna, quàm intulerit, mane solutâ obsidione recessit. Multa enim suâ sponte (ut ita dixerim) in ea obsidione suscepit incommoda tam in fractis penè omnibus bombardis, quàm in varijs machinis frustra compositis. Globos bombardarum ferreos non concavos, sed solidos plures quàm sexcentos adversum Cubanos inutiliter projectos amisit, quorum major pars in Rhenum cadens submersa fuit. Et sic finis Hassiorum belli contra Palatinum Comitem extitit, in quo utérque non parum detrimenti accepit, quanquam congressi ad pugnam non fuerint, tertiò enim Landtgravius à facie Palatini declinavit exercitus. Primò videlicet apud Bensheim. Secundò prope Alzen. Tertiò juxta Genzingen, quod ideò forsitan fecit, quia tunc secum non habuit machinas bombardarum.

In Monasterium Limpurgense Palatinus locat præsidium.

Eodem anno Philippus Comes Palatinus in Monasterium Limpurgense nostri Ordinis Spirensis Diœcesis præsidium 400. virorum locavit contra Emichonem Comitem de Liningen, qui dudum, ut supra dictum est, Landtgravio confœderatus adversus Principem animos gessit hostiles. Erat nihilominus inter Macarium dicti Cœnobij Abbatem, & memoratum Comitem vasallum ejus juratum gravissima quædam dissensio pro quibusdam in Dureckheim Jurisdictionibus, & alijs in nemoribus & aquarum decursibus bonis temporalibus, quæ causam præstitisse videbantur, ut præsidio Monasterium contra insolentiam hostis muniretur, quanquam id nec postulante, nec volente factum sit Abbate, qui tunc apud Spiram febribus graviter æstuabat infirmus, in Cœnobio existente Conventu cum Priore non sine inopia victualium, quia carnibus non vescebantur.

Res Monasterij per Abbatem & Priorem transferuntur in Spiram.

Vigesimo tertio die mensis Julij, præsidium intravit Monasterium, & mansit in eo diebus 39. non sine gravi læsione & jactura utriúsque status monastici. Interea præcipiente Macario Abbate, Libri, Calices, ornamenta Ecclesiæ, privilegia & Clenodia Monasterij successivè ad Spiram sunt deportata. Remanserant autem plura domus utensilia, lectisternia, vasa coquinæ, tabulæ sive imagines in Ecclesia, & alia sine certo numero

Monacho-

Monachorum instrumenta, quæ cùm F. Gerhardus Baldevvini de Oedmersheim tunc loci Prior (qui nunc mecum est apud S. Jacobum prope Herbipolim) in Spiram transferre disponeret, Fridericus de Spanheim præsidij Capitaneus restitit, asserens non expedire hanc Monasterij translationem, propterea quòd rusticis in vicino manentibus cunctis timiditatem simul & fugam incuteret. Cessit necessitate Prior imperanti, & contra voluntatem in Monasterio dimisit omnia & amisit. Vigesimo nono die mensis Augusti decollatione S. Joannis Baptistæ solemni, Fratres divinum ex more celebrârunt officium, & in medio tumultu armorum, quantum licuit, suum canonem Prioris directione custodierunt. Erat enim Gerhardus Regularis disciplinæ studiosus amator, qui à teneris unguiculis in Cœnobio Lacensi optimè institutus, Abbate Macario postulante, Simone quoque de Petra in Lacu Pastore consentiente, ac me ut visitatore utriusque loci procurante, de memorato Cœnobio ante quinquennium translatus in Limpurg, ibique secundum Ordinis nostri consuetudinem sub obedientia stabilitus & Prior constitutus, quantum in ipso fuit, regularis disciplinæ observantiam in se & in Fratribus integerrimè custodivit.

Rapinas de Monasterio exercebant Palatinenses.

Intereà verò, quòd præsidium Comitis Palatini Limpurgensi manebat in Monasterio, incolæ villæ Dureckheim viri omnes ad vicinum castellum Comitis Emichonis de Liningen Duroburgum nomine non minus hostium metu, quàm arcis ipsius defensandæ gratiâ declinarunt. Hi autem qui erant in monte Limpurg nomine Comitis Palatini, ne tempus in otio viderentur consumere, sæpius excursione factâ hostium pecora, & quicquid invenire poterant, rapientes abduxerunt, in Dureckheim oppido maximè rapinas exercentes, sicque ut ferunt, incendendi Monasterij causam, quemadmodum accusantur ab æmulis, non minimam dicuntur præstitisse.

Præsidium exercitus Palatini recessit à Cœnobio Limpurg.

Vigesimo nono die Augusti circa horam undecimam in nocte, Fridericus de Harmsheim Capitaneus Palatini jussu ipsius Principis amovit de Monasterio Limpurgensi præsidium suum, & in alia loca, ut sibi mandatum fuerat, traduxit. Latuit omnes Fratres præter Cellerarium Palatinensium de monte recessus, attamen eos, qui erant in Duroburgo, latere non potuit, qui suos exploratores ubique in nemore & itineribus acutissimè habebant dispositos. Post recessum præsidij suscitavit Oeconomus Priorem & Fratres, dixítque omnes à loco discessisse custodes, & sicut audivit, aliud metuendum eis fore prædixit.

Prior & Monachi omnes de Cœnobio Limpurg recesserunt.

His Prior & Fratres recognitis, & multis alijs comminationibus hostium in proximo commanentium territi, unanimi votatione statuerunt loco fore cedendum, animas cupientes suas à periculo salvare potius, quàm perire. Convenientes igitur in chorum nocte mediâ, omnes Matutinale juxta morem persolverunt officium, deinde unusquisque prout potuit, arreptâ sarcinulâ suâ, flexisque in gradibus Presbyterij genibus orationem itinerantium, ut Regula jubet sanctissimi P. N. Benedicti, cum timore dixerunt, valedicentésque non sine lachrimis templo circa tertiam post medium noctis horam Monasterio exierunt, & conjunctim ad Spiram, ubi tunc sicut diximus Abbas jacebat infirmus, profecti sunt. Erant autem numero Monachi & Conversi sedecim, qui non ex levitate

reliquêre

reliquêre Monasterium, sed hostium metu, quorum furor juramento, ut ferunt, se constrinxêrant, Monasterium cum habitatoribus, si qui reperirentur, incensurum, quod facti crudelitas etiam ostendit.

Monasterium Limpurg à Duroburgijs invasum spoliatur.

Igitur penultimâ die mensis Augusti, post recessum Palatini præsidij, & Monachorum de Cœnobio discessum sicut diximus ad Spiram, exeuntes manè de Duroburgo Comitis de Liningen supradicto castello, quod est in proximo, Stratiotæ simul & rusticani Durckheimenses nonnulli Monasterium Limpurg armati & pleni furore intrârunt, rapientes & deportantes omnia, quæ invenerunt cum bona mora, nullo penitus resistente. Enimverò sicut diximus, multa remanserant in loco, quæ præ temporis angustia Fratres non poterant Spiram deferre, præsertim contra prohibitionem eorum, qui Monasterium occupârant. Vini enim plaustra invenerunt 5. aut 6. Frumenta quoque nonnulla, Calicem unum, Ornamenta Ecclesiæ, libros nonnullos in Bibliotheca dimissos, lectisternia & utensilia domus, coquinæ simul & cellerariæ plura, quæ omnia rapuerunt.

Monasterium Limpurg spoliatum incenditur & comburitur.

Anno igitur Dominicæ Nativitatis prænotato, die mensis Augusti penultimâ, filij Belial & iniquitatis ministri ex Duroburgo turmatim procedentes, Limpurg Monasterium hominibus vacuum intraverunt, spoliaverunt, incenderunt, & domicilia Monachorum cuncta unà cum Ecclesia pulcherrima, & amplissima cremantes igne in cinerem redegerunt. Fuit autem Ecclesia valdè insignis, à Conrado Imperatore quondam II. circa annum Dominicæ Nativitatis tricesimum supra millesimum constructa, & in honorem vivificæ Crucis Domini nostri Jesu Christi, ejúsque castissimæ Genitricis semper Intactæ Virginis Mariæ memoriam consecrata, & pro sustentatione Monachorum sub norma divi P.N. Benedicti Deo servientium copiosè dotata, multísque decorata privilegijs, & ornata libertatibus.

Ecclesia Limpurgensis Monasterij fuit omnium pulcherrima.

Erat sanè templum Dei pretiosum, quo majus in ordine nostro vidi nullum. Cujus latera duo intrinsecus intra Ecclesiæ corpus & absides viginti erant subnixa columnis ex solido lapide præcisis, quarum unaquæque in altitudine pedes habebat 20. in circumferentia verò spissitudinis pedes ferme 12. stabántque singulæ super bases singulas artificiosâ pulchritudine formatas: habentes in summitate singula capitella non parvæ nec separatæ magnitudinis, super quibus arcuati parietes in altum sustentabantur. Longitudo hujus Ecclesiæ pedes continebat 350. Latitudo verò 140. Capellæ fuerunt in ea quatuor: Altaria viginti: Turres habebat in in fine versus Orientem 3. in quibus companæ 6. numero pendebant: quarum duæ majores non parvæ fuerunt æstimationis & pretij. In Ecclesia quoque stabant imagines Sanctorum ex ligno sculptæ in altaribus, & tabulæ depictæ plures atque pulcherrimæ, & alia non pauca in Dei ministerium deputata, quæ omnia per incendiarios illos, aut deposita sunt, aut in cinerem redacta, campanæ omnes incendij magnitudine perierunt. Columnæ quoque ruptæ sunt, nihil integrum, nihil non destructum in toto Cœnobio remansit. Fugientibus de Monasterio cunctis, senex quidam grandævus nomine Joannes artificio scriniator præbendatus amore Dei impotens fugere in loco solus remansit. Is cùm diaboli ministros ex

Duroburgo cerneret advenire, in Ecclesiam declinavit: quâ per illos incensâ, & ipse flammâ consumptus est.

Duodecim diebus & noctibus continuè durabat incendium.

Per 12. dies & noctes continuè duravit incendium, ministris impietaris quotidie sine alicujus hominis prohibitione & metu de Duroburgo excurrentibus, & nequid remaneret integrum in Ecclesia, & Monasterio toto, ignem renovantibus. Tam vehemens incendium exstitit, quòd non tantum omnia structurarum ligna consumpsit, sed etiam muros lapides & solidissimas columnas pro majori parte destruxit. Major etiam Turris Ecclesiæ ardoris vehementiâ in terram corruit. Denique priusquam incenderetur Ecclesia, satellites diaboli omnia perfregerunt altaria, sigillis manu sacrilegâ ruptis, & Divorum reliquias quò voluerunt, deportârunt. Quod utrum pro honore & reverentia Sanctorum fecerint, aut sicut raptorum consuetudo est, pecuniam se reperturos speraverint, nobis manet incertum.

Sepulchra mortuorum aperuerunt ejectis cadaveribus.

Duæ fuerunt absides ab utraque parte seu latere Chori, quibus in modum Crucis more veterum constabat Ecclesia, in quarum sinistra fuit sepultura loci Abbatum, in dextera verò Comitum de Liningen, quorum Cadavera sub elevatis à terra lapidibus pausabant concavatis interius atque muratis. Nescio quæ moverit sacrilegos causa, quia hæc ipsa mortuorum sepulchra temerantes aperuerunt, & inter alia corpus Emichonis Comitis, qui Pater fuit hujus Emichonis, integrum extraxerunt, quod filius postea translatum ad Dureckheim in Ecclesia parochiali fecit tumulari. Sacramentum Dominici Corporis iminente jam Ecclesiæ incendio Paulus Pastor in Dureckheim, non ultimus in Concilio malignantium, suam deportaverat ad Ecclesiam. Satis hinc constat manifestè, quòd operarij iniquitatis Ecclesiam animo deliberato unà cum Monasterio statuerant concremare, quippe qui priusquam ignem supponerent, Sacramentum deportari fecerunt, Altaria violârunt, Sanctorum reliquias pollutis manibus extraxerunt, sepulchra Comitum aperuerunt, Cadavera ejecerunt, res sacras cum tabulis & ornamentis deportârunt, ignémque in multis locis Ecclesiæ suppositerunt. Hic finis & consummatio tam insignis Monasterij, quod à prima sui fundatione steterat annis quadringentis sexaginta quatuor, & nunc hodiè jacet incensum, destructum & penitus desolatum annum ferè in decimum, necdum restitui cæptum. Quando, quo tempore, quo medio, quibus impensis, & per quos homines restitui debeat, aut possit, soli Deo est cognitum, qui solus omnia novit & potest. Enimverò quantum ego intelligere possum, qui Monasterium cùm staret, optimè novi, si adessent florenorum sexaginta millia, non sufficerent, ut restaurari posset in eam conditionem, in qua viguit priusquam ab impijs hominibus incenderetur.

Palatinus Comes simul & semel à quatuor locis impugnatur.

Omnia quæ scripsimus, annua sub serie prænotata mala, in ea concertatione regni & principum Germaniæ adversus Philippum Comitem Palatinum facta sunt, quæ mensibus fermè 5. duravit, quatuor videlicet per inæquales exercitus, quorum primum in Bavaria duxit Maximilianus Rex & certi cum eo Principes. Secundum in Suevia præcessit Udalricus Dux Wirtenbergensium: & ambo satis nocuêre Palatinatui. Tertius verò parvus & minimum nocens fuit exercitus Ducis Alexandri. Quartus autem crudelis & nimis hostilis incendio & rapinâ plus nocuit multis, qui

sub

sub manibus Wilhelmi Landtgravij Hassiorum ducebatur. Hos quatuor impugnantium exercitus quia descripsimus, nunc pacem requiramus.

His ergo quæ memoravimus, & multis alijs in perturbatione tumultuosè peractis, tandem circa festum S. Archangeli Michaelis Maximilianus Rex pacem cunctis indixit communem, præcepítque jam deinceps à bello cessandum. Et ne cuiquam videretur subtraxisse patrocinium Juris, Conventum Principibus statuit in mense Julio sequentis anni apud Coloniam celebrandum, in quo si quis aliquid haberet justæ querelæ adversus alium, communi Procerum judicio definiretur: interea mandavit ab omni tumultu quiescendum.

Maximilianus Rex à persecutione Palatini revocat Principes.

Anno prænotato, 20. die mensis Augusti, obijt Rupertus Comes Palatinus Bavariæque Dux Philippi Palatini Principis Electoris tertio genitus filius & gener Ducis Georgij Divitis avunculi sui, bello adversum se adhuc durante, anno ætatis suæ XXIII. filium relinquens, & filiam cum uxore vidua, Ducis Georgij quondam filia, quæ & ipsa post dies paucos moriens secuta est.

Rupertus Palatinus Bavariæ Dux cum uxore sua moritur.

Eodem ferè tempore mortuus est etiam Ludovicus de Helmstatt Episcopus Spirensis anno Pontificatus sui XXVII. non completo, cujus corpus Spiræ in Ecclesia majore sepelitur. Vir maturus integer & semper honestissimæ conversationis, de quo nihil turpitudinis, aut lasciviæ auditum est unquam. Sub hoc Pontifice Klingenmünster, Odenheim, & Sunsheim Monasteria Ordinis S. Benedicti, Abbatibus cum Monachis apostatantibus, in sæculares Ecclesias Clericorum translata sunt.

Huic electione Canonicorum in Episcopatu successit Philippus de Rosenberg majoris Ecclesiæ Cantor, & præfuit annis ferè 9. podagrâ, sciaticâ & continuâ infirmitate laborans. Hic transtulit collegium Canonicorum ex Monachis novum de Odenheim, in oppidum Bruchsal cum omnibus rebus privilegijs & proventibus suis.

Philippus fit Episcopus Spirensis annis 9.

MDV.

Anno Joannis Abbatis Hirsaugiensis secundo, Indictione Romanorum VIII. circa medium quadragesimæ, Philippus Comes Palatinus ad se Budoras convocavit Prælatos, Comites, nobiles, & communitates Principatus sui, quibus in aula majori comparentibus, plura cum eis tractavit super conditionibus Pacis reformandæ inter ipsum & Regnum cæteróſque Principes, quorum fecimus memoriam.

Philippus Comes Palatinus Heidelbergam convocat Prælatos.

Eodem anno mortuus est Bertholdus ex Comitibus de Hennenberg Archiepiscopus Moguntinus, anno Pontificatus sui XXI. & in Metropolitana Ecclesia Moguntina cum patribus suis antecessoribus sepelitur: qui fuit in Principatu suo vir magnæ authoritatis & providentiæ, ingenio subtilis & promptus eloquio, experientiæ multæ, patientissimúsque laborum. Ecclesiam Moguntinam, quam ære alieno gravatam reperit, ut plurimum ex oneribus debitorum tempore sui regiminis liberavit. Verùm in his Clerum & Claustrales inconsuetis subventionibus multoties gravavit.

Post hunc Jacobus de Liebenstein, Patriâ Suevus, majoris Ecclesiæ Decanus, in Archiepiscopum electus præfuit annis fermè quatuor, homo bonæ conditionis, vitâ & moribus integer, qui morbo calculi & vesicæ laborans quasi continuè, non ita rebus Ecclesiæ suæ præesse valuit, quemadmodum ratio temporum postulare videbatur.

Jacobus fit Archiepisc. Moguntinus annis IV.

Conventus fit Regis & Principum magnus in urbe Coloniæ.

Anno prænotato in principio mensis Julij, convenerunt ad Regem Maximilianum in Coloniam multi Principes Regni, quemadmodum antè fuerant jussi, inter quos isti fuerunt præcipui, Hermannus Archiepiscopus Colonienſis, Jacobus Archiepiscopus Trevirensis, Laurentius Episcopus Herbipolensis Dúxque Francorum, Georgius Episcopus Bambergensis, Conradus Episcopus Monasterienſis, Christophorus Episcopus Kiemseensis, Petrus Episcopus Tergestinus, Christophorus Episcopus Lambacensis, Matthæus Episcopus Gurcensis, Philippus Comes Palatinus Rheni Princeps Elector, Fridericus Dux Saxoniæ Princeps Elector, Joachim Marchio Brandenburgensis Princeps Elector, Fridericus Marchio Brunsvvicensis, Ericus Dux Brunsvvicensis, Henricus Dux Lauenburgensis, Wilhelmus Dux Juliacensis & Montensis, Henricus Dux de Magdeburgo, Ludovicus Palatinus Philippi primogenitus, Adolphus Comes de Nassavv, Fridericus Comes de Zolra, Philippus Comes de Waldegg, Wilhelmus Landtgravius Hassiæ, Emicho Comes de Liningen, Joannes Comes de Holstein, Reinhardus Comes de Reineck, Sigismundus Comes de Lupfen, Felix Comes de Werdenberg, & plures alij, quorum nomina memoriæ non occurrunt, Comites, Barones, milites & nobiles adfuerunt.

Regis Mandato pax & concordia indicitur principibus.

In eo conventu Principum Maximilianus Rex inter discordantes Duces pacem reformavit, & conditiones pacis in medium proposuit, quas servari & custodiri ab omnibus inviolabiliter sub pœna criminis læsæ Majestatis partibus mandavit. Summa conditionum in eo fixit sententiam, ut qui tempore guerrarum plura perdidit, careret amissis, & qui multa fuerat lucratus, non compelleretur, saltem in foro contentioso, ad restitutionem. Quòd ita res fuerit, acta demonstrant consequentia, quoniam usque in præsentem diem ablatorum Palatino parum, aut nihil intelleximus restitutum.

Abbas Limburgensis accusat Emichonem Comitem super incendio.

In eodem Conventu Principum Macarius Abbas exusti Monasterij Limburgensis coram Maximiliano Rege querelam detulit contra Emichonem Comitem de Liningen, accusans eum & proclamans, ut auctorem incendij, simul & spoliatorem memorati Cœnobij sui. Verùm Rex alijs negotijs Regni plurimum occupatus Jacobo Archiepiscopo Moguntino causam per litteras commisit absenti: inter alia præcipiens, ut post causæ cognitionem tentaret inter partes pro concordia, quòd si eas concordare non posset, negotium cum actis remitteret.

Archiepisc. Moguntino cognitio causæ à Rege committitur.

Assumpsit commissionem Pontifex, & partibus citatis ad inquisitionem processit. Accusabat Comitem Abbas super incendio Monasterij reum. Negabat Comes suâ voluntate aut scientiâ esse commissum, dicens, se illo tempore apud Greiffenberg castellum laborâsse febribus, & procul à Limpurg fuisse absentem. Abbas verò pollicebatur, se probaturum, quòd ministri & famuli Comitis de castello ejus Duroburgo turmatim exierint, Monasterium intraverint, spoliaverint, incenderint, castello prædam intulerint, atque per dies 12. quottidie ad montem redierint, & quod non ardebat iterum bona cum deliberatione igne suppositio concremaverint. Respondit Comes, quòd nihil eorum, quæ Abbas dixerat, factum sit de suo vel scitu vel consensu, sed si noverit incendiarios Monasterij sui, conveniat illos, & jure ad restitutionem compellat, quamquam

quam & illos excusare nitebatur, dicens, quòd speluncam incenderint latronum, & non Monasterium, utpote in quo Palatinenses adversarij & rebelles totius Regni mansionem habuerint, de qua rapinas & incendia pauperum in circuitu fecerint, mulieres & virgines introduxerint, vim eis contra omnem honestatem Christianam intulerint, aliáque plura commiserint mala, quæ fieri non soleant ex Cœnobijs Monachorum, sed ex castellis & speluncis latronum. Non dubium se fore dicebat, si Monasterium reperissent, ut Monasterium honorâssent, & nec spoliâssent illud, nec incendissent. Duravit inter Abbatem & Comitem ista coram Archiepiscopo contentio per triennium, quousque tandem morte sublato Abbate Macario Wernerus in Abbatia successit, qui cùm sit homo quietis amator & pacis, actionem causæ intermisit usque in præsentem diem.

Mors Abbatis Macarij finem imposuit contentioni.

Macarius autem post incensum Monasterium cupiens locum habere, in quo manere posset cum Fratribus suis, Ecclesiam parochialem in oppido Wachenheim à Præposito & Conventu Luterensibus obtinuit, apud quam Cœnobium ædificare novum de consensu Palatini Comitis animo eogitavit. Mansit ergò cum quatuor Monachis apud eandem Ecclesiam in domo presbyteri, cæteris ad diversa loca hinc inde transpositis: ubi & hodie manet Abbas Wernerus cum paucis, qui Monasterium non ibi, sed in priori loco restaurare proponit.

Rex Maximilianus cum principibus descendit in Geldriam.

Anno quoque prænotato, 29. die mensis Julij, Maximilianus Rex Germanorum cum Principibus multis ex his, quos apud Coloniam convenisse diximus, navigio descendit in Geldriam, Brabantinis, qui ejus jussu Arnheim oppidum Ducis Geldriæ obsidebant, laturus auxilium. Cúmque pervenisset ad locum destinatum, in multitudine pugnatorum gravi Arnheim sub certis conditionibus per deditionem obtinuit, & oppidanis neque in corporibus, neque in rebus damnum aliquod inferri permisit. Ducem etiam interventu Principum orantem pactis & nonnullis interpositis conditionibus ad gratiam recepit, qui tamen in promissa fide diu non permansit.

Vigesimo octavo die mensis Julij, Maximilianus Rex cum ijsdem Principibus Comitibus atque Nobilibus eo, quo exiverant ordine, Coloniam ingressi sunt, & epulis penè totâ nocte vacaverunt. Omnes denique per Civitatem campanæ sequenti die in signum triumphi & gaudij quòd pax esset data Geldrensibus, pulsabantur.

Canonicus quidam Coloniæ in platea insidiosè occiditur.

Durante Principum Conventu, Canonicus quidam Ecclesiæ Colonensis, Hermanno Archiepiscopo multum familiaris & dilectus, cùm quadam die apud eum cœnâsset in Curia ejus, & jam noctis sub umbra comitantibus servis duobus redire pararet ad domum, in publica urbis strata per quosdam sicarios præordinatos occisus est. Fuerunt eo tempore graves inter memoratum Archiepiscopum & Cives discordiæ, quæ tamen sequenti anno fuerunt extinctæ, quarum occasione multi Senatum urbis habebant suspectum, quòd subordinatione ipsius hoc homicidium fuerat perpetratum. Quem post octennium excusabimus, cùm sceleris dicemus auctores.

Maximilianus Rex movit in Ungariam.

Anno item prænotato, Maximilianus Rex Germaniæ contractis undique copijs pugnatorum expeditionem movit in Ungariam, suo Regnum dominio subjecturus. Verùm intervenientibus Episcopis & Primoribus

moribus Regni, pacem dedit Ungaris sub conditionibus certis, & cum populo salvo in propria reversus est.

Eodem anno Cometem Budoris vidimus crinitum inter Occidentem, & Septentrionem paucis diebus apparentem, cujus aspectus terruit intuentes. Cui similis etiam anno sequente apparuit, qui & ipse duravit paucis diebus. Quos non diu post mors quorundam Germaniæ Principum subsecuta est.

MDVI.

Rüttlingen oppidum incendio crematur.

Anno Joannis Abbatis tertio, Indictione Romanorum IX. 20. die mensis Januarij, quæ fuit solemnitate SS. Martyrum Fabiani & Sebastiani festiva, Regale oppidum Rüttlingen igne casuali succensum ardebat, in quo plusquam 20. habitationes incolarum vorax flamma consumpsit. Sed Udalrico Duce Wirtenbergensium auxiliante, qui gratis ligna civibus donavit, omnes domus combustæ brevi in melius reconstructæ sunt & restitutæ.

Capitulum Ordinis nostri Provinciale in Augusta celebratur.

Eodem anno, Dominica III. post Pascha, quæ fuit 3. dies mensis Maij, Augustæ celebratum est tricesimum secundum Ordinis nostri Provinciale Capitulum apud S. Udalricum, in quo præsederunt Joannes Rheinharz-Bronnensis, Volpertus Hirsfeldensis, Conradus S. Stephani Herbipolensis, & Martinus in Wiblingen Monasteriorum Ordinis S. Benedicti Abbates. Et nota, quòd celebratio hujus capituli ante biennium fieri debuisset, quemadmodum in Fulda fuerat constitutum, sed bella Principum impediverunt.

Conflictus inter Casimirum Marchionem & Nürenbergenses.

Anno prænotato, cùm ex Regali oppido Nürenberg nonnulli cives animis ferventiores ad villam quandam non procul distantem in die anniversaria Dedicationis Ecclesiæ recreationis causâ exivissent, irruit in eos subitò Casimirus Marchio Brandenburgensis, quem ad mensam oppiperatam verbis quibusdam contumeliosis dicebantur invitâsse, cum tribus, ut ferunt, pugnatorum millibus, & plures eorum occidit, cæteris in urbem recurrentibus. Alij dicunt, utriúsque partis numerum virorum simul computando tria pugnatorum millia extitisse, quod & mihi probabilius esse videtur, informationem accipienti ab uno, qui interfuit. Ceciderunt nihilominus etiam in parte Marchionis quamplures.

Universale Gymnasiũ Franckfurdiæ in Marchia fundatur.

His temporibus Joachim Marchio Brandenburgensium Princeps Elector, cujus residentia est in oppido Berlin nuncupato, secus flumen cui nomen est Sprevus, non Suevus, ut malè legitur apud Ptolomæum, Princeps nobilis, prudens, & doctus, qui nostrâ tempestate inter omnes Germaniæ Principes, quos ego noverim, unicus facilè Mœcenas omnium eruditorum hominum judicio habetur, novum apud Franckfurt oppidum suum Cis-Oderam universale Gymnasium fundavit, & anno prænotato, 26. die mensis Aprilis, me cum ipso tunc existente per 9. menses in Marchia, primos ejusdem Universitatis Magistros atque studentes cum magna solemnitate introduxit, fovit & dotavit, Julio Papa secundo hanc ejus fundationem confirmante, & privilegia concedente optata. Primus autem Gymnasij hujus Rector & in Theologia ordinarius fuit Magister Conradus patriâ Francus ex Buchen villa oriundus, quem vulgò Wympfinatem appellant, Doctor Lipsiensis, qui scripsit super sententias Petri Lombardi 4. libros, & quædam alia cum tempore in lucem ventura.

Fuerunt

Fuerunt eo tempore, quo ego cum Principe memorato eram in Berlin sive Ursulo mensibus novem, quidam latrunculi ex eorum numero, qui de generis sui nobilitate frustra gloriantur, hinc inde per Marchionatum discurrentes, & quoscunque mercatores, vel alios itinerantes pecunijs, & rebus occultè spoliantes, non curando, sed contemnendo potius itineris tuti Marchionis conductum. Horum improbitate Princeps tandem excitatus, & per semetipsum, & per suos ministeriales observavit latronum incursus, plures eorum cepit, ex quorum necessitata confessione confœderatorum in malum & aliorum nomina cognovit. In brevi tempore Principatum suum latronibus purgavit, ut mundum Hercules monstris, reddiditque viatoribus itinera satis tutiora. Constat enim mihi, & est in tota Marchia manifestum, quòd intra biennium non minus quadraginta ex nobilium prosapia raptores, vel suspendi fecerit, vel capitibus truncari. Cæteri verò malignantium societatis, qui se novêre culpabiles, relictis uxoribus cum liberis, domicilijs & rebus universis, extra Marchiam fugerunt, nec audebant redire, quamdiu Princeps iste vixerat in humanis. Tanto enim justitiæ fervet amore, quòd neque muneribus, neque precibus etiam Principum, vel amicorum, imò nec minis, nec terroribus libram æquitatis deflectit, sed reddit malefactoribus, quod merentur in capita eorum. Quo fit ut jam nunc ab omnibus timeatur, & nullus remanserit, qui latrocinium in ejus exercere dominio præsumat. Eorum quæ dixi adducam vel unum, quod audivi & vidi ab eo factum. Erat homo quidam nobilis, de bona prosapia ortus in ducatu Mekelburgensi, multis consanguineis & fratribus dives, qui raptoribus conjunctus, & semel duntaxat participans, captus est in mense Februario anno præcedenti, & in Ursulum ductus, mansitque vinculis alligatus usque post Octavas Dominicæ Resurrectionis. Multæ pro eo factæ sunt preces, multa promissa. Egit pro ejus liberatione Henricus Dux Megalopolitanus, qui Ursulam sororis ipsius Marchionis desponsatam præstolabatur uxorem, personaliter in carnis-privio apud Ursulum præsens, egerunt Marchionissa uxor, Albertus frater, nunc Archiepiscopus Magdeburgensis & Germaniæ primas, soror quoque memorata, sed & fratres & amici ejus, qui tenebatur captivus, & alij multi, nihil tamen obtinere potuerunt. Denique captivus ipse consensu fratrum suorum & se in servum perpetuum, & quidquid in mundo habebat, Marchioni obtulit in proprium, tantum ut vitam ei, quibus vellet conditionibus interjectis, permitteret. Quibus ille respondens ait: *Non decet Principem & rectorem populi justitiam vendere, vel muneribus acceptis nocentem dimittere, vel innocentem condemnare. Unde si centum florenorum millia posset dare homo iste, vel quilibet alius in simili crimine deprehensus, non mutabit sententiam æquitatis apud me atque justitiæ.* Et ita mansit animo fixus, reum capite plectens. Verùm ne quis tyrannidem in eo hanc esse putaret animi constantiam, potiùs quàm amorem vel observantiam æquitatis, libet pauliſper describere hominem, & quàm longè ab eo sit omnis crudelitas, paucis ut possumus, aperire, quamquam satis ad confirmationem propositi esse potuerit, quòd in ejus Nativitate ante annos triginta superius dictum est. Adijcio tamen non adulationis studio, cùm forsitan ista nunquam lecturus fuerit, sed amore veritatis, quæ salvum conservat innocentem. Est enim vir Principatu dignissimus, ingenium

Joachim Marchio Brandenburgensis malleus prædonum

Joachim Marchio monstris terram purgat id est prædonibus.

Joachim Marchio justitiam pretio non vendit.

Notabile verbum.

genium naturâ consecutus bonum, docile, promptum subtile & amœnum: vitâ & moribus integer, modestus, pius, humanus, mitis & summâ benevolentiâ decoratus, justus rectus, & magnâ in Deum sinceritate devotus. Non spernit pauperes, neque inopum contemnit audire, vel discernere causas, sed facilem cunctis audientiam præstat. Cum Paulo audivimus eum dicere: *Princeps sapientibus & insipientibus debitor est, & subjectorum omnium quieti providere debet pro viribus & saluti; Dei enim minister est, ut bonos affectu pietatis foveat, malis autem vindictam rependat.* Sic loquitur, sic agit, sine tyrannide justus, sine crudelitate severus, sine superbia potens, sine temeritate constans, quem eo melius novi, quo ei familiarius, & si dici fas est, secretius aliquandiu sum apud Ursulum conversatus. Anno námque præcedente in mense Augusto, consensu & jussione tunc Principis mei Philippi Comitis Palatini apud Coloniam in Conventu Principum publico existentis, ubi eram ab ipso vocatus, intravi cum eo ad Marchiam, & mansi apud illum, quemadmodum supra dixi, mensibus novem, gratiâ linguæ docendæ latinæ, quam brevi tempore illo satis apprehendit & didicit, ut deinceps in ea facultate præceptore ampliùs non indigeat. Ejus fidem, cultum, & devotionem in Deum consultè pertranseo, ne magnitudine materiæ scriptor ineptus succumbam.

Joachim Marchio Trithemio notus est Princeps pientissimus.

Anno præscripto, nonâ decimâ die mensis Aprilis, quæ fuit Octava Dominicæ Resurrectionis, facta est in Regno Portugalliæ in Civitate Ulixibona magna Judæorum & ex eis baptizatorum persecutio, cujus ista fuit causa & principium. Erant plures ex Judæis noviter conversi ad fidem, qui dicebantur novi Christiani, quorum major pars in aperto Christum confitebatur, ore non corde, in secreto verò Moysen & ritus Judæorum sequentes observabant. Contigit quòd septimâ decimâ die mensis Aprilis, quæ fuit sexta feria post Pascha, mandato Regis Portugalliæ sedecim eorum captivi dimittebantur è carcere, qui Pascha prius cum Judæis celebraverant, agnum Paschalem, ova & carnes in Quadragesima more Judæorum comederant, & propterea capti fuerant, quos Christiani omnes, qui erant in Civitate, dignos incendio judicabant. Cùm ergo dimitterentur impuniti contra populi voluntatem, omnes contra Regem & gubernatorem, quasi munera suscepissent à Judæis, & morte dignis pepercissent, murmurabant. Quid moror? grandis in Civitate contra Judæos & novos Christianos tumultus oritur, in unum conspirant omnes viri & mulieres, juvenes & senes, clamat omnium simul excors sententia: *Tolle impios, tolle sacrilegos, interfice Judæos, falsos demolire Christianos.* Surrexerunt in eo tumultu & conventu S. Dominici duo Fratres, & nescio cujus alterius Normæ tertius, qui tres populum in perniciem Judæorum vehementiùs concitabant. Nam singuli per singulas urbis plateas & angulos discurrebant, imaginémque Salvatoris nostri Crucifixi portantes in manibus magnâ voce clamabant: *Misericordia! Misericordia! veniat & sequatur nos, quicúnque fidem Catholicam & crucem Christi diligit, quoniam Dei æmulatores sumus, & Judæos inimicos omnes interficere volumus & necare.* Ad has clamantium voces tota commota est civitas, & sequebatur Fratres singulos singula multitudo magna virorum in armis, mulierum quoque & juvenum. Nescio Zelus Dei dicendus fervor sit hic populi, an furor; per totam námque

Magna Judæorum persecutio in Civitate Ulixibonensi.

námque diem supradictum Pascatis & noctem in Civitate discurrebant interficientes, quotquot invenire poterant novos Christianos atque Judæos, & cadavera occisorum in planitie S. Dominici projecta in ignem, combusserunt. Cæpit ista Judæorum interfectio horâ tertiâ post meridiem die Dominicâ in octavis Paschæ, anno sicut diximus prænotato, duravítque in diem sequentem usque ad meridiem, in quo temporis spatio unius & viginti horarum, occisi ferebantur homines memoratæ opinionis non minus sexcenti, quorum aliqui vivi, reliqui verò jam mortui, viri, mulieres, juvenes & senes ignibus cremati sunt omnes. Duravit in Judæos memorata persecutio diebus paucis, in quibus eorum ferebantur occisi tam in urbe, quàm in proximis villis mille nongenti triginta. Sed jam nunc quid in persecutores Judæorum Christianos sit actum breviter dicamus.

Judæi à Christianis multi occiduntur in Ulixibona urbe.

Relatione factâ ad Regem, qui tunc milliaribus quatuordecim ab Ulixibona civitate fuerat absens, eorum quæ fuerant acta, vehementer iratus est, & jussit omnes, qui principales fuissent in causa contra Judæos auctores, comprehendi, quorum à prima die Maij usque ad sextum decimum plures quàm ducenti numero sunt carceribus mancipati, inter quos & patres illi tres crucigeri fuerant comprehensi. Denique fuerunt post hæc & alij non pauci numero tam ex Villanis, quam ex Urbanis Regio jussu conjecti in tenebras carceris. Ex quibus duo illi Fratres S. Dominici, qui concitaverant populum, inprimis vivi combusti sunt, deinde captivorum alij capitibus cæsi, ad crucem alij suspensi, ceteri bonis privati omnibus, de patria in exilium proscripti sunt. Omnes quoque Fratres S. Dominici decimum nonum transgressi ætatis annum, de Cœnobio fuerunt expulsi.

Vindicta Regis in Judæorum persecutores facta.

Anno prænotato, in mense Augusto, iterum apparuit Cometes, id est, stella caudata, quam tunc Heidelbergæ constituti vidimus inter Septentrionem & Orientem sub ursa majore rutilantem, quæ utriúsque signum Leonis & Virginis occupavit, & paucis diebus duravit. Secutum est non diu postea Maximiliani Regis bellum contra Venetos, quod per annos jam plures duravit usque in præsentem diem, de quo suo loco dicemus.

Cometes apparuit.

Eodem anno Philippus Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ & Brabantiæ, filius Maximiliani Regis Germaniæ, qui Joannam filiam Ferdinandi Regis Hispaniarum habuit uxorem, post mortem Elisabeth reginæ matris uxoris declaratus Rex Castellæ & Legionis, consilio suorum contra voluntatem, ut dicebatur, inductus, cum mille quingentis viris Classem ordinavit à Flandria versus Hispaniam, Regnum suscepturus oblatum. Præfectum Classis constituit Wolffgangum Comitem de Fürstenberg virum nobilem & strenuum, & erant in ejus Comitatu multi viri nobiles, Comites, & Barones, qui omnes cum magno gaudio novum Regem prosequentes conscensis navibus iter periculosum acturi, mare sulcabant. Vicesimâ autem die posteaquam in magna tranquillitate navigaverant, & pervenissent non procul ab Insula, quam Cordan veteres nuncuparunt, & est post Aquitaniam ad plagam Occidentalem Sanctonum, habens promontorium ab Aquilone, & Curanum à meridie, subitò in mari tempestas orta est maxima, cujus impulsu naves ab invicem separatæ in loca jactabantur diversa, ita, ut nec duæ simul manerent conjunctæ. Salvi tamen

Philippus Archidux Austriæ Rex Castiliæ declaratur.

Philippus cum suis periclitatur.

men omnes evaserunt, præter unam navem, quæ cum hominibus fermè centum fuit submersa, & in profundum absorpta. Tantus autem ventorum impetus fuit, quòd naves penè omnes retrorsum violenter usque ad Angliam retrusit, & magnum iter maris paucis consummavit in horis. Mari tandem optatâ tranquillitate concessâ, Rex Philippus cum sua navi haud procul ab Anglia inventus est salvus. Qui autem in cæteris navibus erant vagantes per mare, amissum Principem anxiâ mente quærebant, ad quem non subitò, sed per intervalla successivè tandem omnes pervenire meruerunt, illis duntaxat exceptis, quos cum una diximus navi confracta in profundo maris perijsse. Postquam ergo simul iterum convenissent apud Hampton oppidum à latere Albionum, denuò versus Hispaniam navigare cœperunt, patrocinum S. Jacobi Apostoli crebrius invocantes, cujus Basilicam in Compostella se visitaturos unanimi omnes promissione foverunt. Unde miserante Deo & patrocinium ferente salvi tandem ad littus perveneruntGalitiæ, quo transmisso atque circumgyrando angulum terræ juxta Caronium oppidum, quod Omena fluvius præterfluit, navibus relictis descenderunt in terram, & pedestres ad S. Jacobum processerunt. Votis & orationibus ritè persolutis iter versus Regnum Castellæ una cum rege & cæteri jam læti assumpserunt. Cúmque venissent ad civitatem Burgis nominatam, Rex Philippus infirmari cœpit, invalescentéque morbo tandem anno prænotato vicesimâ quintâ ibidem in palatio suo mortuus est anno ætatis suæ vicesimo octavo complero, adjunctis mensibus tribus & paucis diebus. Ordinaverat vivus, ut mortuus exenteraretur, & cor mitteretur in Brabantiam sepeliendum in oppido Bruxellis. Intestina verò sepelirentur in ipsa Civitate Burgensi, corpus autem in Granatam jussit deferri & ibidem sepeliri, volens in his tribus locis memoriam habere specialem. Reliquit duos filios Ferdinandum, & Carolum, quorum alter hodie cum matre sub tutoribus regnat in Hispania, alter autem adhuc puer vivit in Brabantia. Et hic finis nobilissimi principis fuit, cui similem generis nobilitate, regnorum & principatuum multitudine, divitiarúmque immensitate nostris Germania temporibus habuit neminem, qui, ut ferunt, non ambitione regnandi, sed aliorum persuasus consilio, relictâ dulci patriâ, periculosum iter assumpsit, in quo & perijt.

Rex Philippus Burgis in Hispania sextâ feriâ moritur.

Anno Dominicæ Nativitatisprænotato, cùm in me quidam æmuli suscitâssent livorem, concepi, ut mihi visum est, justam animi quandam indignationem, quâ malignitate quorundam concitatus, & locum mutare decrevi & gentem, sciens meæ haud convenire saluti cum ingratis Monachis diutiùs conversari. Maturâ igitur deliberatione præhabitâ Monasterium Spanheimense cum Abbatia, cui præfueram annis tribus & viginti mensibus duobus & 14. diebus, in solicitudine continua & laboribus multis, voluntate spontaneâ resignavi, & vocatus per Dominum Reverendissimum Herbipolensis Ecclesiæ Antistitem Laurentium de Bibera, orientalis Franciæ Ducem, Wirzburg anno prænotato in fine mensis Septembris accessi.

Abbatiam Spanheimensem Joannes Trithemius resignat.

Eodem igitur anno, 12. die mensis Octobris, qui fuit secunda feria post Festum S. Dionysij Areopagitæ Martyris, in Abbatem Monasterij S. Jacobi Apostoli majoris in suburbanis memoratæ civitatis fui electus per prædictum Dominum Laurentium Episcopum, Conradum quoque

Joannes Trithemius fit Abbas Monasterij S. Jacobi Herbipoli.

S. Stephani

S. Stephani, & Georgium S. Felicitatis in Schvvarzach Monasteriorum Abbates, in quos per Fratres dicti loci coram Notario & testibus legitimè fuerat compromissum die mensis ejusdem 14. fui confirmatus ab eodem Pontifice Laurentio, & sequenti die, quo Festum celebratur S. Burckardi Episcopi, realem Cœnobij possessionem accepi.

MDVII.

Anno Joannis Hirsaugiani Abbatis quarto, Indictione Romanorum x. hyems lenta & quasi nulla fuit, unde in plerísque locis pestilentiâ non caruit.

Conventus magnus fit Principum apud Constantiam.

Eodem anno, Rege Maximiliano præcipiente, Conventus Principum apud Constantiam Alemanniæ urbem factus est magnus, qui ultra menses quatuor duravit. Nam 16. die mensis Aprilis cæpit, & in fine Augusti terminatus fuit. Multa in eo Conventu tractata fuerunt contra temeritatem Venetorum, qui jam tunc & Regno contumaces, & imperio rebelles cum Ludovico Gallorum Rege fœdus inierant, & communi perfidiâ in Maximilianum Regem Germanorum fecerant venenosam conspirationem, de quorum gestis reliqua ordine suo breviter tangemus, plenam omnium notitiam non habentes, licet scripta per alios reperiantur.

Venetorum contra Maximilianum Regem contumacia.

Maximilianus etenim Rex Germanorum volens in Italiam proficisci pro suscipienda corona Imperij, Principes in Conventum vocavit, mandans alijs, ut se ad commeatum personaliter disponerent, alijs verò præcipiens, ut equites & pedites ad iter necessarios juxta consuetudinem antiquam ordinarent. Audientes Veneti, quòd Rex transitum pararet in Italiam, veteri laborantes in eum odio & invidiâ, vario cæperunt deliberare consilio, quemadmodum vias omnes ituro præcluderent. Cum Rege inprimis Gallorum Ludovico, qui Mediolanum eo tempore cum parte Lombardiæ non parva detinebat, ut supra diximus, pacem & fœdus constituunt; deinde quosdam & alios Italiæ Principes & civitates in suam conjurationem trahunt, quorum auxilio per annos jam septem Imperio manent rebelles non sine proprio detrimento maximo; videns enim pertinaciam eorum Rex Germaniæ Maximilianus, bellum superbis indixit, quod usque in præsentem continuans diem graviter eos afflixit.

Funeralia celebrat filio Maximilianus Rex in Constantia.

In prædicto Conventu Principum apud Constantiam Maximilianus Rex pro anima filij sui Regis Philippi apud Burgas in Hispania sicut diximus præcedente anno defuncti, Funeralia cum magna devotione celebrari fecit in Principum frequentia multorum, simul & aliorum complurium Prælatorum, Comitum atque Nobilium. Aderant & Oratores absentium Principum Civitatum & Communitatum Regni plures in obsequium defuncti Principis piâ mente convocati.

Episcopus Brandenburgensis moritur.

Anno prænotato mortuus est Episcopus Brandenburgensis, cujus nomen memoriæ non occurrit. Post quem Hieronymus Plebanus Ecclesiæ in Cotvviss, promotione Joachim Marchionis Brandenburgensis in Episcopatu successit. Fuit Ecclesia Brandenburgensis memorata similiter & Habelburgensis, quæ ambæ sunt Cathedrales, & sub principatu Joachim Marchionis constitutæ, à multis retrò annis Præmonstratensis Ordinis, quarum Fratres & Episcopi hanc ipsam religionem & habitu, & Regulâ semper fuerunt professi. Anno autem prænotato dispensatione Julij Papæ secundi ambo Pontifices cum Fratribus suis ab ordine Præmonstra-

tensi recedentes facti sunt sine Regula Canonici sæculares, qui ut verisimiliter timendum est, vitâ & moribus interius nunquam extiterunt spirituales. Enimverò mihi persuasum est penitus, verum & bonum Claustralem, quam diu est bonus & verus, ordinem suum, quem professus est, non posse deserere, quem si deserat, nec bonus est nec verus.

Grandinis immensa tempestas hominibus plura intulit damna.

Anno item prænotato, 4. die mensis Julij tanta grandinis tempestas in Suevia subitò fuit exorta, maximè in convallibus Ammerthal nuncupatis, in Rottenburgo quoque Cis-Neccarum, circa Tübingen, Horvve, & Ruttlingen, quantam nulla memoria hominum noverat, aut vidit, quæ plura mortalibus intulit damna in frumentis, in vinetis, & in fenestris, quarum multas sine numero confregit.

Eodem anno, Maximilianus Rex Brabantinos denuò contra ducem Geldriæ misit in bellum, quibus ex superioribus Regni partibus multos stratiotas ad prælia voluntarios conjunxit, sicut enim paulo diximus antè, Carolus Dux Geldrensium, qui prius in verba Regis Maximiliani juraverat, post ejus & principum recessum à Colonia rebellionem pristinam resumpsit, & Brabantinos ut prius incursionibus & rapinis denuò molestare cæpit, cui & Ludovicus Rex Gallorum XII. quantum potuit occultè, pecunias & subsidia transmisit, & hodiè partes ejus fovere non desistit contra Regem Maximilianum. Cur hoc faciat, quidve intendat, non opus habemus Oedipo, ut mysterium capiamus.

MDVIII.

Conradus Celtis Protucius poëta in Vienna moritur.

Anno Joannis Abbatis quinto, Indictione Romanorum XI. in principio mensis Februarij, mortuus est Viennæ in Austria Conradus Celtis Protucius poëta laureatus, vir in litteris humanitatis haud mediocriter eruditus, Græcæ linguæ non ignarus, & Hebræam callens in parte, natione Germanus, patriâ Francus Orientalis ex Wupfeld prope Schvveinfurt oriundus, qui scripsit vario carminum genere quatuor non parvæ lectionis volumina, quorum primum Germaniam prænotavit illustratam, secundum Amorum, tertium Odorum, quartum Epigrammatum. Et quædam alia minora prosaicè, quorum titulos annotavimus in libro nostro de scriptoribus Ecclesiasticis, & alio de Germanis, vixit annis 46. & 3. diebus, in Ecclesia Viennensi sepultus.

Philippus Comes Palatinus Princeps Imperij Elector obijt.

Eodem anno, penultimâ die mensis Februarij, quæ fuit die Lunæ post Dominicam Sexagesimæ, obijt in oppido suo Germersheim Philippus Comes Palatinus Rheni Bavariæ Dux & Princeps Elector anno ætatis suæ 59. mense 6. cujus corpus Heidelbergam relatum in choro Collegiatæ S. Spiritus juxta tumulum uxoris quondam suæ debito cum honore sepultum est, cui filij sine pompa, quemadmodum vivus præceperat, funeralia celebrârunt. Nam etsi charæ suæ conthorali ante annos 7. vitâ defunctæ funeralia exhibuit pomposa & permagnifica, sicut vidimus, ipse tamen jam jam moriturus filijs interdixit hæc omnia, præcipiens, ut in die sepulturæ ejus 12. viri pauperes novo panno laneo nigri coloris per omnia vestirentur, qui corpus cum humilitate sine pompa, sine vanitate ad sepulchrum deferrent. Et providâ quidem Dei ordinatione factum est, ut non Comites, non nobiles, non divites, non in hoc mundo potentes, sed pauperes & humiles in humeris suis corpus tanti principis coram multitudine hominum portarent ad sepulchrum. Ipse námque pauperes ante portas

portas palatij sui quotidie pro stipe convenientes hilariter pascere consuevit,& quidquid mensis edentium fuisset residuum,in usus eorum expendi totum per eleemosynarium suum proprium, quem ad hoc specialiter deputatum habuit, pro Christi honore mandavit. Invenit itaque misericordia Principis in humilitate meritum, qui libens Christi pauperibus tribuit nutrimentum.

Filios reliquit septem in vita superstites & 4. filias, quorum omnium ista sunt nomina: Ludovicus ipse primogenitus in principatu successit, necdum habens uxorem, & erat tunc annorum ferè triginta. Ludovicus patri successit in Principatu.

Philippus annorum 28. Frisingensis in Bavaria tunc Episcopus hodiè vivit, Princeps ingenio mitis & mansuetus; qui Clerum & populum sibi commissum hodie regit in omni pace & tranquillitate. Fratres Ludovici.

Fridericus annorum tunc erat sex atque viginti, qui hodie sine uxore tutor est filiorum Ducis quondam Ruperti fratris sui in Bavaria, ut supra dictum est, & eundem strenuè gubernat principatum sibi commissum.

Georgius cùm Pater moreretur, annorum fuit duorum atque viginti, qui primò fuit præpositus Ecclesiæ Moguntinæ, & nunc Episcopus est Ecclesiæ Spirensis.

Henricus præpositus sancti Albani prope Moguntiam annorum unius & viginti extitit, qui & nunc præpositus est Ecclesiæ Beatæ Mariæ semper Virginis Aquisgrani.

Joannes Episcopus Ratisbonensis in Bavaria fuit annorum viginti, quando pater ab hac luce migravit, homo mansuetus & morum integritate reverendus.

Wolffgangus Herbipolensis Ecclesiæ Canonicus annorum fuit quatuordecim, quando pater obijt, qui apud Gallos Parisienses hodie litteris dat operam.

Elisabeth senior filia patre moriente fuit annorum viginti quinque. Hæc primò nupserat Wilhelmo Hassiorum Landtgravio, quo sine liberis mortuo, ut supra dictum est, post annos aliquot secundò nupsit Philippo Marchioni Badensi. Sorores Ejusdem.

Amalia secunda filia annorum tunc fuit decem, & octo, quæ post obitum Patris anno quinto nupsit Georgio Pomeranorum & Stettinensium Duci,ut infra dicemus.

Helena patre moriente fuit annorum quindecim, quæ nupsit postea Henrico Duci de Meckelnburg, qui primus Ursulam habuit sororem Marchionis Joachim Brandenburgensis, cum quo paucis vixit annis moriens in partu.

Catharina ultimò genita fuit annorum novem, quam pater triennio prius, quàm moreretur, in Monasterio, quod Neuenburg sive novum castrum nominatur prope Heidelberg, virginibus sacris commendavit, in quo Monialis jam est professa.

Anno prænotato in solemnitate S. Gertrudis, quæ fuit feria sexta post Dominicam, *Invocavit*, die videlicet septimâ decimâ mensis Martij, obijt Albertus Dux Bavariæ, qui fuit filius Alberti, qui fuit Ernesti, qui fuit Joannis, qui fuit Stephani, qui fuit Ludovici Imperatoris quarti, qui fuit Ludovici, qui fuit Othonis Bavariæ Ducis, qui habuit uxorem nomine Gertrudem filiam Henrici Comitis Palatini Rheni Heidel- Albertus Bavariæ Dux in oppido suo München obijt.

Alberti genealogia.

bergæ commorantis, cum qua Palatinum obtinuit principatum, quem Ducatui Bavariæ conjunxit uſque in præſentem diem. Genuit autem duos filios de memorata uxore, Ludovicum & Henricum, quo mortuo ipſi duo filij ejus inter ſe principatum diviſerunt. Ludovicus qui & primogenitus obtinuit Palatinatum cum Amberga, & certis alijs Caſtellis, & oppidis in ſuperiori Bavaria.

Genealogia Comitum Palatinorum.

Henricus verò reliqua Ducatus Bavariæ Dominia, ut ſuo loco diximus, conſecutus eſt. Ludovicus autem habuit uxorem, ut longè ſupra diximus, Mariam Ducis Brabantiæ filiam, quam ſuſpicione adulterij juſſit occidi, poſtea duxit Annam Regis Poloniæ filiam, de qua genuit Rudolphum Comitem Palatinum. Rudolphus autem genuit Adolphum. Adolphus autem genuit ejuſdem nominis Adolphum. Adolphus genuit Rupertum Germaniæ Regem. Rupertus autem Rex genuit Ludovicum barbatum. Ludovicus autem barbatus genuit Ludovicum pium. Ludovicus autem pius genuit Philippum, Philippus genuit Ludovicum, qui hodie ſicut diximus Principatum gubernat Palatinum. Uxorem habens filiam Alberti Ducis Bavariæ memorati, anno præſignato mortui, & in München ſepulti. Reliquit idem Albertus Dux & alios filios & filias de uxore ſua, filia Friderici Imperatoris tertij natos: quorum primogenitus nomine Wilhelmus patri ſuccedens in Ducatu hodie principatur. Eorum verò mater ſoror Maximiliani Regis Germaniæ, ſtatim poſt obitum Ducis Monaſterium ſororum de tertia Regula, quod ſitum eſt in oppido Monacenſi, plenâ devotione intravit, in quo habitu ſummâ pietate in Deum hodie fertur ſanctiſſimè converſari.

Concurſus fit populi ad ſanctam Mariam prope Dietelſpach.

His temporibus circa oppidum Dietelſpach, quod ferè tribus ab Herbipoli diſtat milliaribus, in publica via juxta vineta in arena fuit imago quædam Beatæ Mariæ ſemper Virginis Veſpertinalis vulgò æſtimata, in trunco ligneo, ut fieri ſolet, poſita, apud cujus præſentiam multa fieri miracula dicebantur. Concurſus fit populi magnus; plura ſanitatis beneficia divinitus conferuntur mortalibus, & oblationes fidelium ingentes afferuntur, ex quibus mox fundatur Eccleſia. Hujus piæ concurſionis & miraculorum hiſtoriam deſcripſimus ad petitionem Senatus ejuſdem oppidi Dietelſpach, in quo principium & cauſam ejus invenies.

Conventus Principum indicitur apud Moguntiam.

Anno prænotato, Maximilianus Rex Germaniæ Conventum indixit Principibus ad caput menſis Maij, apud Moguntiam celebrandum. Ubi convenerunt Bernardinus Cardinalis ſanctæ Crucis in Hieruſalem Apoſtolicæ Sedis Legatus, Jacobus Archiepiſcopus Moguntinus, Jacobus Archiepiſcopus Trevirorum, Laurentius Epiſcopus Herbipolenſis, Matthæus Langius Gurcenſis Epiſcopus, Fridericus Dux Saxoniæ Princeps Elector, & multorum oratores Principum. Rex autem Maximilianus de Colonia expectabatur venturus ad unius menſis ſpatium, qui cùm arduis negotijs impeditus venire non poſſet, dimiſſis Principibus alijs eis conventum Wormatiæ celebrandum indixit ad Feſtum Nativitatis S. Baptiſtæ Joannis tunc inſtans. Poſt dies paucos Rex dimiſsâ Coloniâ ſeceſſit ad oppidum, quod Regenberg dicitur ſub ditione Ducis Montenſis, ubi paucis diebus commoratus venationi vacabat. Inde aſcendit ad Confluentiam, & ulterius ad Boppardiam, ubi & Feſtum Pentecoſtes ſanctum celebravit. A Boppardia declinavit ad Cynonotos, & per biduum manſit in Simmern,

Simmern, & in Stauroneſo, volens deinceps aſcendere ad Spiram, quò me ante præmiſerat, qui curiam tunc eo jubente tribus menſibus ſequebar Imperialem. Interea miſſi ex Brabantia venientes orabant, ut quantocius deſcenderet ad eos, cauſam allegantes nepotum ſatis arduam. Qui petitionibus eorum acquieſcens in Brabantiam deſcendit, & ſic diæta non eſt ſervata.

Inter Maximilianum Regem & Regem Gallorum fit concordia.

Maximiliano itaque manente apud Brabantinos & Flandros, inter ipſum & Ludovicum Regem Gallorum confœderatio facta eſt ſub ea videlicet conditione, ut communi apparatu bellico expeditionem moverent in Venetos. Senſit cum his duobus Regibus etiam Julius Papa II. Ludovicus verò Gallorum Rex, ſicut paulò diximus antè, fœdus inierat cum Venetis contra Maximilianum Germaniæ Regem. Jam verò deſertis illis adhæſit Maximiliano annis quatuor. Sed quâ fide, quâ integritate vel amicitiâ, exitus rei demonſtravit. Nam & tempore illo toto Geldrenſium Duci Carolo pecunias & ſuppetias contra Maximilianum Regem occultè impendit, & ſuis per Lombardiam utilitatibus & comodis intendit privatis, non autem, ſicut juravit & debuit, communibus. Unde & patefactâ infidelitate Gallicanâ, diſſoluta eſt in ejus parte confœderatio fucata. Fœdere inter memoratos Reges pacto in Venetos, mox grandis movetur expeditio Germanorum & Gallorum, ſæpiúſque fuit dubio marte pugnatum, Venetis aliquando victis, aliquando & vincentibus.

Duo Reges bellant contra Venetianos.

Anno autem prænotato, quando Rex Gallorum adhuc ſenſit cum Venetis, bellum atrox fuit Regi Maximiliano cum eis, quod à feſto cæpit Dominicæ Reſurrectionis, & duravit uſque ad Nativitatem S. Joannis Baptiſtæ. Quo tempore Veneti Tergeſtum, Comitatum quoque Gurcenſem, & quaſdam alias munitiones ad Domum Auſtriæ pertinentes ceperant, partim armis, partim inſidijs & corruptionibus. Tandem ad triennium indictæ ſunt treugæ, quæ tamen paucis menſibus durantes interruptæ ſunt.

Jacobus Archiepiſc. Moguntinus obijt. Uriel fit Archiepiſc.

Eodem anno in menſe Septembri, mortuus eſt Jacobus de Liebenſtein patriâ Suevus, Eccleſiæ Moguntinæ Archiepiſcopus, quarto Pontificatus ſui anno necdum completo, cujus Cadauer in majori Eccleſia Moguntina cum prædeceſſoribus ſuis honorificè ſepelitur. Huic in Archiepiſcopatu ſucceſſit Uriel de Gemmingen major Decanus & in Jure Doctor promotus, qui ſequenti anno in Dominica mediæ quadrageſimæ Moguntiæ in Archiepiſcopum ſolemni pompâ fuit conſecratus.

Philippus fit Archiepiſcopus Colonienſis.

Anno prænotato in menſe Octobri, obijt Hermannus ex Landgravio Haſſiæ Archiepiſcopus Colonienſis, & Dux Angariæ, Pontificatus ſui octavo atque viceſimo, & Coloniæ in principali Eccleſia ſepelitur, qui fuit Princeps manſuetudine humanitate pietate nulli tempeſtate noſtrâ ſecundus, in pauperes pius miſericors, & eleemoſynarius omnium Principum maximus, qui omnes ad ejus januam venientes pavit, & nullum ſine conſolatione abire permiſit; de quo latius dictum eſt ſupra, ubi de aſſumptione ejus in Archiepiſcopatum fecimus mentionem. Poſt quem electione Canonicorum in Archiepiſcopatu ſucceſſit major Decanus nomine Philippus Wirici de ſuperiore lapide filius, & præſulatur in quintùm annum, Princeps domeſticus & circumſpectus in actibus ſuis;

cujus

cujus patria est in Westrasia in medio fermè itinere de Spanheim pergentibus ad S. Wendelinum ad siniſtrum cernentibus castellum prædictum.

Alba Monasterium Monialium igne concrematur.

Eodem quoque anno, Cœnobium Monialium nostri Ordinis, quod in Diœcesi Spirensi constructum Alba dicitur, igne casuali fuit incensum, & præter solam Ecclesiam omnia sororum habitacula in pulverem sunt redacta.

Anno præsignato circa principium mensis Augusti, apud Suevos & maximè Studtgardiæ horrenda subitò pluviarum tempestas erupit, quæ muros subvertit, & turres, ac domos plures dejecit, cellaria implevit aquis, homines & jumenta suffocavit, vineta destruxit, & plura mortalibus damna intulit.

MDIX.

Abbas Clarævallis Burgundus spoliatur apud Franckfurt.

Anno Abbatis Joannis Hirsaugiani sexto, Indictione Romanorum XII. Sabbato post Dominicam quadragesimæ tertiam, quæ fuit dies mensis martij septima decima, Monasterij Clarævallis Abbas in Burgundia, missus ad visitandum Cœnobia Ordinis sui per Germaniam, cùm venisset in terram haud procul à Franckfurt, quæ Weteravia dicitur, inter Fridberg & Lintheim, per quosdam raptores omnibus rebus suis spoliatus est, me tunc in Budingen pro quadam causa existente cum Comitibus de Isenburg uno & viginti diebus. Circumferebat bonus ille Pater scutellas octo & certa pocula de argento, & pecuniam non modicam quingentorum videlicet ac mille florenorum, quam pro viatico de Monasterijs à se visitatis collegerat, simul & alia quædam Clinodia, quæ omnia latrones illi rapuerunt. Fuerunt enim plena raptoribus & latronibus hæc tempora præsertim apud Francos nostros Orientales, apud Wederavios, & in Sueviæ finibus certis, ex eorum genere, qui se vel nobiles vel equites gloriabantur: qui avitæ nobilitatis, & virtutis immemores avaritiam & rapinam in delitijs habebant, in tantum, quòd in memoria hominum tam crebra tam multa támque impunita latrocinia commissa non sunt in his præsertim terris, quas abundare latrocinio nostris temporibus jam dictum est. Conqueruntur hanc raptorum inauditam crudelitatem imprimis Mercatores, Clerici quoque & Laici omnes, qui vel in se vel in alijs experti sunt eos paganis esse immitiores, qui rebus ablatis etiam corpora interficiunt.

Capitulum Ordinis nostri Provinciale XXXIII Erphurdiæ celebratur.

Anno prænotato, Dominicâ tertiâ post Pascha, quæ fuit dies mensis Aprilis 29. cum duobus sequentibus diebus, celebratum fuit capitulum Ordinis nostri Provinciale XXXIII. à tempore Concilij Constantiensis, Erphurdiæ in Monasterio S. Petri Apostoli, in quo præsederunt Bartholomæus S. Crucis in Werdea, Henricus in Bursfeldia, Marcellinus in Selgenstatt, & Georgius in Zwifalten Monasteriorum Ordinis nostri S. Benedicti Provinciæ Moguntinæ Abbates.

Inter Senatum & Civitatem Erphurdienses magna seditio.

Eodem anno circa Festum Gregorij Papæ, gravissima seditio inter Senatum & Cives oppidi Erphurdiensis tali occasione fuit exorta. Communitatis viri gravamina contra Senatum allegantes in unum conspirârunt, quòd nihil amplius vellent contribuere, nisi prius receptorum & expositorum computationem à regentibus accepissent. Consilio igitur accepto miserunt quosdam ex communitate ad Senatum, qui omnium nomine peterent sibi aperiri per computum, in quantis & in quibus eorum

eorum Reſpublica eſſet gravata præſertim ære alieno, ut ſcirent, ſi cauſam haberent legitimam, toties communitatem gravandi ſubventionibus.

Nomina Burgimagiſtrorum ſub quibus iſta cæpit turbatio.

Erat autem Regens principalis anni præſcripti Georgius zu der Punten-Kertzen nuncupatus, poſt quem Fridericus Reinbutem, quem præambulum ſeu præeuntem vocant. Et hi duo quotannis eligebantur ex potioribus civium, quos de proſapijs ſive de amicis ſenatorijs appellant. Tertius de communitate inſtitutus, qui apud eos der Dockenherr fuerat nominatus. Hi tres inter Senatores erant Burgimagiſtri hoc anno, & officio principales, quorum adminiſtratio ſingulis annis conſuevit immutari. Totius autem Reipublicæ adminiſtratio apud illos fuit in Senatu, qui de familiarum antiquitate gloriabantur. Miſſis igitur à communitate, Senatus reſpondit: *Rem concives & novam & difficilem poſtulatis, ut jam ſubitò & ſine deliberatione gravamina vobis rei noſtræ publicæ ſimul & computum receptorum & expoſitorum aperire debeamus. Idcirco rogamus, habeatis parvo tempore patientiam, & poſt neceſſariam hujus negotij deliberationem dabimus vobis honeſtum reſponſum.* Abierunt miſſi cum pace, & communitati renuntiârunt, quæ à Senatu acceperunt in commiſſis. Acquievit populus & tacuit, Senatûs reſponſum aliquandiu expectando promiſſum.

Comunitas in multitudine furens Prætorium Senatûs ingreditur.

Interea Senatus non ſolum populo nullum dedit reſponſum, ſed etiam novam contributionem impoſuit communitati, certo ſub termino perſolvendam. Hinc orta ſeditio magna, hinc turbatio ingens fuit ſecuta. Enimverò convenientes in unum cives uno ore unâ ſententiâ Senatui contradixerunt, inſtantiſſimè poſtulantes, ut eis debita & gravamina Reipublicæ ſingulatim exprimerentur. Verùm cùm nihil poſtulando proficerent, congregati omnes in unum, turmatim armati prætorium intrant, rationem & computum à Senatu omnium requirunt.

Henricus Kelner in Senatu ſenior à communitate capitur.

Unus è Senatu ſenior nomine Henricus Kelner, qui magnæ inter alios fuerat auctoritatis, proteruè ac nimis inconſideratè multitudini furioſæ reſpondit, verba in eam jaculans contumelioſa, quibus ad majorem indignationem provocati Cives Burgimagiſtrum ſupradictum Georgium zu der Punten-Kertzen compulerunt, quòd eum in continenti captivitatis juramentum facerent dare. Juravit ille neceſſitate compulſus, & captivum in domo ſua ſe manſurum promiſit. Et reverà parùm abfuit, quin à multitudine in ipſo prætorio fuiſſet occiſus. Eâdem die metuentes turbæ, ne ſenior elaberetur per fugam, arctæ illum cuſtodiæ mancipârunt.

Seniore autem per dies plures detento, quotidie crevit ſeditio civium contra Senatum, & magnum inter eos diſſidium fuit ſubortum. Nam alij Patronum & Protectorem ſuum invocabant Archiepiſcopum Moguntinum, qui ſolus antiquiſſimo jure dominus eſt ſuper oppidum Erphurdianum: alij verò ad Fridericum Saxoniæ Ducem reſpiciebant.

Communitas Archiepiſcopum Moguntinum ut Dominum ſuum invocat.

Prævaluit autem communitas adverſus Senatum, & omniaquæ majoritatis erant, Prætorium ſcilicet, regiſtra, claves, urbem, caſtella & allodia in ſuam recepit poteſtatem, abjectóque ſenatu novos Regentes novúmque ſuo arbitratu inſtituit conſulatum. Cuſtodiam quoq; caſtrorum in manus ſuas recipiens communitas ſingulis novos ex plebe dedit Rectores.

Poſt hæc deputati ſunt viri, qui acceptis regiſtris, cenſuum receptorum & expoſitorum rationem exquirerent, & in quanta pecuniarum ſumma ære gravati eſſent alieno, computarent. Fecerunt ordinati re-

ctores, quod jussi fuerant, & calculatione factâ invenerunt summam capitalem debitorum sexcentorum millium florenorum, de quibus singulis annis censum dare sunt obligati florenorum triginta millia. Denique summa perceptorum excessit summam distributorum quotannis in certis millibus florenorum, qui fraude fuerunt sublati.

Sexcenta millia florenorum sunt Erphurdiensium debita.

His compertis miserunt viros de communitate quosdam ad Archiepiscopum Moguntinum tanquam ad verum Dominum suum, postulantes ab eo consilium pariter & auxilium, quid esset in tam arduo negotio ulterius faciendum. Venerunt missi ad Archiepiscopum, & honorificè ab eo susceptì sunt, qui relationem eorum clementer audivit, consilium dedit, & missurum se viros in auxilium promisit. Interim comperientes antiqui Senatûs viri, quòd communitas legationem misisset ad Archiepiscopum, animo consternati sunt, & pellibus suis non mediocriter timuerunt, propterea quòd à multis annis Pontificibus Ecclesiæ Moguntinæ rebelles semper fuerant & contumaces. Missâ igitur & ipsi legatione ad Saxoniæ Duces Fridericum Joannem & Georgium, eorum sibi favorem & assistentiam secretius procurârunt, communitate rem ignorante.

Equites Moguntini ad Erphurdienses missi omnes capti sunt.

Archiepiscopus quemadmodum promiserat communitati, ordinavit quosdam equites in auxilium Erphordianorum, qui cùm pervenissent in Thüringen, hospitium in Cœnobio Georgij vallis nuncupatum ultimâ nocte susceperunt. Quod cùm innotuisset Friderico Dunæ præfecto Ducis Friderici Electoris apud Wimariam, contractis mox copijs Monasterium manè diluculo cinxit obsidione. Territi Moguntinenses, cùm essent numero pauciores, tantæ multitudini minimè resistere potuerunt. Datis ergo dextris omnes à Friderico capti sunt, & sub jurejurando sicut moris est captivis se obligare, ad Archiepiscopum remissi.

Senatus Erphurdiensis antiquus fugit occultè cum suis.

Verùm postquam hoc factum innotuit Erphurdianis, consternati sunt valdè, & majorem in seditionem versi contra Senatum antiquum, cujus subordinatione captos noverant Moguntinos in auxilium sibi destinatos, omnes incarcerare statuerunt. Senatus autem super his certior factus, salutem fugâ quæsivit. Singuli enim capitibus metuentes suis cum amicis occultè de oppido recesserunt ad memoratos Saxoniæ Duces, & sedes sub eorum dominio receperunt, usque in præsentem diem. Crevit autem quotidiè novorum regentium sævitia, propter quam plures de communitate viri cum uxoribus & liberis, etiam bonis in oppido relictis, occultè recesserunt, alij ad Gottham, alij ad Wimariam, alij ad Isenach, atque alij ad alia loca sub Ducum Saxoniæ dominio constituta.

Doctor Henningus fugit de Erphurdia.

Sed ubi novis regentibus innotuit, quòd non tantum antiquus consulatus fugeret, verum etiam plures de communitate, qui prius & à principio interfuerant conjurationi, statuerunt ad singulas oppidi portas multos custodes, ut fugere deinceps nemo posset. Denique plures in fuga deprehensi carceribus mancipati fuerunt. Henningus Gode oriundus de Havelburg U. J. D. Syndicus Erphurdiensium vir potens in opere & sermone, cujus Reges consilio utuntur & Principes, in hac dissensione, quamvis Canonicus & Sacerdos, non confidens multitudini, relictâ domo & omnibus, quæ habuit, clam de oppido incognitus recessit. Post cujus discessum communitas omnia bona ejus sicut & cæterorum, qui fugerant, diripuit, & in usum proprium convertit. Tantus erat furor populi, quòd non

non attento gradu sacerdotali, quo fungebatur, si comprehendissent eum, sine misericordia occidissent, propterea quòd senatui ut Syndicus adhæserat. Sed furentium prudenter declinans vesaniam, Ducem Fridericum accessit, à quo Canonicatum in Wittenberg accipiens ibidem residet usque in præsentem diem. Cæteri autem penè omnes, qui fugerunt, in magna vivunt paupertate, quoniam & ea perdiderant, quæ in Erphurdia reliquerunt, & nullum ab his ad quos declinârunt, subsidium inveniunt, quemadmodum inconsultè præsumebant.

Discordia inter Archiepiscopum & Duces fit propter Erphurdiam.

Cùm verò Moguntini Equites ad Archiepiscopum suum redijssent, juramento captivitatis obnoxijs condoluit, & statim ordinatis alijs, & quidem cautioribus præcedentium incommodo factis, misit eos in auxilium communitatis, non tantum contra Senatum antiquum, sed etiam contra Saxoniæ Duces, & alios quoscunque adversarios. Ex eo tempore magna inter Archiepiscopum Moguntinum, & præfatos Duces Saxoniæ fuit exorta dissensio, quæ durat usque in præsentem diem. Maximilianus autem Romanorum Rex interpellatus à partibus, commissionem dedit Laurentio Wirzburgensium Episcopo, ut adjunctis sibi oratoribus è secretis Principum Electorum, & quorundam civium Regni tentaret inter dissentientes, si posset, reformare concordiam. Jam enim bellum grave in foribus erat, nisi interposuisset se.

Laurentius Wirzburgensis Episcopus tractat pro pace inter Principes.

Memoratus igitur præsul Laurentius volens Imperialibus obedire mandatis, cupiens magno, si posset, desiderio pacem reformare inter dissidentes, sicuti verè Princeps est omnino pacificus, & Christianæ cultor & amator unitatis præcipuus, convocavit ad se Herbipolim Oratores Principum & Civium à Regia Majestate condeputatorum anno sequenti circa finem mensis Septembris. Convenerunt ergo apud nostram Peapolim Cancellarius Archiepiscopi Trevirorum cum socijs suis, Cancellarius Archiepiscopi Colonienſis similiter, Oratores Comitis Palatini similiter, Cancellarius & Oratores Joachim Marchionis Brandenburgensium similiter, Oratores Nürenbergensium similiter, & Oratores Franckofurtensium similiter, & hi à Rege Maximiliano condeputati.

Schmalkalden locus tractandi pro pace.

Quibus in urbe Peapolitana convenientibus partes rogavere Pontificem, ut locũ pro concordia tractandi, quem vellet, Erphordianis aliquem designaret viciniorem; consensit Pontifex & oppidum Schmalkalden pro negotio deputavit, quò ipse cum Oratoribus memoratis se contulit, & Cæsareum exhibuit auditorem. Comparuerunt in loco non Principes ipsi dissentientes, sed Oratores, & à secretis eorum, proponunt causam actores, Reus simul conqueruntur & Actor. Pontifex auditis hinc inde querelis, in medium plura protulit media pacis. Sed durum contra durum nullum admisit medium. Hoc solum regali mandato coadunatus effecit conventus, ut arma deponerent partes, & sententiam causæ Cæsareæ Majestati remitterent auditores. Ab eo die suspensa manet sententia. bello nihil tentatur in annum jam quartum, sed nec Principes redierunt in concordiam, nec Burgenses in unitatem. Variæ hodie fiunt incursiones circa Erphordiam à Ducalibus in cives, & non minus excursiones multæ per Erphordianos in Ducales, ut nusquam sit tuta fides. Verum enim verò Erphurdiana communitas posteaquam surrexit in rebellionem contra senatum, non solum Henricum Kelner seniorem inter consules,

de quo diximus, sed & alios complures in carcerem successivè conjecit, inter quos fuerunt ex senatoribus Joannes Kranickfeld & Georgius zu der Punten-Kertzen / vinculis mancipati, & examini torturarum crudeliter expositi.

Henricus Kelner examinatur & laceratur per torturam.

Tandem Henricus Kelner per Scabinorum sententiam ad furcam suspendendus publicè judicatur, nescio pro commissis, an pro violenter in tortura confessatis. Quem intra muros Erphurdianos cruce fabricatâ cùm pro senectutis honore laqueo innectere cives decrevissent, abnuit ille dicens: *Si me furem comprobâstis, ut furem in loco furibus ordinato, non intra muros suspendite.* His verbis aut modicam vitæ dilationem quæsivit, aut certè medio tempore sperabat subordinatione Ducum Saxoniæ venturos, qui eum de interitu liberarent. Confestim tolluntur in altum furentium voces: *Suspende furem, interfice traditorem, non sinas vivere tyrannum.* Imponitur miserabilis senex carro, & comitante eum civium armatâ multitudine, foras oppidum ducitur sicut voluit ad locum furibus deputatum, pedibus transire non potuit, quia nimium laceratus in tortura vir senex & tenerrimus omnium officio membrorum (linguâ duntaxat exceptâ) privatus fuit. Cachinno sævientis populi senex calamitosus de oppido, sicut petierat, educitur, per scalam ad superiora crucis trahitur, strictúsque ad crucem funè collo more furum suspenditur. Erat autem homo crassus & corpore aliquantulum ponderosus, unde laqueo jam colligatus mox ut de climace lictoris manu dejicitur, fracto funè de patibulo miser cecidit super terram. Denuo suspenditur, & innexus fortiori laqueo per violentiam strangulatur. Hic finis Henrici Kelner miserandi senis fuit, qui jure vel injuriâ sit passus, meam conscientiam fugit. Joannes autem Kranichfeld similiter, ut diximus, carceri mancipatus, & diu detentus, & multiplici torturâ fuit examinatus. Hunc tandem liberatum à vinculis sub jurejurando, quòd ex Erphurdia non discederet, in domum suam abire, ut captivum permiserunt, qui malorum expertus, nec furenti ducens plebi credendum, vitam fidei, & exilium prætulit civitati, nactúsque opportunitatem clàm discedens animam fugâ salvavit.

Henricus Kelner suspenditur in patibulo extra oppidum.

Georgius autem dictus zu der Punten-Kertzen diu & ipse vinculis detentus, sæpéque positus ad torturam, postremò ut captivus in domum suam dato captivitatis juramento ire permissus est. Quid verò de cæteris sit actum captivis, necdum scire potui. In hâc turbatione civili gravissimâ communitas Erphurdiana, sicut diximus, tandem prævaluit: Senatum antiquum deposuit, novum instituit, quem annis singulis amoveri & immutari ad Festum S. Nicolai providâ ordinatione decrevit: quatenus brevitas temporis non sinat superbire regentes. Interea enim quintus volvitur annus, in quo temporis spatio quinquies etiam immutatus est Senatus: quæ quidem constitutio sic erit in futurum continuanda.

Captivi reliqui à custodia relaxantur, & aliqui fugerunt.

Anno prænotato, Julius Papa secundus Venetorum insolentiâ provocatus, qui Ravennam, Faventiam & alias civitates plures, oppida & castella Romanæ Ecclesiæ violenter occupaverant, & contra justitiam annis multis possederant, ad restitutionem compellere annisus est. In primis eos paternè monuit, ut Ecclesiæ Romanæ quantocius injustè ablata restituerent: quos deinde rebelles & contumaces gladio Spiritus Sancti feriens excommunicavit. At illi suo more in superbia pertinaces, Papæ sententiam

Veneti Apostolicæ Sedi contumaces, à Papa Julio excommunicantur.

tiam contempserunt, & quidquid mali poterant, verbis, scriptis, & factis contra Romanam Ecclesiam tentaverunt. Quâ necessitate compulsus Pontifex Romanus, Maximilianum Germaniæ Regem, ut Protectorem & Advocatum Ecclesiæ, simul & Ludovicum Regem Gallorum contra Venetos in auxilium vocavit: ut qui monentem paternæ pietatis affectu spreverant, quique censuram Ecclesiasticam præsumptuosâ elatione contempserant, materiali tandem gladio compulsi discerent obedientiam.

Papa Reges Germaniæ & Galliæ contra Venetos invocat.

Anno igitur præsignato, Maximilianus Rex Germaniæ Romanorúmque Cæsar electus, Ludovicus quoque Rex Gallorum duodecimus, & Ferdinandus Rex Aragoniæ simul in unum confœderati, cum alijs Principibus tam Italis quàm Germanis multis ad Romani Pontificis instantiam se Venetis Apostolicæ Sedis simul & Imperij contemptoribus hostes scribunt, & bellum indicunt. Contractis deinde copijs fortitudine virorum non paucis, Venetos aggrediuntur superbos, & multis eorum millibus in ore gladij necatis, civitates & munitiones per circuitum plures capiunt: villas destruunt, depopulantur agros, & universa, quæ sub eorum ditione contingere potuerunt, hostili potestate devastant. Cæpit hoc bellum in Venetos in principio mensis Maij, & per totam duravit æstatem, in quo paucis diebus multa & maxima per Principes sunt patrata.

Maximilianus Rex bellum indicit Venetis.

Julius etenim Papa secundus proprium contra Venetos ordinavit exercitum, per quem recuperavit civitates, munitiones, oppida & castella in circuitu multa: quæ Venetorum insatiabilis dominandi cupiditas ante plures annos contra justitiam violenter rapuit, & multo tempore injusto possessionis titulo tenens occupavit. Inprimis ergo Papa Julius Ravennam insignem urbem cathedrâ scilicet Archiepiscopali gloriosam recuperavit, quæ multo tempore ab Ecclesia Romana fuerat alienata. Deinde similiter obtinuit Ariminum civitatem Episcopalem, Faventiam quoque & Cerviam, & plures alias munitiones, quarum vocabula hâc vice memoriæ non occurrunt.

Julius Papa bellum producit in Venetos & multa recuperat.

In eodem quoque bello Cæsar Maximilianus Tergestum cum universis munitionibus anno præterito per insidias & proditiones à Venetis captum recuperavit. Deinde Paduam civitatem sub ditione Venetorum cepit, quam tamen proditione civium Veneti non diu postea receperunt. Obtinuit etiam Rovoretum, Reiffiam quoque clusam Persenensem, Veronam, Vincentiam, Forojulium, Goritzium, Tervisum, Meisterium, & plures alias Venetorum munitiones, quarum vocabula non tenemus. Verùm ex his omnibus Veneti nonnulla sequentibus annis per vim recuperarunt.

Maximilianus Rex multa recuperavit de manu Venetorum.

Ludovicus autem Rex Gallorum pro suo interesse multa obtinuit, sed non satis fraternâ portione acquisita cum Rege Maximiliano divisit, propterea justo Dei judicio, quidquid acquisierat, non diu postea cum Ducatu Mediolanensi totum amisit. Inprimis enim de Venetorum dominio eripuit Bergomum, Cremam, Cremonam, Brescíam, Piscéram, Cerisolam, aliáque oppida & castella multa. Omnia enim, quæ Veneti per multos retro annos, bello, dolo, fraude, seu quolibet alio ingenio à Ducatu Mediolanensi sive justo, sive injusto titulo usurpaverant, Ludovicus recuperavit.

Ludovicus Gallorum Rex multa de manu Venetorum diripuit.

Conventus fit Principum & civium Regni apud Wormatiam.

Interea cùm hæc agerentur in Lombardia contra Venetos, Principes Regni Germanici apud Wormatiam jussu Maximiliani Regis generalem celebravêre Conventum, ad quem Rex ipse Oratores suos misit à secretis, per quos auxilium & subsidium pecuniarium à regni subditis contra Venetos postulavit; cæpit autem conventus iste Principum celebrari Wormatiæ anno prænotato sextâ die mensis Maij, & duravit diebus ferme triginta quinque usque in decimam diem videlicet mensis Junij. Principes autem post multa consilia & varios tractatus inter se cum regni civibus habitos unâ tandem sententiâ omnes postulatum regi subsidium denegabant, causas præter impossibilitatem allegantes plurimas, quarum consideratione ab omni contributione se liberos fore penitus æstimabant. Quarum ista sunt capita.

Recusant Principes subsidium contribuere Cæsari, cujus prima causa.

Causa prima, quam consiliarijs Cæsareis pro negativo responso dederunt, illa fuit, non esse in eorum facultate toties regijs subvenire necessitatibus, quòd nemini sit non manifestum, quantas regnum in paucis annis fecerit expensas, in tot conventibus per regiam Majestatem indictis, in veniendo de longè standóque diutius, & multa consumendo non satis utiliter; præter multa denique, quæ domi negliguntur. Sed & damna rerum & detrimenta pecuniarum quanta sustinuerint cives cum principibus regni paucis jam annis bellum agendo contra Suitenses, & alios complures, quorum singulatim recensere memoriam scientibus foret omnino tædiosum. Ex his & alijs rationibus multis inopiam regni allegantes, concluserunt, non solùm nihil se regi contribuere posse, verum etiam se mirari vehementer dicebant, quòd Rex, cui hæc omnia essent manifesta, subsidium ab eis postularet.

Bellum allegant Suitensium & gravamina.

Causa secunda.

Secundò. Regni congregatio legatis à Rege missis respondit, quòd hâc præsertim vice subvenire Majestati Regiæ nullatenus essent obligati, propterea, quòd bellum Venetorum sine consilio, vel assensu Principum & civium Regni assumpserit, cum Rege Gallorum & alijs fœdus inierit, quæ omnia, cùm sint magna, ardua, & gravia, sine consilio & assensu procerum regni facere minimè debuisset.

Causa tertia.

Tertiò. Principes & cives Regni se ad contribuendum Regi subsidium ex eo concludebant non teneri, quòd nescirent, quid utilitatis Regno vel detrimenti, etiamsi contribuerent, inde posset provenire, cùm dubio Marte omnia fieri cernerent.

Causa quarta.

Quartò. Dixerunt, se non mediocriter timere, nullam Regno, si etiam contribuerent, inde proventuram utilitatem, sed graviora potius detrimenta secutura, sicuti & prius fuerit actum cum duabus contributionibus, quarum altera Coloniæ, altera verò Constantiæ indicta fuerat, ex quibus nulla utilitas Regno provenerit, sed incommoditates, damna, & subsannationes adversariorum & ludibria populi. Transierunt magna, quæ prius Regi contulere subsidia, quorum profectum nullum viderint subsecutum, idcirco necessarium fore, ut sint in anteà cautiores.

Causa quinta.

Quintò. Propterea nihil dicebant se velle contribuere, etiamsi possent, ne consentire viderentur in ea, quæ sine ipsorum consensu per Cæsarem sunt facta, in totius Regni damnum vel detrimentum, sicuti est fœdus cum Rege Gallorum Ludovico initum, & maximè ipsius per Maximilianum ad Ducatum Mediolanensem infeudatio. Adjicientes, quòd hæc omnia

fuerint

fuerint dissona plurimum, & adversa his, quæ in ultima congregatione Principum apud Constantiam maturè concluſa extiterant.

Sextò. Subsidij negationem confirmantes dicebant: hactenus nunquam fuisse auditum in Regno, quòd sine communi Principum consilio prius tractato contributio tam grandis & magna subitò & inconvenientissimo tempore fuerit imposita. His & alijs diversis excusationibus congregatio Principum usa, & oratoribus, quos Cæsar miserat, assignatis perscripta, conventum in proposito solverunt. Causa sexta.

Verùm postquam exceptiones Principum ad manus Cæsaris pervenerunt, considerans sibi postulatum non solùm de negari subsidium, sed etiam se in certis passibus taxatum, nihil moratus apologiam ad omnes Regni status, & Principes edidit, in qua & suam sufficienter declarat innocentiam, & congregationis memoratæ historiam pulchrâ responsione per singulos articulos secundum ordinem confutavit, sicut patet in ipso apologetico, cujus publicatio facta est anno prænotato vicesimo sexto die mensis Junij in urbe Tridentina. Rex allegationes Principum omnes litteris confutat.

Eodem anno ultimâ die mensis Maij, apud Bernenses in Helvetia qnatuor Fratres sancti Dominici Conventus ibidem, Prior, Lector, Subprior & Custos capti, per torturam examinati, & ad ignem judicati, & miserabiliter combusti sunt, propter quasdam dolosas, falsas, & impias machinationes, quas contra puritatem Conceptionis Beatæ Mariæ semper Virginis occasionaliter excogitâsse ferebantur. Quorum confessata & facti processus, cùm arte impressoriâ nimium habeantur in publico, nostris isthic inserere chronicis superfluum judicamus. Ad instantiam námque Bernensium Haimo Lausanensis Episcopus loci Ordinarius inquisitionem contra eos fecit, quo astante unà cum Matthæo Walesiano Pontifice, Achilles Episcopus Castelli Apostolicæ Sedis Legatus ad hoc missus à Papa Julio miseros ab omni gradu & privilegio clericali deposuit, vicesimâ tertiâ die mensis Maij, quæ fuit quarta feria ante Pentecosten. Deinde sicut diximus, ultimâ die ejusdem mensis, quæ fuit quinta feria post Festum Pentecostes, in prato trans Ararim combusti sunt, in præsentia multorum hominum, & miserabili flammarum ardore in cinerem redacti. Apud Bernenses in Helvetia quatuor Prædicatores comburuntur.

Anno prænotato, in mense Augusto, mortuus est Wilhelmus Hassiorum Landtgrafius post longam & miserabilem infirmitatem. Non enim post multũ tempus bello contra Palatinum peracto, morbum pustularum incidit, quem nostri Gallicanum appellant, de cujus principio dictum est in superioribus, qui paulatim in tantum prævaluit, quòd à nullo medico potuit curari. Quantò enim plures adhibuit medicinas, tantò dolores sustinuit graviores. Computruerunt à nimietate morbi circa faciem & in gutture carnes usque adeò, quòd non solùm suis, sed etiam sibimetipsi factus horribilis tandem longo cruciatu defecit, filium relinquens infantem, qui sub tutoribus hodie cum matre nutritur & regitur. Wilhelmus Hassiorum Landtgravius moritur.

Eodem anno, mortuus est Joannes Comes Palatinus Rheni Bavariæque Dux & Comes in Spanheim, qui morabatur apud Cynonotos in oppidulo Simmeren filius Ducis Friderici, qui fuit Stephani, qui fuit Ruperti Regis Germaniæ. Reliquit autem Dux iste Joannes unicum filium nomine Joannem, qui Patri successit in Principatu, & hodie vivit in Simmeren residens, & habens uxorem filiam Christophori Marchionis de inferiori Joannes Comes Palatinus Bavariæ Dux & Comes in Spanheim obijt.

feriori Baden. Sepultus est in Cœnobio Ravengerspurg Ordinis Canonicorum sancti Augustini, ubi & pater & mater in medio chori jacent sepulti.

Macarius Abbas exusti Monasterij Limpurgensis Spiræ moritur.

Anno prænotato decimâ sextâ die mensis Novembris, obijt Spiræ Macarius Weis de Buchseck Abbas exusti Monasterij Limpurgensis Ordinis nostri, cujus corpus ad Wachenheim relatum in choro parochialis Ecclesiæ, quam sibi pro construendo Monasterio, ut supra diximus, comparaverat, est sepultum. Erat sanè vir ingenio mitis, humilis, & mansuetus, vitæ morúmque integritate venerabilis, & singulari observantiâ monasticæ conversationis devotus. Cui patria fuit Wederavia, locus verò nativus castellum, quod vocatur Jaurbach. Annorum duodecim puer Monasterio Limpurgensi traditur, inventis moribus conversatur. Verùm posteà cùm ad observantiam Regularem Bursfeldianæ Congregationis idem reformaretur Cœnobium, cunctis Monachis inde recedentibus, ipse cum Anselmo Ulner ex Diepurg Priore solus voluntariè remansit, & collum observantiæ submisit.

Hâc reformatione introductâ, quemadmodum anno primo post octogesimum nobis viciniorem supra dictum est, ultimus in deformatione Abbas Henricus Ulner ex Diepurg cessit officio curæ pastoralis, quia pro manutentione regularis disciplinæ non fuit idoneus. Alios enim docere bonum non potuit, quod ipse nesciens nunquam operatus fuit. Mente námque in veteri nova cogitare difficile est.

Bonifacius Limpurgensis Abbas I. Reformatus.

Primus igitur Abbas sub reformatione institutus fuit Bonifacius patriâ Geldrensis ex oppido Venlo natus, Cœnobij sancti Jacobi prope Moguntiam in Monte Speciosо Monachus, vir prudens, & bonæ conversationis, qui præfuit annis fermè duobus.

Anselmus Abbas II.

Huic peste mortuo successit in Abbatia memoratus senior Anselmus Ulner ex Diepurg, quem ex deformatis reformatum diximus, & præfuit annis undecim, vir quantum ad suam personam optimus, simplex, devotus, & rectus, sed penitus Idiota, linguâ balbutiens, & neque in temporalibus, neque in spiritualibus ad regimen idoneus, ob quod & Abbatiam spontaneâ & liberâ voluntate resignavit.

Macarius Abbas III.

Post hunc Macarius ipse supra dictus familiâ orphanus, Prior me præsente cum alijs duobus Moguntino Hermano, & Schönaugiense Melchiore Abbatibus vocatis, in Abbatem loci fuit electus, & præfuit annis decem, sub quo Monasterium Limpurgense per ministros servorum diaboli, ut supra diximus, crudeliter & impiè fuit exustum.

Wernerus Abbas IV. Monachus Spanheimnensis.

Macario propter incinerationem Monasterij & innumerabiles adversitates ex melancholia sine dubio vitâ defuncto, successit in Abbatia Wernerus Breder de Huffelberg Præpositus Novicastri prope Franckfurt, quondam Monachus meus in Spanheim ante plures annos, qui Monasterium restaurare in monte Limpurg antiquitus dicto, ubi prius ante incendium fuerat, intendit, quod utinam Deo miserante perficiat, quia solitudo Monachos decet, non civitates & urbes.

Clerus Wormatiensis decennio exul revertitur ad urbem, unde exivit.

Eodem anno, Clerus Wormatiensis, qui jam decennio exulaverat propter dissensiones, quæ inter ipsum & cives vertebantur, ut supra diximus, mediante Friderico Duce Saxonum & alijs Principibus Regni, qui apud Wormatiam convenerant, in concordiam cum dissidentibus redijt, atque intra urbem receptus est, postquam per totum illud decennium in

multis

multis dictis coram Papa, coram Raymundo & Bernardino Cardinalibus Legatis Apostolicæ Sedis, coram Rege Maximiliano & pluribus alijs gravissimas fecerunt expensas. Ab ista concordia Episcopus Wormatiensis in sua contra cives actione litem continuans exclusus est.

Monasterium Eremitarum nostri Ord. in nigra sylva comburitur.

Anno prænotato Monasterium Beatæ Mariæ semper Virginis ad Eremitas nuncupatum Ordinis S.P.N. Benedicti Constantiensis Diœcesis penè totum igne consumitur. Hujus loci primos fundatores longè supra diximus temporibus claruisse divi Præsulis Rhætiorum Udalrici, sanctos videlicet Eremitas Gregorium & Eberhardum, in quo multis annis posteà regularis disciplina gloriosè viguit, cujus tamen hodie nullum in Monachis ejusdem vestigium cernitur. Concursus ad hoc Monasterium populorum tam frequens & magnus à multis retrò annis continuatus est, usque in præsentem diem, ad Dominæ nostræ memoriam, cum tot tantisque oblationibus eleemosynarum, ut omnia Cœnobij tecta possent esse argentea, si munera fidelis populi ad solius utilitatem Monasterij fuissent expensa.

NB. A reformatione Helvetica nunc reformatissimum est.

Grandinis immensa tempestas fruges per Sueviam devastat.

Hoc ipso anno, grandinis immensa tempestas fruges devastans graviter læsit apud Leonberg oppidum Ducis Wirtenbergensis, & in quibusdam alijs locis per Sueviam. Referunt qui viderunt, in ea grandinis tempestate lapides ex aëre decidisse magnitudinis ovorum Gallinarum, quibus confractis apparuerunt interius pili, & varia id genus, quorum intuitus maleficij causat suspicionem.

Terræ motus per Germaniam fiunt magni.

Eodem anno facti sunt terræmotus per diversa Germaniæ loca magni & satis impetuosi, quorum impulsu turres multæ ceciderunt & domus, maximè in Carinthia, Stiria, Tiroli, Austria, & Suevia, in Hirsaugia & per quatuor in circuitu milliaria, mense Septembri, post horam videlicet octavam in nocte. Ferunt inquisitores novorum anno prænotato, quartâ decimâ die mensis Septembris, in Constantinopoli, & in multis alijs circumjacentibus locis magnum & horrendum fuisse terræmotum, qui muros circa mare, turres multas, domos & ædificia maxima dejecerit, multáque millia hominum subitò extinxerit.

Anno item prænotato, suburbana oppidi Thermarum Sylvestrium, quod in nigra sylva constitutum, vulgariter Wildbad / in die omnium Sanctorum usque ad portam inferiorem non sine gravissimo detrimento hominum combusta fuerunt.

Conventus Principum.

Eodem anno, die mensis Novembris octavâ, Maximilianus Cæsar apud Rovoretum constitutus litteras per universum Germaniæ regnum emisit, in quibus omnibus & singulis Regni Principibus & civibus mandavit, quatenus ad festum Epiphaniæ Domini proximum anni sequentis Augustæ compareant, ad tractandum pro necessitatibus Regni communibus, quæ apud Wormatiam proposita fuerunt, aut malè intellecta, aut minus bene susceptа.

Jacobus Abbas in Gotzaugia resignat Abbatiam suam.

Anno prænotato, quartâ decimâ die mensis Novembris, Jacobus Abbas Monasterij Beatæ Mariæ semper Virginis in Gotzaugia Spirensis Diœcesis nostri ordinis coram me Joanne Trithemio Abbate sancti Jacobi, Conrado Abbate sancti Proto-Martyris Stephani Herbipolensibus, Capituli provincialis in hac parte commissarijs evocatus de Roma per nos ad Peapolim in dicto Monasterio sancti Stephani, Abbatiam suam in manus

Fratrum sui conventus, ex certis causis eum moventibus voluntariè resignavit. Hujus quidem facti pro informatione posteritatis, ut nemo dominum, cui subjicitur jure vel consuetudine, facilè contemnat, litteris commendare utile judicamus.

Abbas Marchionem vocavit ad Curiam non satis consultè.

Memoratus itaque Abbas Zelum habens, sed non secundum scientiam, Christophorum Marchionem de Baden, sub cujus tuitione monasterium est constitutum, pro quibusdam nemoribus, aquis, piscationibus, villis & jurisdictionibus, quæ nulla ætas hominis meminit, in possessione fuisse Monasterij, ad Curiam Romanam sine scitu vel consensu Fratrum suorum citavit. Occultè námque cum uno famulo abiens equester omnem pecuniam & scyphos annulósque aureos secum deportans Romam venit, & omnia brevi tempore ibidem stando consumpsit. Citatus Marchio non satis audaciam non dico temeritatem hominis potuit admirari, quòd Romæ quæreret justitiam, quæ in patria nunquam ei fuerat denegata.

Divisio inter Abbatem & Monachos facta, litis causam finivit.

Interea Romæ defecerunt pecuniæ Abbati: & non habens unde aut vivere diutius posset, aut negotium litis continuare incæptum, nuntium misit ad Monasterium cum litteris, mandans quatenus pecunias sibi mitterent pro executione causarum necessarias. Quod cùm facere penitus recusarent, per monitorium pænale illos compellere nitebatur. Sed Monachi consilio accepto, interposuerunt appellationem contra Abbatem: in qua nihil se debere contribuere ad causam litis responderunt, quam contra eorum incæperat voluntatem: imò nec posse aliquid mittere propter inopiam, sub qua spoliatos dimiserat. Tertiò dicebant sibi non fore tutum sub Marchionis dominio constitutis, proprium impugnare tutorem, præsertim scientibus causam Abbatis contra Principem minus jure fundatam. Cùm ejus petitio nunquam posset habere profectum, vel in modico, hujus rei causâ desolatus jam Abbas non minus à proprijs, quam ab alienis, cùm non haberet unde viveret, nec etiam tutò redire ad Monasterium, quod inconsultè spoliatum dimiserat, posset, urbe relictâ venit ad Tridentum, & inde vocatus ad Herbipolim sicut diximus, ubi pro communi pace tam sui, quàm conventus Abbatiam resignavit, annuâ pensione triginta florenorum unde viveret reservatâ.

M D X.

Conventus Principum apud Augustam V. mensibus duravit.

Anno Joannis Abbatis Hirsaugiensis septimo, Indictione Romanorum XIII. conventus Principum apud Augustam Rhætiorum anno præcedente per Maximilianum Regem indictus ad Festum Epiphaniæ celebratur: lentè cæpit, sed diu duravit, à Principio videlicet Januarij, usque ad finem mensis Maij. Convenerunt illuc Germaniæ Principes multi: Oratores quoque Ludovici Regis Gallorum, Ferdinandi Regis Arragoniæ, Uladislai Regis Ungariæ & Bohemiæ, aliorúmque, & Regum & Principum ac regni civium plurimorum. Multa in eo conventu contra Venetos tractata fuerunt, quorum adhuc indomita rebellio contra Imperium durabat. Dixit in eo conventu Principum Oratorum Regis Gallorum unus nomine Ludovicus Helianus Vercellensis senator elegantem orationem latino sermone conscriptam: in qua Venetos acriter taxat: asserens eos primum fuisse piscatores, ex his mercatores, ex mercatoribus per latrocinia, per cædes & venena, per nefandissima scelera dominium sibi usurpâsse plurimarum urbium, civitatum, atque terrarum.

Ludovicus Helianus Orator in Venetos acerbiùs peroravit.

Magna,

Magna, *inquit*, eorum potentia est: nam eos, qui æstate præcedente quatuor potentissimos Principes Christianorum in patentibus campis expectare sunt ausi, & collatis signis aperto marte dimicare, profectò potentissimos homines æstimare, & judicare debemus. Sed jam sunt victi, sunt diminuti, ideóque facilius poterunt extingui, quàm si essent integri. Sed nisi vestræ, ô Principes, peregrinantur aures, intelligere debetis, quid jam recuperaverint, ut se jam refecerint. Quod si eos paululum respirare permiseritis, ut hanc unam calamitatem evadant, vereor ne crabrones (ut ajunt) irritaveritis. Nisi ergo hujus venenosissimæ ac surgentis viperæ, dum adhuc titubat, cervices perfregeritis; prædico vobis, quòd si non tam citò, at profectò quandóque tamen, etsi non vos, certè vestros successores suo veneno inficiet, ac spiris circumdabit. Est prætereà illis consilium domi & ars senatoria, deligunt ex callidissimis & versutissimis senatoribus oratores, quos cum retibus, hamis, & visco peregrè mittunt, non ad pisces, aut aves irretiendas, aut inescandas, sed ad fallendos atque decipiendos Principum animos. Tot & tales sunt laquei Venetorum, quos Principibus miseris parant, ut eos dinumerare nemo queat: quis etiam nisi cautus evadere? Auctoritatem, pecuniam, urbes ac provincias multas Veneti perdiderunt: superbiam, dolos, vaframenta non amiserunt. Age verò præ desiderio, & cupiditate dominandi, si justitiæ, aut honori suo, si ulli hominum, aut Deo ipsi unquam pepercerunt?

Testis est Jacobus Rex Cypri, quem (acceptâ prius in uxorem sancti Marci, ah amara filia! & infaustum matrimonium!) cum filiolo veneno sustulerunt, ut Cypri Regno, & Insulâ novem quondam regnorum capace potirentur. Hujus facti historiam annis retrò plenius digessimus octo & viginti, Dominicæ videlicet Nativitatis septuagesimo tertio minore numero. Veneti regnum fraude occupant.

Testes sunt, *inquit*, memoratus Orator Franciscus Comes Carmignola, & Bartholomæus Bergomates cognomento Coleo, Venetarum copiarum Duces duo, tunc in re militari præstantissimi; quorum alteri propter facetum seu cavillosum dictum in media curia reorum more caput securi amputari fecerunt. Alterum verò Bartholomæum propter ingentes opes bellicâ virtute quæsitas clam veneno necârunt.

Testis est Patriarcha Gradensis, qui & Aquileiensis, quem Histriâ & & dimidiâ parte Venetiæ privaverunt.

Testes sunt iterum duodecim Canonici Aquileienses, quos parum fuit multis opulentis Castellis & oppidis, quæ possidebant, simul spoliâsse cum vita, nisi pro memoria tanti sacrilegij duodecim porcos pingues abraso collo die Jovis ante Quadragesimam singulis annis in arena populo spectante gladiatoribus confodiendos objicerent. O festum sceleratorum truculentum.

Testis est Rex Ungariæ, cujus propè trecentas insulas, decem civitates Episcopales, duas Provincias Dalmatiam, ac Liburniam, tot portus, quingenta circiter millia passuum maritimi littoris occupârunt. Veneti decem urbes Episcopales Regno Ungariæ detraxerunt.

Testis est Imperator Constantinopolitanus multíque proceres ejus, & finitimi Itali, Carrarienses, Scalenses, Mantuani, Ferrarienses, & Mediolani Duces, quorum alios magnis urbibus, Insulis ac Provincijs; alios

dimidiâ parte, alios omnibus bonis, alios etiam vitâ multârunt, nullam habentes jure causam, nisi dominandi ambitionem.

Testes sunt Germani Reges, Imperatores Romanorum antecessores tui, Rex Maximiliane, quos Patavio, Vincentiâ, Veronáque dejecerunt.

Testes sunt & Austriæ Duces, quos Tarvisio, Feltro, Concordiâ, Utino, Tergesto, Coricia, & omni possessione Italiæ penitus expulerunt, & conantem te ad Imperatoriam Coronam Romam proficisci per annos jam quatuor & viginti armis retinuerunt.

Veneti Ravennam & alia plura Ecclesiæ Romanæ dolosè detraxerunt.

Testis est denique Romanus Pontifex & ipse sanctus Petrus Apostolus, qui ne se cæteris vicinis pulchriorem putaret, Forum Livium, Forum Cornelium, Faventiam, Ariminum simul atque Ravennam dolo, fraude, sed nullo jure abstulerunt. Et ut Regno Siciliæ potirentur, quinque urbes in Apulia Salentiníque in laboribus Regum Neapoleos interceperunt, inter quas Hydruntum & Brundusium celeberrimo portu fuêre principaliora. Quâ denique arte, quibus dolis & fraudibus Pisam usurpaverint, ut per eam alterum Italiæ latus inferi maris affligerent, Florentiámque paulatim attererent, Genuam ad primos motus cum una ex factionibus ingrederentur: ac deinde Siciliam, Corsicam, Sardiniam, Baleares, Narbonensem provinciam, omniáque littora Hispaniæ usque ad fretum Herculeum classibus percurrerent, fatigarent, infestarent, affligeréntque.

Veneti singulis mare despondent sibi annis per annulum.

Quanta verò sit Venetorum arrogantia, superstitio, & levitatis manifestæ fatuitas, ex eo patet, quòd se maris dominos gloriantes, & sive mariti Thetydis sunt, sive uxores Neptuni, singulis annis illud sibi despondent annulo injecto aureo. Arrogantia nunquam prius audita, Elementa desponsare. Romani homines quondam sapientissimi tres urbes tantæ potentiæ, quòd pondus Imperij sustinere potuissent, propter tria maxima vitia deletas esse voluerunt: Carthaginem propter perfidiam, Capuam propter superbiam, & Corinthum propter avaritiam. Quæ crimina qualiter sint in Venetianis, diligenter attendite, ut hæc & multa alia, quæ vix in singulis reperiuntur, huic uni civitati propria vitia sint & peculiaria, fartores, sartorésque scelerum, inventorésque, ac novarum artifices machinarum; quorum cellæ ac meatus corporis nihil aliud sunt, quam spiramenta proditionum. Nemo cum eis mercatur, quem ad extremum ad lachrimas non cogant. Nullum bellum à multis sæculis inter Christianos gestum est, cujus ipsi auctores non extiterint. Nemo Venetias divertit, licet sit acutus, sit circumspectus, sit sapiens, qui non decipiatur, aut aliquâ fucatâ merce, aut falsâ gemmâ circumveniatur, aut à publicanis syngrapham non accipiat, aut exploratorum in numero sit. Denique est semper mala crux: quæ deprehensos miseros torqueat excruciétque: nec habet inter eos perfidia modum, nec locum æquitas.

Veneti Capuanorum exemplo superbissimi contemnunt omnes.

Et quæ potest oratio par inveniri superbiæ? Hi sunt homines, qui ajunt apud se natam nobilitatem esse; qui soli divites ac modesti, soli sapientes sibi videntur esse in oculis suis; nos autem, qui non ut dracones erecto pectore tumidi & elatâ cervice incedimus purpurati, qui multa millia non custodimus in arca; sermonem in digitis non constituimus; argentea fercula non comedimus, eis barbari sumus, intemperantes, ebrij, dementes ac vesani. Principes autem omnes uno vocabulo tyranni, hominum mendicabula censentur ab eis. Nos odiunt, nos contemnunt,

nos

nos sumus illis materia ad ridendum uberrima: nos Galli multum, sed certè vos Germani non longè minus: nam quæ nuptiæ, quæ comædia, aut fabula Venetijs unquam acta fuit, in qua primarum partium Germanus homo non fuerit introductus? vestri mores, sermo, victus, habitus, incessus per mimos, & histriones repræsentatus ridere & gaudere Venetianos facit, exultare quoque, triumphare, ac gestire. Tanta est eorum superbia, tantus Germanorum contemptus ac irrisio, quasi non sint homines, sed monstra, vel bruta sine ratione omnes, quicunque nascuntur extra Venetiam.

Veneti Corinthiorum exemplo sunt avarissimi & insatiabiles.

De avaritia Venetorum profundissima melius est tacere, quam parum loqui. Hoc tamen unum non silebo, quòd cùm Germania liberam & immunem à tributo se esse putat (sicut & esse debet) cùm armis adhuc non potuerint astutissimi sophistæ, benè invenerunt sibi artem, quâ sibi tributariam fecerunt. Locant enim mercatoribus vestris domum (lo fundico de Todeschi) triginta supra centum ducatis in singulos dies: non dico singulis annis, quod quidem satis esset, sed dico singulis diebus. Quæ quidem summa facit annuè florenorum Rhenensium paulo minus sexaginta millia. Hoc tributum penditis, ô Germani, singulis annis Venetorum insatiabili avaritiæ, quam orbis non satiaret.

Veneti etiam victi manent in superbia, quam cum lacte hauserunt.

Ad memoriam reducite Principes, quæ vel quanta vobis ac militibus vestris contra fidem intulerint mala, & auribus obturatis nolite voces exaudire perfidorum. Ecce post tanta in rem vestram publicam perfidorum scelera commissa, quomodo nesciunt, audéntque lugubri veste, torto collo, flebilibus oculis, summissáque voce pacem poscere, qui superioribus diebus deprehensi sunt cum scalis & exercitu magno sub mænibus Veronensibus, ut urbem noctu invaderent, præsidia nostra jugularent? Et nunc audent dicere, vultis ô Principes Venetiam alterum Italiæ oculum effodere penitúsque delere? Non est tam clementium Principum, illas ædes admirandas velle subvertere, quæ quanquam ex ruinis & trophæis Romanorum & Græcorum, multarúmque urbium vetustate constent, tamen quoniam sensu carent, nec aliquid commiserunt mali, non sunt dignæ tantorum Principum irâ. Clamant nunc Venetiani superbiâ contumelioſi & pertinaces, quid fecimus? quid commeruimus? O perfidi quid, nisi penitus extingui commeruistis? Jam petitis pacem, qui fidem nunquam servare didicistis. At non ita dicebatis ante biennium, quando alpes transgressi Danubium atque Viennam Austriæ civitatem infestis signis petere statuistis. Bononiam, Ticinum, & Mediolanum superiore anno ante finem mensis Maij in vestram potestatem venturas fore jactabatis; quando Romanum Pontificem Maximum parvum Capellanum, & minimum vos ministrum altaris facturos prædicabatis, & Regem Gallorum Venetias catenatum trahere nitebamini: & Cæsarem Augustum deformissimis picturis, atque inhonestissimis comædijs & spectaculis ignominiosissimè referebatis cum titulo & causa: Hic est Maximilianus Augustus Imperator Romanorum. Detestanda Venetorum superbia!

Veneti superati, victi & confusi pacem petunt à Maximiliano.

Viri non estis ô Germani, Cæsareo animo tuo solito Maximiliane, ampliùs non es Cæsar, si potestis tolerare has rapaces Harpyas, has venenosissimas aspides, tam varias, tam versipelles Circes, tam sanguinarias Tigrides,

Veneti Harpyæ sunt rapaces Majestatis Cæsareæ contemptores.

Tigrides, sanctissimæ Imperatoriæ Majestatis vestræ calumniatrices, nomini Germano infestissimas, infensissimásque amplius dominari, & in Christianos exercere tyrannidem.

Supereſt, ut quæ Veneti contra & adversum Christianos, contra Religionem, imò contra Deum ipsum commiserunt, pauca subjiciamus; quidquid enim habent, alienis calamitatibus adepti sunt. Quotiens denique Cruciata, id est, devota Christianorum conjunctio in Turcos tentata est, toties à Venetis interrupta, præcipuè sub Pio Papa II. qui paratis omnibus, ubi sensit sanctissimam expeditionem artibus Veneticis dissolutam, vir acris ingenij, Christianæ Religionis devotissimus cultor, ex anim idolore nimio interijt.

Veneti Rhodianis obsessis à Turcis auxiliari contempserunt.

Rhodus terrâ marique periculosissimâ obsidione premebatur à Turcis, quam cymbam, aut scapham in auxilium Veneti miserunt? Certè nisi Genuenses Religiosâ pietate Rhodianis misissent auxilia, sicut Constantinopolis Venetorum perfidiâ, ita & Rhodus in deditionem Turcorum sine dubio deveniſſet. Historia cunctis est nota, quemadmodum Veneti pluribus annis, vario temeritatis ingenio tentaverint, si quovis modo per fas, sive per nefas Constantinopolim suo potuissent subjugare dominio. Quod ubi vidissent se tantæ urbis potiendæ nullam posse invenire facultatem, Turcis maluerunt, quàm Christianis esse captam.

Veneti Constantinopolim Turcis prodiderunt.

Enimverò cùm Turcus in manu suorum gravissima, sicut dictum est superius, anno Christianorum MCCCCLIII. Constantinopolim terrâ marique durissimè oppugnaret, & classis Venetorum otiosa resideret in proximo, Constantinus Palæologus Imperator Græcorum obsessus per nuntios occultos, lachrimabiles deprecationes Venetæ classis Præfecto misit, obsecrans illum per Deum, qui sedem Patriarchalem constituit, per Virginem quoque Deiparentem, cujus nomini ipsa civitas fuerat consecrata, ut ultimo Regni Orientalis excidio subveniret, & ex tanta Venetorum classe vel duas in subsidium naves transmitteret. Sedô inveterata fraus piscatorum?

Respondit nuntio Imperatoris Venetianorum Præfectus; non esse moris Venetorum aliena defendere, proinde si se ac urbem dederent (hoc est, si Venetis se submiserint) cum tota classe venturum, ac obsidionem soluturum: adjecit denique, se commiserari tam duræ Christianorum calamitati, sed ab senatu tale habere mandatum, quod sine periculo capitis nullâ ratione transgredi posset.

Veneti spolia Constantinopolitanorum coëmerunt à Turcis.

Interim Constantinopolis capitur, & crudelissimè diripitur, si unquam civitas direpta fuit, ita ut gemitus cadentium Christianorum & mulierum ejulatus è Veneta classe perfectè exaudiretur. At jam Venetiani spe potiundæ urbis amissâ, spolia civitatis & prædam à Turcis coëmerunt, & plenis navibus Venetias remigârunt, reliquias Romani Imperij secum, ut perfidissimi deportantes. O perditissimi hominum Venetiani! quomodo tam insignem civitatem in manus hostium Crucis Christi devenire passi estis, quam facillimè liberare potuissetis? O Lamijs, imò dæmonibus crudeliores, qui tot millia Christianorum, tot Monachos, tot Sacerdotes, tot Virgines, tot mulieres, tot senes, tot juvenes, tot parvulos & innocentes perire crudelissimè gladio impiorum maluistis, quàm salvare!

Quot

Quot præterea Proceres, quot civitates Thraciæ, Macedoniæ, Græciæ, Illyridisque fidei Veneticæ (ac si dicerem perfidiæ Punicæ) se tradiderunt, quos omnes aut præcipitaverunt, aut Turcis vendiderunt! clamabant illi miseri cùm, Turcis venderentur: ita Veneti! Christiani sanguinis mercatores, ô Christianæ religionis desertores & proditores, quàm impiè perfidissiméque nos tradidistis!

Venetorum perfidiâ Hierusalem à Saracenis capta est.

Et quo sermone, quibus verbis, ô Hierosolyma, & tu Judæa sanctissima Terra, quóve dicendi ordine vos deflebo! Nolo amplius mihi credi, res jam est annalibus memorata. Credatis Blondo Historiographo ab omnibus approbato. Fama quondam erat Saladinum Ægyptiorum Regem Hierosolymam obsidere (nunquam Religio nostra caruit defensoribus, quanquam nunc ita Principes delicati sunt, ut si limites Regni sui quamvis exiguos usque pervenerint, expeditionem Orientalem se fecisse arbitrentur.) Ad hanc famam multi Proceres Venetias cum magnis copijs armatorum convenerunt pro fide Christiana & sancta terra mori parati, postulantes à Venetianis in Syriam navibus pro mercede transduci.

Veneti Christianis obsessis à Turcis nunquam subvenerunt.

Veneti acceptâ mercede ventos contrarios simulaverunt, in Dalmatiámque peregrinos exposuerunt, & eorum operâ usi sunt ad Jaderam, & alias Civitates, quæ rebellaverant à Venetis, recipiendas. Interim Hierosolyma capitur à Saladino Ægyptiorum, non quidem Christianorum negligentiâ, ut plerique arbitrabantur, sed dolo & proditione Venetorum. Quis hîc non vociferaret, excandesceret, ingemiscerétque! O venenati Veneti, quantam calamitatem vestra induxit perfidia Christianitati? Pisani quandiu floruerunt, & Genuenses, omni tempore Christianis in Oriente laborantibus, suis Classibus subvenerunt. At Venetiani semper infidi ac fraudulenti, semper impij & crudeles, omnes Christianorum necessitates tumidi contempserunt.

Hic multa prætereo de Sophi Persarum Rege moderno, qui maximum cum Turcis bellum gerit, cujus oratores ad Germaniæ Principes missi pro impetrando ab ista parte bellico apparatu Christianorum contra Turcos, cùm perveniissent navigio ad perfidos Venetianos, retrocedere infecto Legationis suæ officio compulsi sunt. Fuisset tum facilè Christianis Constantinopolim, cum toto Græcorum imperio seu Orientis recuperare, si Venetis innata perfidia non obstitisset. Nam Sophi cum innumerabili multitudine Persidem egressus, Turcum impugnabat, contra quem si Christiani ab Occidente processissent, sicut ille ab Oriente, fuisset omnino deletus.

Veneti contra fideles auxilia præstiterunt infidelibus.

Omitto longè plura de Emmanuele Rege Lusitanorum & Portugalensium, qui cùm à tergo Lybiæ in mare rubrum classes miserit jam multas, & Ægypti, Arabiæ, Persidis, Caramaniæ, Indiæ, ac Taprobanæ fines populatus fuerit, magno à Venetis odio habitus est, quòd eos in societatem illius commercij recipere noluit, ob eámque causam fabros, materiam, & arma Saladino Ægyptiorum Tyranno miserunt, ut ædificatâ & instructâ classe Portugalenses à tantis incæptis submoveret. O perfidia! ô insatiabilis avaritia Venetorum! quorum tanta est invidia, & crudelis ambitio, ut infidelibus arma ministrent contra Christianos. Transeo, quæ in Cypro, in Creta, in Ponto, in Peloponneso, & in omnibus Cycladibus adversum Christianos perpetrârunt mala, ne prolixitas tædium parturiat.

Hydrun-

Veneti Hydruntum cùm potuissent salvare, contempserunt.

Hydruntum civitas est Salentinorum extremis in oris Italiæ, quam Turci, ut diximus anno Christianorum LXXX. supra CCCC. atque M. gravissimâ obsidione terrâ marique adorti sunt, illámque Italiæ Regionem, quæ certè & magna & fertilissima est, ad Garganos usque montes totam flammis exurebant, & jam non Regno Siciliæ tantùm, sed Rómæ sanctuario Dei, sed Italiæ, totique Christianitati timebamus. Quis tum Christianorum non ingemuit? Quis opem non tulit? Cùm ab Ungaris, ab extremo Septentrione atque ab Occidente undique auxilia convenissent, & non solùm Principes & urbium cives, sed etiam familiæ Fratrum Mendicantium subsidia præstarent; soli Venetiani, qui tunc Classem paratissimam instructissimámque in anchoris Corcyræ tenebant, qui soli obsidionem solvere potuissent, soli spectatores, non auxiliatores esse maluerunt. Quid auxiliatores dico? Imò proditores nefandissimi innocentium Christianorum extiterunt.

Venetis auctoribus Turci plurima mala intulêre Christanis.

Cùm enim simultates gererent cum Ferdinando Rege Neapolitano propter Alphonsum ejus filium, qui tunc Hetruriam bello vexabat, timentes ne major fieret, cùm ipsi non possent, per Turcos suas injurias ulcisci maluerunt, atque ita spurcissimam gentem Turcorum in Italiam à suis cervicibus in Christianos concitârunt.

Recordamini temporis illius, cùm ab omnibus ferè Christianis laboratum est, & moras Turci Regis vix obtinuimus, ut deditionem Hydrunti facerent. Quot millia Christianorum tunc manibus Turcorum trucidata sunt, quantum Christiani sanguinis fusum; quot nobiles matronæ, quot virgines, quot pueri in miseram servitutem rapti sunt, quorum alij adhuc Turcis (fide abnegatâ) serviunt. Alios ego vidi, qui cùm jure postliminij teversi essent, vix à parentibus poterant recognosci. Non memini Christianos majorem cladem pertulisse, ô Venetiani, quam vobis auctoribus perpessi sunt. Sed hi homines obliti sunt, non tamen Deus tantæ proditionis ultor oblivisetur. Sanguis clamat super vos, & super filios vestros ante tribunal justi Judicis Dei nostri Jesu Christi.

Veneti plus nocuerunt Christianitati proditione, quàm Turci.

Vos ô Veneti proditores, non Turci, sanguinem illum effudistis, tempus erit, quo vos illorum cædes (atque utinam non cum vestris Venetijs) vestro sanguine rependatis. Quis non omni odio, omni supplicio Venetos existimet dignos? Sed hîc magno, forti ac vehementi Oratore foret opus, aut aliquo illorum è numero, qui pleni Spiritu Sancto ad populum concionari solent. Qui si adesset, quantas lachrimas, quantam indignationem excitaret auditorum omnium contra Venetos propter eorum superbiam, avaritiam, ambitionem, crudelitatem, corruptelas, furta, rapinas, oppressiones, sacrilegia, proditiones, immanitates, impietates, ac scelerum immanitatem!

Veneti malis artibus locupletes facti sunt.

Jam enim Venetiani tam indomabiles facti sunt, ut cum 4. potentissimis Christianorum Principibus de summa rerum auserint decertare, & ne victi quidem quiescere possunt. Qui expilando, subordinando, & corrodendo magnum ex vicinorum urbibus Imperium sibi conflavêre; qui omne aurum, argentum, gemmas, vasa, signa, tabulas, & quidquid pulchri, quidquid pretiosi in toto terrarum orbe reperiri potuit; id totum malis artibus Venetias comportârunt, & congesserunt. Qui mare ac terras intercludentes, mercatores cum mercibus intercipientes, Navarchos cum

cum navibus demergentes, venenando, necando, excruciando, omnia cruore, omnia lachrimis & funeribus compleverunt. Omnia gabellis, dacijs, & portarijs tyrannicâ servitute fædârunt, subdiderunt, & nimium aggravârunt. Manus sacrilegas in sacrosanctos Domini Sacerdotes miserunt, torquendo eos sine reverentia dignitatis: bona Ecclesiæ Deo dicata prophanârunt: sanctum Christi Vicarium Pontificem Romanum, ut vile mancipium contempserunt; per vulnera & mortes fidelium, & per commoda eorum privata sive propria Christianam Religionem ad has exiguas Europæ angustias, ac latebras deductam penè subverterunt; ut cum Turcorum impijssimo Rege tacitè consspirâsse, ac partiti esse videantur, ut scilicet ille Orientali, ipsi autem Occidentali tandem soli potiantur Imperio.

Veneti nec veri sunt Christiani, nec Turci veri, sed pejores utrisque.

Sunt Venetiani extinctores & inimici nobilitatis, contemptores Principum, direptores & incendiarij urbium, spoliatores Provinciarum, hostes sacrorum, depopulatores Reipublicæ Christianæ, Osores Cleri, labes & pernicies humani generis, cùm prô pudor neque Turci sint, neque verè Christiani. Utinam aut veri Christiani fuissent, aut veri Turci; nam si veri Christiani fuissent, & Hierosolymam & Constantinopolim, & totum Orientem, ut quondam, etiam hodie Christiani possiderent: aut si veri Turci fuissent, nunquam passi fuissemus tam malas herbas omni aconito pestilentiores in nostris penetralibus, in nostris visceribus, ac intestinis tam altè radices ponere, quin eos funditus extirpatos facto agmine ultra portas Caspias rejecissemus. Nunc autem cùm & mali sint Turci, & peiores Christiani, atq; modò cum ambobus bella gerant, modò cum utróque societatem simulent, nunc harum, nunc illarum partium nemini sunt fidi, nemini amici, nemini tutò fidentes, Religionem Christianam ad parvas Europæ angustias, & penè destructam, sicut diximus, mancam debilem concluserunt, & quæ audistis mala fecerunt.

In Venetorum perniciem Orator Gallus exhortatur Principes.

Siccine dormitis ô Germani Principes! parumper expectate, & dum vos consultationibus vacantes differtis negotium, Veneti nocturnis scalis Veronam aggredientur. Vos potentiâ magni, vos armis inclyti, vos denique viribus & fortitudine cunctis nationibus metuendi, tantam ignominiam contra majorum vestrorum consuetudinem tolerabitis? quos vix ignavi & umbratiles, vix mulierculæ (medius fidius) tolerare possent. O si nunc viverent illi Cimbri, ac Teutones bellicosissimi, qui cum Mario de orbis imperio dimicaverunt, & illi, qui cum Julio Cæsare, cum Trajano, cum Antonino, cum Fulvio, cum Severo, cum Constantio, & cum alijs pluribus Imperatoribus tot bella gesserunt. Illi quoque Teutones sive Germani, qui Quintilium Varum Romanum Consulem cum tot legionibus occiderunt. Et illi Germani Saxones, qui Britanniam, quæ nunc est Anglia, Scotiam, Hiberniam, Orcades, Galliam, Franciam, Hispaniam, Wandaliciam, Longobardiam, magnam Italiæ partem, tot bellis devictas suo dominio potenter subesse compulerunt.

Venetos monet primò delendos, posteâ Turcos, ut hostes fidei utrósque.

O vos Germani Principes & proceres, penes quos Imperium est non solum Romanorum, sed totius quoque orbis, jure tam divino, quàm humano, cur tantundem à virtute degeneratis avorum? cur non præitis contra hos Christianæ Religionis inimicos, hostes, & destructores? Cur non præfertis victrices aquilas, & reliqui Christiani vos sequerentur con-

tra Venetos primum, qui sunt seges & materia tantorum malorum, ac deinde adversus ipsos spurcissimos, immanissimósque nominis Christiani hostes, inimicos & persecutores Turcos. Venetianam, precor, ô Proceres, dejicere pestiferam molem properate: perfringite, oro, Christianæ salutis obstaculum: obstruite hanc pestilentissimam Mephitim, sentinam, præcipitium, & scaturiginem omnium vitiorum: vendicate & vos & orbem Christianum in libertatem: solvite vos à tanto metu perfidorum: eradicate genus improbum, quando & tempus vos juvat, & fortuna. Tuti esse non poteritis, quandiu sub tyrannide Venetorum manent Histria, Liburnia, Dalmatia, Corcyra, Cephalenia, Zacynthus, Creta simul & Cyprus. Patefacite istas execrabiles, ac diras portas Venetianas, quæ tam diu Christianos adversus infideles progredi laborantes continuerunt: postea Deo auctore aperto Marte majoribus auspicijs Turcos aggressuri.

Venetorum hostis Orator iste maximus fuit oratione testante.

His & multis alijs memoratus Orator Gallus in Venetianos fulmina sui detorquens sermonis, maximo quidem enitebatur studio, sicuti manifestè patet, omnibus illos reddere odiosos, & Principum armis conterendos. Quod quidem non tam suâ sponte, quàm Regis Gallorum Ludovici jussu, à quo fuerat missus, fecisse putandus est. Sic enim in orationis suæ principio dicit: *Ego qui multos defendere, lædere neminem consuevi, in has angustias deductus sum, ut aut ab officio legationis mihi sit recedendum, aut de improbitatibus, de dolis, de malè meritis Venetorum necessariò (non sine magno dolore) mihi sit dicendum. Quod si aliquorum aures offenduntur, debetis id necessitati temporis, ac malignitati illorum, non meæ consuetudini tribuere: quanquam videor in proposito defensionis propemodum perseverare; nam cùm Venetos accuso, defendo infinitos mortales: Italiam totam, multásque alias provincias, à quorum faucibus in libertatem revocandæ sunt. Defendo Christianos Orientales, quos ad manus Turcorum venire, ac in morem pecudum mactari permittunt Venetiani. Defendo etiam Romam, ad quam subvertendam (ut ipsi sua desideria consequantur) vocare Turcos, & quasi porrigere manus videntur. Innocentes defendo, cùm impios ne crescant, dico supprimendos.*

Veneti pacem fraudibus quærunt, dolum tamen continuant.

Anno item prænotato, cùm Venetiani post multa incommoda & damna æstate præteritâ, ut diximus, accepta, post neces suorum & varias direptiones urbium, jam inciperent desperare; quippe qui tot potentissimis Principibus non erant viribus æquales, arcanum inter se habuerunt consilium, si pacem à Cæsare Maximiliano possent impetrare. Miserunt ergo Legatos & Oratores suos versus Germaniam, quibus ut lentè potiùs quam festinanter incederent, præceperunt, eo quòd nihilominus interea contra Regem Maximilianum consuetas molirentur insidias. Statuerunt enim quasdam urbes illius ditionis machinis & scalis tentare nocturnis: quibus captis nuntios seu Oratores haud procul existentes revocare possent: si verò non caperent, in itinere jam constitutos, quasi nescios insidiarum procedere ulterius juberent. Sed fraude patefactâ, qui pacem mentibus postulabant fucatis, non impetrârunt, sed majorem Cæsaris & Germaniæ Galliæque Principum indignationem meruerunt.

Veneti dolo, igne, & veneno multa in Maximilianum tentarunt.

Annus jam sextus volvitur, ex quo bellum Imperiale contra Venetos cæpit, & nec hodie quidem finis est. Quot fraudes, quot dolos, quot insidias igne, ferro, veneno interea contra Maximilianum Regem & quosdam Principes ejus Venetiana tentaverit perfidia, & mihi narrare difficile

cile est, & credere posteritati multo difficilius. Mercede corruptos emiserunt plures incendiarios per totam Austriam, Carinthiam, & cæteras provincias illis adjacentes, alios in habitu Fratrum Mendicantium, alios verò in habitu peregrinorum seu pauperum, qui domibus ignem supponerent: oppida, villas, castella & urbes quotquot possent occultè concremarent. Qui separatim incedentes oppida plura & villas per nominatas Regiones tantâ subtilitate malarum artium, tam secretè, támque occultè, quod mirum fuit, incenderunt, ut nemo tanti sceleris auctores scire potuerit. Postremò tandem Deo sic ordinante capti sunt eorum aliqui, positíque ad torturam, rem omnem aperuerunt, Venetorum confessi subordinatione hæc fieri: qui non minus quinquaginta, si non plures, in Germaniam occultos atque secretos destinârunt incendiarios pretio conductos.

Veneti contempti à Cæsare Papam in suas trahunt partes.

Anno igitur præsignato considerantes Venetiani, quòd pacem pro suo arbitrio & inordinata voluntate impetrare non possent, ut Regem viribus redderent infirmiorem, Romani Pontificis gratiam (quam certè nunquam meruerunt) precibus pulsare aggrediuntur. Nam, ut sæpè diximus, Papa Julius secundus, Rex quoque Gallorum Ludovicus, & Arragoniæ Rex Ferdinandus cum Maximiliano Germanorum Rege sub amicitiæ legibus in unum confœderati, bellum contra Venetos commune duxerunt. Nec dubium fuit, si pactum inter se quatuor hi Principes fœdus inviolatum & integrum, sicuti juraverant, usque in hunc diem servâssent; jam Venetiani, aut penitus essent deleti, aut humillimam in deditionem sub Imperij potestate coacti.

Veneti graviter à quatuor sunt Principibus bello attriti.

Fortiter quidem cæperunt, & mutuò se cohortabantur in perniciem Venetorum, sed forsitan Omnipotenti Deo non placuit, ut innocens periret cum nocente. Nec dubium mihi esse debuit, quin Venetijs, & in locis Venetianorum dominio subjectis, hodie sint multa millia hominum, quorum Deo sit grata devotio, & integra sine crimine vita. Plura Senatus Venetiani dixit Orator mala: sed bona cuncta præterijt. Julius Papa magnum contra Venetos in campis tenebat exercitum, cui & ipse personaliter multis diebus, ut director supremus interfuit, & Venetianos non mediocriter tribulavit. Qui ubi viderunt se quatuor supradictis maximis Christianorum Principibus diutius non posse resistere: missis ad Papam, sicut dictum est, oratoribus, veniam commissorum postulant; & in gratiam ab eo recepti sunt. Nec aliter Christi Vicarium decuit, qui humiliatis parcere, superbientes ut sanentur, debet humiliare. Ab illo die Pontifex à persecutione destitit Venetorum.

Wilhelmus Hassiorum Landtgravius è custodia dimittitur.

Eodem anno Wilhelmus Landtgravius Hassiorum, filius quondam Ludovici Landtgravij Hassiæ Comitisque in Kaztenelenbogen, in Ziegenheim, & Nidde, mortuo Fratre suo Wilhelmo juniore, ut anno diximus præcedente, à vinculis dimissus est anno quinto decimo captivitatis suæ. Ejus detentionis historiam breviter faciemus manifestam. Henricus olim Hassiorum Landtgravius frater Hermanni Archiepiscopi Colonienſis, moriens duos reliquit filios, Wilhelmum & Ludovicum. Wilhelmus duas habuit uxores, quarum ultima fuit Elisabeth filia, ut supra dictum est, Philippi Comitis Palatini: qui tamen sine liberis morieus Principatum suum omnem Germani filijs dereliquit. Erant autem duo filij

Ludovici uniúſque nominis ambo Wilhelmi, quorum major natu rationis uſu deficiens Germano Principatum conceſſit inferiori, aſſignatâ ſibi portione annuâ, unde cum uxore viveret ac liberis. Verùm quia periculosè interdum furebat, ne læderet vel ſe vel alios, juſſu Maximiliani Regis cuſtodiæ honeſtæ fuerat mancipatus.

Homo ſacrilegus in Marchia Brandenburgenſi Sacramentum furatur.

Anno prænotato, ſextâ die menſis Februarij, quæ fuit quarta feria poſt feſtum Purificationis ſemper Intactæ Virginis Mariæ, ſimul & Martyrio ſanctæ Dorotheæ ſolemnis, in ipſa nocte circa horam undecimam, homo quidam ſacrilegus nomine Paulus From, patriâ Pomeranus, incola Pernaugienſis oppidi ſub ditione Joachim Marchionis Brandenburgenſis ſacri Imperij Principis Electoris, in villa, quæ vocatur Knobloch Diœceſis Brandenburgenſis, Eccleſiam furtivè intravit, Ciborium perfregit, pyxidem deauratam cum duabus hoſtijs conſecratis, alterâ majore, minore alterâ cum ejus monſtratili cupreo ſimiliter deaurato furatus eſt, & ſecum venalia deportavit, exiſtimans quæ abſtulerat, eſſe argentea.

Sequente die circa horam octavam, cùm iter ageret verſus oppidum Spandavv Marchionis memorati (quod duobus ferme ab Urſulo diſtat milliaribus) ſuper lapidem unum in via, non longè à Stackor quaſi fatigatus reſedit, furtum extraxit, pretium mercator truculentus ſecum æſtimavit. Cúmque vidiſſet in pyxide ſacras Dominici corporis hoſtias, expalluit: & ignarus quid faceret, alteram deglutivit indignus: alteram verò in ſinum abſcondit. Confeſtim irruit in eum horror Domini, & uſque adeò tenebræ ac mentis hebetudo miſerum invaſerunt, quòd longam horam ſedens ſtupidus & cæcus nuſquam progredi potuit; ſed contempſit infelix monentem ſe miſericordiam Dei: nec intellexit, quemadmodum Apoſtolus Paulus ita fuit illuſtratus; quia mox pœnituit cæcatus.

Dominici Corporis Sacramentum Judæo in Spandavv venditur.

Surrexit tandem permittente Deo, & lumen corporale recipiens miſerabilis homo corde permanſit cæcus: veniénſque in Spandavv proximum ad quendam Judæum nomine Salomonem, vaſcula, quæ furatus erat, ſacræ rei, venalia expoſuit. Cui Judæus: *Majus aliquid in his vaſis, quod ſi attuliſſes mihi, forſitan compararem.* Mox ſacrilegus alteram de ſinu extrahens hoſtiam, dixit: *Ecce quod quæris in promptu eſt.* Cui Judæus: *Pro quanto*, inquit, *dabis mihi hunc Deum tuum?* At ille reſpondit: *Pro ſedecim groſsis Marchionis, quorum triginta duo faciunt unum Rhenenſem florenum.* Cui mox quinque groſſos Judæus propoſuit: quos perfidus mercator accipere contemnens, adhuc quatuor appoſuit: & ſacroſanctum Corpus Domini & Salvatoris noſtri pro novem groſſis monetæ jam memoratæ ab impio comparavit.

Dominici Sacramenti impius venditor à judicibus captus eſt.

Hâc ſceleratiſſimâ venditione peractâ, impius ille mercator ad oppidum Pernavv cum vaſculis Sacramentalibus revertitur: quibus in domo ſua latenter abſconſis, in terram Wendorum, quæ parum diſtat, Marchiæ contiguam profectus eſt. Jam enim ſuſpicio maleficij perpetrati de ipſo vehemens in populo fuit exorta: propterea metuens comprehendi, aviſatus eſt. Sed diu manere latens apud Wendos non potuit, quem ad pœnam divina juſtitia vocavit. Igitur contemptis aviſationibus & æſtimatione populorum, quibus ſe novit ſuſpectum, ad Pernavv denuò regreſſus, portatile ſive monſtratile per murum nocturnis in tenebris de domo ſua extra oppidum projecit, quod ordinatione Divinâ in arborem cadens

ſic

sic hærendo in ramis permansit. Manè contigit à casu Burgi transire magistrum, qui viso in arbore monstratili hominem capi mandavit suspectum: qui statim ut captus fuit, sine tortura omnem rei seriem confessus est.

Judæus hostiam sacram pugione transverberat.

Impijssimus autem Judæus post discessum crudelissimi traditoris Hostiam Dominici Corporis super mensam nudam exposuit: atque pugione sæpius vibrato illam transforare magnis conatibus laboravit. Sed inter tot verbera tótque punctiones Hostia Deo volente permansit integra: nec potuit eam Judaica perforare invidia. Concitatus postremò vehementer in iram Judæus, inter multa blasphemiæ verba sic dixit furens & spirans in corpus Dominicum: *Si tu Christianorum es Deus, tunc manifestare in nomine mille dæmoniorum, & ostende te.* Confestim in tres partes hostia divisa est, quemadmodum in altari dividi solet à celebrante: cujus fractura per circumferentiam sanguineo rutilabat colore. Quo viso Judæus infelix est territus: sed ad pœnitentiam minimè compunctus; induraverat enim perfidia cor ejus: unde ad miracula quidem Dei terreri citius potuit, quàm converti. Post hæc particulas ipsas panniculo involutas in marsupium seu peram deposuit, & secum per mensis spatium portavit.

Duas hostiæ particulas Salomon misit ad alios Hebræos.

Convenerant autem inter se Salomon iste Judæus & alij duo Judæi, videlicet Jacob, qui morabatur in Brandenburg, & Marcus, qui residebat in oppido Stendel, ut quicunque eorum Sacramentum Dominici Corporis quolibet modo, vel ingenio primum consequi posset, ad reliquos duos secretius transmitteret. Unde juxta conditum Salomon sæpe nominatus unam particulam inclusam pyxidi superfigillatæ per filium suum misit ad Jacob in Brandenburg: & aliam ad Marcum in Stendel: tertiam verò particulam apud se retinuit: quam denuo mensæ superpositam pugione transfixit, perfodit, & vulneravit, quoúsque sanguinis guttulæ visibiliter emanârunt. Cúmque nimio pavore consternatus, quid faceret cum ipsa particula, dubius hæsitaret (quippe qui timebat rem prodi miraculo) tentavit eam assúmere primò, sed non potuit: deinde projecit eam in aquam, sed nec deleri potuit, nec annihilari, vel corrumpi. Postea in ignem projecit: sed semper & ubique integra permansit. Quidquid fecit, quidquid tentavit, sacrosanctam Dominici Corporis Hostiam annihilare, corrumpere, vel abscondere non potuit.

Judæus particulam azymo commixtam misit in furnum.

Postremò cùm tempus adesset, quo Judæi pro solemnitate Paschatis azymos conficere panes assolent, perfidissimus Salomon particulam sanctam farinæ massæque panaceæ commiscuit: & formatam in modum azymi panis massulam in furnum calidum, ut coqueretur projecit: erat autem furnus calens, sed igne jam extracto, ut fieri solet, tenebrosus. Introspiciens verò post paululum Hebræus, furnum conspexit sine flamma lucidum, & sine lumine, vel igne luminosum. Hoc fuit jam tertium Divinæ operationis miraculum, quod Salomon impijssimus vidit: & mente nihilominus, ut prius fuerat, cæcus permansit. O Judæorum cæca semper & nimium crudelis perfidia, quæ signis & miraculis divinitus quantumlibet, vel magnis, vel insolitis dignanter ostensis, non solùm ad considerationem non flectitur, sed signis & beneficijs Dei quotidie magis ingrata & contraria induratur.

Confessus est idem spurcissimus Hebræus, quod binâ vice introspi-

ciens clibanum Divinitus illustratum, viderit supra panem, cui Dominicum Corpus fuerat involutum, puerulum parvulum, decorum atque pulcherrimum, in longitudine quasi unius palmæ in ipsa luce Divinitus accensâ sensibiliter coruscantem. Sed quod cæco lumen, quod surdo verbum, & quod stulto parabola, hoc & Salomoni huic Judæo signa fuerunt atque miracula; converti noluit, pœnitentiam recusavit. Sine tortura confessus est se hæc vidisse miranda, quorum intuitu adeò fuerit perturbatus, ut penè demens factus sit. Venditorem Corporis Dominici captivum scierat, imminere sibi mortem facinori debitam metuebat, & tamen fugere cùm vellet, non potuit: sed captus mente & corpore in oppido remansit.

Secunda hostiæ particula martyrizatur in Stendel.

Secundam venerabilis Sacramenti particulam Marcus apud Stendel Judæus, ut dictum est, sibi transmissam, convocatis quos potuit, Judæis, punctionibus, & varijs blasphemijs dehonestavit: & postea Hebræis ad Brunonis Vicum transmisit, vel ut alij dicunt, ad Franckfurt oppidum Cis-Moganum.

Tertiam verò particulam Jacob in Brandenburg Hebræus sibi donatam super mensam pugione crudeliter vulnerabat: & continuò sanguinis guttulæ miraculosè de sacrosancta particula eruperunt: quæ usque in præsentem diem constant visibiles. Nam Domino universorum Deo volente ad confirmationem hujus miraculi, tam tenaciter mensulæ sanguis adhæsit, quòd nullâ potuit lotione deleri. Unde nimium exterritus infelix Judæus, particulam sanctam ad Osterburg Hebræo cuidam nomine Meyer inter Judæos non infimo sanguinolentam transmisit.

Dominici Corporis Sacramentum in nuptijs Judæorum blasphematur.

Eodem tempore memoratus Judæus Meyer filio suo Isaac desponsavit uxorem: celebratisque ex more nuptijs, Dominici Sacramenti particulam inter duas coopertam scutellas in lecto jacentem portavit ad sponsam dicens: *Meritò nunc gaudere debes ô sponsa, & super omnes hebræorum te sponsas honoratam cognoscere, quoniam Deum ad te fero Christianorum.* Deinde perfidissimi canes iterum puncturis & plagis sanctam Hostiæ particulam affecerunt: cui & primam dare punctionem Isaac sponsus infaustus, quasi pro singulari honore jussus est: ferunt posthæc etiam ipsam particulam Judæis missam ad Brunonis Vicum.

Judæi per Marchiam omnes capti ducuntur ad Berlin oppidum.

At verò postquam impius ille traditor Christi supradictus solo nomine Christianus in carcerem fuerat conjectus: capti sunt etiam successivè Judæi plures in numero, & apud Ursulum sive Berlin Joachim Marchionis oppidum vinculis publicis mancipati: qui inter multa scelera confessi sunt, quòd intra paucos annos transactos VII. Christianorum pueros acubus & puncturis occiderint: exceptúmque sanguinem eorum in usum suum expenderint profanum, & omnino superstitiosum. Ex his septem pueris masculis innocentibus unum, prout confessi sunt, à matre ejus propria villana, & rustica pro viginti quatuor grossis coëmerunt: alium pro tribus florenis, atque unum pro decem florenis comparaverunt.

Judæi quadraginta per sententiam condemnantur ad ignem.

Anno igitur prænotato, nonâ decimâ die mensis Julij, quæ fuit sexta feria post festum divisionis Apostolorum, Joachim Marchio Brandenburgensium, Pomeranorum, ac Stettinensium Dux Rugij Cassubiæque Princeps & dominus, Nürenbergæ Burgravius, sacri Imperij simul & Germanici Regni Archicamerarius & Princeps Elector Christianæ Religionis

gionis cultor devotissimus, æquitatis & Justitiæ conservator & distributor incorruptibilis. Recognitis Judæorum malè commissis, eos, qui culpabiles fuerunt in præmissis, ad judicium scabinorum Berlinensium jussit adduci: ubi relectis publicè confessatis, ad ignem sunt per sententiam judicati, foras oppidum ad locum supplicij educti, & incendio concremati. Fuerunt eorum, qui perierunt incendio, triginta octo in numero: inter quos principales fuerunt Salomon cum filio, & genero: Meyer similiter cum filio, & genero.

Judæi triginta octo ignibus concremati sunt apud Berlin.

Præter hos triginta octo fuerunt & alij tres, qui baptismi Sacramentum acceperunt: quorum primus Jacob de Brandenburg dictus Georgius cum alio baptizato sequenti die capite truncatus, ut Christianus mortis debitum solvit. Tertius autem quia in Sacramenti dehonestatione culpam non habuit, quanquam in alijs sceleribus quibusdam reus haberetur, vitæ perceptâ indulgentiâ multorum precibus Cœnobium Fratrum minorum apud Ursulum intravit.

Traditor verò ille Christianus iniquus, qui Sacramentum Dominici Corporis Judæis vendiderat, post Corporis sui laceracionem ferramentis ignitis, rogo seorsim impositus, juxta scabinorum sententiam in cinerem resolutus est. Et sic denuo Marchia Brandenburgensium Judæis purgata est; remanserant enim in Ursulo captivi non minus sexaginta, qui de præmissis videbantur innoxij: quos omnes memoratus Princeps Joachim cum rebus eorum procul extra Marchiam præcepit abire, ne aut similia tentarent in futurum, aut necem illorum, qui pro demeritis justè fuerunt combusti, aliquo modo injustè vindicarent.

Paulus venditor Sacramenti ferro laceratus ignito, concrematur.

Eodem anno, Fratres Ordinis Beatæ Mariæ semper Virginis de monte Carmelo Capitulum Religionis suæ generale ad Festum Pentecostes in Civitate Neapolitana juxta morem celebrârunt. Post finem verò Capituli cùm singuli ad sua iter direxissent, Provincialis, Priores, & Fratres de Insula Sicilia (in qua Conventus habent XXIV.) navem intrantes versus Siciliam navigare cœperunt. Cùm altum Mare Mediterraneum aliquamdiu sulcâssent, irruerunt in eos Saraceni de Affrica Pyratæ, simúlque omnes cum navigio capientes abduxerunt. Erant autem eorum de Ordine viri numero non minus 50. Verùm quò pervenerint, nemo reliquorum de Ordine Fratrum scire potest usque in hunc diem.

Carmelitæ plures à Saracenis capti ducuntur in Affricam.

Hoc ipso anno, Fratres Militiæ Teuthonicorum, qui Prussiam & Livoniam inhabitant, Tartaris, Ruthenis, & alijs Paganis infidelibus, & Schismaticis finitimi, & ob id continuis eorum incursionibus inquieti, pro comparando adversum illos Christianorum suffragio Cruciatam cum Indulgentijs à Julio Papa II. impetratam ab initio Quadragesimæ usque ad Festum S. Trinitatis in Herbipoli, ac per totam Diœcesim consentiente Laurentio Pontifice ubique publicè prædicârunt. Qui & antea per continuum triennium easdem Indulgentias in alijs Germaniæ Diœcesibus publicantes, non modicam pecuniarum quantitatem comportârunt.

Theutonicorum Ordinis Milites Cruciatam prædicant.

MDXI.

Anno Joannis Abbatis Hirsaugiensis VIII. Indictione Romanorum XIV. in Dominica Sexagesimæ, quæ fuit 23. die mensis Februarij, Ludovicus Comes Palatinus, Bavariæ Dux & Princeps Elector, filius Philippi ante triennium, ut supra diximus, defuncti, annum ætatis agens tricesimum

Ludovicus Comes Palatinus ducit uxorem Heidelbergæ.

mum tertium Heidelbergæ nuptias celebravit pompâ solemni, uxorem ducens filiam Alberti Bavariæ Ducis, qui morabatur in Monachio, ante triennium mortui.

Eodem anno, in Dominica Quinquagesimæ, quæ fuit secundâ die mensis Martij, Udalricus Dux Wirtenbergensium, annum agens ætatis XXIV. duxit uxorem alteram filiam Ducis Alberti, sororem videlicet illius, quam Ludovicus Comes Palatinus accepit. Nuptias autem in Stutgardia cum magna solemnitate celebravit: ad quas invitati convenerant Principes isti: Wilhelmus Dux Bavariæ, frater sponsæ Germanus, Fridericus Dux Saxonum Princeps Elector, Ludovicus Comes Palatinus supra dictus Princeps Elector, Fridericus frater ejus Germanus, Fridericus Marchio Brandeburgensis, Henricus Dux Mechelnburgicus, Christophorus Marchio Badensis, & filius ejus Franciscus, Andreas Comes de Sonnenberg, Nicolaus Comes de Salm, Comes unus de Bitsch, & plures alij Comites, Barones, Nobiles, & Ignobiles, equos habentes ut ferunt tam pro curribus, quàm pro suis evectionibus plus quàm septem millia.

Bellum Maximiliani Cæsaris contra Venetos continuatur.

Anno prænotato Maximilianus Germaniæ Rex, & Cæsar electus Romanorum, Ludovicus quoque Rex Galliæ XII. & Ferdinandus Rex Aragoniæ, quos confœderatos paulo jam superius diximus, inchoatum ante triennium contra Venetos bellum continuant, non sine utrarúmque partium sanguine, dispendio, & detrimento: in quo jam isti vincuntur, jam illi, & nusquam stabilis victoria. Denique Rex Gallorum non satis religiosè fidem Maximiliano Cæsari servans promissam, Carolo Duci Geldriæ secretius pecunias destinavit, & viros bellatores.

Conventus fit Principum cum Rege iterum apud Augustam.

Eodem anno, Maximilianus Cæsar iterum apud Augustam Civitatem Rhætiorum Conventum Principibus Germaniæ indixit: in quo multa denuo contra rebelles Regni, & Imperij, maximè autem Venetos dicta feruntur, atque proposita, quorum nos plenam notitiam non habemus. Homo quidam natione septentrionalis Barbarus, & incompositus, staturâ procerus & horrendus aspectu, in eodem Conventu Cæsari fuit oblatus, qui carnibus crudis in magna quantitate vescebatur: vitulum totum, aut mutonem, vel ovem unicâ refectione crudam devoravit, & adhuc se vociferabatur esurire: quem gente Scytharum exortum esse crediderim.

Virgo est in Augusta multis annis neque manducans, neque bibens.

Hujus monstruosi hominis voracitati historiam libet inferre contrariam, mirandam quidem, & vix posteritati credibilem, sed veram tamen, & certam, & multorum testimonio comprobatam sufficienter. Virgo erat his diebus in memorata Civitate Augustensi nomine (si rectè memini) Christina, & hodie ut puto adhuc vivit in humanis, quæ in 12. vel 13. annis continuis nihil omnino manducavit, nihil bibit, nihil egessit, urinam nullam emisit, imò neque dormivit. Quis hoc verum crediderit? quis non fabulam continuò exclamârit? si rem tot indicijs exploratam, verámque inventam nesciret. Testis est Maximilianus Cæsar, testis soror ejus vidua relicta Ducis Alberti mulier nunc Christo devotissima, testis Episcopus Augustensis, testis & Senatus, testes sunt, qui experientiam rei ceperunt.

Multorum testimonio confirmatur, quòd nec comedit, nec bibit.

Non semel, sed pluries prædictorum testium jussione Virgo ipsa Cameræ inclusa diligentissimè sub arcta custodia observata est, ne quis cibum inferret, aut potum, non modò per diem, sed plures per menses,

&

& veraciter inventum est, nihil eam penitus manducâsse, vel bibisse. Denique prædicta Maximiliani Cæsaris soror, ut hujus famæ posset experiri veritatem, per medium fratris eam de Augusta in curru ad se Monachium fecit adduci, quam in Cœnobiolo suo multis secum detinuit inclusam diebus, cautissimè illam observans, & cubiculi clavem nulli confidens sororum, secum ipsa retinuit, januam clausit, & aperuit: & quòd interea nihil comederit, aut biberit, in veritate comprobavit. In Augusta simili cautelâ sæpius à multis observata, nemo unquam deprehendit prædictis contrarium.

Per quam causam ad hanc pervenerit abstinentiam.

Interrogabat eam aliquando vir doctus in Theologia, & Religiosus, quem novi, unde haberet abstinentiæ hujus inconsuetæ principium: cui illa cum summa reverentia, & humilitate respondit: *Reverende Pater, non putetis, quòd hanc abstinentiam, vel ex devotione, vel ex sanctitate, aut inchoaverim, aut consecuta fuerim; aliter se res habet, quàm plerique opinantur: cùm essem adolescentula, gravissimos patiebar stomachi dolores, maximè post cibum: præceperunt Medici, ut parum cibi sumerem ac potûs; feci, melius sensi, tamen ex toto non convalui. Quod intelligens Medicus jussit, ut biduo, triduóve penitus à cibo & potu abstinerem. Abstinui sicut jusserat primò per biduum, postea per triduum, postea per octo dies, quatuordecim, & per mensem integrum, nec potum sumpsi, nec cibum. Interea nullos sensi stomachi dolores, qui ex cibo & potu solebant post refectionem duntaxat oriri. Postremò cùm pro debilitate removenda vellem interdum cibum sumere, deglutire non potui sine gravi dolore, & maximâ difficultate, quia ut mihi notum est, meatus ad stomachum ex consuetudine abstinentiæ diuturnæ clausus fuit, & omnino præstrictus. Et sic metu dolorum, ac necessitate compulsa omnem cibum ac potum abjeci · que in præsentem diem. In tantam quoque nauseam panis, ac cibariorum perveni cum tempore, quòd ea nec visu tolerare sine gravamine possum, nec odoratu.* Hæc ipsa de se virgo memorata confitetur interrogata.

Consuetudo omnia dura alleviat.

Hæc Virgo vitam ducit honestam, & sæpe communicat.

Corpus Domini Salvatoris nostri Jesu Christi frequenter cum devotione sumit, diebus maximè Festis, Dominicis, quod nescio an transglutiat, vel terendo in ore species consumat. Petivit à suo Presbytero, ut sifieri posset, particulas quibus esset communicanda pro tempore, faceret aliquanto minores propter sumendi difficultatem, quia nullam, aut valdè minutissimam habet in ore salivarum humiditatem. Vitam ducit honestam, & quantum licet hominibus judicare, satis religiosam.

Varia est de hac muliere opinio.

Varia nihilominus apud plures de ipsa fertur opinio; sunt enim nonnulli, qui non credunt eam sine cibo, vel potu vivere, sed judicant eam potius in occulto manducare, vel saltem aliquod confortativum sumere, quo vita naturæ conservetur; videtur námque impossibile hominem per tot annos sine fomento cibi, & potus posse durare. Sed non est hoc novum, sicut non solùm de Nicolao apud Helvetios Eremita sumus certissimi, sed etiam per alios plures similia facta lectione cognovimus. Et sunt nonnulli, qui eam (si vera sunt, quæ fama vulgantur, quòd nihil manducet) non esse hominem, sed Cadaver aliquod occupatum à dæmonio existiment, quòd similia etiam contigerint & novis temporibus, & antiquis, ut referam unum.

Mulier alia fuit apud Geldrenses nihil manducans.

In superioribus hujus Operis, atque Voluminis, si rectè memini, paucis annotavi, quòd Arnoldus Dux Geldriæ, matre suâ consentiente patrem Reinhardum conjecit in vincula, & multis detinuit annis captivum, cujus detentionis hæc causa fuit, atque principium. Erat in oppido principali Geldriæ (quod Neomagum vel Newmagen appellant, ubi residentia Ducum esse consuevit) mulier quædam honestissimæ, atque sanctissimæ famæ & conversationis, ut in propatulo hominibus apparebat, quæ in pluribus annis nihil comedit, nihil bibit, nihil egessit, nunquam dormivit. Unde apud Ducis Reinhardi uxorem, apud filium, apud incolas terræ, & omnes in circuitu, qui eam noverunt, ut mulier tanta multo venerabatur honore. In tantam denique familiaritatem, & amicitiam Ducissæ pervenit, ut illa nihil sine consilio ejus, vel parvum faceret, vel magnum; nam dicta ejus oraculo habebantur Apollinis certiora. At posteaquam Principis simul & Arnoldi animos sibi ad omnia senserat obsequentes, magna tentavit.

Magnam hæc mulier sanctitatem, & miracula ostendit.

Habitabat in tugurio sola, & vitam in paupertate solitariam duxit, semper jejunavit, nunquam dormivit, orationi, meditationi, & contemplationi, ut ferebat, sine intermissione vacavit. Quidquid agebatur in oppido, sive per omnem Ducatum quantumlibet secretè, totum Ducissæ faciebat manifestum, asserens id sibi per Angelum sanctum divinitus revelatum. Ejus consilio, & confictis revelationibus Reinhardus Dux per uxorem & filium conjectus in vincula sine causa usque ad mortem detinebatur captivus. Multa per ejus prava consilia sub specie revelationis divinæ non solum Ducissæ, atque filio, sed etiam alijs multis impensa tam in oppidoquàm extra subtiliter facta sunt mala; maximâ enim utebatur industriâ, ne qua in ea falsitas notaretur: quòd eò facilius potuit, quò magnam hypocriseos experientiam consecuta fuit. Verùm quia sicut diximus, Reinhardo Duce consilio ejus occulto in vincula conjecto per uxorem, & filium, regiminis Ducalis magna fuit immutatio subsecuta: námque ad nutum hujus monstruosæ fœminæ Duces mater & filius omnia faciebant. Videbant hoc Proceres terræ & indignè ferebant, propterea quòd penè cuncta illius mulieris in malum finem tendebant, licet sub honestissima specie noverit ea palliare.

Mulierem non esse, sed dæmonium sapientes viri putabant.

In tantum postremò crevit odium populi, & maximè Cleri, & nobilium contra larvatam bestiam, ut omnes eam perijsse cuperent; erátque omnium opinio apud viros doctiores, atque Claustrales, quòd non esset ex Spiritu Sancto ejus conversatio, neque jejunium religionis, quemadmodum illa fingebat, sed aut simulationis, aut dæmonum intus operationis. Nemo tamen experimentum veritatis aut scivit, aut posuit. Cúmque hæc opinio virorum in notitiam perveniisset Principum, primò quidem indignati sunt, sed postea nihilominus, quoties intuebantur illam, phantasiam imaginatione concitante, de conspectu ejus horrorem senserunt.

Non mulier, sed dæmonium in fœtulento cadavere fuit repertum.

Venit postremò vir quidam doctus, qui de natura spirituum altius noverat speculari, cui cùm res à Ducibus matre videlicet & filio fuisset proposita, dixit: *Sinite me, & citò experiar, homo sit an dæmonium. Aperiatur ejus vena in brachio mediana, in qua latet indicium veritati. Nam si homo est, sanguinem habet, sine quo nemo vivere potest, & vena quælibet incisa calidum emittet*

emittet cruorem. Si verò dæmonium est, seu cadauer aliquod diabolicâ inhabitatione sustentatum, non sanguinem emittet vena incisa, sed putridam saniem, atque fœtentem. Quid plura? ad viri loquentis consilium adducitur mulier, & contra ejus voluntatem mediana incisorio aperitur: confestim putor cum sanie nimium fœtens erupit: & nec una guttula sanguinis in toto corpore fuit. Clamavit dæmonium horribili voce maledicens illum, qui hoc Principibus consilium dederat, & relicto cadavere putrido, multúmque fœtente discedens evanuit.

Conjurati Helvetij Senatum Constantiensem in suam sententiam traxerunt.

Anno prænotato, Senatus Urbis Constantiæ in finibus Suevorum, cum nonnullis de communitate civium in unum conspirantes, & se, & Civitatem submittere, conjungere, ac sociare conjuratis Helvetijs voluerunt. Hinc seditio gravis orta est inter Senatum, & Cives, quibus non placuit è Regno tam perfida discessio, & se propterea constanter Senatui opposuerunt: inter quos Piscatorum societas potior fuit, qui nuntios celeres ad Maximilianum Cæsarem mittentes, eum secretò de conjuratione Senatus certiorem reddiderunt. Interea portas armati custodiunt, Senatúmque & reliquos perjuros Cives, ne quis effugiat, observant.

Cæsar autem Maximilianus mox accepto hujus perjurij nuntio, cum trecentis Equitibus venit ad Constantiam, quem Senatus recusans intromittere, novam in Civitate seditionem concitavit. Sed Piscatores cum sibi adhærentibus, qui erant & numero plures, & viribus fortiores, portis violenter apertis Cæsarem cum suis in urbem receperunt. Consternati præsentiâ Cæsaris omnes, qui erant cum Senatu, & metuentes quam demeruerant perjurij sui pœnam, maximè autem qui fuerant Principes & capita factionis, fugâ salutem quæsiverunt, quorum pars major exilio suo premitur usque in præsentem diem. Alij capitibus truncati sunt, atque alij pœnis alijs sublati. Jam conjurati aderant Helvetij adhæc missi, imò & vocati à Senatu, ut Juramenta Civium & urbem in suam acciperent societatem, quos in sua redire Cives compulerunt.

Andreas Comes de Sonnenberg ab æmulo nequitiosè interficitur.

Eodem anno, 4. die mensis Maij, quæ fuit Sabbathum post Festum SS. Apostolorum Philippi, & Jacobi, Comes de Werdenberg Andream Comitem de Sonnenberg satis injuriosè, & fraudulenter nihil tale metuentem in venatione armatus inermem crudeliter occidit. Fuerat inter eos pro quibusdam rebus contentio, quam Udalricus Dux de Wirtenberg ut Princeps amborum sedare, & amicè componere desiderans, ad se causam & partes vocavit, querelas & responsiones audivit, pacis media proposuit. Verùm certis ex causis negotium in aliam protrahitur diætam, quæ prius quàm instaret, Comes occiditur.

Bernardinus cum IV. Cardinalibus à Papa Julio discessit.

Anno prænotato, cùm Julius Papa II. contra Bentivolos propter Bononiam bellum gereret in Italia, omnésque Cardinales sibi adesse juberet, alijs Pontifici obedientibus, Bernardinus natione Hispanus Episcopus Sabinensis, & Cardinalis Sanctæ Crucis in Hierusalem, Wilhelmus Episcopus Prænestinus Cardinalis, Franciscus tituli SS. Nerei, & Achillei Presbyter Cardinalis, Renatus de Priett S. Sabinæ Presbyter Cardinalis, & quidam alius, cujus nomen non occurrit, sine consensu Papæ, imò contra mandatum ad urbem Pisanam abierunt. Quos cùm litteris, & nuntijs paternè admoneret, ut redirent, non solùm contem-

pserunt, sed quod magis est, propriâ temeritate Concilium contra Papam generale indixerunt.

Conciliabulum Pisæ indicitur per IX. Cardinales contra Julium temeritate propriâ.

Anno enim prænotato, 19. die mensis Maij, quæ fuit secunda feria S. Potentianæ memoriâ venerabilis, coram Notarijs publicis & testibus ad hoc specialiter convocatis Bernardinus S. Crucis Episcopus Sabinensis, Franciscus SS. Nerei, & Achillei Cardinalis Presbyter, Prænestinus quoque Episcopus, & Cardinalis Wilhelmus supra dicti, suis nominibus & pro sex alijs Cardinalibus, quorum mandatum sufficiens exhibebant, Philippi videlicet Episcopi Tusculani Cardinalis Cenomanensis, Hadriani Cardinalis S. Chrysogoni, Renati Cardinalis S. Sabinæ Bainensis, Caroli Presbyteri Cardinalis S. Viti in Macello, Friderici S. Angeli Diaconi Cardinalis, Hippolyti S. Luciæ in Silice Diaconi Cardinalis, generale Concilium Pisæ ad primum diem mensis Septembris tunc proximi celebrandum indixerunt: ad quod Julium Papam II. per edictum in valvis plurium Ecclesiarum per Italiam citârunt, ac ipsum Conciliabulum suum litteris, instrumentis, & nuntijs ubique terrarum publicantes intimaverunt, vocantes ad illud Pontifices, Principes, Prælatos, & Doctores.

Bernardinus se Vicarium Ecclesiæ gerit, & Præsidentem Concilij.

Verùm posteaquam hæc summo innotuerunt Pontifici, litteris denuò monuit, contumaces obsecrans, & obtestans eos, ut ab ea, quam inchoaverant, temeritate desisterent, & ad unitatem S. Matris Ecclesiæ redirent, alioquin se contra eos jure necessariò processurum. Sed cùm alij ad monitionem Pastoris redirent ad Ovile, Bernardinus, Wilhelmus, Franciscus, & Renatus in sua pertinacia permanserunt obstinati, & omnes quotquot potuerunt verbis & scriptis in suam sententiam trahere conabantur. Et primò quidem Pisanam Civitatem pro Concilio generali celebrando deputârunt: postea Mediolanum, ubi Bernardinum in Vicarium Ecclesiæ, & Præsidentem Concilij statuerunt; convenientibúsque paucis ex Gallia, & Lombardia Episcopis sessiones aliquas habuerunt. Nec diu postea timentes Mediolanum sibi non fore satis tutum, in Galliam se unà cum synagoga Sathanæ transtulerunt, & apud Lugdunum, eo quòd Rex Galliæ Pontifici Romano infensus esset, considerunt.

Bernardinus cum tribus Cardinalibus omni dignitate privatur.

Anno igitur præsignato, 24. die mensis Octobris, Julius Papa II. ubi vidit monitiones suas apud IV. nominatos Cardinales nihil proficere, & citatos, atque per dies 73. sufficienter exspectatos minimè comparere, Romæ in Consistorio publico de Cardinalium suorum assensu & consilio utriúsque Juris peritorum complurium, eos ut Hæreticos, Schismaticos, contumaces, & rebelles & omni dignitate Cardinalatus privatos per sententiam deposuit, titulis quoque, insignijs, voce quoque tam passivâ, quàm activâ, Ecclesijs, Episcopatibus, Monasterijs, & cunctis beneficijs Ecclesiasticis, quæ vel in titulum, vel commendam, seu quovis alio modo possederant, privavit, & vel ad illa vel alia quæcunque, vel alia qualiacunque in posterum obtinenda inhabiles fore declaravit: eósque ab omnibus Christi fidelibus evitari præcepit, & pro Cardinalibus deinceps non haberi, nec nominari quidem decrevit, tanquam Hæreticos, Schismaticos, & ut criminis læsæ Majestatis reos, ab omni Communione Ecclesiæ rejecit.

Et mox eodem die litteras scribi mandavit, quibus hanc IV. Cardinalium depositionem & causam notam fecit Maximiliano Germaniæ Regi, Romanorum Imperatori electo semper Augusto, Ludovico quoque

que Gallorum Regi XII. Ferdinando Aragoniæ, Siciliæque Regi, Emanueli Portugalliæ & Algarbiorum Regi, Henrico Regi Angliæ, Jacobo Regi Scotiæ, Uladislao Regi Ungariæ, & Bohemiæ, Joanni Regi & Catharinæ Reginæ Navarræ, Sigismundo Regi Poloniæ, Joanni Regi Daniæ, Carolo Duci Sabaudiæ, Leonardo Lauredano Duci Venetiæ, & multis alijs per Christianitatem Principibus, Episcopis, Prælatis, & Communitatibus.

Ludovicus Rex Gallorum excommunicatur à Julio Papa.

His per Julium Papam factis & publicatis ubique, paulatim cessavit Cardinalium privatorum tumultus, & infirmati sunt, nec potuerunt stare, licet nihilominus & pro Cardinalibus se gererent, & conciliabulum suum apud Lugdunum pro viribus continuarent. Unde & Pontifex postea Ludovicum Regem Gallorum, ut fautorem hospitem, & defensorem Hæreticorum excommunicavit, & Lugdunum omniáque & singula loca, in quibus prædicti abrogati Cardinales moram traherent, Ecclesiastico suppositi Interdicto. Manserunt nihilominus in sua obstinatione pertinaces usque ad obitum Julij Papæ II. & post Electionem Leonis X. Romam venientes gratiam & restitutionem in integrum sunt consecuti.

Causa Conciliabuli Pisani.

Causam hujus discessionis quatuor Cardinalium à Pontifice satis ex præcedentibus puto manifestam. Postea enim quàm Papa in gratiam receperat Venetos, recedens à fœdere, quod cum Cæsare Maximiliano, & Rege Gallorum Ludovico fecerat: facilè jam erat Cardinales Hispanicos & Gallicos in odium surgere Italorum. Gallicana fuit ista practica, quæ Pontificem (si deponeretur Julius) sibi optaverat complacentem. Prope fuit, & in foribus malum, quo etiam Cæsar Maximilianus pravorum consilio fuisset seductus; nam & ipse simul & Rex Ludovicus Gallorum Instrumento publico Pisanum Concilium seorsim indixerunt. Galliæ Rex usque ad mortem Julij Pontificis cum pertinacibus apostatis contumax, & excommunicatus perduravit. Cæsar autem Maximilianus bonorum virorum admonitus consilio statim à principio incautè positum retraxit pedem, qui non suâ sponte, ut mihi videtur, & si dici fas est, constat, sed pravorum consilio incautè consensit in negotium, quod credidit esse sanctum. Extat inter alias Epistola ejus ad me una, ex qua mentis suæ declarat sinceritatem, quippe qui multorum in re tam ardua consilium requirit, sicut patet.

Epistola Maximiliani Cæsaris ad Trithemium Abbatem.

Maximilianus divinâ favente Clementiâ Electus Romanorum Imperator semper Augustus, Joanni Trithemio Abbati S. Jacobi Herbipolensi, olim Spanheimensi. Accepimus litteras tuas, quibus significas te illud singulare, & pulchrum Opus octo quæstionum nostrarum, de quo edendo te aliàs hortati fuimus, usque ad calcem deduxisse, & jam plenè perfecisse, quod nobis jucundissimum est, erítque & nobis ad maximam satisfactionem, tibi ad perennem famam: quoniam scimus, quæ ex te viro litteratissimo, & integerrimo procedunt, non nisi excellentia, & paria magnitudini tuæ, & quæ perpetuò à Principibus viris ediscenda sunt. Sed cùm jam & bello maximo (propter quod cogimur Italiam petere) & convocandæ universalis Ecclesiæ maximè impliciti simus negotio, non possumus his jam vacare, sed in reditu nostro evocabimus te cum eodem Opere tuo ad nos, & tecum de singulis præsentes latius disseremus. Ideo eundem librum penes te bene custoditum retinebis, & sicuti dicimus, auctoritate nostrâ, & Serenissimi Regis Franciæ Fratris nostri charissimi, ac plurimorum Reverendissimorum Dominorum Cardinalium

Cæsar Trithemium Abbatem invitat ad Concilium.

& aliorum Prælatorum indictum est concilium universale (sicuti videbis ex copijs authenticis his alligatis hujusmodi denuntiationis) cupimus ut præpares te ad ipsum, & interim quàm primùm nobis scribas, quid de hac re sentias, & quomodo sit nobis procedendum, & qualiter nos gubernari debeamus, ut illud ad finem deducatur optatum. Datæ in oppido Oettingen die 4. mensis Junij, anno Domini MDXI. Regni nostri XXVI.

Et quis non videret, Principis tanti animum persuasionibus æmulorum Romani Pontificis nutantem, ut consentiret in concilium minus legitimè indictum ab his, quibus convocandi ejus nulla fuit auctoritas, fuisse perductum? Ego autem sciens humilitatem meam, nihil ad interrogata Cæsaris, quid de indicto Pisis Concilio sentirem, rescribere volebam, quoúsque alterâ vice litteris præcepit mihi, ut quid sentirem, quantocius rescriberem. Itaque necessitate coactus hoc modo rescripsi.

Joannis Trithemij Abbatis S. Jacobi Herbipol. responsiva Epistola ad Cæsarem.

Maximiliano Serenissimo Potentissimo Invictissimo Principi & Domino Germanorum Regi, Electo Romanorum Cæsari, totius Orbis jure tam divino, quàm humano soli & unico Imperatori, Joannes Trithemius Abbas S. Jacobi Herbipolis, quondam Spanheimensis, Deum timere, bene agere, Ecclesiam defensare. Quid sentiam ego de Concilio Pisano nuper indicto, quidque consulam, ut res cœpta prosperum atque felicem consequatur effectum, iteratis jam Epistolis Cæsar potentissime rescribam mandâsti. Hucusque silui ratione persuasus, nec litteris Cæsareæ Majestatis tuæ quidquam mihi videbatur esse respondendum. Verùm quia denuo jubes ut respondeam, breviter & paucis præsentibus quid sentiam de indicto Pisis Concilio, Celsitudinem tuam reddo certiorem: licet minor sum ad consulendum in hac re nova & satis periculosa.

Concilium indicere quando liceat Imperatori, & Cardinalibus.

Si causa indicendi generale Concilium est justa, sufficiens, & legitima, si necessitas Ecclesiam urget manifesta, si Domini Cardinales, & vos Reges, si Principes, & Prælati Concilium indicentes, seu convocantes, solius Dei moventur amore, atque zelo Justitiæ, & pro Ecclesiæ utilitate communi, non livore, non indignatione, vel odio Romani Pontificis, non ducti ambitione, seu avaritiâ, non proprium quærentes commodum, sed commune, idque totum purâ & rectâ intentione, sine dolo, sine fraude Spiritu Sancto illustrante: si postremò concurrant omnia, quæ jure divino & humano requirit æquitatis ratio: & si Ecclesia naufragium patiens aliter reformari non potest, servato erga Pontificem ordine charitatis, cum debito reverentiæ, & honoris; si conveniant hæc omnia, tunc res & bene cœpta est, & prosperum sine dubio consequetur effectum.

Concilium Pisanum indicere Cardinales jure non potuerunt.

Quod si res ipsa (sicuti vehementer timeo) aliâ intentione præsumpta est: si in odium aut depressionem Pontificis agitur: si quidpiam præpter Deum quæritur: si Domini Cardinales, eorúmque fautores, sive sint Reges, sive Principes, siniſtrâ machinatione moventur (crede mihi sapientissime Cæsar) nihil boni, nihil justi, nihilque honesti, nihil utilitatis Ecclesiæ communis ex hoc sequetur Concilio: sed scandalum gravissimum orietur in populo Christiano, & vel perniciosum schisma, vel grandis omnium confusio, qui Concilium sine auctoritate Romani Pontificis indixerunt. Vereor enim (& si ausim dicere, scio) quòd non omnes rectâ & sincerâ moventur intentione, qui se Pisano Concilio adscripserunt. Unde verò sciam, per interjectam his schedulam Majestas tua Serenissima intelliget. Custodiat ergo precor Celsitudinem tuam Maximiliane Cæsar Christianissime Omnipotens Deus, ne anima tua, ne famæ percelebris opinio, & ne sanctum, & Catholicum nomen tuum

tuum Concilio impiorum, vel consortio Schismaticorum quâlibet occasione vel modicè polluantur.

Cæsarem monet Trithemius à Concilij prosecutione desistere.

Longè Deus avertat, & procul sit à sanctis moribus tuis Maximiliane Cæsar, ut Concilium impiorum adjuves, & qui te hactenus Principem Christianissimum exhibuisti, nunc des maculam gloriæ tuæ, & malam de tua fide suspicionem posteritati relinquas. Non est tuum, non est Regis Gallorum, non istorum Cardinalium, qui se in Instrumento subscripserunt, neque aliorum, quorum allegant consensum, generale convocare Concilium, legitimis causis, ut jam hic, minimè existentibus. Sed hoc munus, hoc officium & privilegium Jus concedit summo universali, & soli Romano Pontifici: quàm vera dicam, norunt omnes, qui Deum timent, qui quod justum intelligunt, qui rectum sapiunt, & solam diligunt veritatem. Nec dubium mihi est, quin exitus rei meam confirmabit sententiam, & Christo JESU providente constabit, non fuisse ex Deo præsens Concilium. Habes nunc Sacratissime Cæsar, quid ego de indicto Concilio sentiam, salvâ tamen omnium Deum timentium, meliúsque sentientium determinatione atque sententiâ.

Solius est Romani Pontificis generale Concilium indicere.

Ad secundam interrogationem ista respondet Trithemius.

Quemadmodum verò Serenissimæ Celsitudini tuæ in hac re sit procedendum, ut effectum consequatur optatum: meum requiris consilium; ah quis ego ut moderatori Orbis Maximiliano vias prudentiæ ostendam? aut quæ doctrina mea, ut erudiam caput Principum mundi? veruntamen quia præcipis ut Rex, jubes ut Cæsar, imperas ut Imperator, credis, confidis, exspectas: non absondam Celsitudini tuæ consilium meum (ut credo) fidele, salubre, honestum, utile, & rectum, quod te clementi animo susceperum, si dubitarem, non scriberem. Igitur inprimis consulo, precor, & oro, ut illum Cæsar Maximiliane sequaris: de quo scriptura dicit: Beatus vir, qui non abijt in consilio impiorum. Et si dixero Pisanorum, certè non erravi. Deinde consulo, precor, & oro, si quovis honesto medio fieri potest, ut Majestas tua Serenissima pacem, concordiam, & stabile fœdus cum Romano, & Summo Pontifice Julio ineat, contrahat & confirmet. Tertiò consulo, precor & oro, cautissimus esto, ne te levitas Gallorum seducat, quæ Cardinales Obedientiæ desertores fovet, manu tenet, atque defendit contra Julium Pontificem, eâ intentione, quæ multis est manifesta. Quartò igitur consulo, oro, & precor, triplicem rumpe funiculum, hoc est, Gallum cum vulturibus suis desertò, alioquin laqueum censuræ Summi Pontificis incides cum eisdem. Quintò memineris consulo, oro, & precor, quoniam tibi soli Romanum debetur Imperium, non aliam ob causam, nisi ut Ecclesiam Romanam & Universalem, ejúsque Pontificem colas, venereris, atque defendas. Nam si tuo Ecclesia non indigeret Patrocinio, susceptum à Constantino Imperium liberum sibi reservâsset.

Cæsarem rogat Trithemius, ut reconcilietur Summo Pontifici.

Julium autem Pontificem secundum, à quo Cardinales isti recesserunt, verum Christi Vicarium, successorem Petri, & legitimum universalis Ecclesiæ Pastorem in annum jam octavum habuimus, tenuimus, & venerati sumus, hodiéque indubitanter habemus, tenemus & veneramur: contra quem levare calcaneum bonus Christianus nec jure potest, nec debet causis legitimis adhuc non existentibus. Confido etiam, quòd in hoc Schismate Galliam levem fides Germana non sequetur, etiamsi tua Majestas, quod Deus avertat, cæpto perseveret in proposito. Sextò super his rebus consulo, precor, & oro, Serenitas tua glorioßissima historias perscrutari faciat transacti temporis, & certè inveniet, qui capita sua contra Romanam Ecclesiam vel ejus Pontifices legitimos erexerunt, & vitam infamiâ notatam, & finem opprobrio, & perpetuâ confusione plenum habuerunt.

Julium II. Trithemius verum Christi confitetur Vicarium.

Septimò

Conciliabuli Pisani confusionem prædicit Trithemius.

Septimò. Consilium do, precor, & oro, quatenus Clementia tua meminerit, se unicum sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ à Deo, & ipsa Ecclesia protectorem esse constitutum, & non consentiat illis, qui vel scindere, vel ejus Pontificem deturbare conantur. Videbit (non dubito) Serenitas tua finem hujus Conciliabuli Pisani confusione plenum, & opprobrio, nisi forsitan Romanus Pontifex inductus vel persuasus suum tandem adhibuerit consensum: quod meâ opinione difficilimè fieri posse sentio.

Concludit Trithemius Epistolam ad Cæsarem.

Hæc sunt glorioſissime Cæsar Maximiliane, quæ mihi tuo Imperio breviter de proposita materia Pisani Concilij videbantur: in quibus ut confido, satisfeci conscientiæ propriæ; qui aliter sentire nec potui, nec debui, quàm quod æquitati scripturarum conforme judicavi. De octo quæstionum Serenitatis tuæ libello, quem te imperante conscripsi, faciam, quod jubes. Omnipotens Deus Majestatem tuam diu conservet incolumem. Datæ apud S. Jacobum Herbipolis vicesimâ quintâ die mensis Augusti, anno Domini MDXI.

Concilium Lateranense Romæ indicitur à Julio Papa II.

Eodem anno decimâ octavâ die mensis Julij, Romanus Pontifex Julius II. de consilio & assensu unius & viginti Cardinalium, ut Conciliabulum illud Pisanum destrueret, generale Concilium Romæ apud S. Joannem Lateranensem indixit, & publicavit in annum sequentem inchoandum, celebrandum, & continuandum, die lunæ videlicet nonâ decimâ mensis Aprilis, quæ fuit secunda feria post Octavas Dominicæ Resurrectionis; quem terminum postea certis ex causis prorogavit in primum diem mensis Maij ejusdem anni, prout clarius ibi dicemus.

Nomina XXI. Cardinalium, qui Concilio subscripserunt.

Hæc autem sunt nomina Cardinalium, qui unà cum Pontifice indicto Concilio subscripserunt. Episcopus Hostiensis Raphaël Cardinalis S. Georgij Camerarius Papæ. Dominicus Episcopus Portuensis Cardinalis S. Marci. Jacobus Episcopus Albanensis Cardinalis Arborensis. Nicolaus Cardinalis Presbyter S. Priscæ. F. Presbyter Cardinalis de claro Monte. Marcus Presbyter Cardinalis S. Mariæ trans Tyberim Senogalienſis. Robertus Presbyter Cardinalis S. Anastasiæ Nannetensis. Leonardus Presbyter Cardinalis S. Susannæ. Christophorus Presbyter Cardinalis S. Praxedis. Sixtus Presbyter Cardinalis S. Petri ad Vincula Vice-cancellarius. Christophorus Eboracensis Presbyter Cardinalis SS. Petri, & Marcellini. Antonius Presbyter Cardinalis S. Vitalis. Petrus Presbyter Cardinalis S. Eusebij. Achilles Presbyter Cardinalis Sixti Bononienſis. F. Presbyter Cardinalis S. Clementis. Joannes Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Dominica. De Medicis postea Pontifex Leo decimus. Alexander Diaconus Cardinalis S. Eustachij. Ludovicus Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Cosmedin. Marcus Diaconus Cardinalis S. Adriani, & Alphonsus Diaconus Cardinalis S. Theodori. Cæteri verò Cardinales eo tempore fuerunt absentes.

Luterani Præmonstratenses ab ordine suo recesserunt.

Anno prænotato, Præpositus, & Fratres Præmonstratenſis Ordinis in oppido Lutera Wormatienſis Diœcesis sub tuitione Principis Palatini, dispensatione Romani Pontificis abjecto Religionis suæ habitu, facti sunt Canonici Sæculares, quod prius ante certos tentaverant annos: sed quàm diu vixit in humanis Philippus Comes Palatinus, Princeps Elector, ad effectum perducere nequiverunt.

Jacobus Archiepisc. Trevirorũ moritur.

Eodem anno mortuus est Jacobus ex Marchionibus de Baden Archiepiscopus Trevirorum, anno Pontificatus sui octavo, in florida ætate necdum

necdum annorum quadraginta. Princeps Nobilis, doctus, & satis ad regimen Ecclesiasticum idoneus: dequo una spes fuit omnium, quòd ipse Trevirensem Ecclesiam ex omnibus relevaturus esset oneribus debitorum. Cujus obitus quantùm contristaverit Christophorum Patrem ejus Marchionem Badensem, noverunt omnes, qui ejus sunt præsentes contubernio.

Richardus fit Archiepiscopus Trevirorum.

Huic in Episcopatu Trevirorum electione capitulari successit Richardus familiæ cognomento Griffenklavv Trevirensis Canonicus, vir & ipse prudens, expertus, & ad gubernaculum Ecclesiæ multùm idoneus: qui hodie præest in sollicitudine.

Cùm eodem anno præfatus Marchio de Baden Christophorus Jacobo filio charissimo defuncto sicut diximus Trevirorum Archiepiscopo funeralia in Baden oppido suo celebrare instituisset: viciniores Principes ad eum complangendum defunctum, ut est consuetudo Proceribus, invitavit; ad quod officium Udalricus Wirtenbergensis invitatus per Marchionem, locosuo Joannem hujus Cœnobij misit Abbatem.

Villa Burbach Canonicis majoris Ecclesiæ Spirensis venditur.

Anno etiam prænotato, Joannes hujus Monasterij Abbas memoratus, de consilio, & assensu Fratrum suorum, non ex paupertate, vel inopia, sed propter alias causas rationabiles, atque legitimas, quas dicemus, villam Burbach cum omnibus juribus, censibus, reditibus, proventibus, aquis, vinetis, pratis, sylvis, & incultis una cum advocatia vendidit Canonicis majoris Ecclesiæ Spirensis pro quatuor millibus, atque sexcentis florenis Rhenensibus in pecunia numerata, quam in promptu solverunt. In hujus venditionis recompensam prædictus Abbas Joannes aliam comparavit villam sub Dominio Wirtenbergensium constitutam nomine Eberdringen cum omnibus utilitatibus suis pro sex millibus florenorum, quæ Monasterio & vicinior est, & multùm utilior quàm Burbach aut fuit unquam, aut esse potuit. Et ne rebus in futurum qualibet occasione mutatis posteritas memoratam villæ Burbach venditionem aut levitatis arguat, aut inconsultè factam reprehendat, operæ pretium fuerit, causas moventes animos venditorum assignare.

Quæ fuerint causæ venditionis villæ Burbach. Prima.

Prima igitur venditionis causa fuit, quòd Burbach villa ipsa in Principatu Comitis Palatini constituta est, & propterea villani caput aliorsum inclinantes mandatis Abbatum Hirsaugiensium contrarij semper fuerunt, atque rebelles.

Secunda.

Secunda fuit causa, quòd Abbates Hirsaugienses præteriti temporis cum incolis villæ Burbach multas lites, & contentiones etiam coram Cæsare sæpius habuerunt, in quibus plus quàm duo florenorum millia expendisse illos constat.

Tertia.

Tertia causa fuit, nimia loci distantia, per quam blada, & frumenta pro vili pretio vendere necessarium erat, vel cum magnis & gravibus expensis etiam in ministerijs villanorum ad oppidum Pforzheim perducere.

Quarta causa fuit, quòd villa Eberdringen in proventibus annuis melior est, & Monasterio utilior quàm Burbach fuerit unquam in bladis, frumentis atque pecunijs, & omnia minoribus expensis ad Hirsaugiam perferuntur.

Quarta.

Quinta, quòd empta in recompensam noviter villa sub dominio & protectione sita est Ducis Wirtenbergensis, propter quod si aliquando

recalcitraverint villani, metu, vel jussione Principis ad obedientiam Abbatis facilius poterunt compelli.

Sexta. Sextam causam gravamina Palatinensium præstiterunt, qui præter Justitiam, & æquitatem alimenta violenter à subditis Monasterij extorquebant, quæ solvere Abbas cogebatur, quarum summa viginti libras Hallensium quotannis transcendebat. His moti causis Abbas & Fratres dictam venditionem admiserunt.

Oswaldus Kirsmann scriptor in oppido Calw Hirsaugianus. Fuit eo tempore scriba juratus oppidi Calwensis nomine Oswaldus Kirsmann, vir probus, prudens & integerrimæ conversationis, hujus Monasterij Hirsaugiensis magnus fautor, singularis Promotor, & fidelis amicus, cujus consilio, prudentiâ, operâ, & summâ diligentiâ, & Burbach villæ venditio, & Eberdringen emptio factæ sunt: qui & alia multa huic loco fecit bona, pro quibus dignum censemus, cujus memoria vigeat in orationibus Hirsaugiensium Fratrum apud Omnipotentem Deum amodo usque in sempiternum.

MDXII.

Hyems fuit lutosa. Anno Joannis Abbatis nono, Indictione Romanorum quintâ decimâ, hyems fuit satis remissa, clemens, humida, & lutosa; unde & in plerisque Germaniæ locis pestis Epidimiæ sæviens plures mortalium miserabiliter consumpsit.

Maximilianus Cæsar venit Herbipolim. Eodem anno, vicesimâ secundâ die mensis Februarij, quæ fuit Dominica Quinquagesimæ, Maximilianus Cæsar venit Herbipolim, peractóque ibidem carnisprivio, sine pompa vel strepitu paucis diebus moratus est. Exinde recedens ad Civitatem Metensem per Westrasiam, & Lotharingiam iter deflexit, quem Metenses cum honore magno suscipientes, tributum illi annuum, quod reposuerant, ex more solverunt. Singulis námque annis mille florenos Regi Germaniæ, cujus se recognoscunt esse subjectos, Metenses reponunt, quos neque per suos, neque per regios Nuntios, vel Oratores, sed cum in propria persona Metim venerit, illi persolvunt. In quot annis Metim non venerit, tot millia florenorum, cùm venerit, ei dare solebant.

Laurentius Campejus Orator Apostolicus venit Herbipol. Venit eodem tempore Curiam sequens Cæsaream Herbipolim Laurentius Campejus Bononiensis utriúsque Juris Doctor, & in Rota causarum Auditor, qui postea factus est Episcopus Feltrensis, cujus Genitor fuit Joannes Campejus, vir istâ ætate celebris, cujus memoriam fecimus in libro de scriptoribus Ecclesiasticis. Hunc Laurentium Julius Papa secundus Oratorem misit ad Cæsarem, pro pace inter Ecclesiam & Regnum reformanda, quæ rebellione Venetorum, ut supra diximus, haud mediocriter fuerat turbata. Mansit in Herbipoli apud S. Stephanum hospitio receptus, diebus quatuordecim, inde Cæsarem secutus est ad Trevirim.

Apud Treverim Conventus fit Principum. Anno prænotato, ad Festum Dominicæ Resurrectionis, quod fuit undecimâ die mensis Aprilis, Maximiliano Cæsare præcipiente, factus est conventus Principum in Civitate Trevirorum, qui duravit in mensem tertium. In quo Conventu subnotati Principes comparuerunt proprijs in personis. Maximilianus Rex Germaniæ, & Cæsar Romanorum. Uriel Archiepiscopus Moguntinus. Philippus Archiepiscopus Colonienſis. Richardus Archiepiscopus Trevirorum. Ludovicus Comes Palatinus Princeps Elector. Georgius Episcopus Bambergensis. Wilhelmus Episcopus

Principum nomina, qui interfuerunt.

pus Argentinensis. Matthæus Langius Episcopus Gurcensis. Episcopus Tullensis. Fridericus, Comes Palatinus, Bavariæque Dux, Frater Ludovici Electoris. Joannes Comes Palatinus, Bavariæ Dux, & Comes in Spanheim, qui moratur apud Cynonotos in Simmeren. Fridericus Marchio Brandenburgensis, & Casimirus filius ejus. Udalricus Dux Wirtenbergensis. Ericus Dux Brunsuicensis. Joannes Marchio Brandeburgensis, frater Casimiri. Christophorus Marchio de Baden, & Ernestus filius ejus, & Philippus filius.

Comitum aliquorum nomina, qui Principum interfuêre Conventui.

Eitelfridericus Comes in Zolra. Wilhelmus Comes de Fürstenberg. Felix Comes de Werdenberg. Carolus Comes in Oettingen. Joannes Comes de Isenburg in Budingen. Ludovicus Comes de Nassavv & Saarbrucken. Wilhelmus Comes de Nassavv, & Dietz. Philippus Comes de Nassavv in Wisbaden. Joannes Comes de Seyn. Bernardus Comes de Solms. Joannes Comes de Witgenstein. Hermannus Comes de Wiede. Joannes Comes de Wiede. Theodoricus Comes de Blanckenstein & Dominus in Manderscheidt & Joannes Frater ejus. Georgius Comes de Königstein & Eberhardus Frater ejus. Joannes Comes Rheni de Lapide & Philippus Frater. Emicho Comes de Liningen. Joannes Comes de Hardeck. Philippus Comes de Virnburg. Jacobus Comes de Mœrs & Saarvverden. Gerlacus Palatinus, & Wilhelmus Comites de Isenburg inferiori. Philippus de Liningen, & Westerburg. Wiricus de Dune Comes de Limpurg, & Dominus de superiore Lapide. Hartmannus de superiori Lapide. Jacobus Burggravius de Rineck, & alij plures Comites, atque Barones.

Oratores Papæ, Regum, Principum, & Civitatum in Conventu præsentium.

Aderant etiam Principum absentium Oratores plurimorum, videlicet. Julij Papæ secundi Orator Laurentius Campeius, de quo diximus. Ludovici Regis Gallorum Orator Claudius Episcopus Marsilienſis. Henrici Regis Angliæ Orator Rupertus Eques auratus. Joannis Regis Navarræ Orator. Friderici Saxonum Ducis, Principis Electoris Orator. Joachim Marchionis Brandenburgensium Principis Electoris Orator. Sigismundi Regis Poloniæ Orator. Laurentij Episcopi Herbipolensis Orator Petrus Auffsass Canonicus majoris Ecclesiæ atque Custos. Reinhardi Wormatiensis Episcopi Orator. Philippi Episcopi Spirensis Orator quidam Canonicus. Episcopi Monasterienſis Orator Theodoricus Ketteler Officialis Frisiæ. Magistri Ordinis Teuthonicorum in Prussia Orator, Comes de Isenburg Marschalcus. Wilhelmi Ducis Bavariæ Oratores. Ducis Lotharingiæ Oratores. Alexandri Comitis Palatini Bavariæque Ducis in Gemino Ponte & Veldentia Comitis Oratores. Wilhelmi Ducis Juliacensis Oratores. Wilhelmi Landtgravij Hassiorum Orator Cancellarius: multorúmque Civium Regni Oratores huic Principum convocationi interfuerunt.

Maximilianus Cæsar Tunicam Domini jubet inquiri apud Treviros.

Anno prænotato, durante apud Treviros dicto Conventu Principum, Maximilianus Cæsar piâ devotione motus altare majoris Ecclesiæ sancti Petri Apostoli Principale jussit aperiri, ad experiendum, si vera esset historia Trevirorum, in qua legitur, quòd Archiepiscopus Trevirorum anno Dominicæ Nativitatis millesimo, ducentesimo, decimo octavo, indictione Romanorum sextâ, temporibus Friderici Imperatoris secundi, & Honorij Papæ tertij tunicam inconsutilem Domini & Salvatoris

noſtri Jesu Chriſti, cum reliquijs Sanctorum multis intra concavitatem ipſius aræ certis ex cauſis repoſuerit. Nec fuit iſta repoſitio Dominicæ veſtis occulta, quamvis etiam poſtea noſtris temporibus multi dubitarent, ſed & litteris commendata fuit, & in opinione Trevirenſium, & Moſellanorum vulgatiſſima, quod eo melius novi, quoniam & ego Moſellanus Patriâ hanc famam à puero ſemper audivi, & pro majori certitudine in annalibus Trevirenſium Eccleſiæ ſcriptam ſæpius legi.

Tunica Domini inconſutilis in ſummo altari Treviris repetitur.

Ad mandatum igitur Cæſaris Maximiliani adeuntes altare Canonici cum reverentia, in diebus Paſchalibus, aperuerunt ſecretius ipſo cum paucis adſtante, in quo tres ciſtulas cum reliquijs ſubſcriptis invenerunt. In prima capſula reperta fuit ipſa Salvatoris noſtri tunica inconſutilis cum inſcriptione tali: *Hæc eſt inconſutilis Domini & Salvatoris noſtri* JESU *Chriſti.* Eſt autem tunica ipſa ſine manicis mirandæ compoſitionis, & peregrini coloris: ſuper Tunicam invenerunt unum taxillum maiuſculum, in quo ſortem miſerunt ſtratiotæ ſuper ipſam Dominicam veſtem: cum taxillo jacuit cultellus rubiginoſus, quo in ultima Cœna Salvator noſter uſus fuiſſe creditur. De ligno S. Crucis plures invenêre particulas. Hæc omnia S. Helena quondam Imperatrix Mater Conſtantini magni de Hieroſolymis in urbem Trevirorum tranſtulerat.

Sanctorum Reliquiæ.

In alia capſula ſunt inventæ Reliquiæ Sanctorum ſubſcriptorum. De veſte Beatæ Mariæ ſemper Virginis. De panniculo in præſepio. De SS. Daria & Chryſantho. De Smaragdo, & Largo. De S. Irmina prima Abbatiſſa in Horreo Trevirenſi. De digito S. Sylveſtri. De S. Paúlo Apoſtolo. De ſepulchro Domini. De S. Laurentio. De S. Cyriaco, & complura buſta Sanctorum alia.

Corpus S. Materni Epiſcopi fuit inventum.

In capſula tertia fuit repertum corpus S. Materni, qui fuit Diſcipulus S. Petri Apoſtoli, & tertius Archiepiſcopus Trevirorum, cujus ſepulchrum apud Monaſterium Divi Apoſtoli Matthiæ noſtri Ordinis prope Trevirim oſtenditur. Inventus etiam cum ejus corpore denarius unus argenteus fuit, talem in circumferentia habens ſuperſcriptionem: *Sanctus Maternus.* In una burſula ſimiliter invenerunt, de veſte Beatiſſimæ Mariæ ſemper Virginis: de præſepio Domini: de ſepulchro Domini: de Columna Domini, ad quam fuerat flagellatus: de S. Luca: de S. Georgio. In una capſula argentea inventum eſt cranium de capite S. Cornelij Martyris. Sunt & aliæ reliquiæ Sanctorum pretioſæ in memorata Trevirorum Eccleſia plures, quas à multis annis ſæpe vidimus, inter quas memoriæ occurrunt conſignandæ caput S. Helenæ Imperatricis. Caput S. Matthiæ Apoſtoli, vel ſicut alij dicunt, Patriarchæ Hieroſolymitanæ Eccleſiæ. Caput S. Getulij Martyris. De catena S. Petri Apoſtoli. Superior pars baculi ejuſdem S. Petri Apoſtoli, cum quo S. Maternus ſupra dictus poſt quadraginta dies obitus ſui à morte fuerat reſuſcitatus. Inferior hujus baculi pars habetur in Eccleſia Colonienſi.

Præſcriptæ Reliquiæ coram omni multitudine fuerunt oſtenſæ.

Poſt hæc eodem anno, tertiâ die menſis Maij, quæ fuit inventioni S. Crucis feſtiva, Reliquiæ Sanctorum omnes præſcriptæ tam noviter inventæ, quàm prius in manifeſto habitæ, unà cum clavo Dominicæ Crucifixionis (cujus penè fueram oblitus) ſuper novum altare ligneum ad hoc in Choro præparatum collocatæ ſunt, & per unum Fratrem Ordinis Prædicatorum Capellanum Archiepiſcopi Trevirenſis ſingillatim per

Ordinem

Ordinem oſtenſæ tam Cæſari quàm cæteris, qui convenerant, Principibus, in frequentia & multitudine maxima populorum.

Eſt etiam inter alias Sanctorum in memorata Eccleſia Trevirenſi reliquias una particula Mannæ, quo DEUS olim Iſrael in deſerto pavit, coloris albi, diſpoſitionis formalis, non rotunda, longitudine ferme unius digiti, latitudinis ſemiſſis atque duorum, formâ oblongâ, & ſpiſſitudinis non plenè unius articuli. Hoc Manhu per ſanctam Helenam ferunt ab Hieroſolymis Trevirorum allatum Eccleſiæ. Perhibent enim Treviri palatium Conſtantini Cæſaris in eo extitiſſe loco, in quo nunc major S. Petri Apoſtoli conſtat Eccleſia. Urbem verò conſtructam aſſerunt Abrahæ Judæorum Patriarchæ anno ætatis tertio decimo, à Trebeta quondam Nini Regis Aſſyriorum filio profugo à facie Semiramidis.

Manna eſt Treviris.

Anno prænotato, ſecundâ die menſis Maij, quæ fuit Dominica tertia poſt Paſcha, celebratum in monte Monachorum prope Bambergam fuit Capitulum Ordinis noſtri Provinciale triceſimum quartum: in quo præſederunt, Joannes S. Petri in Erphurdia, Joannes S. Udalrici in Auguſta, Wolffgangus S. Ægidij in Nürenberga, & Joannes SS. Petri & Pauli Apoſtolorum in Hirſaugia.

Capitulum Ord. noſtri Provinciale XXXIV. Bambergæ celebratur.

Eodem anno Maximilianus Cæſar ſoluto apud Treverim conventu Principum deſcendit ad Coloniam, & inde ad Brabantiam. Rurſus compoſitis in Brabantia rebus maximè contra Ducem Geldriæ aſcendit ad Coloniam, à Colonia verò in Alſatiam, & apud Landavv, Hagenavv, & Weiſſenburg quaſi totâ hyeme permanſit: nuntios, & legatos Principum audivit, pacem populis indixit. Fuerunt his diebus nonnulli Equeſtris Ordinis, qui cùm hoſtes eſſent Epiſcopi Bambergenſis, rapinas in ejus ſalvo conductu exercebant, currus mercimonijs Nürenbergenſium oneratos exſciderunt, ſpolia rapuerunt, & quidquid ſecum non poterant portare, ignibus concremabant. Ad inſtantiam memorati Præſulis Maximilianus Cæſar Gangolphum Comitem de Gerolzeck Capitaneum regni conſtituit: cui adjungens triginta, vel quadraginta Equites à Principibus, & Regni Civibus deputatos ad Bambergam tranſmiſit: ut incurſiones latronum auctoritate Regali & Imperiali compeſceret. Sed Comes ipſe parum aut nihil in eo officio profecit, & annum non permanſit.

Maximilianus Cæſar deſcendit Brabantiam.

Anno prænotato, magna ſeditio Spiræ inter Senatum, & Cives penultimâ die menſis Junij fuit exorta: cujus tumultus cauſa fuit pecuniarum onerosa exactio, quàm vulgariter Umgelt nuncupant: ſub cujus impoſitione Cives nimium ſe conquerebantur omni tempore gravari, ſcire volentes, quò & in quem uſum tot pecuniæ fuerint quotannis expoſitæ. Concurrentes itaque Cives armatij die præſcriptâ in magno furore, clavibus arreptis omnes portas urbis clauſerunt, neminem vel intrare, vel exire permittentes. Senatum ab eorum miniſtratione deponunt, novum ex plebeis inſtituunt, & furentes per plures dies armati portas muniunt, abrogatorum Conſulum domos perfringunt, eóſque ad incarcerandum ubique inquirunt. Verùm illi ad majorem Eccleſiam confugerant, quam Cives temerare non audebant. Poſtremò Cæſaris Maximiliani præcepto ſeditionis fervor extinguitur, & unitas reformatur.

Spiræ inter Senatum & Cives periculoſa exorta fuit ſeditio.

Eodem anno, Julius Papa II. Romæ apud S. Joannem Lateranenſem generale Concilium præcedenti anno indictum, circa principium menſis

Lateranenſe Concilium Romæ celebratur.

Maij celebrare cæpit, in quo sessiones aliquot per intervalla dierum habuit, sed morte præventus, ut sequenti anno dicemus, consummare inchoatum non potuit, quod utrum successor ejus continuet, necdum sumus certiores.

Maximilianus Cæsar Gallorum detestatur perfidiam.

Anno etiam prænotato, posteaquam Cæsar Maximilianus perfidiam, fraudes, & dolos Ludovici Regis Gallorum multipliciter jam fuit expertus, ab ejus fœdere, quod fuit sine fide, rationabili occasione discessit, cùm ille prior pacta violâsset. Nam & Ducem Geldriæ Carolum, quod in superioribus dictum est, contra Cæsarem pecuniâ, milite, armísque confortavit, occultè simul & manifestè, quod facere omnino non debuisset, violator & fidei, & juramentorum. Denique in bello, quod ambobus commune fuerat contra Venetos, Rex Gallus sua duntaxat quærens commoda non Cæsaris, pacti conditiones multipliciter fuit transgressus. Jure itaque desertorem Cæsar deseruit, & fœdus cum Romano Pontifice Julio contraxit, de quo latius post hæc erit dicendum. Interdixit etiam Cæsar Maximilianus certis sub pœnis omnibus Regni Germanici Principibus, Comitibus, & Incolis, ne Regi Gallorum subsidia ferant, mittant, aut in aliquo suffragia ministrent. Hoc edictum Cæsaris Emicho Comes de Liningen (de quo supra diximus ante octennium, ubi Monasterij Limpurgensis descripsimus incendium) parvi pendens cum aliquot Stratiotis Galliam intravit, militiam Regi Ludovico contra Cæsarem spopondit; qui tamen brevi postea nescio quam ob causam à Gallo repudiatus est, & in sua quæ habet apud Lotharienses, retrocedere non sine pudore compulsus; redire námque ad Duroburgum non potuit, propterea quòd jam pœnas læsæ Majestatis incurrerat.

Emicho Comes de Liningen læsæ Majestatis condemnatur reus.

Nam Cæsar Maximilianus confestim, ut eum intellexit declinâsse ad Gallos, reum læsæ Majestatis declaravit, mandans Ludovico Palatino Comiti, ut omnes profugi Comitis villas, oppida, castella, & munitiones in suam reciperet potestatem, quod & factum est, præter castellum Duroburgum, quod cùm sit fortiter munitum, obtinere non potuit. Erant in ipso castello uxor Comitis Emichonis cum liberis suis, & quidam stratiotæ ad loci custodiam deputati, quorum defensione primo incursu non facilè poterat obtineri. Nihilominus timens mulier, quòd arcem contra vim Palatini diutius præservare non posset, decem vel duodecim dierum spatium ad deliberandum ab eo postulans impetravit. Interea nuntios ad Udalricum Ducem Wirtenbergensem destinavit occultos, rogans ut suorum aliquot milites mitteret secretius, & Castrum acceptaret, majorem de eo spem habens restitutionis, quàm de Palatino, cujus animum non sine causa marito suo graviter noverat indignatum. Misit ergo suos Dux Udalricus, & Duroburgum sicuti mulier petierat, decepto Palatino præoccupavit. Post menses paucos audiens Emicho Comes adhuc in Gallia constitutus, quòd mandato Cæsaris Palatinus omnem Comitatum suum præoccupâsset, mox ad Castellum sui juris, quod Aprimons nuncupatur, in Lotharingia situm redijt, & litteras excusatorias ad Cæsarem destinavit, in quibus se passum conquerebatur injuriam, postulavítque tutum pro sui defensione accessum, & pollicebatur se innocentem probaturum. Annuit Cæsar, salvum itineris conductum postulanti dedit, verba excusantis patienter audivit. Sed erant sine fundamento sermones, quos protulit omnes,

Emicho Comes coram Cæsare comparens reatum diluere non potuit.

cùm

cùm testimonia plura in contrarium haberentur ad manum, quibus convincebatur Regi Gallorum adduxisse suffragia, licet ipse negaret, asserens se non in Gallia fuisse, sed in Aprimonte Castello suo memorato. Iratus Cæsar jussit eum quantocius abire. Qui supervixerit exitum negotij, litteris commendare poterit sequentia, si tamen voluerit.

Abbas in Zwifalten à Duce Wirtenbergensium incarceratur.

Anno item prænotato, Udalricus Dux Wirtenbergensium Abbatem Monasterij Constantiensis Diœcesis, quod Zvvifalten sive duplicis aquæ nuncupatur, cepit, & de Cœnobio abductum in Castello suo Nyphen custodiæ mancipavit. Quæ res cùm in notitiam Episcopi Constantiensis devenisset, Ducem pro violenta injectione manuum in Prælatum denuntiavit excommunicatum. Dux autem hâc denuntiatione receptâ nuntios misit ad Julium Romanum Pontificem, & informatum de causa, absolutionis beneficium ab eo petivit, & impetravit; quod ei memoratus Præsul Constantiensis ex commissione Apostolica impendit. Abbatem verò captivum Episcopo ut ordinario & spirituali spiritualem Dux tradidit, quem ille in Castello suo Mörsburg nuncupato custodiæ mancipavit, ubi & detinetur captivus usque in præsentem diem.

Causa detentionis Abbatis variâ opinione famatur ista.

Eodem die quo Ducem absolvit Episcopus, fecit & Monachum quendam prædicti Monasterij Abbati consentaneum in carcerem detrudi. Causam hujus detentionis veram necdum scire potui, licet varias opiniones audierim à diversis. Sunt enim qui dicant occultam conspirationem feciſſe cum Suitensibus conjuratis, & tam se cum Monasterio suo, quàm villanos quosdam in circuitu à dominio & tuitione memorati Ducis Wirtenbergensium Udalrici voluisse subtrahere, & in consortium eorum, quos diximus, Suitensium transire. Adjiciunt nihilominus, qui hujus sunt opinionis, quòd Duce apud Treviros in Conventu Principum existente, nuntius ad eum celer venerit, secretè annuntians, quòd Abbas de Zvvifalten fugam cum thesauris, & pecunijs Monasterij pararet ad Suizeros. Erat autem dives valdè in frumentis, in auro quoque & argento, quæ longo tempore multâ tenacitate non sine injuria Fratrum suorum & inediâ congregârat.

Alij causam afferunt aliam, sed adhuc nondum mihi constat veritas.

Alij causam afferunt aliam, dicentes, quòd olim Dux Eberhardus Wirtenbergensium primus (qui post se duodecim Regentes constituerat, quorum unus fuit prædictus Abbas) moriturus notabilem summam pecuniarum certis ex Regentibus sub bona fide secretius commendaverit, & in usum quem vertere deberent, mandaverit, sicque decesserit. Inter hos quatuor seu tres Comes fuit unus: cujus nomen consultò transimus, & memoratus Abbas Zvvifaltensis; Duce autem mortuo aversi in reprobum sensum executores pecuniarum, inter se divisisse & retinuisse à pluribus æstimati sunt. Contigit interea Conventu Principum apud Treviros durante, Comitem unum, & forsitan principalem defuncti Principis Commissarium ibidem ægrotare ad mortem, qui cernens, quòd supervivere non posset, rem gestam Duci Udalrico, qui tum præsens fuit, aperuit: & ubi pecuniam malæ fidei eorum commissam à Duce Eberhardo, invenire posset, revelavit.

Ducem non credimus Abbatem sine magna causâ captivâsse.

Has duos opiniones causarum detentionis sæpe dicti Abbatis à pluribus audivimus: sed veræ sint an falsæ, nos determinare non possumus. Constat enim, quòd Dux Udalricus acceptâ licentiâ abeundi à Maximiliano

liano Cæsarē, cui & causam haud dubium aperuit, discedens à Treviri in Sueviam tantâ velocitate pervenit, ut omnes verteret in stuporem; nec dubium mihi est, quin res omnino fuerit ardua: propter quam tanta festinatio Ducis cum serio fuit adhibita. Credo etiam tantum hunc Principem Justitiæ, & æquitatis indefessum cultorem sine magna, & gravissima causa non feciſſe, quod fecit, quamvis me lateat. Denique adjiciunt ista referentes, quòd Abbatem Dux invenerit paratum ad fugam.

Equestris Ordinis Homo Knoringer Episcopum Constantiensem vexat.

Eodem anno, homo quidam Equestris Ordinis familiâ Knoringer dictus, Episcopum, & Clerum Constantiensis Ecclesiæ hostili machinatione biennio vexavit. Propter quod Udalricus Wirtenbergensium Dux convocatis ad se apud Tubingen partibus coram magna procerum suorum multitudine, ad pacem & concordiam illos revocare laborabat: in cujus sententiam ambæ partes adunatæ sunt, & adstipulatâ manu ejus judicio stare promiserunt. Verùm ubi Dux auditis hinc inde allegatis & responsis dirimere & pacem formare, consilio doctorum, Comitum atque Nobilium suorum, qui aderant, jam jam cæpisset, essentque arbitrij capita, simul & concordiæ litteris demandata, Knoringer à proposito resilijt, & neque concluſa per Principem capitula pacis admittere voluit, neque ab impetitione Pontificis & Cleri desistere consensit, non advertens, nec curans, quòd, sicut diximus, adstipulatâ manu promiserat se ratum & gratum penitus habiturum, quidquid per Ducem fuerit decretum; unde commotus Princeps substomachando dixit ad eum: *Knoringer, Knoringer sciens scito, quòd nos neque Pontificem, neque Clerum ejus Constantienses tuis iniquis machinationibus infestari permittemus, sed exponemus pro eorum defensione contra insolentiam tuam & complicum tuorum, quicquid sumus, possumus, & habemus, qui pacis & concordiæ justas, & æquas conditiones, quemadmodum promisisti, suscipere contemnis.* Et quia sub tuti itineris privilegio venerat, jussus est abire quantocius.

Pacem acceptare contemnit Knoringer.

Christiani Ungari bellantes cum Turcis obtinuêre victoriam.

Anno item prænotato, treugis inter Ungaros Christianos, & Turcos infideles jam finitis, bellum atrox committitur: & miserante Deo multa Turcarum millia per nostros trucidantur. Fuerunt enim his temporibus magni tumultus in Oriente inter duos Fratres, filios Constantinopolitani Imperatoris, qui patre adhuc vivente de Imperio contendebant: quorum junior nomine Selemlach uxorem habens magni Regis Tartarorum filiam, patrem suum jam senio laborantem, & morbo, viribus soceri tentabat opprimere, & ejus Imperium seniori Fratri nomine Achmat Sultan jure debitum sibi violenter usurpare. Propter quod fugatus à Patre secessit in Tartariam, ubi cum socero aliquanto tempore permansit.

Selemlach Patri suo Imperatori Turcarum reconciliatur.

Interea Sophi Rex Persarum, qui se magnum Prophetam voluit æstimari, de quo & supra diximus, anno Domini millesimo, quingentesimo primo, contra Imperatorem Constantinopolitanum veniens in maxima multitudine pugnatorum, Regnum ejus, & præcipuè Turciam hostiliter devastavit, & multa prælia constituit: quod audiens minor filius Turci memoratus Selemlach, & cupiens reconciliari Genitori suo, quem injuriosè offenderat, exercitum Tartarorum ingentem contraxit: & subitò in Persas nihil tale metuentes irruens, multa eorum millia interemit, & reliquos cum Ducibus eorum in fugam turpissimam convertit.

Hac

Hac victoriâ pro genitore obtentâ, litteras & nuntios ad eum Constantinopolim misit, veniam commissorum petijt, beneficium quod Patri contra Persas victor impenderat, allegavit. Placatus eâ fide Pater, ut veniret securè, mandavit, veniam concessit, Regnum promisit. Eâ securitate acceptâ Selemlach à Patre, confestim exercitum per loca tutiora disponens duo duntaxat millia virorum electissimorum secum assumpsit, & iter versus Constantinopolim festinus direxit. Habebat Selemlach occultam intelligentiam cum militibus Prætorianis, quos Janizeros vocant, qui cum Bassalarijs & ingenti procerum multitudine venienti ad duo millia passuum extra urbem occurrerunt.

Selemlach ad Patrem Constantinopolim revertitur.

Anno igitur prænotato, septimâ decimâ die mensis Aprilis, Selemlach intravit Constantinopolim, & ab omnibus tam aulicis quàm popularibus magno cum honore, pompa, & reverentia susceptus, Patris gratiam mox impetravit. Promiserat autem Pater seniori filio Achmat Sultan Imperium, & propterea Juniorem multis sermonibus laborabat retrahere, ut ab ejus usurpatione desisteret, & jus fraternum temerè non violaret. Sed omnia frustra, & incassum fluebant. Die námque vicesimâ tertiâ mensis Aprilis, quæ fuit sexta Turcis festiva feria, nobis autem martyrio S. Georgij solemnis, instantibus Prætorianis militibus Janizeris, & Aulicis, frementibus undique armis Selemlach à Patre Imperator constituitur, licet cum magna displicentia, & lachrimis fluentibus multis. Sequenti die novus Imperator declaratus Selemlach cum magna Procerum comitiva palatium introgressus impetravit à Patre sedem, ensem, & reliqua insignia Imperatoria: quibus insignitus totâ die sedit, novus Imperator declaratus à Principibus, Aulicis, & omni Populo, reverenter osculatis manibus salutatus, acclamatus, & veneratus; & sic Imperium Orientis sine strepitu armorum, quod apud eos est rarum, obtinuit fratre nesciente, Patréque invito.

Selemlach Imperator à Patre constituitur.

Eodem quoque anno, in mense Septembri, Fridericus Marchio Brandenburgensis, qui morabatur in Anolzbach, filium suum nomine Albertum anno præcedente post mortem Friderici ex Ducibus Saxoniæ magistri ordinis militum Teuthonicorum in Prussia, in ejus locum electum, cum quadringentis equitibus in Prussiam mittit, ubi hodie Princeps Juvenis super Ordinem dominatur.

Hoc ipso anno, inter Pontificem Romanum Julium II. & Maximilianum Cæsarem concordia facta est Romæ coram Papa, Matthæo Gurcensi Episcopo cum alijs præsentibus ex parte ipsius Cæsaris: quæ vicesimâ quintâ die mensis Novembris in Ecclesia sanctæ Mariæ de populo solemniter fuit publicata, sub multis clausulis, & conditionibus, quas brevitatis causâ omittimus.

Inter Julium Papam & Maximilianum Cæsarem fœdus componitur.

Anno prænotato, vicesimâ nonâ die mensis Decembris, quæ fuit quarta Feria post Festum Dominicæ Nativitatis, Maximilianus Dux Mediolani Ludovici Sfortiæ quondam Ducis apud Gallos in carcere mortui filius, Gallis per Maximilianum Cæsarem à Lombardia pulsis, Mediolanum in multitudine pugnatorum exercitus Cæsariani victor intravit, & magno fuit honore susceptus, præsente Matthæo Gurcensi Episcopo cum alijs multis ex parte Cæsaris.

Maximilianus Dux Mediolanum & totam Lombardiam recuperat.

Joannes Abbas hujus loci ab Episcopo Argentinensi vocatur ad reformandum.

Anno memorato, Wilhelmus Episcopus Argentinensis, missis ad Hirsaugiam nuntijs, & litteris, Joannem Abbatem ad se venire petivit, qui petitionibus ejus acquiescens iter assumpsit, & ad eum pervenit. Cui Præsul intentionem suam aperiens, & causam, propter quam illum vocaverit, Monasterium Ordinis nostri, quod Maurimonasterium latinè, vulgariter autem Mohrs-Münster nuncupatur, in medium protulit, & ut per Hirsaugienses reformaretur, Abbatem instantius rogavit. Est autem Maurimonasterium de fundatione antiqua, quod olim Hirsaugienses, ut longè supra diximus, semel reformaverunt, sed malitiâ temporum, & negligentiâ Prælatorum successivè in tantam miseriam & desolationem pervenit, quòd neque hodie Abbatem habet, neque Monachum ullum, sed per hominem possidetur & regitur sæcularem: ære gravatur alieno, plusquam in sex millibus florenorum: cuncta ædificia sunt ruinosa, & jam magna ex parte collapsa. His visis & auditis Joannes Abbas oblatum sibi Monasterium tantis debitis involutum suscipere timuit, quod reformare sine detrimento Monasterij proprij se haud posse perspexit, unde Pontifici, ut aliunde loco provideret, consuluit, & honesto excusationis objecto velamine discessit.

Maurimonasterium inopiâ opprimitur.

MDXIII.

Inter Senatum & Cives Colonienſ. gravissima seditio fuit.

Anno Joannis Abbatis Hirsaugiensis X. Indictione Romanorum primâ, mensis Januarij die 5. Cives communitatis urbis Colonienſis in seditionem versi unanimiter omnes contrà Senatum conspirârunt. Qui die præscriptâ cum lanceis bombardis & fustibus armati, Prætorium, in quo Senatus erat, magno cum furore obsederunt, vociferantes & clamantes: Ubi nunc sunt nequissimi homines illi, qui nos injustis & inconsuetis exactionibus gravant, & in ultimam redigere paupertatem conantur? ubi sunt? exeant, veniant, forásque procedant; nos volumus rationem & calculum habere pecuniarum omnium perceptarum, & expositarum per eos ærarij publici, & quòd omnes novæ & inconsuetæ præstationes & exactiones penitus deponantur.

Audientes, qui erant in Senatu, has voces populi furentis, videntésque Cives armatos imminere capitibus suis, maximè qui se noverant peccâsse in Rempublicam, valdè timuerunt. Ordinaverunt ergo duos vel tres è numero, quos communitati gratos noverant & acceptos, ut multitudini persuaderent cessare à tumultu, qui per fenestras loquebantur ad populum sermones optimos, cum lachrimis deprecantes, ut à seditione pernicioſa desisterent, promittentes operam se daturos, ut omnia quæcumque vellent, consequerentur. Vix tandem obtinuerunt cum magna difficultate, ut obsidionem Prætorij multitudo solveret, & in propria rediret. Et quia grati fuerant populo, qui rogabant, nec reatum habebant in malè commissis, acquievit tandem multitudo, & à Prætorio recessit.

Senatorum plures capti à populo & in vincula retruduntur.

Sequenti die, quæ fuit solemnitate Dominicæ Apparitionis festiva, cùm Senatus convenisset denuò in Prætorium ad consultandum de occurrentibus causis atque negotijs, plures tumultum populi metuentes se timidè absentârunt, per quod vehementem de se mali suspicionem in plebe peius habitam auxerunt. Unde Cives armis iterum induti per urbem discurrebant, & quotquot eorum invenire poterant, in vincula conjecerunt.

cerunt, & in ipsa nocte hortulos quosdam Senatorum super communitatis fundo per violentiam constructos iterum destruxerunt.

Truncantur capitibus Senatorij Ordinis potentiores.

Post hæc 10. die mensis Januarij, quæ fuit secunda Feria post Festum Epiphaniæ Domini, capite truncatus est in foro fœni Theodoricus cognomine Spitz, vir Senatoriæ dignitatis, dives & potens. Deinde feriâ IV. in eodem foro capite truncatus fuit Joannes de Perclam & ipse Senator in urbe potens & dives. Sequenti die in eodem loco capite truncatus est Joannes de Reidt Burgimagister cum alio quodam de Senatu socio suo Burgimagistro; sequente Sabbato proximo capitibus fuère truncati Petrus Rott, Franco von der Linden/ & Bernardus Eyß viri Senatorij Ordinis in Civitate, multum divites & potentes. Truncati fuerunt & alij capitibus tam ex Senatu, quàm eorum iniquitatis ministri plures, nonnulli etiam extra Coloniam proscripti, quorum nomina ignoramus.

Nomina Liberorum Friderici Marchionis Brandenburgensis.

Eodem anno in mense Januarij, mortua est Sophia filia Regis Poloniæ & uxor Friderici Marchionis Brandenburgensis, de qua genuit hos Principes, Casimirum primogenitum, Georgium hodie principantem in Ungaria, Albertum Ordinis Theutonicorum magistrum in Prussia, Joannem, Fridericum Herbipolensis Ecclesiæ Præpositum, Wilhelmum, Albertum, Gumbertum, Margaretham, Sophiam, Elisabetham, quæ nupta est filio Christophori Marchionis Badensis, Annam, Barbaram: reliqui tres obierunt.

Philippus Episcopus Spirensis moritur.

Anno etiam prænotato, in mense Januarij, mortuus est Philippus de Rosenbèrg Episcopus Spirensis, anno Pontificatus sui VIII. qui nullum aut paucos in Episcopatu dies vixerat sanus, sed claudus, debilis, & continuis laborans infirmitatibus. Ipse Ecclesiam Collegiatam ex Monasterio nostri Ordinis sub Antecessore suo factam, ut supra diximus, de Odenheim, transtulit in oppidum Bruchsal. Sub eo Cives oppidi Landavv ab obedientia & subjectione Ecclesiæ Spirensis, cui fuerunt à Regno impignorati, oblato redemptionis pretio & se & oppidum in libertatem vendiçârunt.

Post hunc in Episcopatum Spirensem Canonicorum sive Capitularium postulatione assumptus est Georgius frater Ludovici Comitis Palatini Rheni, Bavariæque Ducis, ac Principis Electoris, sextogenitus Philippi Comitis Palatini, anno ætatis suæ XXVII. Princeps nobilis, mansuetus, prudens, amator Cleri, pauperúmque defensor, de quo spem bonam concipiunt omnes, quòd utilis sit Pastor futurus.

Julius Papa II. Romæ mortuus.

Hoc ipso anno, 21. die mensis Februarij, Romæ moritur Julius Papa ejus nominis II. anno Pontificatus sui X. durante Concilio Lateranensi, & necdum firmiter radicato, multò verò minus finito. Iste Pontifex, postea quam arma contra Venetos assumpta deposuit, reversus ad urbem structuras multas pretiosas, & sumptuosissimas incæpit, quas tamen morte præventus non omnes consummavit. Ecclesiam S. Petri Apostoli de novo pretiosissimo tabulato lapideo, latiorem & ampliorem multo quam antè fuerat, ædificare cæpit. Palatium Apostolicum in toto quasi ampliavit, renovavit, & mirum in modum decoravit. Castellum quoque S. Angeli novis atque profundis amplissimis circumdedit fossatis, quæ Tyberis media influit, ita quod Castellum in medio quasi fluminis positum appareat. Alia quoque tam multa & magna cæpit construere, quòd frequenter

simul & semel in diversis structuris suis impensis quatuor millia Operariorum habuisse manifestum fuit.

Leo fit ejus nominis Papa X.

Post Julium Papam mortuum atque sepultum vacavit Sedes Apostolica diebus 16. quartâ verò die mensis Martij, Cardinales xxxix. numero Conclave intrantes juxta consuetudinem inclusi sunt. Decimâ autem die mensis ejusdem, Joannes de Medicis Florentinus S. Mariæ in dominica Diaconus in Papam electus est, & Leo X. nuncupatus, cujus electio sequenti die publicata fuit, qui & in Missa populum benedixit.

Solis defectio fit.

Eodem quoque anno. 7. die mensis Martij, horâ primâ post meridiem solis defectio facta est, quam Græci Eclypsim nuncupant, cujus dimidia duratio fuit minutorum fermè quinquaginta. Quid verò significet, post annos sex, septem, & octo qui vixerint, observent, quia tunc ejus apparebunt effectus.

Puer fuit Augustæ sex annos habens ætatis, mirabilis.

Fuit his diebus puer unus in Civitate Augusta, sextum habens ætatis annum, de parentibus natus honestis, licet pauperibus, & adhuc omninò mutus, qui mirabiles præ se ferebat gestus, hominum frequentiam quantum potuit fugiens declinabat, sermones loquentium audiebat & intelligebat, sed verbum penitus nullum respondebat. Recluserunt eum parentes in caveam ligneam, seu parvum tuguriolum, ne aut fugeret, aut casu læderetur. Quotiens à cavea solatij causâ dimittitur, tunc saltat & currit, & jam se post fornacem, jam supra, vel sub sedibus & scamnis tantâ agilitate abscondit, ut murilegus potius quàm homo esse videatur; nam motu velocissimus est, & quasi imperceptibiliter jam supra jam retrò fornacem est. Neminem offendit, neminem lædit, sed mansuetum se ostendit ad omnes; cujus agilitatem cuncti mirantur, quem plerique dæmonio putaverunt obsessum, & ob id consilium Doctorum virorum in diversis locis conquisitum fuit, quid cum eo sit agendum, ut veritatis capiatur experimentum; quam quidem novitatem ex eo verius novi, quòd & ipse pro dando consilio fui requisitus.

Anno prænotato, Joannes Rex Daniæ, Norvvegiæ, & Suediæ moritur, qui multis annis gravissima bella mari terráque gessit, cum ipsis Suedis, qui eum Regem recognoscere vel admittere contempserunt. Cum Lubecensibus & finitimis suis plures contentiones habuit, sed postremò pacem cum eis fecit. Huic mox successit in Regno Christianus filius ejus unicus, qui hodie regnat.

Palatinus & Dux Wirtenbergens. confœderantur perpetuò.

Eodem anno Ludovicus Princeps Elector & Fridericus frater ejus Comites Palatini Bavariæque Duces cum Udalrico Duce Wirtenbergensium fœdus perpetuum, & ut litteræ in vulgari sonant impressæ, hæreditarium sub certis capitulis pro se & cunctis hæredibus, successoribúsque contraxerunt, quod Maximilianus Cæsar auctoritate regali confirmat. Hæc autem novi & perpetui sanctio fœderis tam in Palatinatu, quàm in Ducatu Wirtenbergensium ubique per patentes & vidimatas seu authenticas litteras impressas publicata fuit & denuntiata populo Territoriorum, non solum in oppidis, sed etiam in villulis commoranti.

Monasteriũ Prioratus in Kniebis nostri Ord. incendio perijt.

Anno quoque prænotato, tertiâ die mensis Aprilis, quæ fuit in Octava Dominicæ Resurrectionis, Monasteriolum Kniebis Constantiensis Diœcesis Ordinis nostri, quod Abbati & Monasterio in Alberspach sine medio dignoscitur subjectum, & distat à Richenbach Prioratu Hirsaugiensium

duobus

duobus ferè milliaribus, fortuito casu incensum, incineratum & combustum est cum Ecclesia, & domibus cunctis, præter unam domunculam solam, quæ ab incendio mansit illæsa. Calices tamen, libri, clinodia, privilegia, ornamenta Ecclesiastica, lectisternia quoque, & major pars utensilium domus, fratrum & familiæ industriâ ab incendio erepta sunt. Hoc autem Cœnobiolum etiam prius ante 60. annos similiter fuit exustum.

Monasterium Abbatiale in Deckingen Ordinis nostri comburitur.

Hoc ipso quoque anno, 27. die mensis Octobris, quæ fuit in Vigilia SS. Apostolorum Simonis & Judæ, Monasterium Ordinis nostri in Deckingen Augustensis Diœcesis, simili fuit incendio mirabiliter concrematum, non sine maximis damnis & detrimentis inhabitantium Abbatis & Monachorum.

Ante sexennium (quod in ordine debito signare negleximus) combustum fuit etiam nostri Ordinis insigne Monasterium Pantz nuncupatum Herbipolensis Diœcesis, sed in dominio temporali subjectum Episcopo Bambergensi, cum Ecclesia, domibus, stabulis, & cunctis habitaculis Monachorum.

Venetorum novem millia cæduntur à Cæsarianis in prælio.

Anno præsignato Maximilianus Cæsar contracto fœdere, ut supra dictum est, cum Regibus Angliæ, Hispaniæ, Aragoniæ, Venetos graviter impugnat; Gallos de Lombardia (quam in annum jam decimum quintum occupaverant) exterminat, & victor gloriosè triumphat; septimâ námque die mensis Octobris, quæ fuit sexta feria post festum S. Francisci, commissum est prælium atrox & magnum inter Cæsarianos & Venetos haud procul à Vincentia, in quo ex parte Venetorum non minus quàm novem millia cecidisse ferebantur, inter quos nobiliores & potentiores eorum plures fuerunt interempti. Multi etiam Comites, Nobiles & potentes ex eis à Cæsarianis in captivitatem fuerunt abducti. Magnam in hoc bello Veneti stragem susceperunt, & meliorem civium suorum partem simul & exercitus robur ac fortitudinem amiserunt.

Galli superantur à Cæsarianis & Anglicis in Picardia.

Eodem anno Maximilianus Cæsar unà cum Rege Anglorum Henrico contractis copijs Picardiam in manu valida contra Ludovicum Gallorum Regem intrârunt, & Civitatem Tervanensem fortissimâ obsidione cinxerunt, in qua præsidium Gallus posuerat quatuor millia virorum. Cúmque obsidio diuturna graviter affligeret eos, qui erant in urbe, jámque alimenta deficerent, missis ad Gallum nuntijs victualia & militum subsidia postulârunt.

Maximilianus Cæsar cum Anglo Tervanam urbem obsedit.

At verò Rex Gallus suorum inopiæ ac necessitati subvenire cupiens, misit eis auxilium Lancearíorum 1800. Equitum verò septem millia, & currus alimentis oneratos complures. Cúmque venissent haud procul à Civitate Tervana, per Cæsarianos & Anglicos intercepti sunt, & in fugam compulsi. Quos insecuti Cæsar & Anglicus Rex cum parte exercitus, plures eorum occiderunt, & non minus quàm trecentos quinquaginta cæperunt, inter quos nobiliores & potentiores Regni Gallorum fuisse memorantur. Habebant in exercitu suo Galli Banneria tredecim, quorum Cæsariani novem obtinuerunt: Currus quoque onerarios centum quinquaginta intercipientes acquisiverunt. Ad spatium trium ferè milliarium Cæsariani milites persecuti sunt Gallos, cædentes & perimentes eorum multa millia. Cæsar autem cum Rege Anglorum cum peditatu insecutus est fugientes ad milliare dimidium. Multi etiam fugientium,

qui abjectis armis in dumetis latentes se absconderunt, à rusticis atque villanis inventi sunt, & sine misericordia occisi. Quo factum est, ut numerus eorum, qui ceciderunt ex Gallis illo die, certus haberi non possit. Facta sunt hæc anno Domini prænotato, 16. die mensis Augusti.

Civitas Tervana in deditionem Cæsaris Maximiliani venit.

Deinde Maximilianus Cæsar cum suis ab una parte, & Henricus Rex Angliæ ab alia parte cum suis muros Civitatis bombardis & machinis concutientes dejecerunt, & cùm jam se ad expugnationem urbis ordinarent, qui erant introclusi, videntes se viribus impares, pacem à Cæsare postulabant. At ille malens populum salvum esse quàm perire, pacem orantibus dedit, eâ videlicet conditione, ut rebus & corporibus salvi discederent. Quo facto Cæsar victor intravit urbem, quam Regi Henrico assignavit. Obtinuerunt & alia per circuitum oppida & castella nonnulla, quæ consensu Cæsaris in deditionem memorati Regis Angliæ concesserunt. Est autem Civitas Tervanna in terra Morinorum, à Calesiano portu fermè 12. distans milliaribus theutonicis, cujus Episcopus & Morinensis dicitur simul & Tervanensis, quamquam sit unus Præsul, sicut & Cizensis & Neuenburgensis in Thuringia.

Scoti devastant extrema Regni Angliæ igne & rapinâ.

Interea dum hæc agerentur in provincia Morinorum, & circa urbem Tervanensem contra Ludovicum Regem Gallorum, Jacobus Rex Scotorum missis exercitibus suis extrema Angliæ cæpit hostili incursione vastare. Gallus enim prius tam ipsum, quam Joannem Daniæ Regem, dum viveret, datis non paucis pecunijs in suam contraxit partem. Veniens itaque in Angliam Scotorum exercitus Dux cum decem millibus pugnatorum, antequam arma capesserent Albiones, decem oppidula & villas quasdam incendio desolaverunt, Rege Henrico & Cæsare Maximiliano, sicut diximus, apud Morinos existente. Verùm Albiones nil morati confestim arma corripiunt, adversum Scotos procedunt, bellum atrox committunt, & hostes in fugam convertunt. In eo prælio multi Scotorum ab Anglis cæsi sunt, & plures in captivitatem abducti. Námque Angli Scotos ipsos usque in Scotiam fugientes persecuti duo eorum castella, 20. Oppida & villas incendio concremârunt, & non solum recuperârunt ablata, sed magna Scotorum spolia consecuti in Angliam sunt reversi.

Scoti ab Anglis cæduntur.

Cæsar Maximilianus exercitum in Burgundiam misit.

Eodem anno Maximilianus Cæsar conductos multâ pecuniâ Helvetios, quos & confœderatos vulgò nuncupamus Suitenses, cum quibusdam Ducibus, Comitibus, nobilibus, equitibus atque peditibus in manu valida pro recuperatione Ducatûs misit in Burgundiam, contra Ludovicum Regem Gallorum, qui Burgundiam à tempore mortis ultimi Ducis Caroli, cujus unicam filiam Maximilianus habuit uxorem per annos 9. violenter occupavit, ipse videlicet cum duobus antecessoribus suis. Cúmque Cæsarianus exercitus in Burgundiam pervenisset, Urbem quandam & magnam & opulentissimam, quæ Divion vocatur, & distat à Civitate Virdunensi 10. vel 12. milliaribus nostris, quam vulgus Digion nuncupat, obsidione cinxerunt, & machinis agentes fortiter muros quassaverunt.

Divion urbs à Cæsarianis obsidetur, à perfidis venditur.

Interea Galli Principes cùm viderent urbem expugnandam, pacem pecuniâ emere à Cæsarianis tentaverunt, quam Udalricus Wirtenbergensium Dux & alij Principes vendere in præjudicium Maximiliani Cæsaris sine consensu, imò & scitu ejus turpissimum arbitrati, urbem potius expugnandam judicabant; quam si obtinuissent, sicut dubium non fuit,

brevi

brevi totam Burgundiam ad Cæsaris deditionem reduxissent. Sed Helvetiani Suitenses more suo factiosi, contempto Principum consilio, sine scitu, sine voluntate, sine consensu Maximiliani Cæsaris pacem, imò Ducatum totámque Burgundiam Gallis vendunt, ex pugnatoribus mercatores facti, & quia pecuniam à Cæsare non modicam, ut Gallum à Burgundia pellerent, jam prius acceperant, pro Gallis contra Cæsarem pro missis muneribus consultabant. O mercatio perfidorum, quos & avaritia cæcos, & contumacia facit elatos. Et ne meis verbis rem videar taxâsse, pactum, quod fecerunt cum Rege Gallorum, in grave detrimentum & contumeliam Cæsaris, eorum sermone complectar.

Urbs Divion expugnanda relinquitur.

Cùm urbis Divionensis mænia & muri, sicut dictum est, bombardis & machinis ad expugnationem jam essent dejecti, & Principes cum nobilibus non solum parati, sed & avidissimi essent ad expugnandum, soli Suitenses (paucis Capitaneis Basileensium videlicet & Schaffhusensium exceptis) seorsim conspirantes, tale cum Gallis pactum inierunt, Cæsarianis interesse omnino recusantibus.

Concordia fit inter Gallos & Suitenses.

Anno Domini prænotato, 13. die mensis Septembris, inter Ludovicum Regem Gallorum XII. & conjuratos Suitenses sub his conditionibus pax est firmata in papilionibus ante urbem Divionem, Udalrico Duce Wirtenbergensi, & alijs Comitibus & Regni fidelibus interesse recusantibus.

Conditio pacis I.

Prima Conditio: *Quòd Rex Gallus cum Romano Pontifice quantocius in concordiam redire promittat & debeat, & si quid possidet Ecclesiæ Romanæ proprium, sive Civitates sive Castella, vel aliud, quod sine morâ restituat.*

II.

Secunda Conditio fuit: *Quòd Suitenses in ea concordia omnes & singulas confœderationes prius cum quibuscumque pactas voluerunt permanere sanas integras & inviolatas, sibique adhærentes per totam Galliam esse securos.*

III.

Tertia Conditio: *Quòd Rex Gallus Ducatum Mediolani cum Civitatibus Cremona & Asta cum omnibus ad eas pertinentibus, in manus Conjuratorum Suitensium tradere debeat & consignare.* Verum dixit Propheta: *Superbia eorum ascendit semper.*

IV.

Quarta Conditio fuit: *Quòd Rex Gallorum deinceps nullum ex conjuratis Suitensibus ad bellicam expeditionem contra quemcumque assumat sine consensu & voluntate conjuratorum eorundem omnium, vel saltem majoris partis.*

V.

Quinta Conditio fuit: *Quòd Rex Gallorum conjuratis Suitensibus dare & solvere teneatur & debeat quater centum millia coronarum, quæ faciunt quinquies centum millia florenorum Rhenensium, cujus medietatem in promptu solvere promisit, aliam verò medietatem ad Festum S. Martini.*

VI.

Sexta Conditio: *Quòd Rex Gallorum Udalrico Duci VVirtenbergensium pro habitis expensis decem millia, & Udalrico Comiti de Abſperg duo millia coronarum solvere in continenti teneatur.* Verùm Dux & Comes memorati Maximiliano Cæsari fideles, perfidiam Suitensium sequi contempserunt.

VII.

Septima Conditio fuit: *Quòd in ista concordia stratiotæ Suitensium, qui causam adversus Regem sæpe dictum Gallorum in jure habebant pendentem, ratione debitorum nihil detrimenti sentiant, quo minus eum persequi possint.*

VIII.

Octava Conditio fuit: *Quòd conjurati Suitenses in hac ipsa concordia nihil volunt esse derogatum pactis, & fœderibus suis cum Romano Pontifice & Regno Germaniæ, cæterisque quibuscumque antè contractis, quod idem vult & Rex.*

His

Maximiliano Cæsari fideles Suitensibus consentire noluerunt.

His octo Conditionibus præsumptuosâ temeritate propositis, & à Rege Gallorum per vicarios suos admissis, obsidio urbis Divionæ solvitur, & Burgundia sine voluntate Regis Maximiliani à tumultu liberatur. Discedunt ergo fideles Cæsariani non sine ratione animis commoti; perseverant aliquandiu in papilionibus conjurati, promissam expectantes pecuniam, à Gallis meritò decipiendi. Verùm enim verò non existente in promptu pecuniâ, quæ penderetur, Gallus rem suspendit astutiâ, datisque obsidibus à conjuratis dilationem certum ad terminum impetravit. At Suitenses cum acceptis obsidibus ad sua redeuntes, pecuniam sibi pollicitam usque in hunc diem præstolantur, & forsan inviti diutius expectabunt.

Gallus dat obsides conjuratis inopes sub forma opulentorum.

Sunt qui dicant, Suitenses Gallorum astutiâ tali modo fuisse circumventos: viros inopes fortunâ humiles, & qui vitam pro stipe portabant venalem, Rex Gallus sericis & pretiosis indui vestimentis præcepit, annulis aureis decoravit, mutatisque nominibus pro magnis divitibus atque potentibus eos nominari mandavit, quos conjurati Suitenses sibi præsentatos tales fore putantes, quales dicebantur, in obsides acceperunt, & ad sua reversi sunt, digni profectò decipi, qui fidem & Cæsari promissam, & debitam servare contempserunt. Verùm quomodo post hæc fædifragi à Gallis fuerint dignâ mercede soluti, derisi, & contempti, anno sequenti latius erit dicendum.

Ernestus Magdeburgensis Archiepisc. & Primas moritur.

Anno item prænotato, 1. die mensis Augusti, mortuus est Ernestus ex Ducibus Saxoniæ Archiepiscopus Magdenburgensis Germaniæ primas & Halberstatensis Ecclesiæ Administrator, Germanus Friderici Ducis Saxonum Principis, anno Pontificatus sui XXXVIII. vir bonus & mansuetissimus Princeps, amator Cleri, devotissimus cultor Dei, pius in subditos, & in pauperes misericos, qui neque ex vana gloria, neque ex ambitione, seu avaritia, sed propter necessitatem & inopiam Ecclesiæ Halberstatensis administrationem gessit; nam in tantam paupertatem eadem devenit Ecclesia, ut proprium nec hodie queat habere Episcopum.

Albertus Marchio Brandenburgensium fit Archiepisc. Magdeburgensis.

Eodem anno ultimâ die mensis Augusti, successit Ernesto postulatione Canonicâ (quia juvenis erat) Albertus ex Marchionibus Brandenburgensibus, filius Joannis & frater Joachim Marchionum Principum Electorum, Canonicus Trevirensis & Moguntinensis Ecclesiarum, quem Leo Papa X. in Archiepiscopum Primatem Ecclesiæ Magdeburgensis, & Administratorem Ecclesiæ Halberstatensis eodem anno confirmavit. Hic Princeps Albertus magno fervens desiderio ad Ordinem Clericatûs, Joachim Germano fratre consentiente hoc ipso anno Presbyter ordinatus, Missam in Octavis Paschæ cantaverat, cui Frater apud Coloniam Ursulanam in arce sua Capellam adificavit propriam, in qua Divinum Officium singulis diebus septies cum 8. Sacerdotibus ipse nonus devotissimè peragere consuevit.

Joannes Marchio Brandenburgensis filius Joachim nascitur.

Hoc ipso anno, 2. die mensis Augusti, quæ fuit feria tertia, natus est Joannes Marchio Brandenburgensis secundus in ordine filius Joachim Principis Electoris, in Castro Tangermundano, circa Albim horâ tertiâ mane ante meridiem, quem Albertus Patruus ejus Presbyter jam dictus Magdeburgensis postulatus Archiepiscopus tertiâ decimâ mensis Septembris cum magna pompa baptizavit.

Anno

Anno prænotato, inter Cives & Senatum Wormatienſes exorta fuit periculoſa ſeditio. Cives enim de Senatu malam ſuſpicionem habentes propter gravamina & inſolitas contributionum exactiones, quibus dietim ſe gemebant oppreſſos, calculum perceptorum & expoſitorum inſtantius ſibi fieri urgebant. Verùm ubi Senatus vidit, quòd civium contra ſe nimius invaleſceret furor atque tumultus, fugâ quæſiêre ſalutem, relictáque civitate ad Weiſſenburg, & alia loca ſe tranſtulit tutiora. Deinde Senatus cauſam egit adversùm cives apud Judicium Cameræ Imperialis, quod tunc erat in Wormatia, & juris integritate prævaluit. Judices autem furori civium non fore credendum arbitrati, conſiſtorium ad Spiram tranſtulerunt, ubi ſententiam pro conſulatu adversùm Urbanos fulminârunt. Veruntamen pax firma differtur, & necdum plenè reformata eſt inter diſſidentes eos uſque in præſentem diem.

Inter Senatum & Cives Wormatienſes orta ſeditio magna.

In pluribus denique urbibus Germaniæ anno tam præſenti, quàm præterito cives contra ſuos Rectores inſurgentes graviſſimas diſſenſiones ſuſcitârunt. Coloniæ videlicet, Aquisgrani, Daventriæ, in Andernach, in Spira, in Hallis, in Lübeck, in Ratisbona, in Schweinfurt, & in alijs, quarum vocabula memoriæ non occurrunt. In quibus quidem ſeditionibus nonnulli regentium furore communitatum ſuarum in judicium tracti, & ad mortem judicati miſerabiliter perierunt.

Seditiones in multis Germaniæ urbibus hoc anno fuerunt.

Anno Dominicæ Nativitatis prænotato, Volpertus Abbas Regalis Monaſterij Hirsfeldenſis exempti, noſtri Ordinis in Diœceſi Moguntina, quod S. Lullus Archiepiſcopus Eccleſiæ Moguntinæ ſecundus, Beati Bonifacij Martyris ſucceſſor olim fundavit tempore Caroli Magni, paupertate, & inopiâ preſſus, ſimul & indignatione oppidanorum Hirsfeldiæ motus, Abbatiam in manus Romani Pontificis Leonis X. reſignavit; ut ferunt de Fratrum ſuorum conſenſu, & forſitan ad perſuaſionem quorundam, qui Ordinis profectum non quærebant. Nec dubium eſt mihi, jam ſeriò pœnituit, qui ceſſione ſuâ in triſtitiam alios mittere cogitavit. Quidquid enim DEUS non plantaverit, in fine benedictionis fructu carebit.

Hirsfeldenſis Monaſterij Regalis Abbatiæ titulus extinguitur.

Hartmannus ex Burggravijs de Kirckberg Abbas Monaſterij Fuldenſis mediante Cæſare Maximiliano, ut ferunt, à Papa litteras obtinuit, quòd titulum Abbatialem dicti Monaſterij Hirsfeldenſis extinguendum conſenſit, & ipſum locum Cœnobio Fuldenſi conjunxit, univit & incorporavit. Unde idem Abbas Fuldenſis nonâ die menſis Septembris, anno præſignato Decanum ſuum, præpoſitum quoque montis S. Joannis, & Cancellarium ſuum certis cum alijs Monachis, & equitibus miſit ad Monaſterium Hirsfeldenſe, oppidanis quid ageretur neſcientibus. Cúmque miſſi veniſſent ad Cœnobium, Monachos in unum convocant. Decanum antiquum deponunt, novum ex conventu Fuldenſi conſtituunt, qui vice Domini ſui Abbatis & Monaſterium in poſſeſſionem, & Monachos ad obedientiam ſuſcepit; quibus peractis ad Fuldam redierunt.

Monaſterium Regale Hirsfeldenſe, Fuldenſi Monaſterio incorporatur.

Decimâ verò die menſis Septembris anno præſcripto, Fuldenſis Abbas ſæpe dictus, cum aliquot equitibus per ſe venit ad Caſtellum extra Hirsfeldiam, quod Quercum nuncupant, in quo Abbas Hirsfeldenſis reſidentiam

Hartmannus Abbas Fuldenſis poſſeſſionem Hirsfeldiæ occupat.

fidentiam suam habere consuevit; quo in possessionem susceptο, familiam & quosdam in circuitu villanos in suam jurare fidem persuasit. Deinde nuntium misit in oppidum, requirens ab incolis simile fidelitatis juramentum. At illi nuntium sine responso rejicientes, portas oppidi post eum clauserunt, apponentes custodiam, ne cui Fuldensium de cætero pateret ingressus. Per multos dies & noctes oppidani muros custodierunt & portas, & nullâ poterant ratione persuaderi, ut qui Abbatem & Dominum eatenus semper habuerunt proprium, nunc Fuldensem susciperent alienum. Laborat contra eos apud Cæsarem Abbas Fuldensis, sed quid obtinuerit in negotio, necdum scire potuimus.

Hanc Hirsfeldiæ calamitatem deformatio Monachorum induxit.

Prô pudor, quòd nobilis illa Regalis Abbatia per inutilem, ne dicam insipientissimum Abbatem, quæ tot annis cum principatu floruit in gloria, datur in opprobrium, & in desolationem perpetuam. Esset meo judicio dignus, qui & ipse perpetuo in carcere cum suis Monachis puniretur. Causam breviter subjiciam.

Primæ considerationis est ratio, quòd Regularis vitæ transgressores tam petulanter, tam improbè, & malè vixerunt à multis annis, quòd Monasterium quondam ditissimum in ultimam paupertatem perduxerunt. Deinde ut sciat posteritas, quàm justè omnis vir bonus talium Abbatum & Monachorum detestetur vesaniam. Quando Abbas Fuldensis Castellum Eich, ut diximus, in possessionem accepit, privilegiorum Monasterij litteras quam plures reperit, in straminibus ante canes projectas, quas partim integras, partim laceratas à canibus jussit recolligi, & cistam plenam deportari in Fuldam. Triginta sunt transacti temporis anni, quando Hirsfeldensis Monasterij Bibliotheca & multis & pretiosis adhuc erat voluminibus decorata, sicuti ex mihi tunc exhibito indice cognovi, quorum hodie pauciissima dicuntur inveniri. Omnium postremò malorum pessimum est, quòd Monachi cum Abbate deformatissimi, tanto laborant odio disciplinæ, observantiæque regularis, ut Monasterium funditus perire maluerint, quàm reformari. Sed cùm nulla in mentibus reproborum proficiant verba bonorum, Divino relinquamus judicio, quos sermonibus piæ admonitionis nullâ persuasione poterimus emendare.

Bibliothecam pretiosam Monachi turpiter destruxerunt.

Anno prænotato, Henricus Dux Megaloburgensis mortuâ primâ uxore suâ Ursulâ, quæ soror fuit Joachim Marchionis Brandenburgensium Principis Electoris, duxit secundam Helenam videlicet Philippi Comitis Palatini quondam filiam, sororem Ludovici Principis Electoris annorum viginti.

Nuptiæ duarum sororum Palatinarum.

Eodem tempore Georgius Dux Pomeranorum & Stettinensium uxorem duxit Amaliam memorati Comitis Palatini filiam alteram, annos habentem tres atque viginti, nuptijs ambarum sororum pompâ principali celebratis.

Hyems hoc anno fuit durissima, quæ mortales graviter afflixit; cæperunt etenim frigora circa principium mensis Novembris intensa, & duraverunt usque ad conversionem S. Pauli: cuncta flumina Germaniæ erant congelata, & in multis locis aquarum penuria magna, quo factum

Hyems diuturna fuit & asperrima.

est.

est, ut aquâ deficiente homines nec molere possent, nec pinsere, propter quod inopia panis subsecutæ pauperes inediâ consumpsit. Apud Francos nostros Orientales circa Peapolim & in alijs locis multis, antequam vindemia adhuc plenè esset collecta, frigus tantum inhorruit, quòd neque statumina extrahere, neque vites humo cooperire vini cultores juxta morem potuerint, unde vineta plurima perierunt.

Capella B. Mariæ semper Virginis cum Bibliotheca construitur.

Eodem anno, Joannes hujus Monasterij Hirsaugiensis vigilantissimus Pastor & Abbas Capellam Beatissimæ Virginis semper immaculatæ Dei Genitricis Mariæ, quam retro Capitolium sumptuosissimo tabulatu lapideo ante biennium inchoavit, unà cum Bibliotheca desuper pretiosissima non sine magnis impensis ad Laudem Dei omnipotentis & Fratrum suorum utilitatem continuavit.

In hunc annum Domini MDXIII. Joannes Trithemius Chronicon Hirsaugiæ perduxit.

Huc usque ego Joannes Trithemius Abbas Monasterij S. Jacobi Apostoli majoris in Suburbanis civitatis Francorum Orientalium Herbipolensis, quondam verò Spanheimensis Ordinis Divi Patris Benedicti unionis & observantiæ Bursfeldensium, Chronicon Monasterij Hirsaugiensis vestri, O Joannes insignis Abba & Fratres in Christo Charissimi, per annos ferme sexcentos octoginta tres non sine magno labore compilando perduxi. Utinam rem vobis & posteritati vestræ tam gratam fecerim, quàm mihi laboriosam, ut animam illi meam precibus Deo commendent carne solutam, qui post mea fata, in hoc opere fundationem, progressum, & successionis Abbatum suorum sunt lecturi historiam. Ab hinc jam deinceps vestrum sit Hirsaugiani Paradisi cultores eo modo, quo accepistis à nobis, continuare historiam, & successionibus Abbatum vestrorum res proprias, & quidquid gestorum per Germaniam occurrerit memoratu dignum, annectere, ut Chronicon hoc non modò vobis, sed cunctis lectoribus etiam Theutonicis valeat prodesse.

Nomina Fratrum hodie in Hirsaugia Deo & Abbati subjectorum.

Hæc sunt nomina Fratrum hodie sub Magisterio Joannis Abbatis in Hirsaugia viventium: Conradus de Leonberg, Prior Claustralis regularis disciplinæ custos, & cultor strenuus. Joannes de Wangen Præpositus in Rott, vir prudens, sincerus, & Monasterij sibi commissi tam in spiritualibus, quàm in temporalibus provisor utilis. Henricus de Stamheim Prior localis in Richenbach, vir bonus & integer. Caspar de Rottenburgo ad Neccarum, Prior in Schonrein localis Peapolitanæ Diœcesis, homo placidæ conversationis, sine dolo, sine fraude, coram Deo & hominibus, rectus & nulli molestus. Wandelinus de Heidelsheim homo singulari industriâ præditus, & jam senio non minus, quàm moribus venerandus. Joannes Rott quondam Prior in Schonrein, vir consilio prudentiâ, & vitæ maturitate meritò laudandus. Conradus de Calva homo tranquillæ conversationis. Leonardus de Magstatt, vir magnæ charitatis & boni consilij, cujus patientiam Omnipotens per annos jam plures multis infirmitatibus probatam copiosius remunerabit. Joannes Tegen de Biblingen, homo circa infirmos fratres singulari charitate obsequiosus. Anastasius de Oningen, aliquando Prior localis in Schonrein, vir devotus, custósque regularis disciplinæ studiosus, & in observatione sancta continuus. Jacobus de Gertringen, homo & ipse religiosæ conversationis.

Conradus de Ruttlingen Symphonides Christi, prudentiâ consilio & integritate conversationis nulli confratrum suorum inferior. Clemens de Simezheim, sacræ Theologiæ Professor, homo doctus, humilis, & sine cujuscunque injuria, bonæ & tranquillæ conversationis, nulli molestus. Henricus de Constantia, amator disciplinæ, vir bonus, & librorum Bibliothecæ decorator fidelis. Andreas de Tagersheim, major Cellerarius, homo pacificus, & pro communi Fratrum utilitate laboriosus. Conradus de Bulach vice-Prior claustralis, vir mansuetus, charitativus, bonus & rectus. Albertus de Tagersheim, cujus notitiam non habeo singularem. Nicolaus Baselius ex Durckheim, vir in omni varietate scripturarum studiosus, eruditus, quem non erubesco habuisse discipulum. Michael Heumaden, cujus cum sequentibus sola teneo nomina. Joannes de Tagersheim. Bartholomæus de Wila. Albertus de Calvva. Joannes de Tubingen. Nicolaus Stamler. Joannes de Pforztheim. Augustinus de Spira. Joannes de Kanstatt. Joannes de Oettlingen. Joannes de Wila. Fridericus de Wangen. Thomas de Tagersheim. Bartholomæus de Calvva. Michael de Urach. Franciscus de Leonberg. Joannes Reminger. Georgius de Tagersheim. Jacobus de Alberspach. Simon de Landsberg. Joannes Gertringer. Michael de Darmsheim. Rudolphus de Herrenberg. Albertus de Saltzstetten. Joannes de Wila. Novitiorum, & qui intra unius anni spatium ad Ordinem suscepti sunt, non recensuimus nomina.

Joannis Trithemij Abbatis S. Jacobi Peapolitani opuscula.

In calce hujus voluminis placuit mihi lucubrationum mearum indicem subnotare breviter, ex causa rationabiliter animum movente, quam si Deus voluerit, rebus aliquando Hirsaugianis Fratribus intendo facere manifestam, ut, qui testamentum condere nec possum, quia Monachus, nec debeo: quanto Hirsaugianos amore diligam omnes, saltem laboribus meis communicatis ad loci honorem ostendam. Scripsi ergo imprimis juxta ordinem temporis & ætatis, de visitatione Monachorum. *Librum unum.* De modo celebrandi capitulum provinciale. *lib. 1.* Super Regulam S. Benedicti. *libb. 2.* Exhortationum ad Monachos. *libb. 2.* De tentationibus Claustralium. *libb. 2.* De Institutione vitæ Sacerdotalis. *lib. 1.* De vitio proprietatis Monachorum. *lib. 1.* De Miseria & brevitate hujus vitæ. *lib. 1.* De ruina Ordinis nostri Penthicum opus ad Blasium Hirsaugiensem. *lib. 1.* De Illustribus viris Ordinis nostri. *libb. 4.* Laudes Ordinis Carmelitarum. *libb. 2.* Ad Gerlacum Abbatem Tuitiensem de Laude scriptorum manualium. *lib. 1.* Ad Joannem Dalburgium, Wormatiensem Episcopum, de Scriptoribus Ecclesiasticis. *lib. 1.* De Laudibus S. Annæ Christi Aviæ. *lib. 1.* Ad Rutgerum Sicambrum quæstionum solutarum. *lib. 1.* Chronicon Monasterij quondam mei Spanheimensis. *lib. 1.* Ad Philippum Comitem Palatinum Chronicon breve Ducum Bavariæ. *lib. 1.* Vitam S. Irminæ Virginis filiæ Regis Dagoberti, primæ Abbatissæ in Horreo Trevirensi, cujus caput habetur in Spanheim. De miseria Prælatorum Claustralium. *libb. 2.* Laudes S. Andreæ Apostoli. *lib. 1.* Laudes S. Joseph nutritij Domini. *lib. 1.* Laudes S. Benedicti Abbatis. *lib. 1.* Laudes vitæ Monasticæ. *lib. 1.* Laudes veræ Patientiæ. *lib. 1.* Monologion hominis devoti ad animam suam. *lib. 1.* Laudes & utilitates studij & lectionis Scripturæ sacræ. *lib. 1.* De miraculis S. Annæ.

Lucubrationes Joannis Trithemij.

lib.

lib. 1. Ad Nicolaum Kridvvis Canonicum Eccleſiæ Colonienſis de Quæſtionibus in Evangelium S. Joannis. *lib. 1.* Ad eundem de Quæſtionibus in Pſalmos. *lib. 1.* De Triplici regione Clauſtralium. *libb. 3.* Exercitium Monachorum. *lib. 1.* Breviarium ejuſdem exercitij. *lib. 1.* Ad Joachim Marchionem Brandenburgenſium Principem Electorem Opus varium & myſticum, quod prænotavi Steganographiam, id eſt, occultam ſcripturam. *libb. 2.* Ad Maximilianum Cæſarem opus, quod prænotavi Polygraphiam & multiplicem ſcripturam. *libb. 6.* Ad eundem Polygraphiæ clavem ſeu enucleatorium. *lib. 1.* Ad eundem de Dominio ſeptem Intelligentiarum, quo videlicet ordine præſint Orbi. *lib. 1.* Ad eundem reſponſiones octo Quæſtionum, quas mihi ſolvendas propoſuit. *lib. 1.* Ad Joachim Marchionem Brandenburgenſem contra maleficos & omnes artes vanas, ſuperſtitioſas, & Chriſtianæ Religioni contrarias. *libb. 5.* Ad eundem de cauſis, & cura maleficiorum & morbi caduci. *libb. 3.* Ad eundem Naturalium quæſtionum. *libb. 20.* Itinerarium vitæ meæ. *libb. 2.* Ad Burckhardum de Horneck Phyſicum contra peculium monialium pro nepte ſua. *lib. 1.* Statuta utriuſque capituli Ordinis noſtri mandato Præſidentium elimatius in Ordinem digeſti. *lib. 1.* De Computo Eccleſiaſtico. *lib. 1.* Chronicon hoc præſens Monaſterij Hirſaugienſis in duobus ſcripſi voluminibus, ut cernitur, non parvæ quantitatis. Epiſtolarum mearum in Spanheim ſcripſi. *libb. 4.* Epiſtolarum mearum in Abbatia S. Jacobi Herbipoli ſcripſi. *libb. 6.* De miraculis oſtenſis ad memoriam Beatiſſimæ Virginis Mariæ prope Dittelbach Herbipolenſis Diœceſis poſtulante Senatu. *lib. 1.* De miraculis ejuſdem Dominæ noſtræ prope Heilbronnam in Urticeto divinitus oſtenſis. *libb. 2.* De Luminaribus ſive Illuſtribus viris & ſcriptoribus Germaniæ. *lib. 1.* Diverſarum orationum, quas in capitulis tam provinciali, quàm annali, vel extraxi, aut ſcripſi. *lib. 1.* Orationum quoque ſupplicatoriarum ad Deum & Sanctos complurium. *libb. 2.* Roſaria, Officia, Collectas, Orationes & Proſas ſine certo numero compoſui: inter quas prima incipit: *Exultent in hac die.* Et cantatur in Feſto S. Annæ ſub melodia: *Congaudent Angelorum chori.* Secundam ſcripſi ad inſtantiam Joannis quondam Archiepiſcopi Trevirorum, quæ ſic incipit: *JESU cœlorum Regis ſanctam laudemus Aviam.* Et canitur ſub melodia: *Ave præclara:* cujus litteræ verſuum capitales nomen meum repræſentant. Tertiam ſcripſi ad petitionem Joannis Fortis Carmelitarum Provincialis, & incipit: *Jubilemus in honore.* Canitúrque ſub melodia: *Lauda Sion Salvatorem.* Cujus capita verſuum nomen indicant poſtulantis. Curſum, Roſarium, & plures Orationes de S. Anna compoſui, quæ Raymundus Cardinalis Legatus datis Indulgentijs dudum confirmavit. Scripſi etiam officium Miſſæ de Compaſſione Beatæ Mariæ Virginis. De nutritio quoque Domini S. Joſeph, Miſſam & Roſarium. De Angelo proprio Miſſam & Roſarium. De S. Martha Miſſam & Roſarium. De S. Maria Magdalena Roſarium. De S. Petro Apoſtolo Roſarium. De Beata Virgine Roſarium. De S. Joanne Evangeliſta Roſarium. De S. Andrea Orationem & Roſarium. Exercitium totius vitæ actionis & Paſſionis Domini noſtri JESU Chriſti, per modum orationis & gratiarum actionis. Contra Carolum Bovillum, qui me falsò magum & necromanticum, in quadam Epiſtola ad Germanum Ganaij calumniatus

Opuſcula Trithemij Abbatis.

Opuſcula Joannis Trithemij Abbatis.

Lucubratiunculæ Joannis Trithemij.

Synthemata Joannis Trithemij Abbatis.

niatus est, libros duos, in quorum primo respondens ejus Epistolæ, ipsum falsum ostendi atque mendacem: in secundo satisfeci his, si qui sunt forsitan, qui mendacijs ejus fidem præstiterunt. Hæc sunt Lucubrationum mearum capita, tituli, & nomina: quas me hactenus scripsisse memini, Anno Dominicæ Nativitatis prænotato millesimo quingentesimo tertio decimo, ætatis meæ quinquagesimo primo, ultimâ die mensis Decembris.

Et hic ego Joannes Trithemius Abbas S. Jacobi Herbipolensis, quondam verò Spanheimensis, præsens opus Chronicorum sive Annalium insignis Monasterij nostri Hirsaugiensis, O Abba Joannes & Fratres memorati jam incolæ ejus, complevi, absolvi & consummavi, atque fatigatus quintum in annum calamum deposui. Anno salutis MDXIV. Anno Joannis Abbatis hujus Monasterij Hirsaugiensis undecimo, Indictione Romanorum secundâ.

FINIS.



INDEX

INDEX
RERUM NOTABILIUM, QVÆ IN SECVNDA VOLVMINIS PARTE CONTINENTUR.

ABbates Provinciæ Moguntinæ citantur ad Concilium Constantiense. fol. 346
Nomina Monasteriorum Provinciæ Moguntinæ. 347
Capitulum Ordinis Constantiæ celebratur. 348
Abbatibus datur forma Reformationis. 349
Visitatores per Monasteria deputantur. 349
Reformatio Castellensis, Mellicensis, & Bursfeldensis initium sumunt à Concilio Constantiensi. 350
Earundem unio frustra tentatur. 443. 592
Citantur ad Concilium Basileense. 391
Fit Constitutio pro reformatione Ord. 400
Abbatiscellenses Abbati S. Galli Domino suo rebelles. 283. 310. 320
Confœderantur Suitensibus. 283. 323
Oppidanos S. Galli ad defectionem solicitant. 320
Cæduntur à Wilhelmo Comite Brigantino. 323. 326
Ducem Austriæ in fugam compellunt. 326
Per Rupertum Imperatorem compelluntur ad obedientiam Abbatis. 328
Cum Oppidanis S. Galli destruunt Monasterium in Roschach. 533
Adam Abbas S. Martini Coloniæ piè obit. 576
Dæmonem per censuras expellit. 577
Historia dæmonum terribilis apud Moniales. 578
Adamitarum hæresis in Bohemia oritur. 363
Eorum spurcissimi errores. 363
Adolphus Archiep. Moguntinus Moguntiam capit. 453
Concordiam init cum Dietherô. 455
Dietherum prudenter sibi successorem designat. 484.
Adolphus Comes Montensis capit Sifridum Archiepiscopum Colonienſem. 53
Liberum dimittit pro grandi lytro. 64.
Capitur ipsemet à Sifrido. 64.
Et in vinculis moritur. 64.
Adolphus Comes de Nassaw fit Imperator Romanorum. 57
Coronatur & à cunctis suscipitur. 58
Misnensem comitatum Imperio incorporat. 58. 60
Albertum Austriacum, & Eberhardum Wirtenbergicum persequitur. 61. 64.
Anglis subsidia pollicetur contra Gallos. 62. 67
Principes Imperij ab eo deficiunt. 63
Per Principes à Regno deponitur. 69
Causæ depositionis ejus. 69
Contra Albertum Austriū copias cogit. 70
In prælio occiditur. 71
An jure fuerit à Principibus abrogatus. 72
Omnes ejus inimici malè pereunt. 72
Adolphus de Marca fit Archiepiscopus Colonienſis. 248
Pontificatum resignat. 249
Uxorem ducit. 250
Adamus de Insulis Doctor Parisiensis & opera ejus. 81
S. Albani Cœnobium à Moguntinis civibus destruitur. 169
Transfertur in Ecclesiam Collegiatam. 359
Albensis Abbas mutat Advocatum Monasterij Eberhardum Ducem Wirtenbergensem. 569
Cum magno Monasterij detrimento. 569
Albertus Dux Bavariæ Ratisbonâ occupat. 550
Eandem Regno restituit. 551
Albertus Halberstattensis Episcopus Doctor, & opera ejus. 250
Alberti Hollandiæ Comitis progenies. 232. 323
S. Albertus Magnus apud Coloniam moritur. 39
Ejus opuscula. 39
Non fuit Magus vel Necromanticus. 40

Albertus

Albertus Marchio Brandenburgicus per insidias tentat Oxenfurtum. 406
Octies vincit Nürenbergenses. 421
Albertus filius Rudolphi Imperatoris fit Dux Austriæ. 43
Adolfo electo Imperatori contrarius. 61. 64
Adolfum bello aggreditur. 66
Alzen oppidum capit & destruit. 71
Adolfum prælio vincit & fundit. 72
Apud Aquasgrani coronatur in Regem. 72
Ejus uxor filijque. 72
Dictum ejus, cùm Romæ non approbaretur. 74
Hollandiam ad Romanum revocat Imperium. 79
Recusat Regnum Galliæ à Pontifice oblatum. 86
Contemnit quosdam Principes. 87
Bellum movet contra Rudolphum Palatinum & Archiepisc. Moguntinum. 88
Bingense oppidum obsessum obtinet. 88
Archiepiscopum Moguntinum ad gratiam recipit. 88
A Nepote suo interficitur. 114
Qui fuerint socij sceleris. 114
Infelix exitus eorundem. 114
In uno sepulchro conditur cum Adolfo. 118
Alberti Ducis Austriæ progenies. 234
Albertus Dux Austriæ fit Rex Ungariæ. 397
Eligitur Rex Romanorum. 398
Moritur sepultus in Alba Regali. 402
Alchimia casta meretrix. 225
Vanitas ejusdem. 287
Alchimistarum aliquot nomina. 287
Alexander VI. Papa veneno filij moritur. 597
Alfonsus Rex Castiliæ eligitur Rom. Rex. 19
Contemnit electionem. 19
Altvillense Castrum construitur. 168
Alzen oppidum unde ad Palatinos pervenerit. 71
S. Andreæ Apostoli caput ex Peloponeso Romam transfertur. 458
Andreas Monachus Spanheimensis & opera ejus. 462
Anglicanæ Societatis crudelitas. 246. 264.
Galliam devastant. 246
Hispaniam depopulantur. 246
A Cunone de Falkenstein propulsantur. 246
Argentinam obsident. 247
Ex Alsatia fugantur. 247
Annatarum in Episcopatibus initium. 277. 306
S. Annæ caput Moguntiâ transfertur in Düren. 580
Antenor Rex Francorum in Mosa submergitur. 24
Antichristi tempora determinare vanum est. 124
Antonius Bastardus Burgundiæ Trevirim obsidet. 415
Aquarum inundatio damnosa. 105. 192. 263
Argentinenses Dominos se nuncupantes contemnuntur ab Henrico VII. Imperatore. 134
Arnoldus de Villanova vanus propheta. 123
Scripta ejus. 124
Arnoldus Dux Geldriæ à filio incarceratur. 459
Quam ob causam. 666
Arnoldus Mon. S. Albani, & opera ejus. 143
Astronomi cujusdam prædictio. 205
S. Aurelij corpus levatur è tumba. 533
Sepulchrum ejus renovatur. 572
Austriæ Duces metu extorquent investituram Ducatûs. 122

B

Badensis Marchio Marcus Episcopus à Leodiensibus fugatur. 459
Badensis Marchio Bernardus Vir sanctæ vitæ. 459
Badensis Marchio Hermannus fit Monachus Cluniaci. 460
Fit custos pecorum. 461
In morte recognoscitur. 461
Badensis Marchio Joannes Archiepiscopus Trevirorum inopiâ premitur. 595
Triplex causa inopiæ ejus. 595
Badensis Marchio Jacobus fit Archiepiscopus Trevirensis. 595
Baldewinus Archiepisc. Trevirorum, quatuor Episcopatuum Gubernator. 171
Comitem de Spanheim rebellem persequitur. 186
Comitem de Duna subjugat. 192
Comitem de Westerburg subigit. 194
Barensis Comitatus erigitur in Marchionatum. 229
Basanus Magnus Rex Francorum. 23
Basilea obsidetur à Rudolfo Habspurgio. 18
Terræ motu destruitur. 230
Helvetijs associatur. 587
Cives aliquot capiuntur à Geroltsekio. 483
Basileense Concilium indicitur. 367. 381
Confirmatur à Papa, & paulo post revocatur. 381
Citat Eugenium Papam. 392. 398
Eugenium absentem deponit. 402
Quem tandē ut verum Papam agnoscit. 413
Bavarica Genealogia. 295. 436. 637
Bavariæ Ducatus dividitur inter Duces. 173
Inter Ludovici Bavari Imp. filios. 216
Inter fratres Bavariæ Duces. 222. 295
Beatricis Imperatricis corpus Spiræ reperitur. 118
Altare portatile donat Ecclesiæ. 118
Altaris inscriptiones. 118

Beghardorum hæresis damnatur. 126. 231
Articuli errorum. 126
Bellum inter Comitem Juliacensem, & Archiepiscopum Colonienſem. 33
Inter Archiepisc. Colonienſem, & Ducem Brabantiæ. 33
Inter Ducem Brabantiæ, & Comitem Geldriæ. 52
Inter Reges Galliæ & Angliæ. 62
Causæ ejusdem belli. 66
Inter Adolphum Imperatorem & Albertum Austriæ Ducem. 71
Inter Wilhelmum Episcopum Trevirenſem, & Comites quosdam. 82
Inter Gallos & Flandros. 92
Inter Helvetios & Comitem Habspurgi. 95
Navale inter Gallos & Flandros. 97. 98
Inter Ludovicum & Fridericum Imperatores. 138. 142. 156
Inter Archiepisc. & Cives Colonienſes. 145
Inter ſedecim Comites, & Ducem Brabantiæ. 170
Inter Adolphum Palatinum, & Baldewinum Archiepiſcopum Trevirenſem. 178
Inter Ducē Geldriæ, & Cives Leodienſes. 183
Inter Eccleſiam Herbipolenſem & Cives. 183
Inter Reges Galliæ & Angliæ. 184
Inter Chriſtianos Hiſpaniæ, & Saracenos Mauritaniæ. 185
Inter Comitem Wirtenbergiæ, & Ducem Auſtriæ. 193
Inter Reges Galliæ & Angliæ. 199
Inter Episcopum Herbipolenſem, & Comitem Hennebergium. 217
Inter Matrem & filium in Hannonia. 219
Inter Albertum Auſtriium & Helvetios. 222
Inter Episcopū & Cives Herbipolenſes. 224
Inter Carolum Imperatorem & Ducem Wirtenbergiæ. 241
Inter Archiepiſcopum Trevirenſem, & Comitem de Starckenburg. 242
Inter Comites de Wirtenberg, & Eberſtein. 253
Inter Ducem Luzenburgi, & Juliaci. 258
Inter Archiepisc. & Cives Colonienſes. 268
Inter Comitem de Wirtenberg, & Cives Rüthlingenſes. 270
Inter Reges Galliæ & Angliæ. 280
Inter Lupoldum Ducem Auſtriæ & Helvetios. 283. 289
Inter Comitem Wirtenbergiæ & Cives Regni. 289
Inter Rupertū Palatinū & Cives Regni. 290
Inter Francofurtum, & nobiles de Cronenberg. 290
Inter Ducem Wirtenbergiæ & ſubditos ejus. 299
Bellum inter Wernherum Trevirenſem, & Comitem de Salms. 301
Inter Ducem Montenſem, & Comitem Clivenſem. 302
Inter Episcopū & Cives Herbipolenſes. 306
Inter Abbatem S. Galli, & ſubditos ejus. 320
Inter Ducē Auſtriæ, & Abbatiscellenſes. 326
Inter Episcopum & Cives Leodienſes. 326
Inter Baſileenſes & Vicarios Auſtriæ Ducum. 329. 330
Inter Comitem Barenſem, & Comitem de Widmont. 380
Inter Archiepiſcopum Moguntinum, & Landtgrafium Haſſiæ. 387
Inter Ducē Montenſem & Geldrenſem. 387
Inter Regem Galliæ, & Ducem Burgundiæ. 388
Inter Milites Teutonicos & Huſſitas. 388
Inter Episcopum & Cives Herbipolenſes. 395. 398
Inter Chriſtianos & Turcas. 411
Inter Ducē Juliacenſem & Geldrenſem. 412
Inter Ducem Lotharingiæ & Cives Metenſes. 412
Inter Delphinum Galliæ & Helvetios. 412
Inter Principes Imperij, & Cives Regni. 419. 421
Inter Fridericum Palatinum, & Comitem de Lüzelſtein. 424
Ejusdem belli cauſa. 425
Inter Fridericum & tres Principes Badenſem, Metenſem, & Wirtenbergenſem. 451
Inter Brandeburgenſem & Bavarum. 452
Inter Adolphum & Dietherum Archiepiſcopos Moguntinos. 454
Inter Helvetios & Carolum Burgundum. 492. 493. 494
Inter Carolum Burgundum, & Renatum Lotharingum. 493
Inter Regem Galliæ & Maximilianum Auſtrium. 499
Inter Sigiſmundū Auſtrium & Venetos. 529
Inter Walleſios & Mediolanenſes. 530
Inter Maximilianū Imp. & Helvetios. 572
Inter Palatinum, & Principes Imperij. 604
Inter Caſimirum Brandenburgicum, & Norinbergenſes. 630
Benedictus Papa XI. ex Mon. Ord. S. Dom. 95
Philippum Regem Galliæ à cenſuris abſolvit. 95
Matrem in veſte pretioſa non agnoſcit. 97
Benedictus ex Monacho S. Benedicti PP. XII. eligitur. 178
Ludovici Bavari Legatos benignè audit. 179
Benedictinam Conſtitutionem edit pro reformatione Ordinis. 180
Ejus Declaratio. 188

Bernæ quatuor Dominicani comburuntur. 647
S. Bernhardinus canonizatur. 424
Bernardus Abbas Caſtellenſis Doctor & opera ejus. 189
Bernardus Abbas Northeimenſis Alchimiſta. 287
Bertholdus Ordinis Minorum Prædicator egregius. 11
Bertholdus Beghardus Hæreſiarcha capitur. 231
Ejus errores. 231
Herbipoli errores ſuos revocat. 232
Spiræ pertinax in errore comburitur. 232
Bickelenheim caſtrum venditur Eccleſiæ Moguntinæ. 34
Bingen oppidum capitur ab Alberto Imp. 88
Bingenſis miraculoſa imago B. V. M. 89
Bingenſium Civium ſeditio. 149
Oppidum flammis abſumitur. 534
Bingiorum temeritas in Palatinos. 538
Emporiũ transfertur ad Villam Mönſter. 538
Oppidi ſeræ malleis confringuntur. 539. 540
Blidenſtattenſe Monaſterium transfertur ab Ordine. 570
Bona Eccleſiarum non durant in manu laicorum. 294
S. Bonaventura fit Cardinalis. 18
In Sanctorum numerum refertur. 513
Bonifacius fit Papa VIII. 63
Recognitionẽ Regni exigit à Rege Galliæ. 85
Albertum Auſtrium invitat ad Galliam occupandam. 86
Anagniæ capitur. 94
Animi mærore conſumitur. 94
Boppardia fit rebellis Archiep. Trevirenſi. 564
Ab Archiepiſcopo obſidetur. 565
Occupatur. 583
Boſniæ Regnum à Turcis occupatur. 457
Boſniæ Rex Stephanus vivus excoriatur. 457
Brabantiæ Ducum Genealogia. 129
Brandenburgenſis Marchia venditur Regno Bohemiæ. 219. 274
Brandenburgenſium Marchionum Genealogia. 519. 524
Brandenburgenſem Marchionem ſe quidam fingit. 205
Brandenburgenſis Eccleſia olim Ordinis Præmonſtratenſis. 635
S. Brigitta vidua Princeps Sueciæ miraculis clara. 249
Ordo ab eadem inſtitutus confirmatur. 256
Revelatio ejus de Conceptione B. V. 256
Sanctarum numero adſcribitur. 292. 338
Burgundia à Rudolfo Imp. occupatur. 42. 53
Mortuo Carolo Duce à Rege Galliæ occupatur. 495
S. Burkhardi Cœnobium Herbipoli transfertur ab ordine. 458
Burſfeldenſis reformatio oritur in Concilio Conſtantienſi. 350
Joannes Monachus Reinhauſenſis author ejus. 351
Burſfeldia pauperrimum Monaſterium. 351
Joannes de Reinhauſen fit Abbas Burſfeldenſis. 351
Joañes Rhode promotor reformationis. 352
Ex Burſfeldia multa Monaſteria reformantur. 352
Confirmatur à Papa. 353
Nomina Monaſteriorum ex Burſfeldia reformatorum. 353

C

CAlixtus III. Papa crucem contra Turcas prædicari mandat. 428
Claſſem contra Turcas mittit. 430
Inſtituit feſtũ Transfigurationis Domin. 430
Moritur. 433
S. Cæleſtinus V. fit Papa ex Eremita. 62
Pontificatum reſignat. 63
Ordinis Cœleſtinorum auctor. 63
Canonizatur. 63
Cambergenſe Monaſterium transfertur ab Ordine. 533
Cardinalis Legatus à Latronibus ſpoliatur & occiditur. 176
Carinthiæ Ducatus unitur Auſtriæ. 26
Carmelitarum ordo ſublimatur. 47
Carmelitæ aliquot à Saracenis capiuntur. 663
Carolus Magnus non in Gallia, ſed in Germania natus. 243
Carolus Andegavenſis occupat Italiam. 10
Ex inſidijs opprimit Conradinum. 11
Quem capite plecti jubet. 11
Moritur. 46
Carolus Bohemus eligitur Romanorum Imperator. 199
In Regem Bohemiæ coronatur. 200
Marchionem Miſnenſem etiam electum armis terret. 203
Baſileæ Evangelium ad Miſſam legit. 204
Bello perſequitur Guntherum Schwarzenburgicum. 212
Uxor ejus & liberi. 215
Principibus indulget nova Rheni telonia. 218
Indultum hoc revocare cogitur. 218
Emit Marchiam Brandeburgenſem. 219
Profectionem Italicam adornat. 223
Concordat Herbipolenſem Epiſcopum cum Civibus. 225
Romæ coronam Imperialem ſuſcipit. 228
Comitem Juliacenſem in Ducem elevat. 229
Comitem Luzenburgenſem in Ducem ſublimat. 229

Condit Auream Bullam de electione Imperatoris. 230
Impedire tentat confœderationem Helveticam. 233
Exercitum movet contra Helvetios. 233
Se opponit exactionibus Rom. Pontificis. 236
Punit rebelles Tribus Norinbergenses. 238
Eslingenses rebelles compescit. 240
Eberhardum Wirtenbergiæ Ducem debellat. 241
Pragensem Universitatem fundat. 242
Pragensem Episcopum in Archiepiscopum elevat. 243
Pacem firmat cum Vice-comitibus Mediolani. 251
Rursus persequitur Vice-comitem Mediolani. 256
Wenzeslao filio coronam Imperij procurat. 258
Civitatibus taxam imponit. 262
Marchionatū Brandenburgensem emit. 263
Moritur, & Pragæ sepelitur. 273
Carolus Audax Burgundiæ Dux. 463
Leodienses rebelles Episcopo obsidet. 464
Conditiones pacis inter Carolum & Leodienses. 464
Hostiliter devastat Galliam. 465
Pacem componit cum Rege Gallorum. 466
Auxilio Gallorum Leodium capit. 466
Ejus crudelitas in victos Leodienses. 467
Eduardum Anglum in Regnū restituit. 471
Regem Galliæ veneno tentâsse fertur. 479
Pompa ejus in Conventu Principum. 481
Singularis justitiæ exemplum. 481
Regnum Siciliæ affectat. 481
Novesium frustra obsidet. 482
Mariam filiam desponsat Maximiliano. 483
Lotharingiam armis occupat. 484
Alsatiam pecuniâ sibi comparat. 491
Gransee oppidum vi capit. 492
Ab Helvetijs superatus fugatur. 492
Clenodijs apud Helvetios relictis. 492
Mortenā obsidens fugatur ab Helvetijs. 493
Reinhardum Lotharingiæ Ducem persequitur. 493
Ab Helvetijs tertio prælio perimitur. 494
Quidam se Carolū Burgundū esse fingit. 506
Occultè fugit de Bruchsal. 506
Carolus VII. Rex Galliæ infelix. 369
Componit pacē cum Duce Burgundiæ. 364
Ducem Burgundiæ se coram occidi permittit. 364
Carolus VIII. Galliæ Rex Neapolim & Campaniam subjugat. 555
Quare Romam obsederit. 556
Intromittitur sub certis pactis. 556
Regnum Neapolitanum obtinet. 556
Alterius sponsam rapit, suam repudiat. 568
Sine liberis moritur. 568
Carthusia Moguntina fundatur. 115
Carthusia Trevirensis fundatur. 173
Carthusia Colonienſis erigitur. 177
Castellensis reformationis Benedictinæ initium. 321
Chorizantes submerguntur ob contemptum Sacramenti. 35
Claræ vallensis Abbas spoliatur apud Franckfurt. 640
Clemens IV. Papa Adversarius Conradini Sueviæ Ducis. 10. 11
Prædicit cædem Ducis Conradini. 12
Dictum ejus super pluralitate beneficiorū. 15
Viterbij moritur. 15
Clemens V. PP. ex Archiepiscopo Burdegalensi. 100
Historia electionis ejus describitur. 100
Philippo Regi Galliæ multa promittit. 101
Lugduni coronatur. 103
Sedes Apostolica in Galliam transfertur. 103
Electionem Archiep. Moguntini cassat. 104
Et Petrum Medicum Archiepisc. creat. 105
Consentit Templarios à Philippo Rege capi. 110
Offendit Philippum Regem Galliæ. 116
Concilium Viennense celebrat. 125
Hæresin Beghardianam damnat. 126
Clementinarum librum edit. 127
Moritur. 136
Clemens PP. VI. ex Monacho Cistertiensi. 187
Scripta ejus. 187
Pro Ludovico Bavaro Imp. alium eligi jubet. 199
Clerus Wormatiensis urbe suâ pellitur. 322
Cum civibus reformat concordiam. 326
Clingenmünster tranfertur ab ordine. 537
Colmaria ab Adolfo Imp. capitur. 58
Colonia ab Archiep. Colonienſi obsidetur. 15
Fabricatur secreta urbis traditio. 16
Traditio propalatur. 16
Fit rursus concordia. 16
Septennio Excommunicantur. 73
Archiepiscopo rebelles. 87. 145. 161. 257. 268
Occidunt duos Canonicos Colonienses. 219
Alius Canonicus in platea insidiosè occiditur. 629
Colonienſis Archiepiscopus septennio captivus tenetur. 53
Colonienſis Diœcesis vastatur à Comite Juliacensi. 53
Colonienſis Universitas fundatur. 290
Conceptionis Immaculatæ assertio ex S. Brigitta. 256
Conceptionem B. V. Immaculatam impugnare periculosum. 500

Conceptio Immaculata B. V. confirmatur à
Concilio Basileenſi. 414.
A Doctoribus Pariſienſibus. 270
A Doctoribus Colonienſibus, & Moguntinis. 570. 574. 583
Conciliabulum Piſanum indicitur. 668
Cauſa conciliabuli Piſani. 669
Concilium Aſchaffenburgenſe Provinciale celebratur. 57
Concilium Basileenſe indicitur. 367. 381
Confirmatur à Papa. 381
Citat Eugenium ad Concilium. 398
Deponit Eugenium abſentem. 402
Ejus acta confirmantur à Papa. 414
Concilium Conſtantienſe indicitur. 335
Initium ejusdem Concilij. 336. 337
Martinus PP. V. eligitur in Concilio. 357
Finem accipit. 359
Concilium Herbipolenſe celebratur. 49
Concilium Lateranenſe indicitur. 672
Concilium Lugdunenſe celebratur. 20
Concilium Piſanum celebratur. 327. 328
Concilium Viennenſe celebratur. 125
Confluentia ab Archiepiſcopo Trevirenſi occupatur. 102
Conradinus Dux Sueviæ exercitum ducit in Italiam. 10
Nepotem Henricũ Hiſpanum præmittit. 11
Piſanorum auxilijs utitur. 12
Clementis IV. præſagium de Conradino. 12
Prælio vincitur & capitur. 13
Capite plectitur. 13
Conradus Abbas S. Joannis Rhingauiæ, & opera ejus. 525
Conradus de Alzeia Cancellarius Palatinus. 235
Opera ejus. 261
Conradus Celtes Protuccius Poëta Viennæ moritur. 636
Opera ejus. 636
Conradus de Halberſtatt Ordinis Prædicatorum Doctor. 65
Comportat Concordantias Bibliorum. 65
Conradus de Monte Puellarum Ratisbonenſis, & opera ejus. 187
Conſtantienſes Helvetijs adſcribi optant. 667
A Maximiliano Imp. impediuntur. 667
Conſtantinopolis à Turcis capitur. 426
Reliquiæ Sanctorum conculcantur. 426
Libri ſacri in mari ſubmerguntur. 426
Corona Regis Angliæ Trevirenſi Archiepiſc. impignoratur. 184.
Corporis Chriſti feſtum Wormatiæ admittitur. 162
Corporis Dominici miraculum in Gallia. 54
Sacramentum ſanguine manat. 54
Judæus pro ſcelere ignis pœnam luit. 55
Simile exemplum. 546
Crux prædicatur contra Turcas. 194. 536
A Militibus Teutonicis. 663
Cruces apparent in veſtibus hominum. 580
Crucigeri pœnitentes in Italia. 586
Cuno de Falckenſtein Adminiſtrator Eccleſiæ Moguntinæ. 201
Audax facinus contra Cardinalem Columnenſem. 201
Faſtus ejus facetè reprehenditur à Cæſare. 237
Anglicanam Societatem profligat. 246
Fit Coadjutor Eccleſiæ Trevirenſis. 247
Fit Archiepiſcopus Trevirenſis. 248. 253
Fit Adminiſtrator Colonienſis. 255
Optimus Eccleſiarum Oeconomus. 255
Moritur. 286
Ingentem Succeſſori theſaurũ relinquit. 286
Cypri Regnum quomodo ad Venetos pervenerit. 480

D

DÆmonum hiſtoria horribilis cum Monialibus geſta. 578
Daniæ Regina è captivitate Suecorum liberatur. 598
Daniel Presbyter Rex Francorum. 27
Dantes Poëta ſcribit contra Eccleſiam. 184.
Deckingenſe Monaſterium comburitur. 685
Dietherus Archiepiſcopus deponitur. 443
Cauſæ depoſitionis ejus. 443
Fit Archiep. Moguntinus. 484.
Obit ſepultus cum epitaphio. 414.
Dimbach templũ B. V. Mariæ miraculoſæ. 142
Dirolfus Monaſterij Hochheimenſis fundator. 35
Diſſenſio inter duos fratres Hiſpaniæ Reges. 10
Inter Hollandos Nobiles & Plebem. 13
Inter Epiſcopum Herbipolenſem & Comites quosdam. 15
Inter Archiepiſcopum & Cives Colonienſes. 15. 145. 266. 360
Inter Cardinales pro eligendo Pontifice. 18
Inter Electores pro eligendo Cæſare. 19
Inter Nicolaum Papam & Carolum Apuliæ Regem. 36
Inter Archiepiſcopum Moguntinum, & Comitem in Spanheim. 36. 37
Inter Epiſcopum Herbipolenſem, & Comites Rothenburgenſes. 37
Inter duos electos Moguntinos. 45. 51. 102. 169. 198
Inter Comites de Spanheim, & de Veldentia. 53
Inter Bonifacium VIII. & Philippum Regem Galliæ. 84.
Inter duos electos Spirenſes. 141
Inter duos electos Trajectenſes. 164.
Inter duos electos Herbipolenſes. 176. 196

Inter

Inter Episcopum & Cives Herbipolenses. 195.385
Inter Archiepiscopum Moguntinum, & Palatinum. 195. 539
Inter Ludovicum Regem Ungariæ & Venetos. 234.
Inter duos electos Colonienses. 248
Inter Archiepiscopum & Moguntinos. 250
Inter Episcopũ & Cives Wormatienſ. 251.370
Inter duos electos Moguntinos. 261.300.443
Inter Principes & Cives Regni Germanici. 274
Inter duos electos Reges Neapolitanos. 294.
Inter Episcopum & Clerum Herbipol. 301
Inter Ludovicum Palatinum & Comitem in Spanheim. 332
Inter Ludovicum & Henricum Bavariæ Duces. 357
Inter Episcopum & Cives Spirenses. 372
Inter duos electos Trevirenses. 376
Inter Clerum Moguntinum & Cives. 388
Inter Ladislai Ungari Matrem, & Uladislaum Polonum. 408
Inter Archiepiscopum & Clerum Colonienſem. 477
Inter Cives Bingios & Canonicos Moguntinos. 526
Inter Palatinũ & Landtgrafium Hassiæ. 575
Inter Clerum & Cives Wormatienses. 575
Inter Albertum & Rupertum Bavariæ Duces. 603
Divion Urbs Burgundiæ à Maximiliano Imp. obsidetur. 686
Fit Pax inter Gallos obsessos, & Helvetios obsidentes. 686
Helvetijs dantur falsi obsides à Gallo. 688
Dracol⁹ Waiwoda tyrañizat in Walachia. 428
Duellum inter Comitem de Isenburg & Nobilem de Oerbeck. 188
Inter Comitem de Monte, & Comitem de Blanckenheim. 244.
Inter Robertum Severinatem, & Comitem de Sonneberg. 529
Dulcinus instaurator Hæresis Fratricellorũ. 103
Ejus errores. 103
Cum multis igne crematur. 104.

E

EBerhardus Comes Rudolfo Imperatori rebellis. 49
Ad gratiam Imperatoris recipitur. 49
Adolfo Imperatori contrarius. 61
Tandem & Henrico VII. Imp. rebellis. 121
Castella 72. bello amittit. 121
Ad Marchionem Badensem confugit. 121
Sepultura Wirtenbergæ Comitum perfringitur. 122
Ejus bella memorantur. 167
Moritur. 168
Eberhardus II. Dux Wirtenbergiæ rebellis Imperio. 240
Arma movet contra Imperatorem. 241
Vincitur prælio ab Imperatore. 241
Pacem petere cogitur. 241
Quibus conditionibus. 241
Solemnes filiæ nuptias celebrat. 245
Moritur. 255
Eberhardus III. Dux Wirtenbergiæ obsidet Hochenkrehen. 503
Causa obsidionis. 503
Comitatus Wirtenbergicos unit. 512
Ex devotione Romam vadit. 513
Novum ordinem Sacerdotum instituit. 537
Moritur, & in habitu fratrum S. Petri sepelitur. 560
Elogium ejus vitæ. 560
Eberhardus junior fit Dux Wirtenbergiæ. 561
Non sedere, sed stare solitus inter edendũ. 561
Eberhardi Clusa Monasterium Canonicorum Regularium. 429
A quo sic nominatum. 429
Edmundus Rex Angliæ fratrem suum in carcerem claudit. 496
Et in vino malvatico submergit. 497
Eduardus Anglorum Rex subtili astu silentium uxoris probat. 93
A propria uxore in vincula conjicitur. 155
Eduardus Angliæ Rex eligitur Rom. Rex. 203
Liberè resignat. 203
Regem Galliæ Joannem cum filio capit. 230
Certâ lege liberos dimittit. 238
Rursus invadit Galliam. 244.
Egino Dux Zeringiæ Friburgum Brisgoiæ obsidet. 251
Prælio vincit Friburgenses. 252
Friburgum Austriæ Ducibus vendit. 253
Ehingenses hominem pro pretio occidunt. 263
Eichselensis Ecclesia prope Rheinfelden miraculis illustris. 598
Propter Reliquias SS. V V. Kunegundis, Wiboradis & Mechtildis. 598
Elisabetha Ducissa Wirtenbergiæ Hospes in Hirsaugia. 594.
Multa confert donaria Hirsaugiæ. 594.
Elwangense Monasterium recedit ab ordine. 436. 531
Epitaphium Friderici Episcopi Spirensis. 87
Friderici Brunschwicensis à Moguntinis occisi. 308
Ruperti Palatini Regis Romanorum. 331
Eugenij IV. PP. 414.
Dietheri Archiepiscopi Moguntini. 514.
Conradi Abbatis S. Joannis in Rhingauia. 525

Eremita prædicit Rudolfo Habſpurgio regale faſtigium. 17
Eremitarum ſeu Einſidlenſe Monaſterium comburitur. 649
Erneſtus Dux Bavariæ ſubmerſionem Amaſiæ ſuæ ulciſcitur contra Patrem. 392
Eſslingenſes Imperio rebelles. 239
Pacem emere compelluntur. 240
Eugenius IV. PP. confirmat Concilium Baſileenſe. 381
Denuo confirmat. 384
Seorſim celebrat Concilium Ferrariæ. 392
A Concilio Baſileenſi deponitur. 402
Tentat deſtruere Concilium Baſileenſe. 413
A Concilio Baſileenſi ut verus Papa agnoſcitur. 413
Moritur & ſepelitur cum addito epitaphio. 414

F

FAmes diuturna Germaniam vexat. 135. 586
Felix V. antea Amedæus eligitur Papa à Concilio Baſileenſi. 403
De origine, vita & moribus ejus. 403
Multos creat Cardinales. 404
Ex his Nicolaum Abbatem Panormitanum. 404
Nicolao Papæ electo cedit. 419
Quibus conditionibus. 419
Ferdinandus Rex Hiſpaniæ Granatam occupat. 186
Flagellantium Secta exoritur. 207
Numerus eorum in Suevia. 208
Veniunt Avenionem ad Papam. 208
Litteræ Clementis Papæ contra eoſdem. 209
Eorum errores & vitia. 209
Brevi tempore evaneſcunt. 211. 296
Flandri prælio vincuntur à Gallis. 67
Comites Flandriæ capiuntur à Philippo Galliæ Rege. 67. 83
Gravi jugo premuntur à Gallis. 83
Conſpirant contra Rectores Gallicos. 83
Gallorum ter mille quadringenti cæduntur. 84
Wilhelmus Comes Rheni fit Dux Flandrorum. 90
Bellum parant contra Gallos. 91
Acriter præliantur contra Gallos. 92
Guidoni Duci ſe ſubmittunt. 93
Ab Eduardo Angliæ Rege per aſtum adjuvantur. 93
Treugas faciunt cum Rege Galliæ. 93. 96
Foſſarij Hæretici in Bohemia. 319
Flandriæ Comitatus obvenit Ducibus Burgundiæ. 275
Franciſcus Salviatus Archiepiſcopus Piſanus Florentiæ ſuſpenditur. 498
Franckofurtenſes vincuntur à Nobilibus de Cronenberg. 290
Franckofurtenſis ad Oderam Univerſitas fundatur. 630
Francorum origo. 22. 23
Francicæ Hiſtoriæ ſcriptor Hunibaldus. 22
Francorum Reges antiqui. 22
Quando intrârint Germaniam. 23
Francorum Regum Genealogia. 23
Unde Franci dicti. 23
Franci Romanis Tributarij facti. 24
Faramundus ex Duce Rex Francorum factus. 24
Francorum quatuordecim Duces. 25
Francorum Rex Clodovæus primus Chriſtianus. 25
Francorum Regnum dividitur inter Lotharij filios. 25. 157
Franciæ Comites Alemaniam poſſident. 26
Habſpurgij ex Francorum Genealogia. 26
Francorum Regis Lotharii proſapia. 27
Francorum Regis Pipini proſapia. 27
Francorum Rex Daniel Presbyter. 27
Carolus primus ex Francis Imperator. 28
Francorum regnum in duas Monarchias dividitur. 28
Francorum orientalium Ducatus unde ad Eccleſiam Herbipolenſem pervenerit. 37. 410
Francorum Imperium quot annis duraverit. 19
Quæ Provinciæ ſpectent ad Regnum Germaniæ. 19
Quæ ad Regnum Gallicanum. 19. 28
Fraternæ charitatis exemplum in Duce Wirtenbergiæ. 512
Fratricellorum hæreſis exoritur. 74
Articuli errorum. 75
Hæreſis author exhumatur. 76
Quomodo publicata fuerit. 76
Wilhelmæ propagatricis antrum. 76
Wilhelma Sacerdotis agebat officium. 77
Pro ſancta ſepelitur. 77
Conradus Mediolanenſis rem aſtu prodit. 77
Hæretici comburuntur. 78
Dulcinus reſtaurator ejusdem hæreſis. 103
Eadem hæreſis in Auſtria pullulat. 139
Principales articuli errorum. 139
Ingens numerus hæreticorum. 140
Puellæ ſectariæ fatua reſponſio. 140
In Italia quoque graſſatur. 147
Natos ſuos in ſpeluncis necabant. 147
Waltherus fratricellus Coloniæ comburitur. 155
Frawenburg caſtrum conſtruitur à Comitiſſa ex lytro captivi Archiep. Trevirenſis. 162
Friburgum Briſgoiæ obſidetur à Duce Zeringiæ. 251
Auſtriæ Ducibus venditur. 253

Fridericus Dux Austriæ contra Ludovicum Bavarum eligitur Imperator Romanorum. 137
Bellum movet in Ludovicum Bavarum. 138
Eſslingam obſidet. 138
Argentinam oppugnat. 142
A Ludovico Bavaro funditur. 142
Bavariam devaſtat. 146. 148
A Pontifice in Italiam vocatur. 155
Bellum contra Ludovicum Bavarum inſtaurat. 156
Prælio victus unà cum fratre capitur. 156
Friderici liberationē magus pollicetur. 159
Fridericus Burggrafius Noricus fit Marchio Brandeburgicus. 355
Non admittitur à Brandeburgenſibus. 355
Armis obtinet Marchiam Brandeburgenſem. 356
Progenies ejus. 356
Dux Chriſtianorum contra Bohemos Huſſitas. 366
Fridericus Brandeburgenſis Marchio & liberi ejus. 683
Fridericus Dux Austriæ proſcribitur à Sigiſmundo Imperatore. 340
Joannem Papam XXIII. Concilio Conſtantienſi reſtituit. 340
Fridericus III. Dux Austriæ fit Rex Romanorum. 405
Ducit uxorem Leonorā Luſitanam. 405. 423
Fit Tutor Ladislai Regis Ungariæ. 406
Renuit acceptare coronā Bohemicam. 406
Aquiſgrani coronatur. 408
Turcarum 30000. prælio fundit. 411
Delphinum Galliæ fruſtra contra Helvetios incitat. 412
Nicolaum Papam legitimum agnoſcit. 416
A Nicolao Papa Romæ coronatur. 422
Falſa de eo vaticinia prædicta. 423
A ſubditis obſidetur in Neuſtatt. 425
Fridericum Palatinū bello invadi curat. 436
A ſubditis rebellibus obſidetur Viennæ. 456
Recuſat Carolo Burgundo dare Regnum Siciliæ. 481
Carolo Burgundo dat Geldriæ Ducatū. 502
Filium Maximilianum in Regem eligī curat. 525
Bello aggreditur Brugenſes pro liberando filio. 531
Bellum movet contrā Ducem Bavariæ generum. 550
Moritur, & Viennæ ſepelitur. 552
Fridericus Palatinus Dux fit Tutor Philippi. 420
Bello invadit Comitem de Lüzelſtein. 424
Comitatum Lüzelſtein armis obtinet. 425
Oppidum Bergzabern vi occupat. 429
Montfort caſtrum prædonum deſtruit. 432
Contra octodecim Principes hoſtes ſe tuetur. 436
Cauſa diſcordiæ cū Duce Wirtenbergiæ. 436
Schauenburgenſe caſtrum invadit. 437
Ludovicum Ducem Bavariæ ſibi conciliat. 437
Cum Diethero Archiepiſcopo Moguntino pacem init. 438
Ludovico Nigro Palatino prævalet. 438
Comitem Liningenſem opprimit. 439
Dietherum Archiep. Moguntinū fovet. 444
Ducem Wirtenbergiæ debellat. 445
Tres Principes cædit & capit, Badenſem, Metenſem & Wirtenbergicum. 451
Pecuniâ mulctat captivos Principes. 451
Ruperto fratri Colonienſi Archiepiſcopo auxiliatur. 468
Weiſſenburgenſe Monaſteriū reformat. 469
Bugsberg & Schlupff caſtra prædonum deſtruit. 470
Weiſſenburgenſe oppidum obſidet. 472
Ludovici Nigri oppida occupat. 472. & ſeqq.
Concordiam init cum Ludovico Nigro Palatino. 476
Oppida quæ Ludovico Nigro eripuit. 476
Moritur, in habitu FF. Minorū ſepultus. 479
Frumenta Germanis è Sicilia advehuntur. 135

G

Gaguini Roberti Galli effatū de Gallis. 280
Galeatius Vice-comes Mediolani inſtituitur. 170
Galli Armigniaci vaſtant Alſatiam. 399
Superantur ab Helvetijs. 399
A Ludovico Palatino cæſi fugantur. 399
Gallicus morbus exoritur. 563
Gallorum Regnum miſerè collapſum. 369
S. Galli Abbas inquietatur abs oppidanis S. Galli. 532
Conſtruit Monaſterium in Roſchach. 532
Monaſterium novum ab oppidanis deſtruitur. 533
Helvetios in auxilium vocat. 533
Recipit compenſationem damnorum. 533
S. Galli Oppidani rebelles Domino Abbati S. Galli. 320. 321
Obſidentur à Friderico Duce Auſtriæ. 323
Monaſterij S. Galli portas effringunt. 532
Novum Monaſterium in Roſchach deſtruunt. 533
Compelluntur Abbati ſatisfacere. 533
Geldriæ Dux fratrem in vincula conjicit. 245
Propter adulterium occiditur. 259
Geldriæ ducum Genealogia emoritur. 259
Geldriæ Ducatum Arnoldus de Egmunda occupat. 520
A Friderico Imp, datur Carolo Burgundo. 520

Frideri-

Fridericus Comes in Spanheim prætendit Ducatum. 503
Carolus puer Arnoldi filius capitur à Carolo Burgundo. 503
Varietas infortuniorum ejus. 503. 554. 569. 571. 629
Gengenbacense Monasterium reformatur. 586
Abbas fugit cum Clenodijs. 587
Georgius Bohemiæ Rex deponitur à Pio II. Papa. 462
Gerardus Episcopus Herbipolensis. 291
Occupat oppida Schweinfurt & Winsheim. 291
Obsidet Montem Gigantum. 296
Herbipolenses prælio cædit. 306
Gerardus Gros Doctor & opera ejus. 261
Ejus de Monialibus dictum. 261
Gerardus Monachus S. Quintini Doctor & opera ejus. 53
Gerlacus Abbas Tuitiensis capitur. 588
Causa captivitatis ejus. 589
Germaniæ Regnum Romanis non subjectum. 157
Quid comprehendat. 19. 163
Interdicto supponitur à Papa. 182
Giessen castrum prædonum capitur ab Archiepiscopo Moguntino. 147
Gottfridus Bruchsalensis civis à mortuis resurgit. 149
Refert visionem suam. 151
Mirabilia quæ retulit. 151
Variæ in purgatorio pœnæ. 153
Missarum celebratio prodest animabus. 153
Multi vocati, pauci verò electi. 153
Non sine opinione sanctitatis moritur. 155
Gottfridus Schenk de Limpurg fit Episcopus Herbipolensis. 409
Primus se scribit Ducem Francorum. 409
Gotzaugiensis Abbas certat cum Christophoro Marchione Badensi ob Advocatiam. 650
Sumptus litis negantur Abbati à Monachis. 650
Abbatiam resignat. 650
Græca Ecclesia se Romanæ submittit. 21
Græcorum Imperium à Turcis occupatur. 426
Granatæ Regnum ab Hispaniæ Rege occupatur. 546
Grandinis tempestas damna infert. 636. 649
Gregorius X. S. Bonaventuram creat Cardinalem. 18
Concilium generale Lugduni celebrat. 20
Contributionem Decimarum indicit contra Saracenos. 21
Gregorius XI. PP. Romam ab Avenione revertitur. 269
Occasio hujus reditûs. 269
Decimam fructuum petit, sed frustra. 269
Gregorij PP. XII. adversus Benedictum Antipapam constantia. 327
In Concilio Constantiensi renuntiat Papatui. 341
Guntherus Comes Schwarzenburgicus eligitur Rom. Rex. 204
Ejus contentio pro Imperio cum Carolo Bohemo. 212
Pacem firmat cum Carolo Bohemo. 212
Veneno interijsse fertur. 213

H

HAgenbachiorum Nobilium origo. 491
Hagenbach Petrus tyrannus Alsatiæ. 491
Capitur in Brisach, & capite truncatur. 491
Hall oppidũ Regale in servitutẽ redigitur. 485
Hartmannus de Habspurg filius Rudolfi Imp. in Rheno submergitur. 32
Hartmannus Comes Wirtenbergiæ in carcere obit. 41
Hassiæ Comes Hermannus fit Gubernator Ecclesiæ Colonienſis. 479
Defendit Novesium à Carolo Burgundo obsessum. 482
Fit Archiepiscopus Colonienſis. 507
Reformator Claustralium. 508
Munificus & mansuetus. 508
Dominicæ Passionis meditator. 508
Constructt Cœnobiũ Fratrum Minorum. 509
Hassiæ Landtgrafius Wilhelmus Palatinum bello vexat. 613
Wilhelmus alter è custodia dimittitur. 659
Genealogia Hassiorum. 659
Heidelbergensis Universitas fundatur. 172
Quando & à quo instituta. 331
Henricus Abbas S. Ægidij Norinbergæ Doctor. 416
Henricus Basileensis Episcopus fit Archiepisc. Moguntinus. 48
Henricus Calkar Carthusianus Doctor & opera ejus. 297
Henricus Carinthiæ Dux Bohemiã invadit. 120
Henricus dę Dolendorff Carmelita Doctor & opera ejus. 216
Henricus de Erpfurdia Doctor & opera ejus. 217
Henricus de Firmaria Ord. S. Aug. Doctor & opera ejus. 187
Henricus de Gandavo Doctor & opera ejus. 61
Henricus de Haffliginio Monachus & opera ejus. 81
Henricus de Hassia Canon. Wormatiensis & opera ejus. 313
Henricus de Schlize Marescallus Abbatis Fuldensis armis aggreditur Herbipolenses peregrinantes. 186
Henricus Luzenburgi Comes fit Rom. Imperator. 116

Aquisgrani coronatur. 117
Ejus uxor & liberi. 117
Adolfum & Albertum Impp. uno sepulchro condit. 118
Corpus Reginæ Beatricis Spiræ reperit. 118
Conventum Principum Spiræ celebrat. 119
Joañem filium ex Comite creat Ducem. 119
Eundem creat Regem Bohemiæ. 120
Comitem Wirtenbergiæ rebellem persequitur. 121
Septuaginta duo ejus castella occupat. 121
Comitẽ Oetingensem rebellẽ proscribit. 122
Duces Austriæ metu cogitur investire de Austria. 122
Coronâ ferreâ Mediolani coronatur. 123
Lombardiam & urbes rebelles expugnat. 123. 125
Romam cum exercitu intrat invitis Ursinis. 127
Romæ solemniter coronatur. 128
Florentiam obsidet. 128
Robertum Regem Apuliæ regno privat. 129
Morbo Dyssenteriæ laborare incipit. 130
Historia porrecti veneni fictitia esse probatur. 130
Moritur in oppido Bonconvento. 130
Patrum Prædicatorum innocentia demonstratur. 131
Argentinenses Dominos despexit, supplices audivit. 134.
Herbipolenses persecutores Clericorũ. 44. 181
Episcopo Domino suo rebelles. 224. 244. 302
Comburunt Cœnobia S. Burkhardi & S. Jacobi. 303
Septendecim vicibus Episcopo suo rebelles. 304
Episcopum obsident in Monte S. Mariæ. 304.
Incendiarij & captivatores Sacerdotum. 305
Prælium ineunt cum exercitu Episcopi. 306
Victi vario mortis genere puniuntur. 306
Denuo vincuntur rebelles Episcopo. 393
Herbipolense Concilium contra exactiones Papæ. 49
Herbipolense Gymnasium transfertur Erphordiam. 296
Causæ Translationis. 296. 314.
Herbipolensis Episcopus judicium provinciale à Pipino habet. 37
Herbipolensis Clerus spoliatur. 46
Hermannus de Schildis Doctor & opera ejus. 187
Hieronymus Pragensis intrat Constantiam. 341
Fugiens occultè retrahitur. 342
Et ad carceres rapitur. 342
Unà cum Husso ad ignes damnatur. 343
S. Hildegardis canonizatio instituitur. 142
Hirsaugiensis Abbas XXVI. Joañes eligitur. 9
Inopiâ premitur. 10
Moritur. 32
Abbas XXVII. Volandus eligitur. 32
Negligens in regimine. 32
Vendit aliqua bona. 33
Resignat munus Abbatiale. 38
Abbas XXVIII. Craffto, eligitur. 38
Hirsaugia sub eo non restituitur. 39
Moritur. 58
Abbas XXIX. Gottfridus eligitur. 59
Sub eo aboletur consuetudo adultos tantum suscipiendi, non pueros. 59
Dotes corporis & animi ejus. 60
Moritur. 79
Abbas XXX. Henricus II. eligitur. 79
Monasterij bona plura alienavit. 80
Discordia oritur inter ipsum & Conventum. 140
Malè sibi conscius, 141
A Ludovico Imperatore deponitur. 143
Abbas XXXI. Sigismundus & Gerardus in dissensione eliguntur. 144.
Causæ, cur mali Abbates eligantur. 144.
Sigismundus Abbas declaratur abs Archiepiscopo Moguntino. 145
Ab omnibus suscipitur. 145
Moritur. 189
Abbas XXXII. Wichardus eligitur. 190
Alienata bona redimit. 190
Disciplina claudicat. 191
Fit divisio reddituum inter Abbatem & Conventum. 191
Hirsaugia sub eodem sterilis. 226
Moritur. 226
Abbas XXXIII. Wichardus II. eligitur. 226
Mores & industria ejus laudantur. 227
Innocentius VI. confirmat bona Hirsaugiensia. 227
Moritur. 238
Abbas XXXIV. Wignandus eligitur. 239
Magna sub eo Monachorum ignavia. 239
Moritur relictis post se debitis & dissolutione monastica. 276
Abbas XXXV. Gottfridus II. eligitur. 276
Moritur, relinquens Monasterium debitis gravatum. 292
Abbas XXXVI. Wichardus III. eligitur. 293
Moritur. 311
Abbas XXXVII. Fridericus M. eligitur. 311
Ejus mores & ingenium. 312
Comparet in Concilio Constantiensi. 350
Monasterij immunitatem tuetur. 372
Moritur. 373
Abbas XXXVIII. Wolfframmus eligitur. 373
Bursfeldensem observantiam introducit. 374. 433

Richenbacenſes Fratres citat ad Concilium Baſileenſe. 386
Privilegia Hirſaugiæ in Concilio examinantur. 386
Comparet in Concilio Baſileenſi. 391
Cenſus Schönreinenſes renovat. 408
Præpoſitum Rothenſem rebellem reprimit. 422. 436
Moritur, & juxta B. Brunonem ſepelitur. 440
Corpore B. Brunonis cæcum curante. 440
Abbas XXXIX. Bernardus eligitur. 441
Octo Cœnobia reformat. 441
Secundi fundatoris titulum meretur. 442. 515
Rebelles Præpoſitos in Roth & Richenbach punit. 479
Waldeck caſtrum comparat. 510
Abbatiâ laudabiliter geſtâ obit. 515
Abbas XL. Georgius eligitur. 515
Reſignat Abbatiam ob ſenium. 520
Abbas XLI. Blaſius eligitur. 520
Oritur diſſenſio inter ipſum & Conventum. 521
Multa ædificia utilia ſtruit. 534
Cenſus annuos auget. 545
Nova oritur diſſenſio inter ipſum & Conventum. 564
Privilegia Monaſterij defendit. 569
Moritur. 599
Quanta Monaſterio bona præſtiterit. 599
Abbas XLII. Joannes Haſmann eligitur. 600
Elogium vitæ & converſationis ejus. 601
Nicolai Baſelij de eo teſtimonium. 602
Burbach villam vendit Canonicis Spirenſibus. 673
Quæ cauſæ venditionis fuerint. 673
Vocatur ad reformandũ Morſmünſter. 682
Bibliothecam conſtruit. 691
Nomina Fratrum ſub eo viventium. 691
Hirſfeldenſis Monaſterij Regalis titulus extinguitur. 689
Fuldenſi Mónaſterio incorporatur. 689
Cauſæ ſuppreſſæ Abbatiæ Hirſfeldenſis. 690
Hocheimenſe Cœnobium fundatur. 35
Hochzolern caſtrum à Duciſſa Wirtenbergica deſtruitur. 368
Hollandi conſpirant contra Nobiles. 13
Nobiles interficiunt. 13
Aliena rapiunt. 13
Cæduntur & diſſipantur. 13
Hugbertus Monachus Blidenſtattenſis Chronographus. 135
Huſſitæ magnis cædibus graſſantur in Chriſtianos. 344
Joannes Præmonſtratenſis Doctor Huſſitarum. 358
Occupant Monaſterium Carmelitarum Pragæ. 358
Circumferunt in plateis Dominicum corpus. 358
Trucidant Conſules Pragenſes. 359
Pincerna Regis Wenceslai fautor Huſſitarum. 359
Ziſchka eorundem Princeps. 362
Terras fidelium devaſtant. 379
Michelfeldenſe Monaſteriũ incendunt. 379
Citantur & comparent in Concilio Baſileenſi. 390
Diſputatione vincuntur in Concilio. 390
Cæduntur prope Suſatum. 416

I

S. JAcobi Monaſterium Moguntiæ à Burſfeldenſibus reformatur. 404
Abbas expellitur per Cives. 454
S. Jacobi Monaſterium Herbipolenſe reformatur. 565
Quæ cauſa Epiſcopum ad reformandum moverit. 566
Extremâ premitur inopiâ. 567
Joannes Hickerich promovet reformationem. 567
Jacobus de Villa Abbas Eberbacenſis, & opera ejus. 217
Jacobus Cypri Rex Civis Venetus moritur. 480
Jacobus Monachus Hirſaugienſis, & opera ejus. 553
Imago Miraculoſa B. V. in Diethelſpach. 638
Imago Miraculoſa Ejusdem in Hannonia. 165
Imperium Francorum quot annis duraverit. 19
Quæ provinciæ ſpectent ad regnum Germaniæ. 19
Quæ ad regnum Gallicanum. 19. 28
Imperiũ quid ſit, & quid Regnũ Germaniæ. 163
Imperium Romanum Gallis concedi non poteſt. 116
Licet ſemper ab ipſis ambitum. 162
Ingelheimenſe palatium mutatur in Cœnobium. 243
Camera Imperialis mutatur in Bibliothecam. 243
Innocentius V. ex Ord. S. Dominici Papa, & opera ejus. 29
Innocentius VI. PP. Germano Clero exactionem imponit. 234
Recuſatur exactio ab Epiſcopis Germaniæ. 235
Rationes recuſandi. 235
Caroli Imp. reſponſum pro Clero Germaniæ. 236
Legatus Papæ ſine fructu Romam revertitur. 237
Moritur. 248

Insulæ fortunatæ fiunt habitabiles. 536
Insulæ novæ in mari reperiuntur. 427. 552
Joachim Marchio Brandenburgicus fundat Universitatem Francofurti ad Oderam. 630
Doctorum Mæcenas. 519
Cultor Justitiæ & Pietatis. 519
Joanna Puella Lotharinga pugnat pro Rege Galliæ. 371
Ab Anglis capta comburitur. 381
Joannes Abbas Bursfeldensis Doctor, & opera ejus. 588
Joannes à Baden Archiepiscopus Trevirensis Alchimista. 287
Joannes Blumenthalius Doctor. 174.
Joannes Bohemiæ Rex Lombardos rebelles Imperio subigit. 173
Joannes Brabantiæ Dux in hastiludio occiditur. 65
Joannes Burgundiæ Dux elatione suâ Christianos perdit. 298
Galliam devastat. 360
Cum Carolo Rege Galliæ pacem componit. 364
In præsentia Caroli Regis insidiosè occiditur. 364.
Philippus filius ejus necem Patris ulciscitur. 364.
Joannes Camerarius Dalburgius Episcopus Wormatiensis. 514
Vir Doctissimus. 514.
Trium linguarum peritus. 596
Series operum ejus. 596
Joannes Capistranus Crucem prædicat in Germania. 428
Joannes Castellensis Monachus scribit super Regulam S. Benedicti. 365
Joannes Comes Habspurgi Albertum Imperatorem Patruum suum interficit. 114
In Monasterium ad agendam pœnitentiam ponitur. 115
Joannes Comes Habspurgi Tigurum per insidias tentat. 220
Joannes Comes Hollandiæ Comitatum ab Imperio suscipit. 79
Joannes Danck Saxo Astronomus. 174.
Joannes Denock Ord. S. Aug. Doctor & opera ejus. 245
Joannes de Brunn Episcopus Herbipolensis capitur. 402
Joannes de Burbon Episcopus Leodiensis. 463
In Tungrensi oppido obsidetur. 463
Capitur à Leodiensibus. 466
A Wilhelmo de Arnburg occiditur. 514.
Joannes de Emmenhausen, Doctor & opera ejus. 245
Joannes de Erphordia Ord. Minorum Doctor, & opera ejus. 217
Joannes de Erphurt Doctor, & scripta ejus. 365
Joannes de Francofordia Doctor, & opera ejus 417
Joannes de Gandersleben Francus Astronomus. 174.
Joannes de Grumbach fit Episcopus Herbipolensis. 428
Joannes de Hildesheim Carmelita, Doctor & opera ejus. 245
Joannes de Niclashausen subulcus seductor. 485
Ingens hominum concursus ad ipsum. 486
Articuli errorum ejus. 487
Captivus ad arcem Herbipolensem ducitur. 488
Rustici ejus liberationem urgent. 489
Ad ignem damnatur. 490
Varia de eodem opinio. 490
Joannes de Ruppescissa, Alchimista, & opera ejus varia. 225
Joannes de Thambach Ord. S. Dominici Doctor & opera ejus. 245
Joannes de Wesalia Doctor ab Inquisitore examinatur. 500
Errores, quos prædicâsse dicebatur. 501
Errores suos revocat. 502
Brevi post præ animi mærore obit. 502
Joannes Fustinus Carmelita Doctor & opera ejus. 261
Joannes Galliæ Rex cum filio capitur ab Anglis. 230
Liber cum filio dimittitur. 238
Joannes Hunniades malleus Turcarum 430
Joannes Huss Præfectus Scholæ Pragensis. 315
Errorum Wicleffi prædicator. 315
Articuli errorum ejus. 316
Invidia origo errorum ejus. 318
Inquiritur ab Episcopo Pragensi. 318
Clerum Bohemiæ bonis suis spoliat. 318
A Bohemis mittitur ad Concilium Constantiense. 338
Fugiens ex Urbe Constantiensi retrahitur. 338
Vinculis mancipatur. 338
Ad ignem damnatur. 343
Joannes Leodiensis Episcopus à Leodiensibus obsidetur. 326
Leodienses atroci prælio cædit. 327
Dimisso Episcopatu uxorem ducit. 329. 357
Jacobam neptem Comitatibus privat. 329
Moritur. 370
Joannes Livensis Mosellanus Doctor & opera ejus. 267
Joannes Mercurius Italus mira profitetur. 584.
Alchimista sed pauper. 584
Examinatus à Medicis probatur. 584.
Ensem mirabilem donat Regi Galliæ. 584.
Joannes Montesanus Ord. S. Dom. Doctor. 275

Impugnans Conceptionem B. V. revocare cogitur. 275
Joannes PP. XXI. domo corruente obruitur. 31. 32
Joannes PP. XXII. eligitur. 141
A Senatu Romano monetur, ut Romam redeat. 164
Reſponſum ejus Romanis datum. 164
De ejus abrogatione agitur. 167
Cenſuras in Ludovicum Bavarum fulminat. 170
Joannes XXIII. fit Papa. 330
Conſtantienſe Concilium indicit. 334
Pœnitet eum indicti Concilij. 336
Conſtantiam intrat. 336
S. Brigittam canonizat. 338
Jurat ſe renuntiaturum Papatui. 339
Multa in eum dicuntur crimina. 339
Fugit de Conſtantia. 339
Ex fuga retractus carceri mancipatur. 340
Per Concilium à Papatu deponitur. 340
Heidelbergam captivus ducitur. 341
Liber dimiſſus venit ad Martinum V. PP. 361
Florentiæ moritur. 361
Coſmus de Medicis theſauros ejus obtinet. 362
S. Joannis Rhingaugienſe Monaſterium reformatur. 425
Joannes Rhode ex Canonico Metenſi Mon. 375
Ex Mon. Carthuſiæ Abbas S. Matthiæ. 375
Reformat Monaſterium S. Matthiæ. 375
Scripta ejus. 376
Joannes Rusbrochius Ord. S. Aug. Doctor, & opera ejus. 297
Joannes Schonhoven Carmelita Doctor & opera ejus. 297
Joannes Scotus Doctor ſubtilis & opera ejus. 117
Joannes Veri Ord. Præd. impugnat Conceptionem. B. V. 568
Compellitur malè prædicata revocare. 569
Joannes Wittlich Trevirenſis Doctor, & opera ejus. 313
Jubilæus annus primus Romæ inſtituitur. 78
De centeſimo in quinquageſimum revocatur. 213
Judæi perſecutionem ſuſtinent Moguntiæ. 44
In Helvetia. 313
Et alibi. 207. 382
Bona eorum dantur pauperibus. 45
Dictum Rudolfi Imp. ſuper ijſdem bonis. 45
Seipſos cum domibus incendunt Herbipoli. 207
Mactantur ut pecudes. 214
Emunt à Sacerdote Corpus Chriſti. 546
Puncturis idem vulnerant. 546
In terram defodiunt. 546
Sacerdotis capti & ad ignem damnati mira contritio. 646
Corpus Chriſti effoſſum & elevatum claret miraculis. 548
Caſtellanus miraculo incredulus ultionem ſentit. 548
Teſtes miraculorum ſunt Principes. 549
Ex Hiſpania pelluntur. 550
Puerũ Chriſtianũ in arbore ſuſpendunt. 368
Judæi multi occiduntur Ulißibonæ. 633
Cædis auctores puniuntur à Rege. 634
Judæus quidam fictè baptizatur. 165
Imaginem B. V. Mariæ vulnerat. 165
Sanguis miraculosè de imagine fluit. 165
Judæus convictus ſuſpenditur. 166
Juliacenſis Comitatus erigitur in Ducatũ. 229

K

Kirsgartenſe Cœnobium reformatur. 412
Kniebiſenſe Monaſterium incendio perit. 684
Knoringer vir equeſtris ordinis Epiſcopum Conſtantienſem vexat. 680
Pacem acceptare renuit. 680
Kuſſinenſis Comes Anglicus devaſtat Alſatiam. 264
Pars exercitus ejus cæditur à Bernenſibus. 265
In Frawenbrunnenſi Cœnobio rurſus funditur. 266
Totus ejus exercitus diſſipatur. 267

L

Lacticiniorum & ovorum uſus quomodo & quando permiſſus. 194
Trevirenſibus & Colonienſib. permiſſus. 195
Moguntinis quare non conceſſus. 195
Ladislaus Rex Apuliæ ab Ungaris vocatur ad regnum. 321
Deceptus ab Ungaris redit in Apuliam. 321
Lampertus Abbas Gengenbacenſis fit Epiſcopus Spirenſis. 2149
Laterana Eccleſia Mater omnium Eccleſiarum. 128
Lateranenſis Eccleſia comburitur. 115
Lauffenburgum obſidetur ab Helvetijs. 410
Lauriſſa Monaſteriũ ſpoliatur per Haſſios. 614
Leodienſes rebelles Epiſcopo ſuo Joanni. 326
Epiſcopum ſuum in Trajecto obſident. 326
Sedecim millia eorundem cæduntur. 327
Marcum à Baden Epiſcopum ſuum expellunt. 459
Joanni de Burbon Epiſcopo rebelles. 463
Eundem in Tungrenſi oppido obſident. 463
Obſidentur & vincuntur à Carolo Burgundo. 464
Conditiones deditionis. 464

Iterum

Iterum rebellant Carolo Burgundo. 465
Episcopum suum capiunt. 466
Civitas obsidetur & capitur à Carolo Burgundo. 466
Innocentes cum nocentibus crudeliter occiduntur. 467
Liebenaugiense Cœnobium Monialium fundatur. 73
Liga sotularia rusticorum exoritur. 589
Vexillum Conjurationis erigitur. 589
Articuli, quos asserebant. 589
Conjurati capiuntur jussu Maximiliani Imperatoris. 591
Limpurgense Monasterium reformatur. 511
Per Præsidium Palatinum occupatur. 623
Res Monasterij transferuntur Spiram. 623
Palatinenses Monasterium spoliant. 624
Prior & Mon. è Monasterio recedunt. 624
A Dürckheimensibus spoliatur. 625
Monasterium spoliatum incenditur. 625
Ecclesia Limpurgensis erat olim pulcherrima. 625
Duodecim diebus & noctibus duravit incendium. 626
Sepulchra mortuorum effodiuntur. 626
Limpurgensis Abbas accusat Emichonem Comitem super incendio Monasterij. 628
Mors Abbatis liti finem imponit. 629
Abbates aliquot reformati. 648
Lipsiensis Universitas originem ducit à Pragensi. 315
Locustarũ agmina in Francia & Suevia. 185. 250
Lotharij Regis Francorum prosapia. 27
Lotharingia à Carolo Burgundo occupatur. 484
Renatus Dux Lotharingiæ totam recuperat. 494
Lotharingiæ Ducis ridendũ mandatũ. 495
Lotharingiæ Dux Metim obsidet. 535
Lovaniensis Universitas fundatur. 368
Lucerna Urbs Helvetiæ confœderatur Schwitensibus. 223
Lucia Monialis Ord. S. Dom. Christi stigmatibus insignita. 580
Ludolfus in Carthusia Argentinensi Doctor. 174
Ludovicus Bavariæ Dux unde Dives dictus. 275
Ludovici Bavariæ Ducis in patrem impietas. 407
Ludovicus Bavariæ Dux totam Bavariam occupat. 129
Eligitur Imperator à parte Electorum. 136
Rudolfum fratrem Comitem Palatinum è Patria pellit. 137
Vitæ suæ structas insidias evadit. 137
Causa cur fratrem expulerit. 137
Uxor & liberi ejus. 138
Aquisgrani cum uxore coronatur. 138
Bellum contra Fridericum Austrium æquè electum movet. 138
Victoriam obtinet. 138
Fridericum tursus in fugam compellit. 142
Raptores & latrones necari jubet. 147
Bingianam seditionem compescit. 149
Fridericum prælio victum capit. 155
A Joanne XXII. PP. excommunicatur. 157
Articuli Papæ contra Ludovicum. 157
Confutatio eorundem articulorum. 157
Citatus Avenionem non comparet. 159
Ejus fraus pro Comitatu Tirolensi. 160
Insignia regni recipit à Lupoldo Austrio. 162
Fridericum liberum dimittit. 163
Quibus conditionibus. 163
Comitem Geldriæ in Ducem elevat. 164
Mediolani coronâ ferreâ coronatur. 166
Romam ingressus coronatur. 167
Nicolaum V. Antipapam creat. 167
Galeatium Vice-comitem Mediolani instituit. 170
Ducatum Bavariæ dividit. 173
Pacem poscit à Benedicto PP. XII. 179
Dominicanos Spirâ expellit. 180
Persequitur Papæ obedientes. 182
Edictũ ejus contra obedientiam Ecclesiæ. 183
Bellum minatur Gallorum Regi. 193
Cadens de equo moritur. 201
Veneni à Maultaschia porrecti suspicio. 201
Articuli abrogationis ejus. 202
Ludovicus Bavariæ Dux obsidet Eichstettam. 434
Marchionem Brandeburgicũ debellat. 434
Reus læsæ Majestatis à Cæsare judicatur. 434
Se tuetur contra octodecim Principes hostes. 437
Ludovicus Comes Palatinus moritur. 46
Ejus progenies. 47
Ludovicus Dux Palatinus Patri Ludovico Barbato Principatum abrogat. 393
Genealogia Ludovici Ducis Palatini. 328. 393
Prælio fundit Gallos Armigniacos. 399
Uxorem ducit filiam Amedæi Ducis Sabaudiæ, postea Felicis Papæ. 403
Ludovicus Dux Palatinus succedit Patri Philippo Electori Palatino. 637
Fratres & Sorores Ludovici. 637
Ludovicus Niger Dux Palatinus infestat Fridericum Palatinum. 429
Ludovicus XI. Galliæ Rex Pragmaticam sanctionem abrogat. 445
Burgundiam occupat. 495
Flandriam hostiliter infestat. 495
Atrebatum obsidet & capit. 495
Hesdinum cum arce sibi subijcit. 496
Mariam Maximiliani sponsam rapere tentat. 496

Bellum movet Maximiliano. 499
Infirmus musicâ levari petit. 516
Moritur Turonis. 517
Ludovicus XII. Galliæ Rex. 568
Mediolanum occupat fugato Duce. 576
Helvetios per falsos obsides decipit. 688
Ludovicus Helianus orator Regis Galliæ perorat contra Venetos in Conventu Principum Augustano. 650
Ludovicus Sfortia Dux Mediolani ducitur captivus in Galliam. 581
Lupoldus d Bamberg Canonicus & scripta ejus. 174
Lupoldus Dux Austriæ contra Helvetios movet. 139
Ab ijsdem prælio funditur. 139
Bavariam devastat. 142
Insignia regni Ludovico Bavaro transmittit. 162
Lupoldus II. Dux Austriæ ab Helvetijs victus occiditur. 283
Series Nobilium cum eo occisorum. 284
Lupoldus III. Dux Austriæ Patri succedit. 284
Bellum indicit Helvetijs. 289
Luporum horrenda rabies homines devorantium. 179
Opinio vulgi de rabidis lupis. 179
Opinio Wilhelmi Parisiensis de rabidis lupis. 180
Lusoris cujusdam vesana impietas. 279
Imaginem Crucifixi gladio impetit. 279
Imago vulnerata emittit cruorem. 279
Luzenburgensis Comitatus erigitur in Ducatum. 119. 229
A Vidua regitur. 417
Occupatur à Wilhelmo Duce Saxoniæ. 417
Tandem cedit Philippo Duci Burgundiæ. 418

M

MAgorum libros redarguere bonum est. 41
Magus pollicetur Friderico Austrio liberationem è vinculis. 159
Fridericus non acceptat. 160
Mahomet Turcarum Rex Corinthum occupat. 433
Peloponesum & Pontum capit. 439
Calcedonem subvertit. 473
Marcha provincia Helvetiæ auffertur Domui Austriacæ per Abbatiscellenses. 326
S. Martini sedes aurea Moguntiæ. 121
S. Matthiæ Apostoli Caput Trevirim transfertur. 376
Matthias ex Monacho S. Benedicti Archiepiscopus Moguntinus. 147
Matthias Hunniades fit Rex Hungariæ. 432
Malleus Turcorum. 432
Maulbrunnense Monasterium obsidetur & capitur à Duce Wirtenbergiæ Udalrico. 607
Maximilianus Dux Austriæ nascitur. 433
Maria ejus uxor nascitur. 433
Maria eidem desponsatur. 483
Gallum è Flandria pellit. 479
Bellum movet contra Gallos. 490
Geldriam occupare nititur. 502
A Neomagensibus in fugam vertitur. 502
Gallos Burgundiam invadentes vincit. 504.
Margaretha filia nascitur. 506
Maria uxor ejus moritur. 513
Pacem offert Regi Galliæ Ludovico. 516
Margaritham filiam desponsat Carolo Galliæ Regi. 516
Atrebatum capit. 522
In Germaniæ Regem eligitur. 523
Ejus tituli usuales. 524
Confœderationé Ligæ Suevicæ orditur. 528
A Flandris rebellibus capitur. 530
A Patre liberatur. 531
Ejus sponsa Anna Brittannica rapitur à Carolo Galliæ Rege. 537
Contra Turcas movet in Croatiam. 553
Secundam ducit uxorem, sed sterilem. 553
Movet contra Carolū Ducē Geldriæ. 554-571
Ejus milites puerum comburunt ad extorquendam pecuniam. 554.
Eberhardū Wirtenbergiæ Ducem creat. 558
Devastat superiorem Burgundiam. 568
Bello aggreditur Helvetios. 572
Concordiam facit cum Helvetis. 573
Ligam Sotulariam opprimit. 591
Bellum movet contra Philippum Palatinum. 604.
Fundit Exercitum Bohemicum. 605
Alsatiam occupat contra Palatinum. 606
Revocat Principes à persecutione Palatini. 627
Arnheim oppidum Geldriæ occupat. 629
Ungariæ regnum sibi subjugat. 629
Venetis contumacibus bellum infert. 635
Carolum Geldrensem bello aggreditur. 636
Confœderatur Regi Gallorum contra Venetos. 639
Cum Julio PP. & Rege Galliæ Venetos infestat. 645
Frustra petit subsidia à Principibus Imperij. 646
Bellum prosequitur contra Venetos. 664
Constantiam rebellem reprimit. 667
Scribit Trithemio Abbati. 669
Treviris Tunicam Domini jubet inquiri. 675
Gallorum perfidiam detestatur. 678
Emichonem Comitem de Liningen læsæ Majestatis reum denuntiat. 678
Lombardiam cum Mediolano recuperat. 681

Julio

Julio Papæ confœderatur. 681
Venetos atroci prælio fundit. 685
Teruanâ Urbem occupat contra Gallos. 685
Helvetios ad Burgundiam occupandam conducit. 686
Mechlinia igne cæleſti incenſa conflagrat. 180
Mediolanum Camera Imperij Romani. 301
Mediolani Vice-comes in Ducem elevatur. 301
Mediolanenſes ab Helvetijs cæduntur. 503
Melchior Abbas S. Florini in Schönaw mortis ſuæ præſcius. 551
Ejuſdem opuſcula. 551
Melchior de Mocka Epiſcopus Brixinenſis, Alchimiſta. 288
Michaël Cæſenas Minorum Generalis damnatur à Papa. 158
Michaël de Leone Herbipol. & opera ejus. 216
Miraculum B. V. M. apud Bingen. 89
Fur lapides de corona Imaginis avellit. 89
Imago B. V. ſudat. 89
Lac & ſanguis ex vulnere Imaginis proſilit. 89
Prædo in flumen ſe præcipitat. 90
Albertus Imperator Imaginem viſitat. 90
Capella in eo loco conſtruitur. 90
Miſnenſium Marchionatus Imperio unitur. 58
Modona civitas Moreæ capitur à Turcis. 579
Moguntia à Nobilibus per inſidias capitur. 324
Per traditionem Civium proditur. 453
Ab Adolfo Archiepiſcopo capitur. 453
Antea libera, in ſervitutem redigitur. 455
Moguntina Univerſitas inſtituitur. 485
Moguntini Canonici certas poſſeſſiones emunt. 17
Moguntini Cives rebelles ſuo Archiepiſc. 169
Eccleſias quaſdam deſtruunt. 169
Exterminantur. 169
Spoliantur & trucidantur. 453
Monaſteria ab Ord. S. Benedicti translata. 566
Monſtrum naſcitur in Boppardia. 291
Aliud Bergæ in Diœceſi Trevirenſi. 297
Aliud Burgſtatti, duæ puellæ frontibus junctæ. 559
Montis Monachorum Cœnobium Bambergæ reformatur. 456
Morbus dictus Chorizatio S. Joannis graſſatur. 263
Mortena obſidetur à Carolo Burgundo. 493
Murhartenſis Cœnobij translatio impeditur à Duce Wirtenbergiæ. 567
Reformatur per Monachos Lauriſſenſes. 567

N

NAnſe oppidum Lotharingiæ recuperatur à Duce Renato. 493
Rurſus obſidetur à Carolo Burgundo. 493
Clades Caroli Burgundi prope Nanſe. 494
Neuweiler Monaſterium transfertur ab Ord. S. Benedicti. 559
Apoſtata Abbas facetè taxatur. 559
Nicolaus de Bibera Francus Doctor & opera ejus. 65
Nicolaus de Cuſa Cardinalis præſidet Capitulo Benedictino. 423
Abbates ſub juramento ad reformationem compellit. 424
Unionem Burſfeldenſem approbat. 424
Capitur à Sigismundo Duce Auſtriæ. 439
Nicolaus de Dünckelſpül Doctor & opera ejus. 365
Nicolaus de Flüe mirabilis Eremita Helvetiæ. 504
Magnus fit undique ad eum concurſus. 505
Præſcius futurorum. 505
Diſſentientes ad Concordiam revocat. 505
Cujuſdam Abbatis tentantis avaritiam detegit. 527
Sanctiſſimè obit. 527
Sanctitas ejus magnorum Principum teſtimonio probatur. 527
Helvetij ſanctitatem ejus experimento probant. 528
Nicolaus Huſſitarum Princeps. 358
Nicolaus V. Papa eligitur. 414
In Principum Imperij Conventu agnoſcitur. 416
Conditiones à Felice V. aliàs Amedæo propoſitas admittit. 419
Confirmat Acta Concilij Baſileenſis. 420
Fridericum Imperatorem coronat. 422
Crucem prædicari jubet contra Turcas. 427
S. Nicolaus Tolentinas canonizatur. 411
Nicopolitani Turcarũ 40. millia cædunt. 430
Norinbergenſes Imperatori Carolo rebelles. 204
Pecuniâ Imperatori reconciliantur. 204
Senatui & Imperatori rebelles. 237
Princeps factionis pecuniâ fit proditor factionis. 238
Artificum Tribus deponuntur. 238
Exceptâ Macellariorum Tribu. 238
Octies vincuntur ab Alberto Brandenburgico. 421

O

OChſenfurt à civibus Herbipolenſibus capitur. 183
Odenheim Monaſterium transfertur ab ordine. 559
Tetraſtichon in Abbatem Apoſtatam. 559
Odoacer Rudolfo Imperatori rebellat. 29
Auſtriam vi occupat. 30
Prælio vincitur à Rudolfo. 30
Fit fœdifragus Rudolfo. 31

Confoditur. 31
Relicto filio Wenceslao. 31
Oetingensis comes rebellis Imperio proscribitur. 122
Ordinis S. Benedicti in Germania tres Observantiæ. 350
Earundem unio tentatur, sed incassum. 443
Rursus tentatur per Archiepiscopum Moguntinum. 592
Sugillatur Reformatio Bursfeldensis. 592
Solvuntur cavillationes. 593
Tandem frustra tentata est unio. 593
Ordinis nostri Capitulum generale Constantiense. 348
Ordo Mariæ Servorum instituitur. 51
Ordo Militum Templariorũ extinguitur. 108
Otto de Wolffskele Episcopus Herbipolensis utilis. 189
Cum Herbipolensibus concordiam init. 196
Otto ex Comite Ziegenheimensi Archiepisc. Trevirensis. 360
Judæos è Treviri expellit. 361
Causa indignationis contra Judæos. 361
Otto Dux Bavariæ fit Rex Ungariæ. 119
Fugatur ex Ungaria. 119
Moritur. 129

P

PAlatinatûs Rheni inter filios Rudolfi Palatini divisio. 172
Palatinorum Genealogia. 47. 393. 637. 638 647
Paulus From Sacrilegus Sacramentum furatur. 660
Judæo vendit in Spandaw. 660
A judicibus capitur. 660
Et ignibus crematur. 663
Judæus hostiam pugione transverberat. 661
Particulam in furnum mittit. 661
Particula alia illuditur in Stendel. 662
In nuptijs Judæorum blasphematur. 662
Judæi capti damnantur Berlini ad ignem. 662
Pelagius Ferrandus homo admirabilis. 585
Memoriâ viguit vivacissimâ. 585
Disputator in omni facultate. 585
Fit Eremita in Majorica. 585
Opera quæ scripsit. 585
Discipulus ejus & hæres Libanius Gallus. 586
S. Petri novus Ordo instituitur in Suevia. 537
Petrus de Luna Antipapa dictus Benedictus XIII. 338
Contemnit Concilium Constantiense. 338
Ejus causa tractatur in Concilio Constantiensi. 346
In Concilio ut Schismaticus deponitur. 346
Obstinatus in pertinacia. 358
Petrus de Lutra Præmonstratensis, & opera ejus. 174
Petrus de Rosenheim Monachus Mellicensis Poëta. 366
Petrus de Saxonia Vir eruditus. 174
Petrus Medicus creatur à Papa Archiepiscopus Moguntinus. 105
Moritur. 147
Petrus Mosellanus Doctor & opera ejus. 267
Pestilentia grassatur per Germaniam. 135. 206. 213. 418. 588
Philippus Burgundiæ Dux necem Patris ulciscitur. 364
Obtinet Hollandiam, Hannoniam, Seelandiam. 370
Carolum VII. Galliæ Regem prælio cædit. 388
Luzenburgi Ducatum occupat. 418
Moritur. 462
Fama ejus apud exteros. 463
Philippus Comes Palatinus sub Tutela Friderici. 420
Genealogia & progenies ejus. 482
Filio suo Ruperto exbannito assistit contra Cæsarem. 604
Principum nomina contra Palatinum bellantium. 604
Quatuor contra eum exercitus moventur. 604
Primus exercitus Maximiliani Imp. 605
Cui Philippus resistit in Alsatia. 606
Secundus exercitus Udalrici Ducis Wirtenbergiæ. 606
Quem Philippus prælio fundit. 607
Tertius exercitus Alexandri Veldentiæ Comitis. 608
Cujus terras Philippus ipse devastat. 611
Quartus exercitus Wilhelmi Landtgrafij Hassiæ. 613
Cujus exercitum fundit apud Ingelnheim. 619
Hassijs transitum Rheni præoccupat. 620
Præsidium locat in Limpurgensi Monasterio. 623
Moritur, & sine pompa tumulatur. 636
Philippus Maximiliani filius Dux Austriæ nascitur. 499
Rex Castiliæ declaratur. 633
Cum suis periclitatur in mari. 633
Burgi in Hispania moritur. 634
Funeralia ejus Constantiæ celebrantur. 635
Philippus Rex Galliæ bellum instruit contra Anglos. 62
Causæ discordiarum. 66
Flandriam hostiliter occupat. 67
Flandriæ Comites captivos tenet. 67
Componit pacem cum Anglo. 68

Flan-

Flandros gravi jugo premit. 83
A Flandris superatur. 84
Bonifacium Papam offendit.
Monetam deteriorem facit. 91
Rursus superatur à Flandris. 92
Cum Flandris Treugas facit. 93
Bonifacium Papam per Sciarram capi curat. 94
Ab Excommunicatione absolvitur. 95
Flandros navali & terrestri prælio vincit. 97.98
Pacem componit cum Flandris. 99
Sex petitiones à Clemente V. PP. postulat. 101
Alia ejus petitio crudelis ad Papam 106
Judæos in toto regno vel occidit, vel pellit. 105
Quâ causâ inductus. 105
Templariorum ordinem extirpat. 110
Extincto ordine multa mala patitur. 113
Fratri suo Carolo Romanum ambit Imperium. 115
Petitio ejus iniqua in Concilio refutatur. 125
Moritur. 136
Pipinus Major Domus fit Rex Francorum. 27
Pius II. antea Æneas Sylvius fit Papa. 433
Dietherum Archiepiscopum Moguntinum deponit. 443
Expeditionem indicit contra Turcas. 457
Deponit Georgium Bohemiæ Regem. 462
Anconæ moritur. 457
Portugalliæ Rex novas Insulas invenit. 427
Prædicatorum Ordo Spirâ pellitur. 180
Prædonum castella jussu Rudolfi Imperatoris subvertuntur. 43. 55. 252. 290
Dictum Rudolfi Imperatoris de prædonibus. 44
Eorum crudelitas. 146
Omnes necantur. 147
Pragensis Universitas fundatur. 242
Hæresibus maculatur. 315
Pragensis Episcopatus sublimatur in Archiepiscopatum. 243
Pragmatica sanctio abrogatur à Ludovico Rege Galliæ. 445
Defenditur à Doctis quibusdam. 446
Rursus usurpatur à Regibus Galliæ. 447
Quando cæperit, quid & qualis sit. 447
Capita præcipua Pragmaticæ sanctionis. 447
Probus Episcopus Tullensis resistit exactionibus Papæ. 50
Procopius Hussitarum Princeps Basileam venit. 385
In prælio cæditur à Teutonicis militibus. 388
Puellæ Fratricellæ fatua responsio. 140
Puellæ, quæ ab Ernesto Bavaro amabatur, crudelis submersio. 392
Puer Augustanus sexennis mirabilis. 684.
Puer Basileensis septennis latinè loquitur doctissimè. 462
Pueri Ungarici constantia coram Sigismundo Rege. 283
Puerorum ad S. Michaëlem Normandiæ concursus. 431

R

RAbanus de Helmstatt Episcopus Spirensis, Clero tributa imponit. 372
Fit Archiepiscopus Trevirensis contra Udalricum. 377
Bona Trevirensis Ecclesiæ oppignorat. 378. 401
Se Spirensium hostem scribit. 378
Trevirim introducitur. 388
Resignat Archiepiscopatum Jacobo de Sircka. 401
Reinhardus Comes Geldriæ in Ducem sublimatur. 164.
Reinhardus Episcopus Wormatiensis à Colonienſibus capitur. 478
Rezbach Ord. S. Bened. Præpositura fundatur. 181
Richardus Anglus eligitur Rex Romanorum. 29
Robertus Rex Angliæ regno privatur. 129
Rhodus Insula per Johanitas expugnatur. 105
A Turcis obsidetur. 504.
Rottenburg terræmotu collabitur. 42
Rottenburgum ad Neccarum venditur Duci Austriæ. 260
Rudolfus Comes de Habspurg. 17
Sacerdoti viaticum portanti equum commodat. 17
Prædicitur ei Regale fastigium. 17
Obsidet Basileam. 18
Rex Romanorum eligitur. 19. 20
Crucem contra Saracenos assumit. 21
De Francorum stirpe descendit. 21
Habspurgensium Comitum genealogia. 26
Indicit Conventum Principum. 28
Ejus uxor ac liberi. 29
Badensem Marchionem subigit. 30
Austriam ab Ottocaro repetit. 30
Ottocarum subjugat. 30
Ottocaro occiso Austriam & Bohemiam occupat. 31
Ducem Bavariæ debellat. 31
A voto Cruciatæ absolvitur à Papa. 36
Comitem de Zollera creat Burggrafium Noricum. 41
Burgundiam obtinet. 42
Albertum filiũ erigit in Ducem Austriæ. 43

Castella prædonum subvertit. 44
Bona Judæorum dat Pauperibus. 45
Vicarium mittit in Italiam. 48
Eberhardum Comitem Wirtenbergiæ domat. 49
Burgundiam rursus subjugat. 53
Prædonum castra septuaginta destruit. 55
Moritur,& Spiræ sepelitur. 56
Cur coronam Imperij non susceperit Romæ. 56
Rudolfus de Scherenberg Episcopus Herbipolensis. 557
Ingens lapis ex ejus vesica exenteratus. 557
Rupertus Palatinus eligitur Rex Romanorum. 310
Ejus uxor ac liberi. 310
Coloniæ in Regem coronatur. 312
Frustra in Italiam proficiscitur. 314
Vincit Marchionem Badensem rebellem. 314
Adolfum Ducem Montensem domat. 322
Abbatem S.Galli cum subditis conciliat.328
Moritur, ac tumulatur cum epitaphio. 331
Ejus Progenies. 331. 393
Ruperti Colonienſis Archiepiscopi regimen infelix. 464
Ope fratris Palatini bona impignorata recipit. 465
Vasallos suos à se avertit. 468
Cum Canonicis suis contendit. 477
Ab Henrico Landtgrafio Hassiæ captus moritur. 499. 507
S.Ruperti Monasterium spectat ad Archiepiscopum Moguntinum. 540
Reformatur per Gerlacum Abbatem Tuitiensem. 554
Moniales reformari renuentes fugiunt. 555
Monasterium à Ringaugiensibus occupatur. 555
Rütlingen oppidum Sueviæ incendio absumitur. 630

S

SAlsensis Abbas cum Conventu recedit ab ordine. 522
Sangallenses oppidani & subditi rebelles D. Abbati. 283
Saxoniæ Ducatus Marchionibus Misnensibus datur. 369
Saxoniæ Ducis duo filij noctu abducuntur.471
Schisma gravissimum inter Urbanum VI.& Clementem VII. 272. 276. 285. 299
Inter Gregorium XII.& Benedictum XIII. 325. 328
Inter Eugenium,& Felicem Sabaudum.403
Schwarzach oppidum cum Monasterio destruitur. 44. 45
Schwitenses bellum movent Comiti Habspurgico. 95
Bello vexantur à Lupoldo Duce Austriæ.139
Per sagittam de periculo monentur. 139
Victores evadunt. 139
Invicem confœderantur. 220
Bellum movent contra Albertum Ducem Austriæ. 222
Confœderationem renovant & confirmant. 233
Carolus Imperator confœderationem impedire conatur. 233
Ab Exercitu Caroli Imp. vexantur. 233
Armati conveniunt contra Nobiles. 281
Nobilium castella destruunt. 281
Devastant Lombardiam. 333
Cumam Lombardiæ urbem occupant. 333
Bello invaduntur à Lupoldo Austriæ. 283. Duce. 289
Oppidum & castrum Nidow occupant. 292
Episcopum Portugallum & Abbatem quendam è vinculis liberant. 292
Apud Bellizonam clade afficiuntur. 333
Carolum Burgundum tribus prælijs fundunt. 492
Decipiuntur à Gallis in obsidibus Divionensibus. 688
Domus Austriacæ fines aggrediuntur. 572
Concordiam ineunt cum Maximiliano Imperatore. 573
Schwitensium descriptio, & comparatio cum Bohemis. 572. 574
Scoti devastant Angliam. 686
Ab Anglis cæduntur. 686
Seditio inter Senatum & Cives Argentinenses. 174
Inter Senatum & Cives Bingios. 149
Inter Senatum & Cives Wormatienses. 177
Inter Senatum & Cives in Creüzenach. 562
Inter Senatum & Cives in Andernach. 562
Inter Senatum & Cives Erphordienses.640
Cives Archiepiscopum ut Dominum invocant. 641
Senatores fugiunt in Saxoniam. 642
Discordia inter Archiepiscopum & Duces Saxoniæ. 643
Laurentius Episcopus Herbipolensis pacem facit. 643
Henricus Kelner Senator suspenditur. 644
Inter Senatum & Cives Spirenses. 677
Inter Senatum & Cives Colonienses. 682
Inter Senatum & Cives Wormatienses. 689
Inter Episcopum & Cives Spirenses. 378
Selimus Turca quomodo Patrem sibi reconciliarit. 680
Sibertus de Beko Carmelitanus. 174

Siffridus Archiepiscopus Colonienſis ſeptennio captivus. 53
Liberatur pro magno lytro. 64
Captivatorem ſuum Adolfum viciſſim capit. 64
Exprobrat eidem ſcelus. 64
Et inter vincula mori permittit. 69

Sigiſmundus Rex Ungariæ triginta duos Proceres occidit. 282
Bellum movet in Turcas. 298
Nicopolim obſidet. 298
Cæſus in prælio vix fugâ evadit. 298
A Nobilibus Ungariæ incarceratur. 312
Eligitur Romanorum Imperator. 331
Papam Joannem ſollicitat pro Concilio. 334
Conſtantiam pro loco Concilij proponit. 335
Conſtantiam veniens ibidem Evangelium legit. 337
Roſam benedictam recipit à Joanne Pontifice. 339
Fridericum Auſtriæ Ducem proſcribit. 340
Proponit modum reformandi, qui Concilio non placet. 345
Pro Schiſmate avertendo multa regna peragrat. 345
Friderico Burggrafio Norico dat Marchiam Brandenburgicam. 355
Adolfum Comitem Cliviæ creat Ducem. 356
Expeditionem adornat in Bohemos. 365 366. 368. 380. 391
Lawenburgenſem Ducatum erigit. 369
Contributionem exigit à Clero & populo. 373
Ad Baſileenſe Concilium pergit. 381
Italiam pro corona Imperij ingreditur. 382
Venetos cædit. 382
A Venetis veneno impetitur. 383
Romæ coronâ imperialem ſuſcipit. 384. 387
Cum induſtria acquirit contributiones. 384
Ex Italia reverſus intrat Concilium. 389
Bohemos ad Concilium vocat. 390
Septuagenarius in Moravia moritur. 396

Sigiſmundus Dux Saxoniæ fit Epiſcopus Herbipolenſis. 405
Diverſæ de eo opiniones. 405
Relicto Epiſcopatu clam fugit in Saxoniam. 409
Reſignat Pontificatum, reſervatâ penſione annuâ. 409
Moritur. 509
Simon de Spira Carmelitanus. 174
Opera ejus. 187
Simon Tridentinus puer à Judæis occiditur. 483
Sophi Rex Perſarum regnum aſſumit. 583
Ut Propheta colitur apud Perſas. 583
A Judæis ſperabatur futurus Meſſias. 583
Turciam vaſtat. 680
Spanheimenſe Monaſterium reformatur. 469
Spanheimenſis Comitatus in 4. partes dividitur. 332. 396
Spirenſis Major Eccleſia concrematur. 421
Suevicæ Ligæ exordium. 528
Sunsheimenſe Monaſterium transfertur ab ordine. 564

T

TAmberlanes Tartarorum Imperator moritur. 314.
Templariorum Ordinis inſtitutio. 107
Ditiſſimus inter omnes Ordines. 107
Extincti Ordinis hiſtoria. 108
Duo Equites Ordini crimina affingunt. 108
Articuli criminum contra Ordinem Templariorum. 109
Philippus Rex Galliæ Papam conſulit. 110
Magiſter Ordinis Pariſijs capitur. 110
Templarij Pariſijs comburuntur. 111
Deum innocentiæ teſtem invocant. 111
Magiſter Ordinis aliqua confitetur coram Papa. 112
Revocat, quæ dixerat. 112
Magiſter Ordinis cum ſocio igni traditur. 112
Eorum ordo in toto orbe extinguitur. 113
Ordinis bona à Principibus rapiuntur. 113
Terræmotus Europam concutit. 233. 649
Teruana Urbs obſidetur à Maximiliano Cæſare. 685
Cives ſe Maximiliano dedunt. 686
Teſtipremi nobiles prædones nefanda exercent. 549
Teutonici milites prælio fundunt Huſſitas. 388
In Pruſſia funduntur à Rege Poloniæ. 426
Pruſſis ad Polonos deficientibus. 427
Thabor oppidum Trevirenſe comburitur. 537
Thaboritarũ nomen exoritur in Bohemia. 362
Theodoricus Archiepiſcopus Colonienſis obſidet Suſatum. 407. 411. 415
Theodoricus Bayer ſit Epiſcopus Wormatienſis. 224.
Theodoricus de Oſſenbruck Ordinis Minorum Doctor. 508
Opera ejus. 508
Theodorici de Schwinburg decapitati prædonis mira hiſtoria. 181
Theodoricus Schenck ab Erbach ſit Archiepiſcopus Moguntinus. 389
Unionem Burſfeldenſem approbat. 390
Moritur. 435
Thilmanus Carmelita Doctor & opera ejus. 252
S. Thomas Aquinas à Joanne XXII. canonizatur. 156

Thomas Brabantinus Ordinis Prædicatorum Doctor. 34.
Thomas de Haſelbach Doctor Viennenſis & opera ejus. 334.
Thomas de Kempis Canonicus S. Auguſtini Doctor. 334.
Opera ejus. 334.
Tigurum Urbs Helvetiæ per inſidias tentatur. 220
Confœderatur Schwitenſibus. 221
Obſidetur ab Alberto Duce Auſtriæ. 221. 222
Obſidetur à Carolo IV. Imperatore. 233
Torneamentum Nobilium in Eſslingen. 371
Traditio Urbis Tigurinæ tentatur per Comitem Habſpurgi. 220
Urbis Colonienſis tentatur ab Archiepiſcopo Colonienſi. 16
Urbis Moguntinæ adornatur ab Archiepiſcopo Moguntino. 453
Noctua terret traditores. 453
Per traditionem capitur. 453
Cives ſpoliantur & trucidantur. 453
Ingens præda in urbe obtenta. 454
Noveſianæ urbis attentatur ab Archiepiſcopo Colonienſi. 478
Traditor fit ſociorũ traditorũ traditor. 478
Trevirenſis urbis attentatur ab Antonio Baſtardo Burgundiæ. 415
Trajectenſes nobiles à Plebe ſpoliantur & occiduntur. 14
Trajectenſis Eccleſiæ Schiſma inter duos electos. 164
Trajectenſis Epiſcopus plebem Hollandicam rebellem domat. 14
Transfigurationis Chriſti feſtum inſtituitur. 430
Trevirenſis Urbs Sanctorum meritis ab obſidione liberatur. 82
Biennio obſidetur. 387
Conventus Principum ſolemnis. 674
Nomina Principum, qui interfuere. 674
Nomina Comitum & Oratorum. 675
Trevirenſes SS. reliquiæ oſtenduntur. 676
Ex his Tunica Domini. 676
Trevirenſis Archiepiſcopus Baldewinus arcem Birckenfeld conſtruit. 161
Navigans capitur à femina illuſtri. 161
Sub magno lytro liber evadit. 161
Eccleſiæ bona impignorantur in quadringentis millibus florenorum. 401
Trithemius Joannes naſcitur. 450
Fit Monachus in Spanheim. 512
Fit Abbas ibidem. 517
Bovillum exagitat. 288
Reſignat Abbatiam Spanheimenſem. 634
Fit Abbas Monaſterij S. Jacobi Herbipoli. 634
Maximilianum Cæſarem avertit à Schiſmate. 670
Scribit Maximiliano Cæſari. 670
Julium II. confitetur verum Pontificem. 671
Conciliabuli Piſani diſſipationem prædicit. 672
Abſolvit Chronicon Hirſaugienſe. 691
Catalogus omnium ejus operum. 692
Tubingenſis Univerſitas inſtituitur à Duce Wirtenbergiæ. 497
Tuitienſe oppidum cum Monaſterio à Colonienſibus deſtruitur. 268
Reædificatur ſumptibus Colonienſium. 268. 285
Rurſus à Montenſibus incenditur. 344
Tunica Domini Treviris inquiritur. 675
In ſummo altari reperitur. 676
Turcici regni in Aſia principium. 175
Ottomannus primus Rex Turcarum cum ſequentibus. 175
Devaſtant Carniolam & Croatiam. 552
Poloniæ regnum depopulantur. 572
Eorum triginta millia cæduntur à Chriſtianis. 411
Ab Ungaris funduntur. 680
Typographica Ars Moguntiæ invenitur. 421
Elogium Artis typographicæ. 422
Tyrolenſis Comitatus à Ludovico Bavaro injuſtè occupatur. 160

U

VAlentinianus Imperator Francos aggredi non audet. 25
Vaticinia de Friderico III. Imperatore falsò prædicta. 423
Udalricus de Argentina Doctor, & ſcripta ejus. 34
Udalricus de Auguſta Ludovici Bavari Imp. Secretarius. 176
Diſcordiarum inter Eccleſiam & Imperium buccinator. 176
Udalricus Comes de Helffenſtein doloſè occiditur. 260
Udalricus Comes de Wirtenberg capitur. 185
Liberatur pro maximo lytro. 185
Udalricus de Palma unus ex percuſſoribus Alberti Imp. 114.
Captus meritas luit pœnas. 114.
Udalricus de Manderſcheid eligitur Archiepiſcopus Trevirenſis contra Jacobum de Sirck. 377
Per concordiam cędit Rabano de Helmſtatt. 377
In profectione Romana Tiguri obit. 378
Udalricus Dux Wirtenbergiæ Cives Eſslingenſes profligat. 417
Ulmenſes Cives cædit. 421

Castellum Widem subvertit. 433
Moritur. 509
Prosapia ejus. 509
Udalricus Junior Dux Wirtenbergiæ Maximiliano Cæsari charus. 597
Gubernacula Principatus assumit. 597
Exercitum movet contra Philippum Palatinum. 606
Mulbrunnense Cœnobium occupat. 607
Cæditur à Palatino prope oppidum Brettheim. 607
Occupat oppida Peseckheim, Leuenstein, & Winsberg. 608
Veldentiæ Comes Henricus discordat cum Comite de Spanheim pro dominio furti. 45
Veldentiæ Comes Alexander impugnat Philippum Palatinum. 608
Monasterium Wilhelmitarum, vulgò, Mariæ portam spoliat. 608
Buleckheim villam obsidet. 609
Ejus milites ex Corporalibus faciunt pepla mulierum. 609
Budesheim villam incendunt. 609
Castrum Zusch spoliatum incendunt. 610
Merxheim & Sein villas incendunt. 611
Ejus terra viciſſim vastatur à Palatino. 613
Venandi studium animæ pernitiosum. 227
Veneni Henrico Luzemburgico porrecti historia. 130
Sigismundo Imperatori à Venetis subornatur. 383
Ludovico Bavaro porrigitur à Maultascha. 201
Regi Galliæ à Carolo Burgundo parati. 479
Veneti sigillum cudunt, in quo se maris Dominos scribunt. 273
Cæduntur à Ludovico Rege Ungariæ. 274
Veneficio insidiantur Sigismundo Imperatori. 383
Quo jure Cyprum obtinuerint. 480. 651
Bellum movent Maximiliano Imp. 635
A Julio Papa II. excommunicantur. 644
A Maximiliano Imp. invaduntur. 645
A Julio II. Pontifice. 645
Et à Ludovico Gallorum Rege infestantur. 645
Decem urbes Regno Ungariæ detrahunt. 651
Ravennã Romanæ Ecclesiæ præripiunt. 652
Singulis annis sibi mare despondent. 652
Quomodo Germaniam emungant. 653
Spolia Constantinopolitana emunt à Turcis. 654
Graviter atteruntur à quatuor Europæ Principibus. 659
Funduntur à Maximiliano Cæsare. 685
Eorum vitia exaggerantur à Ludovico Heliano Regis Galliæ oratore. 650
Ventorum magna tempestas. 223. 391
Viennensis Universitas fundatur. 300
Vindicat Deus impietatem filij in Patrem. 407
Vindicta filij contra Patrem, qui ejus Amasiam aquis suffocaverat. 392
Vineta frigoribus læsa. 391. 396
Vini abundantia inaudita. 177. 284. 408. 519
Virgo Augustana neque bibens, neque manducans. 664
Quomodo ad hanc abstinentiam pervenerit. 665
Multorum id testimonio confirmatur. 664.
A Sorore Maximiliani Cæsaris probatur. 665
Vitam duxit honestam, & sæpius communicavit. 665
Varia de hac Virgine opinio. 665
Alterius mulieris nihil manducantis Exemplum. 666
Ejus consilio Dux Geldriæ patrem in vincula conjicit. 666
Magnam sanctitatem & miracula ostendit. 666
Scivit, quicquid procul in Ducatu ageretur. 666
Deprehenditur dæmonium fuisse in fætulento cadavere mulieris. 666
Visitationis B. V. festum instituitur. 296
Visitatores Abbatiarum ordinantur à Concilio Basileensi. 400
Uladislaus Rex Poloniæ fit Rex Ungariæ. 408. 535
Ulissiponensis Episcopus capitur à Prædonibus in Nidow. 292
A Bernensibus liberatur. 292
Ulissiponenses Cives occidunt multos Judæos. 633
Cædis auctores puniuntur à Rege. 634
Ulmen oppidum obsidetur à Palatino. 474
Ulmensis Ecclesia Parochialis construitur. 271
Ungari naturalem habent antipathiam contra Bohemos. 283
Turcas ingenti clade mactant. 680
Unio trium observantiarum Ordinis S. Bened. committitur Episcopo Eichstettensi. 442. 592
Volmerstein castrum Archiepiscopi Colonienſis destruitur. 161
Urbanus ex Mon. S. Benedicti fit Papa V. 248
Electionem Canonicorum Colonienſium cassat. 248
Archiepiscopum Colonienſem deponit. 248
Curiam Papalem Avenione Romam reducere cogitat. 248
Irascitur Carolo IV. Imperatori. 256
Urbanus fit Papa VI. contra Clementem VII. Antipapam. 272
Carolum Regem Apuliæ excomunicat. 277

Obsessus Nuceriæ à Carolo Apulo, per quemdam Suevum Ducem liberatur. 277
Confugit Genuam à facie Regis Apuli. 277
Carolo Ungaro Regnum Apuliæ tradit. 278
Excommunicat Clementem VII. Antipapam. 285
Moritur Romæ. 291
Uriel de Gemmingen fit Archiepiscopus Moguntinus. 639

W.

VVAchenheim castrum à Philippo Palatino capitur. 473
Waiwoda Walachiæ tyrannizat. 428
Waldeck castrum abs Abbate Hirsaugiensi emitur. 510
Wallesiorum Regio vastatur ab Andrea Duce Sabaudiæ. 278
Walramus Comes Juliacensis fit Archiepiscopus Colonienſis. 177
In utróque Jure doctissimus. 177
Carthusiam Colonienſem fundat. 177
Propter bella Ecclesiam gravat ære alieno. 215
Walramus Comes de Spanheim post mortem apparet. 227
Venandi studium sibi pernitiosum dixit fuisse. 227
Walramus Comes de Veldentia fit Episcopus Spirensis. 171
Waltbach castrum Prædonum à Palatino destruitur. 477
Walterus de Eschenbach unus ex percussoribus Alberti Imperatoris. 114
Latet sub specie subulci in Wirtenbergia. 114
Ante mortem scelus & nomen prodit. 114
Walterus Fratricellorum primipilus Coloniæ comburitur. 155
Walterus de Stadion Dux copiarum Austriacarum funditur & occiditur à Glaronensibus Helvetis. 223
Waltsaxa Monasterium Ordinis Cistertienſis crematur ab hostibus. 605
Incendiarium vindicta sequitur. 605
Weissenburgense Monasterium reformari cæptum à Palatino. 469
Monachi reformati à civibus expelluntur. 472
Monachi reformati reducuntur. 476
Monasterij desolati Historia. 541
Henricus prius Abbas in Mersburg fit postea Abbas in Weissenburg. 541
Episcopum Mersburgensem facit sibi Romæ inimicum. 541
Conradus Capellanus ejus, postea Abbas in Goeseck ab Episcopi Clientibus aure mutilatur. 541
Episcopus Merseburgensis propterea accusatur apud Papam. 542
Hæc accusatio fuit exordium rancoris. 542
Joannes Drott frater Episcopi Merseburgensis persequitur Henricum Abbatem in Weissenburg. 542
Abbas Romam profectus tyrannum Drott Romam citari curat. 542
Joañes Drott à Papa excommunicatur. 542
Is excommunicationi insordescit usque ad mortem. 542
Palatinus Drotti defensor etiam excommunicatur. 542
Omnium tunc malorũ causa Drottus. 543
Occupat bona Monasterij Weissenburgensis. 543
Moritur in excommunicatione Papali. 544
Conventus 30. Monachorũ dispergitur. 543
Translatio Monasterij in Ecclesiam sæcularem Româ petitur, & impetratur. 544
Translatio iterum revocatur. 544
Weissenburg oppidum obsidetur à Friderico Palatino. 472
Wenceslaus Comes Luzenburgensis fit Comes Brabantiæ. 229
Wenceslaus Caroli IV. Imp. filius largitionibus sibi Imperium procurat. 258
Colonienſes compellit Tuitium restaurare. 273
Causa est malorum in Imperio grassantium. 291
A Bohemis capitur. 298
Mediolanum ab Imperio alienat, pretio recepto. 301
Fovet seditionem civium Herbipolensium contra Episcopum. 303
Accusatur ab Episcopo Herbipolensi in Conventu Principum Imperij. 304
Callidè deserit Herbipolenses. 304
Per Principes Imperij à Regno deponitur. 308
Causæ depositionis ejus. 308
Citatur ad Concilium Constantienſe, sed non comparet. 338
Mittit Joannem Huss nomine suo ad Concilium. 338
Ab Hussitis molestatur. 358
Moritur. 362
Wenceslaus Ottocari Bohemiæ Regis filius fit gener Rudolfi Imperatoris. 31
Wernherus Archiepiscopus Moguntinus Henricum Comitem Spanheimensem in tutelam suscipit. 36
Bellum movet contra Joannem Comitem in Spanheim fratrem Henrici. 37
Eundem prælio vincit. 37

Veldentiæ Comitem Dapiferum ſuum conſtituit. 38
Concordiam init cum Joanne Spanheimenſi. 44
Moritur. 45
Wernherus de Falckenſtein Archiepiſcopus Trevirenſis. 286
Alchimiæ deditus. 286
Ingentem ab Anteceſſore Patruo theſaurum relictum reperit. 286
Wernherus ex Monacho Spanheimenſi Abbas Limpurgenſis. 648
Wernherus puer à Judæis occiditur. 50
Weſalia & Boppardia dantur Eccleſiæ Trevirenſi in expenſas belli pro Imperio. 128
Weſtfrancorum Regnum quas provincias contineat. 19
Wicleffi Anglici errores. 316
Wigbaldus fit Archiepiſcopus Colonienſis. 69
Wilhelma Fratricellorum propagatrix. 76
Sacerdotis agebat officium. 77
Oſſa ejus exhumata comburuntur. 78
S. Wilhelmi Abbatis Hirſaugienſis ſepulchrum aperitur. 582
Suaviſſimus ex eo odor prodit. 582
Wilhelmus Abbas Maſſilienſis Doctor inſignis. 192
Wilhelmus Abbas Spanheimenſis cognatus S. Hildegardis. 189
Wilhelmus Abbas Weiſſenburgenſis eligitur. 544
Translationem Monaſterij ſui revocat. 544
Rerum ablatarum Monaſterio partem recipit à Comite Palatino. 545
Wilhelmus Comes Arenbergius occidit Epiſcopum Leodienſem. 514
Dolo capitur, & in ultionem capite truncatur. 523
Wilhelmus Comes Brigantij cædit Abbatiscellenſes. 123
Wilhelmus Comes Hollandiæ Friſijs bellum infert. 196
Sed ab ijs per inſidias occiditur. 197
Soror ejus Imperatrix Hollandiam occupat. 197
Et tandem filio Wilhelmo relinquit. 197
Wilhelmus Comes Hollandiæ Junior Hollandiam obtinet. 197
Tyrannidem in ſuos exercet. 219
Contra Matrem bellum movet. 219
Matrem vincit, ac fugere compellit. 219
Amens factus vinculis mancipatur. 232
Moritur inſanus. 269
Wilhelmus Comes Juliacenſis Aquasgrani occupat. 33
Obtinet tertiam partem oblationum Aquiſgranenſium. 34
In Ducem ſublimatur. 185
Wilhelmus de Longueretto Bonifacium VIII. Papam captivum ducit. 94
Wilhelmus Dux Flandrorũ contra Gallos. 91
Gallos prælio fundit. 92
Uſque ad tentorium Regis penetrat. 98
Wilhelmus Dux Montenſis à filio incarceratur. 319. 322
Liberatur ab Henrico de Spir milite Colonienſi. 320
Wilhelmus Dux Saxoniæ obtinet Ducatum Luzenburgicum. 417
A Philippo Duce Burgundiæ expellitur. 418
Wilhelmus Epiſcopus Trajectenſis in bello perimitur. 82
Wilhelmus Haffliginienſis Monachus & opera ejus. 81
Wilhelmus Haſſiæ Comes acquirit Comitatum Cattimelibocenſem. 293
Wilhelmus Haſſiæ Landtgrafius ducit uxorem. 570
Sine liberis obit. 575
Ejus uxor revertitur ad Palatinũ Patrem. 575
Unde oritur gravis diſcordia ratione dotis. 575
Wilhelmus Haſſiæ Landtgrafius junior ſuccedit ſeniori. 575
Bello aggreditur Philippum Palatinum. 613
Lauriſſenſe Monaſterium ſpoliat. 614
Gavodernheim oppidũ Regale occupat. 615
Nahagaviam cum villis vaſtat. 616
Sprenlingen villam exſpoliat. 617
Villam Mönſter ſpoliatam exurit. 618
Henrici Plebani contra incendiarios exprobratio. 618
Prælio funduntur Haſſij apud Ingelnheim. 619
Cubam oppidum Palatinatûs fruſtra obſident. 621
Wilhelmus miſerrimè conſumptus moritur. 647
Wilhelmus Haſſiæ Landtgrafius III. è vinculis liberatur. 659
Hujus captivitatis cauſa. 659
Wilhelmus Ockam damnatur à Papa. 158
Wilhelmi Pariſienſis opinio de rabidis lupis. 180
Wilhelmus Præpoſitus contra Abbatem Hirſaugienſem ſe erigit. 422
Wilicho Abbas Spanheimenſis. 118
Wiltpergenſe Cœnobium Monialium reformatur. 500
Winandus de Stega Canonicus Doctor & opera ejus. 417
Winsheim oppidum Regale occupatur ab Epiſcopo Herbipolenſi. 291
Wirtenbergenſes Comitatus uniuntur. 512

Wirtenbergenſium Ducum Genealogia. 415. 424. 509. 530
Wirtenbergenſium ſubditorum ſeditio contra Dominum ſuum. 299
Wolffgangus Comes Palatinus naſcitur, poſtea factus Canonicus Herbipolenſis. 555
S. Wolffgangi imago miraculoſa in Crüzenach. 510
Wolfframmus Epiſcopus Herbipolenſis rebelles cives ſubigit. 166
Wolmarus Marchio Brandenburgicus ſine liberis moritur. 146
Quidam ſe fingit Wolmarum. 205
Multos ſeduxit Principes. 205
Wormatia igne caſuali conſumitur. 60
Obſidetur à Ruſticis propter Judæos. 382
Wormatienſium Civium ſeditio contra Senatum. 177
Deſtruunt Neuhauſen. 283
Expellunt Clerum. 322. 575
Excommunicantur. 575
Wormatienſis Conventus Principũ Imperij. 557
In eo Comes Wirtenbergiæ Eberhardus creatur in Ducem. 558
In eo multa tractantur contra Turcas & Gallos. 558
Indicitur contributio contra Turcas. 558
Contributio malè impenditur. 559

Y

YStein caſtrum à Baſileenſibus occupatur. 330

Z

ZIſchka Huſſitarum Princeps ſceleſtiſſimus. 362
Aſſeclas ſuos Thaboritas nominat. 362
Deſtruit Eccleſias & Monaſteria. 363
Mulieris veneficæ maleficio fugat exercitum Chriſtianorum. 367
Tandem peſte conſumitur. 363
Zizimus Turca captivus Romam ducitur. 523
Zolrenſes & Zeringij Comites ex qua ſtirpe deſcendant. 26
Zolrenſis Comes fit Burggrafius Norinbergenſis. 41
Zuſch caſtrum à Comite Veldentiæ ſpoliatum incenditur. 610
Zwifaltenſis Abbas ſe ſubtrahit Advocatiæ Wirtenbergicæ. 524
Incarceratur à Duce Wirtenbergiæ. 679
Variæ detenti Abbatis cauſæ prætextæ. 679.

FINIS.



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

(Une)

15 — 5.

D

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf